


327



THEOLOGIA
DOGMATICA, ET MORALIS
SECUNDUM ORDINEM
CATECHISMI CONCILII TRIDENTINI
IN QUINQUE LIBROS DISTRIBUTA,
HAC QUINTA VENETA EDITIONE
omnium accuratissima, plurimis accessionibus, & Notis, variis Epistolis, & Monumentis, Appendice duplici comprehensis, aucta, illustrata, confirmata, & locupletata.

Opus non solum Clericis, & Theologis quibusque, sed & Parochis, Confessariis, & Concionatoribus perutile.

AUCTORE R. P.
F. NATALI ALEXANDRO
Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctore, & emerito Theologiæ Professore.

TOMUS SECUNDUS.
OPERUMQUE IPSIUS ORDINE TOMUS XX.




PARISIIS,
Apud SILVANUM DE GRASSORTIS.

Expensis THOMÆ BETTINELLI VENETI.
CIↃIↃCCXLIII.



THEOLOGIÆ
DOGMATICÆ, ET MORALIS
SECUNDUM ORDINEM CATECHISMI Concilii Tridentini.
TRACTATUS
DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.



PEr Lavacrum regenerationis novam quamdam vitam ingredimur; cum in eo vetus homo noſter crucifigatur, neque vivat jam in nobis niſi novus homo Jeſus Chriſtus Dominus noſter, quem baptizati induimus. Ingredimur porro in hanc vitam, non ut otio, ac deliciis indulgeamus: ſed ut contra mundum, carnem & diabolum continuo militemus. Nemo autem miles ad bellum cum deliciis venit. Vocatis igitur in Militiam Dei vivi jam tunc, cum in Sacramenti verba reſpondimus, datur nobis ad hoſtes ſuperandos adjutor Spiritus Sanctus in Confirmationis Sacramento. Datur etiam ad noſtrarum ſuſtentationem animarum in Euchariſtia, non quivis cibus, ſed pretioſi Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti divinum alimentum. Contingit nihilominus, quod in præliis uſu advenire ſolet, ut ſæpe graviter ab hoſtibus noſtris vulnerati corruamus; & quam per Lavacrum regenerationis adepti fueramus vitam ſpiritualem, amittamus. Sed ne ſic quidem oblitus eſt miſericordiæ ſuæ Pater ille miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. Is enim allevat omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos; cujus tanta eſt benignitas, & clementia, ut Joel. 2.
omnem humanam affectionem infinite ſuperet. Quod hæc ipſius verba teſtantur. *Iſa.* 49. cap. verſ. 15. *Nunquid oblivіſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit ego autem non obliviſcar tui*. Non vult ille *Benignus, & miſericors, patiens, & multæ miſe-*

ricordiæ, & præstabilis super malitia, quemquam in peccata lapsum de venia desperare, sed lapsis post Baptismum de remedio providit, Pœnitentiæ scilicet Sacramento, per quod erigamur, ac resurgamus. Nam qui *Non venit vocare Justos, sed peccatores* ad Pœnitentiam, non vult mortem impii, sed magis, ut convertatur, & vivat. Sic enim per Prophetam loquitur: *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* Et paulo post: *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite.*

Matth. 9.
Ezech. 18.

CAPUT I.

DE POENITENTIÆ. NOMINE, DEFINITIONE, ET DIVISIONE.

ARTICULUS I.

Quam varia sit verbi Pœnitentiæ significatio?

I. MUltiplex est hujus nominis significatio. Primum enim Pœnitentiæ vocabulum latissime acceptum significat dolorem non tantum de errato, sed de re quacumque, quam aliter actam esse, vel aliter se habere velimus; sive actum, quo displicet, quod ante placuerit, nulla habita ratione hujus cogitationis, bonumne, an malum fuerit. Quemadmodum sunt quos pœnitet opes suas divisisse pauperibus, aut Ecclesiæ contulisse, e quorum numero *Ananias*, & *Saphira* fuerunt; & quos pœnitet votorum Deo nuncupatorum in solemnis Religionis Professione. Sic acceptum pœnitendi nomen iis omnibus convenit, qui secundum sæculum tristitia sunt affecti, non secundum Deum. *Quæ enim secundum Deum tristitia est. Pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur* (inquit Apostolus II. ad *Corinthios*, cap. VII. 10.)

II. Secundo sumitur strictius Pœnitentiæ nomen pro dolore, qui ob crimen perpetratum, vel erratum commissum concipitur, non Dei quidem, sed sui ipsius causa. Sic doluit Esau de venditione primitivorum suorum propter unam escam: Unde *Postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit Pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.* Sic doluit *Anthiochus*, a Deo percussus, & ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. Et cum nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ait: *Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus* (ut habetur *II. Machab. IX.*) Sic doluit *Judas* de Christi Domini proditione, cum *Pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus dicens: Peccavi tradens Sanguinem justum.* Sic dolebunt impii in supremo Judicio videntes gloriam Justorum, *Dicentes intra se, Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & am-*

Hebr. 12. 17
Matth. 27.
Sap. 3.

& ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra. Modo dicamus fructuose, *Transeunt*: ne tunc dicamus infructuose, *Transierunt*; (inquit *S. Augustinus* in Psalm. 32.)

III. Tertio, sumitur strictissime Pœnitentiæ nomen pro intimo animi dolore, ob scelus admissum, vel ejus doloris externo etiam signo; qui dolor unius Dei causa concipitur. De qua Dominus ipse per *Joelem* Prophetam ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* De qua *S. Augustinus*, seu alius Joel. 2.
Auctor Sermonis olim VII. *De Tempore* inter Augustinianos, nunc CXVII. in Appendice: *Videte* (inquit) *qualis debet esse Pœnitentia: quia multi assidue se dicunt esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio: accusatur anima, non sanatur: pronunciatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in anima, quod ante dulce fuit in vita; & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in corde; jam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis:* Tibi *soli peccavi, & malum coram te feci.*

IV. Tribus his Pœnitentiæ generibus Pœnitentiæ nomen proprie convenit: Nam cum in Scriptura Sacra Deum pænitere legimus, id figurata locutione, per translationem dici, perspicuum est. Significat enim Deum non humano quidem more pœnitere, quasi dolore aliquo revera tangatur, ipsique quadam affectus mutatione displiceat, quod placuit prius, cum de se ipse dicat, *Ego Deus, & non mutor*: sed quemadmodum homines, quos rei Malach. 3. 6.
cujuspiam pænitet, eam mutare omni studio laborant, sic cum Deus mutare statuit, quod decreverat, vel fecerat, illum pœnitere dicitur. Sic Gen. VI. *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus; Delebo, inquit, hominem, quem creavi a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli. Pœnitet enim me fecisse eos.* Eo scilicet loco declarat Deus Justo Noe, quo pacto hominem, quem ad incolendam terram condiderat, mox de terra propter ejus malitiam deleturus, ac perditurus esset. Sic 1. *Regum* XV. 11. Dominus ait: *Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem*; significans velle se Regnum, quod prius Sauli detulerat, ob ejus peccata in alium meliorem transferre. E contrario non pænitere dicitur, cum semel statuta nullo modo mutare decrevit. Sic Psal. 109. dicitur: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Qua locutione declaratur Sacerdotium Christi perpetuum, & immutabile fore. Hinc *Tertullianus* Lib. II. *Adversus Marcionem*, cap. XXIV. *Non enim si hominem ex recordatione plurimum dilecti, interdum & ex alicujus boni operis in gratia pœnitet, ideo & Deum proinde. In quantum enim Deus nec malum admittit, nec bonum damnat; in tantum nec pœnitentiæ boni, & mali apud eum locus est. Nam & hoc tibi eadem scriptura determinat, dicente Samuele Sauli,* Discidit Dominus Regnum Is- 1. Regum 15.
„ rael de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo, optimo super te; „ & scindetur Israel in duas partes, & non convertetur, neque pœnitentiam aget, quia non sicut homo est ad pœnitendum. *Hæc itaque definitio in omnibus aliam formam divinæ pœnitentiæ statuit, quæ neque ex improvidentia, neque ex ulla boni, aut mali operis damnatione reputetur, sicut humana. Quis ergo erit mos Pœnitentiæ divinæ? Jam relucet, si non ad humanas conditiones eam referas. Nihil enim aliud intelligetur, quam simplex conversio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti, etiam in homine, nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpa. Nam, & in Græco sono*, Pœnitentiæ nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est, quam apud Deum pro rerum variantium sese occursu re-* * μετάνοια,

gi ostendimus. Ita intelligendus alius *Tertulliani* locus Lib. *De Pœnitentia* cap. 11. *Deus post tot, & tanta delicta humanæ temeritatis a principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum sæculi dote, post ejectum paradiso, mortique subjectum, cum rursus ad suam misericordiam maturavisset: jam inde in semetipso Pœnitentiam dedicavit, rescissa sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus operi, & imagini suæ.*

V. Inter has Pœnitentiæ significationes magnum discrimen observandum monet Concilii Tridentini Catechismus. Prima enim in vitio ponenda est: altera est quædam commoti, & perturbati animi affectio: tertia tum ad virtutem pertinet, tum Sacramentum est: quæ significatio est hujus loci propria. Primo, & secundo modo accepta Pœnitentia Infidelibus, & impiis convenit; tertio modo accepta solis Fidelibus: quod *Tertullianus* in ipso limine Libri *De Pœnitentia*, graviter, & eleganter explicat. *Pœnitentiam*; (inquit) *hoc genus hominum, quod & ipsi retro fuimus, cœci sine Domini lumine, natura tenus norunt, passionem animi quamdam esse, quæ veniat de offensa sententiæ prioris. Ceterum a ratione ejus tantum absunt, quantum ab ipso rationis Auctore* ..... *Quam autem in Pœnitentiæ actu irrationabiliter deversentur, vel uno isto satis erit expedire, cum illam etiam in bonis factis suis adhibent. Pœnitet fidei, amoris, simplicitatis, patientiæ, misericordiæ. Prout quid in gratiam cecidit, semetipsos execrantur, quia bene fecerint: eamque maxime Pœnitentiæ speciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde fingunt: meminisse curantes, ne quid boni rursus præstent: contra, Pœnitentiæ malorum levius incubant. Denique facilius per eamdem delinquunt, quam per eam recte faciunt. Quod si Dei, ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita primo Pœnitentiæ expenderent, nec unquam eam ad argumentum perversæ emendationis adhiberent: modum denique pœnitendi temperarent, quia & delinquendi tenerent, timentes Dominum scilicet. Sed ubi metus nullus, emendatio proinde nulla: ubi emendatio nulla, Pœnitentia necessario vana: quia caret fructu suo, cui eam Deus sevit, id est hominum saluti.*

ARTICULUS II.

De Pœnitentiæ Divisione, & Definitione.

Pœnitentiæ divisio.

I. Pœnitentia in interiorem, & exteriorem dividitur. Interior proprie virtus est: exterior a Christo provecta est ad Sacramenti dignitatem. Exterior alia publica est, alia privata. Privata est, quæ privatim: publica, quæ ob grave aliquod crimen in Ecclesiæ facie peragitur.

Pœnitentiæ publicæ gradus, sive stationes.

II. Publice Pœnitentium quatuor fuerunt ordines ex veteris Ecclesiæ Disciplina, scilicet *Flentium*, *Audientium*, *Substratorum*, & *Consistentium*.

Flentes stabant extra portam Ecclesiæ, veste lugubri induti, cilicio, & cinere sordidati, lachrymisque perfusi se gravis criminis reos palam fatebantur, Deique, & Ecclesiæ misericordiam supplices rogabant, adhibita Cleri, & Christianæ plebis intercessione, ut ad Pœnitentiam agendam in Ecclesiam reciperentur. Sic Pœnitentiam egit *Fabiola* Matrona Romana nobilissima, quæ adulterum Maritum dimiserat, eoque vivente alteri nupserat, cum edocta esset in Lege Divina, & Ecclesiastica prohibitum esse, quod licitum existimaverat, quia Imperatorum etiam Christianorum Legibus permissum erat. *Quis hoc crederet* (inquit *S. Hieronymus* Epist. xxx. ad Oceanum) *ut post mortem secundi viri in semetipsam reversa, quo tempore solent Viduæ negligentes jugo servitutis excusso agere se liberius, adire balneas, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, saccum indueret, ut errorem publice fateretur; & tota Urbe spectante Romana, ante diem Paschæ, in Basilica*

li a quondam Laterani, staret in ordine Pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni Populo collachrymantibus; sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? Quæ peccata fletus iste non purget? ∴ Non est confusa Dominum in terris, & ille eam non confundet in cœlo. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret ∴ Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat. Oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat, sic dolebat quasi adulterium commisisset, & multis impendiis medicaminum unum vulnus sanare cupiebat.

Audientes stabant in extrema parte Ecclesiæ prope januas, quæ Narthex vocabatur; ibique Scripturarum lectionem, & Sermones Ecclesiasticos cum Catechumenis audiebant; & cum ipsis ante Missam Fidelium dimittebantur, ut se a salutari Baptismatis gratia excidisse cogitarent, & Fidei Christianæ principiis, cujus sanctitatem malis operibus violaverant, quasi ex integro imbui oportere; sibimetipsis identidem inculcantes illud *Apocal.* II. Cap. *Memor esto, unde excideris & age Pœnitentiam, & prima opera fac.*

Substrati intra Ecclesiæ ambitum a portis ad Ambonem usque genua flectentes, orationibus Ecclesiæ, & propriis Pœnitentium actionibus expiabantur, & ad beneficium Reconciliationis præparabantur. Ideo in singulis fere Synaxibus, postquam Catechumeni, & Audientes omnes expulsi fuerant, ante Offertorium, Episcopus super istos Pœnitentes Substratos manus imponebat; & precabatur, adsistente, & comprecante toto Fidelium cœtu; quibus peractis ab Ecclesia expellebantur, & Sacrificium inchoabatur. Ipsis interim opera laboriosa imponebantur, preces, eleemosynæ, jejunia ad Deum placandum, ejusque justitiæ satisfaciendum. Hinc *Tertullianus*, Lib. *De Pœnitentia*, Cap. IX. *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mæroribus dejicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare: ceterum pastum, & potum pura non esse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia Exomologesis, ut Pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.*

Consistentes ab Ambone versus Sanctuarium cum Fidelibus ad finem usque Synaxeos subsistebant, & Missam audiebant: ab Eucharistiæ tamen participatione manebant segregati, donec Episcopi probassent, an vitam gererent Fidelibus dignam.

In unoquoque istorum graduum per annos plurimos versabantur Pœnitentes pro criminum gravitate, ut ex antiquis Canonibus patet: sed in potestate Episcopi erat, spectatis Pœnitentium contritione, & fervore, humanitatem in ipsos exercere, ac Pœnitentiæ tempus contrahere, labores, ac pœnas temperare, ac moderari, ut ex Concilii Nicæni Canone XII. aliisque colligitur.

Publica pœnitentia quando, & a quo imposita?

Graviorum peccatorum reis, maximeque publicorum, Pœnitentia imponebatur ab Episcopo in Capite Quadragesimæ, reconciliabantur autem ab eodem, qui Pœnitentiæ tempus expleverant, Feria V. in Cœna Domini, solemni Ritu, quem antiqua Sacramentaria, & Libelli Pœnitentiales de-

scribunt. Pœnitentiam postulantibus cilicium, & cinis imponebantur; inde que manavit mos Ecclesiæ, quæ Fidelium capitibus in Capite Quadragesimæ, publicam velut Pœnitentiam ad Deum placandum, & expianda crimina, ut Paschali Communione digni fiant, profitentium, cineres imponit. *In cilicio quippe* (inquit *S. Hieronymus*, in Cap. III. Lamentationum Jeremiæ) *asperitas, & compunctio peccatorum: in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum: Et idcirco utrumque hoc adhiberi ad Pœnitentiam solet, ut in compunctione cilicii cognoscamus, quid per culpam fecimus, & in favilla cineris perpendamus, quid per vitium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia: consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens justa pœna vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicii superbiendo quid fecit; videat in cinere usquequo peccando pervenit .·.·. Potest quoque cilicio ipsa in reprehensione, atque Pœnitentia dolorum compunctio designari. Nam hoc quod agit Beatus Job*, Ipse me reprehendo; *quasi quodam cilicio pungitur, dum in mente sua asperis redargutionum stimulis confricatur. In cinere autem agit Pœnitentiam, quia ex primo peccato quid per justum judicium factus sit, solerter attendit.*

Job. 42. 6.

Definitio Pœnitentiæ virtutis.

III. *Pœnitentia* quatenus virtus, *est sincera hominis ad Deum conversio, qua peccata commissa detestatur, & odio habet, propter Deum, cum gravi animi dolore, & cum firmo proposito deinceps non peccandi, sed malam vitæ consuetudinem corruptosque mores emendandi; & spe veniæ a Dei misericordia consequenda.* Ita definit Concilii Tridentini Catechismus.

Definitur a Magistro Sententiarum, Lib. IV. Dist. XIV. *Virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus, & plangenda ulterius committere nolumus.* Quæ definitio ex *S. Gregorii* Homilia XXXIV. in Evangelia sumpta est, dicente: *Pœnitentiam agere, est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.*

Sic definitur ab Auctore Libri *De vera, & falsa Pœnitentia*, inter *S. Augustini* Opera editi: *Pœnitentia est vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse.* Nam a punitione Pęnitentia nomen accepit, quasi *punientia*, dum ipse homo punit pęnitendo, quod male admisit; (inquit *S. Isidorus*, Lib. VI. *Originum*, & in Exhortatione ad Pęnitentiam: (Nam (inquit *S. Augustinus* Epist. CLIII. alias LIV. ad Macedonium) *Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti Ille parcit, cujus altum, justumque judicium nullus contemptor evadit.* Hinc mox laudatus *S. Isidorus*, Lib. II. De Officiis Ecclesiæ: *Pœnitentia* (inquit) *nomen sumpsit a pœna, qua anima cruciatur, & caro mortificatur.*

Pœnitentia non est simplex resipiscentiæ, seu vitæ mutatio.

Perperam itaque Hæretici Pœnitentiam definiunt *Novam vitam*, seu *Resipiscentiam*, & *Vitæ mutationem in melius*. Vitæ enim veteris odium, ac detestationem, sincerumque de peccatis commissis dolorem, una cum studio satisfaciendi Deo præterea continet, ut S. Scripturæ testimonia probant: Psalm. XXXVII. *Iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.* Sive, ut *S. Augustinus* legit, *Curam geram pro peccato meo.* Quid est autem curam gerere pro peccato tuo? *Si diceres, Curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi, Dabo operam ut sanetur? Hoc est enim curam gerere pro delicto, semper intendere, semper studiose, & sedulo agere, ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed forte lachrymæ currunt, & manus cessant. Fiant eleemosynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut & tu gaudeas de dato Dei. Eget ille, eges & tu: eget ille ad te, eges & tu ad Deum. Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem sui? Ergo impleto tu egentis inopiam, ut impleat Deus interiora*

teriora tua. *Hoc est*, Curam geram pro peccato meo, *faciam omnia quæcumque facienda sunt ad abolendum, & sanandum peccatum meum*. Ezech. VI. 9. *Displicebunt sibimet super malis, quæ fecerunt in universis abominationibus suis*. Joelis II. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu & in planctu, & scindite corda vestra*. Lucæ III. 8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. II. da Cor. VII. II. *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari, vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam*. Hoc spiritu animatus Rex *Ezechias* ajebat (Isa. XXXVIII.) *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Sic animati Ninivitæ, de quibus *Jonæ* III. 5. dicitur: *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum: & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis a majore usq; ad minorem. Et pervenit verbum ad Regem Ninive: & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere*. Et clamavit, & dixit: *Operiantur saccis homines & jumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir a via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus: & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus?* Et Matth. XII. 41. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia Pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic*. Sic animata fuit Mulier peccatrix, quæ *Ut cognovit, quod Jesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti: & stans retro secus pedes ejus, lachrymis cæpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat*. Ut enim ait *S. Gregorius*, Hom. XXXIII. in Evangelia: *Quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta: convertit ad numerum virtutum, numerum criminum: ut totum Deo serviret in Pœnitentia, quicquid ex se Deum contempserat in culpa*. Sic animatus Publicanus, qui *A longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori*. Et descendit justificatus in domum suam. Sic animatus *Petrus* post negationem, cum recordatus verbi Domini, *Egressus foras, flevit amare*. Pœnitentia itaque non est simplex resipiscentia, aut mutatio vitæ in melius, sed vitæ veteris odium, & dolorem de peccatis commissis cum proposito satisfaciendi justitiæ divinæ, quantum humana potest infirmitas, continet. Nec aliud voluit *Lactantius*, Lib. VI. *Institutionum*, cap. XXIV. ubi *Metanoeam*, quæ Græca vox est Pœnitentiæ respondens, *Resipiscentiam* interpretatur. Subdit enim: *Resipiscit, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque se ipsum dementiæ*.

Luc. v. Luc. 18. Luc. 22.

Tre veræ Pœnitentiæ Actiones

IV. Tres sunt veræ Pœnitentiæ Actiones in Ecclesia usitatæ. Prima peccatorum omnium ante Batisma commissorum: altera mortalium peccatorum, quæ post Baptismum commissa sunt: tertia venialium. Prima est, *Quæ novum hominem parturit, donec per Baptismum salutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum ∴ Omnis enim, qui jam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cum accedit ad Sacramenta Fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac Pœnitentia, cum baptizantur, soli parvuli sunt immunes: nondum enim uti possunt libero arbitrio ∴ Ceterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse, quod non erat, nisi eum pæniteat fuisse quod erat. Hæc prima Pœnitentia præcipitur Judæis, dicente*
„ *Apostolo Petro*, Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in Act. 2. 38.
„ nomine Domini nostri Jesu Christi. *Talis ab ipso Domino imperabatur*, Matth. 4. 17.
„ *cum diceret*; Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cælo-
„ rum. *De hac etiam Jo: Baptista dicit*: Generatio viperarum, quis ostendit Matth. 3. 7.
„ vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum Pœnitentiæ. & 8.

Al-

Altera Pœnitentia est, cujus actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis humilitate subeunda est, ob peccata quotidiana, a quibus nemo quamtumvis Justus, immunis est. *Unde orantes dicimus, quod in tota ista vita oportet, ut dicamus*, Dimitte nobis debita no-
Matth. 6. 12. stra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Non enim ea dimitti precamur, quæ jam in Baptismo nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus: sed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, & ipsarum orationum, ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat.*

Tertia actio est Pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ Legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt. *In hac ergo pœnitentia, majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a seipso judicatus, non judicetur a Domino, sicut idem Apostolus ait*, Si enim nos judicaremus, a Domino non judica-
Gal. 5. 21. „ remur. *Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ; si timet il-*
1. Cor. 11. 31. „ *lud quod* Oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat unus-
„ quisque, quod per corpus gessit, sive bonum, sive malum. *Constituat se*
„ *ante faciem suam ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori,*
2. Cor. 5. 10. „ *dicens*, Arguam te, & statuam contra faciem tuam. *Atque ita constituto*
„ *in corde judicio; adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex ti-*
Psalm. 49. 21. *mor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis, & Sanguinis Domini.*

Sic tres illas Pœnitentiæ actiones explicat *S. Augustinus*, Serm. CCCLI. *De Utilitate agendæ Pœnitentiæ*, alias L. inter Homilias quinquaginta. Idem præstat Serm. CCCLII. alias XXVII. inter Homilias quinquaginta, & Epist. CCLXV. ad *Seleucianam*, alias CVIII. Hanc esse divisionem Pœnitentiæ virtutis, docet *S. Thomas*, III. p. q. XC. art. IV. Pertinet enim ad Pœniten-
„ tiam, ut detestetur peccata præterita cum proposito immutandi vitam
„ in melius, quod est quasi Pœnitentiæ finis. Et quia moralia speciem
„ a fine recipiunt, conveniens est, ut diversæ species Pœnitentiæ accipian-
„ tur secundum diversas immutationes, quas pęnitens intendit. Est autem
„ triplex immutatio a pęnitente intenta. Prima quidem per regeneratio-
„ nem in novam vitam; & hæc pertinet ad Pęnitentiam, quæ est ante
„ Baptismum. Secunda immutatio est per reformationem vitæ præteritæ
„ jam corruptæ: & hæc pertinet ad Pęnitentiam mortalium post Baptis-
„ mum. Tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitæ:
„ & hæc pertinet ad Pęnitentiam venialium, quę remittuntur per aliquem
„ ferventem actum charitatis.

Definitio Pœnitentiæ Sacramenti. V. *Pœnitentia* secundum rationem Sacramenti spectata, *est Sacramentum, in quo relapsis vere pœnitentibus, & confessis, saltem cum proposito satisfaciendi, Sacerdotalis Absolutio impenditur.* Sive, *Signum sensibile ad reconciliationem eorum, qui post Baptismum lapsi sunt, a Deo institutum.*

Varia Pœnitentiæ nomina. Varia sunt hujus Sacramenti nomina, *Pœnitentia* enim vocatur, quia necesse est ad justificationis gratiam post lapsum consequendam, ut peccatum homini displiceat; utque per veram Contritionem, & alia media a Deo præscripta, & in Nova Lege a Christo instituta, suum homo peccatum destruat. *Sacramentum Reconciliationis* ab effectu vocatur: *Sacramentum Confessionis*, a parte conspicua, & ante remissionem peccati necessaria: *Sacramentum Absolutionis*, ab actu Sacerdotis formam Sacramenti proferentis, cum ait, *Ego te absolvo*; sicut Baptismus dicitur ab actu baptizantis, & dicentis, *Ego te baptizo.* Ita vocatus a Conc. Tridentino sess. XIV. can.

can. x. & passim a *S. Leone*. Dicitur interdum *Manuum impositio*, a cæremonia externa, quæ tamen, ut non necessaria Sacramenti necessitate, ita nec huic Sacramento propria; siquidem Confirmatio, & Ordinatio eodem nomine designantur. Sic vocatur a *S. Cypriano*, Lib. de Lapsis: *Ante expiata delicta*, (inquit) *ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam Sacrificio, & manu Sacerdotis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant*. Sic *Optatus Milevitanus*, Lib. II. *Dum manus imponitis, & delicta donatis*. Sic *S. Augustinus* Lib. III. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. XVI. *Manus impositio non sicut Baptismus repeti non potest: quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* Quasi dicat, Baptismum quidem iterari non posse, Pęnitentiam vero posse iterari. Sic *S. Leo*, Epist. II. olim XCII. ad *Rusticum Narbonensem*, eos qui convivio solo Gentilium, & escis immolatitiis usi sunt, *Manus impositione purgari* ait. Sic Conc. Carthaginense IV. can. LXXVI. *Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem*. Sic *Arausicanum* I. can. III. *Stent in ordine Pœnitentium, ut ostensis necessariis Pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant*. Ab antiquis, *Tertulliano* maxime, & *S. Cypriano*, vocatur *Exomologesis*, Græco nomine, idest, *Confessio*: item *Comunicatio*, seu *Communio*, & *Pax*, eo quod Lapsi per Pęnitentiæ actionem, & Absolutionem Sacerdotis restituerentur Communioni, & Eucharistiæ percipiendæ jus haberent, ad eamque digne sumendam præpararentur. *Secunda post naufragium tabula* sepe vocatur a Patribus. Sic *Tertullianus*, Lib. *De Pœnitentia* cap. IV. *Pœnitentia vita est, cum præponitur morti. Eam tu peccator, mei similis, imo me minor; (Ego enim præstantiam in delictis meam agnosco) ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum prolevabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit. Rape occasionem inopinatæ felicitatis*. Sic *S. Hieronym.* in cap. III. Isaiæ: *Secunda post naufragium tabula Pœnitentia est*. Et Epist. LXV. *Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri*. Sic Tridentina Synodus, sess. VI. cap. XIV. *Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint: hic enim justificationis modus est lapsus reparatio: quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam SS. Patres apte nuncuparunt*. Denique vocatur a Patribus *Laboriosus Baptismus*. Ita *Clemens Alexandrinus* aqud *Eusebium* Lib. III. Historiæ, cap. XVII. Juvenem post Baptismum in sceleratam vitam lapsum, & ducem latronum factum, ac *S. Jo: Apostoli* exhortatione conversum, scribit *Lachrymis secundo baptizatum*. Ita *S. Gregorius Nazianzenus* Orat. XL. in Sancta Lumina: *Quintum locum lachrymarum Baptismus tenet: verum asperior est, & laboriosior, quo quidem ille tingitur, qui per singulas noctes lectum suum, ac stratum lachrymis lavat, cui ipsæ quoque vitii cicatrices fœtent, qui lugens, & contristatus ingreditur*. Ita *S. Jo: Chrisostomus*, Hom. IV. De Pęnitentia: *Petrus tunc sentiens cępit flere, & non flevit modo, sed amare, secundum Baptisma per lachrymas ex oculis ostendens. Cumque flevisset amare, delevit peccatum*. Ita *S. Isidorus Pelusiota*, Lib. I. Epist. CCCCVIII. *Deus, qui nos vitam per resipiscentiam obtinere cupit, de pectore tuo aquam ducet, quæ tibi pro altero quodam Lavacro sit, ac voluntaria piscina conscientiam tuam ab inquinamentis repurgans, ut Angelis quos in mœrorem conjecisti, lætitiæ causam præbeas*. Ita *S. Joan. Damascenus* Lib. III. *De Fide Orthodoxa*, cap. X. *Sextum Baptisma in Pœnitentia, & lachrymis versatur, estque sane grave, & durum*, Ita *S. Isidorus Hispalensis*, Lib. II. *De Officiis*, cap. XXIV. *Sanguis, & aqua Baptismatis gemina figura est. Baptisma unum, quo regeneramur ex aquæ Lavacro;*

aliud.

aliud, quo consecramur in sanguine. Est & tertium Baptisma lachrymarum; quod laboriosius transigitur. Ita denique Conc. Tridentinum, sess. XIV. cap. II. *Ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a Patribus dictus fuerit.*

ARTICULUS III.

De Pœnitentia Virtute.

PROPOSITIO I.

Intima animi Pœnitentia est vera virtus.

ID probant rationes ex *S. Thoma* III. p. qu. LXXXV. & ex Conc. Tridentini Catechismo par. II. cap. V. §. VII. & VIII. desumptæ.

Ratio prima hæc est. Lex de iis tantum actionibus præcipit, quæ pertinent ad virtutem. Cum igitur multa præcepta de Pęnitentia in S. Litteris a Deo tradita sint, prætertim *Matth. IV.* 17. ubi legimus *Exinde cępit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cælorum.* Pęnitentia est vera virtus.

Secunda ratio hæc est. Dolere quando dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est, nemo negaverit actum esse virtutis. Hoc autem præstat Pęnitentia. Interdum enim evenit, ut ex admissis sceleribus minorem, quam par est dolorem homines capiant: quin etiam, ut a Salomone scriptum est, sunt, *Qui lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Alii ita se męrori, & animi ægritudini dedunt, ut de salute etiam prorsus desperent, qualis fortasse Cain videri potest, qui ait: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear:* & qualis certe Judas fuit, qui Pęnitentia ductus, suspendio vitam, & animam amisit. Cum itaque Pęnitentia moderatum dolorem assumat de peccatis præteritis, cum intentione illa removendi, est vera virtus.

Tertia ratio hæc est: Detestari peccatum, & ad illius destructionem quatenus Dei offensa est, eniti; pro sceleribus admissis Deo satisfacere, in Dei gratiam redire, sunt actus laudabiles, & singularem difficultatem habentes; pertinent igitur ad singularem virtutem, quæ justitiæ species est, quatenus emendatio est offensæ contra Deum commissæ; quæ quidem non fit sola cessatione injuriæ, sed compensatione quadam, qua honor Deo ablatus resarcitur, quantum possibile est homini pęnitenti. Quamvis enim inter Deum, & homines propria justitiæ ratio intercedere non possit, qualis est inter æquales, cum tam longo intervallo inter se distent: aliquam tamen esse justitiam constat, cujusmodi est inter patrem, & filios, inter dominum, & servos, inter maritum, & uxorem. Nam pęnitens ad Deum supplex confugit cum emendationis proposito, sicut servus ad Dominum, secundum illud Psalmi CXXII. *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri:*

Lucæ 15. & sicut filius ad patrem, secundum illud Prodigi adolescentis, Lucę 15. *Pater peccavi in cælum, & coram te:* & sicut uxor ad virum, secundum illud Jer. III. *Fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Qamobrem compensatio, & satisfactio, quam Deo exhibet homo pęnitens, non est sufficiens simpliciter, sed secundum acceptationem, benignitatem, & indulgentiam Dei misericordiarum Patris.

At (inquies) quomodo vera virtus potest censeri, quæ dolorem excitat, cum virtus delectationem pariat? Quomodo vera virtus, quæ non est per se expetenda: sed tantum ex hypothesi peccati commissi? Quomodo

do vera virtus, quæ ſui compotes laude dignos non facit, ſed pudore, ac verecundia ſuffundit? Verecundia certe non eſt virtus, cum ſit de turpi facto: igitur neque Pœnitentia. Quomodo tandem virtus cenſeri poteſt, quæ eſt in homine nondum cum Deo reconciliato, & charitate deſtituto; quam charitatem qui non habet, nihil eſt, ut ait Apoſtolus?

Reſpondetur diſtincte ad ſingula capita. Ad primum: Pœnitentiam excitare dolorem ratione objecti; delectationem parere ratione actus. At delectatio de objecto actus non eſt propria virtuti, ſed delectatio de ipſo actu. Pœnitens igitur dolet de peccato, quatenus Dei Optimi Maximi injuria eſt: Luc. 15.
ſed de ipſo dolore gaudet, atque ad peccati deſtructionem, & vindictam in ſemetipſo prompte & alacriter operatur. Pœnitentium labores, & lachrymæ ſunt illius inſtar cibi ſuaviſſimi, ſecundum illud Pſ. CXXVII. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Et Pſalm. CXXVI. *Surgite, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Quæ verba *S. Auguſtinus* explicans, ait: *Niſi haberet aliquam ſuavitatem panis iſte, nemo illum manducaret. Cum quanta ſuavitate plorat in gemitu, qui orat. Dulciores ſunt lachrymæ orantium, quam gaudia theatrorum .:. Dulces ſunt & ipſæ lachrymæ, & pro cibo tibi erunt, quia factæ ſunt, & ipſæ panis die, ac nocte, dum dicitur tibi quotidie, Ubi eſt Deus tuus?* Et Lib. V. *Confeſſionum*, cap. II. *Ecce ibi es in corde confitentium tibi, & plorantium in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles; & tu facilis terges lachrymas eorum, ut magis plorent, & gaudeant in fletibus.*

Ad ſecundum reſpondetur, Pœnitentiam, ſecundum actus ſuos ſpectatam, eſſe per ſe expetendam iis, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt: ſecundum habitum vero conſideratam, per ſe expetendam eſſe omnibus, qui in peccatum labi poſſunt, & ab eodem reſurgere. Unde primus Homo in ſtatu innocentiæ conſtitutus, Pœnitentiæ virtute ornatus erat, quantum ad habitum, quia Pſalm.18.14.
ita erat affectus, ut ſi peccatum commiteret, de illo doleret. Contra vero Chriſtus Dominus ob divinam impeccantiam, Pœnitentiæ virtutem nullatenus habuit, quamvis pro noſtrum omnium peccatis Deo Patri ſatisfecerit. Nam Pœnitentia non verſatur circa aliena, ſed circa propria peccata. *Pœnitere* (inquit S. Thomas) *eſt de aliquo prius a ſe facto dolere.* Unde quod orat David, *Ab alienis parce ſervo tuo*, non ſignificat Pœnitentiam de peccatis alienis a *David* factam, ſed ſupplicationem, ut Deus hoſtium inſidias avertat, dæmonum præſertim, qui peccati ſuaſores ipſi eſſe poſſent. ut explicat *S. Auguſtinus*, Enarratione in Pſ. XVIII. *Delicta* (inquit) *mea inquinant me, delicta aliena affligunt me: ab his munda me, ab illis parce. Tolle mihi ex corde malam cogitationem, repelle a me malum ſuaſorem: hoc eſt*, Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. *Nam iſta duo genera delictorum propria ſimul, & aliena, etiam primitus in exordio claruerunt. Diabolus ſuo delicto cecidit, Adam alieno dejecit. Hic* Pſalm.35.12.
„ *ipſe Dei Servus in alio Pſalmo ſic orat*, Non veniat mihi pes ſuperbiæ „ & manus peccatorum non moveant me. *Non veniat, inquit, mihi pes ſuperbiæ, hoc eſt, Ab occultis meis munda me: manus peccatorum non moveant me, hoc eſt, Ab alienis parce ſervo tuo.* Pœnitentiam vero non habuerunt Angeli, quia etſi peccare poſſent, tamen e peccato non poterant emergere, quod ſemel commiſiſſent, tum ob immobilitatem voluntatis in objecto, cui ſemel adhæſerunt, tum quia unicum illis inſtans a Deo datum eſt, ex quo ſors illorum æterna penderet. Unde *S. Gregorius Magnus*, 1. Cor. 6.
Lib. XXXIV. *Moralium*, cap. XIV. de Diabolo ait: *Appetitum celſitudinis vertit in rigorem mentis. ut damnatus jam per duritiam ſe male egiſſe non ſentiat.* Et *S. Iſidorus* Lib. *De Summo Bono*, cap. X. *Diabolus ideo non petit veniam,*

niam, quia non cumpungitur ad Pœnitentiam. Homo vero Pœnitentiæ capax est ob mutabilitatem arbitrii versatilis, ob infirmitatem corporis, & ex Dei benignitate, qui non unicum temporis momentum, sed totum vitæ tempus ipsi indulsit ad cooperandum divinæ gratiæ; & ad abolenda peccata, satisfactionemque pro admissis divinæ justitiæ exhibendam; *Tempus* certe *acceptabile*, & *dies salutis*, quos redimere, & Pœnitentiæ consecrare est operæ pretium. Hinc *S. Jo: Damascenus*, Lib. II. *Fidei Orthodoxæ*, cap. III. de Angelo ait: *Pœnitentiæ porro ea ratione minime capax est, quia corpore vacat. Nam quod homo e vitiorum cœno emergere, atque ad meliorem frugem se convertere queat, id ob corporis imbecillitatem est consecutus*. Et ante S. Jo: Damascenum *S. Gregorius* Lib. IV. *Moralium*, cap. IX. & X. *Duas ad intelligendum se creaturas Deus fecerat, Angelicam, & humanam: utramque vero superbia perculit, atque ab statu ingenitæ rectitudinis fregit; sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne gestavit. Misertus ergo Creator, ut redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ aliquid ex infirmitate constat habuisse; & eo amplius debuit apostatam Angelum repellere, quo cum a persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit. Unde recte Psalmista, cum misertum Redemptorem hominibus di-*
Psalm. 77. 39. „ *ceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit dicens*: Et memoratus „ est, quia caro sunt. *Ac si diceret: Quo eorum infirma vidit, eo districte culpas punire noluit. Est adhuc aliud, quo perditus homo reparari debuit, & superbiens Spiritus reparari non possit; Quia nimirum Angelus sua malitia cecidit, hominem vero aliena prostravit.*

Ad tertium respondetur, Id intercedere discriminis inter Verecundiam, & Pœnitentiam, quod Verecundia respiciat turpe factum, ut præsens, ex quo prodeuntem metuit infamiam, Pœnitentia vero, ut præteritum. Repugnat vero perfectioni virtutis turpe facinus, quod iracundiam, & infamiam parit; sed non repugnat perfectioni virtutis dolor de turpi facinore, studiumque ipsum abolendi, sive removendi offensam Dei, & reatum pœnæ quæ ex ipso consecuta sunt. Pudor enim Pœnitentiæ adjunctus gloriam, & salutem parit: Pudor adjunctus peccato, parit infamiam, & mortem, secundum illud Eccl. IV. 25. *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam*. Nam ut ait *S. Gregorius*, Lib. I. in *Ezechielem*, Hom. X. *Qui erubescit pœnitendo mala, quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit: qui vero erubescit bona facere, e statu rectitudinis cadit, atq; ad damnationem tendit*. Ad quartum respondetur, Pœnitentiam sinceram, non esse quidem semper coniunctam habitui charitatis, nisi perfecta sit; non esse tamen absque charitate, ad sensum Apostoli, quia sincero in Deum affectui, & amori saltem inchoato conjuncta est. Hinc *S. Thomas* III. p. q. LXXXV. art. IV. ad IV. docet, Pœnitentiam, etsi directe sit species justitiæ, Virtutum tamen Theologicarum esse participem, *Est* enim *cum fide Passionis Christi, per quam justificamur a peccato & cum spe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem. Pœnitentiam* siquidem *certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei*; (ut loquitur *S. Augustinus*, inter Augustinianos,) vel alius Auctor antiquus Sermonis VII. De Tempore nunc in Appendicem rejecti.

PROPOSITIO II.

Pœnitentia non est Virtus aquisita, sed infusa.

Fidei namque dogma est, nos veram Pœnitentiam concipere non posse quin cordibus nostris per Spiritum Sanctum infundatur. Unde Jer. XXXI. 18. dicitur: *Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus*.

Post-

Postquam enim convertisti me, egi Pœnitentiam. Et Act. v. 31. dicitur *Hunc Principem, & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam Pœnitentiam Israeli, & Remissionem peccatorum.* Et cap. xi. 18. *Ergo & Gentibus Pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Denique Conc. Tridentium, sess. vi. can. iii. id ad fidem pertinere declarat. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; Anathema sit.*

PROPOSITIO III.

Pœnitentiæ Virtus lapsis in mortale aliquod peccatum quovis tempore fuit necessaria.

ITa docet Conc. Tridentinum, sess. xiv. cap. i. *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait:* Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. *Dominus etiam dicit:* Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. *Et Princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis Pœnitentiam comendans dicebat:* Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. *Porro nec ante Adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum.* Ezech. 18. Luc. 13. Act. 2.

Id confirmat *S. Thomas*, iii. p. q. lxxxiv. art. vii. ad i. ubi docet, Ex jure naturali esse, ut homo peccator Pœnitentiam agat, doleatque ex animo de malis, quæ commisit, & doloris remedium quærat, malis curandis salutare, & signa doloris exterius præ se ferat, ac promat, sicut Ninivitæ fecerunt, ut *Jonæ III.* legitur: In quibus tamen aliquid fuit adiunctum fidei, quam conceperant ex Prædicatione Jonæ; ut hoc scilicet agerent cum spe veniæ a Deo consequendæ, quam his verbis expresserunt; *Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus, & revertatur a furore iræ suæ, & non peribimus?* In Veteri autem Lege determinationem aliquam accepit Pœnitentia (inquit *S. Thomas*. ibid. ad ii) primo quidem quantum ad dolorem, ut magis in animo, quam in externis signis versaretur; secundum illud Joelis II. *Scindite corda vestra & non vestimentam vestra.* Secundo, quantum ad remedium doloris quærendum, ut Ministris Dei peccata sua generatim saltem confiterentur. Unde Dominus *Lev.* ait: *Anima si peccaverit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti juxta mensuram, æstimationemque peccati, qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit, & dimittetur ei.* Oblatio enim facta pro peccato, confessio quædam erat peccati facta Sacerdoti. Quo sensu *Prov.* xxviii. dicitur: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Nondum autem erat instituta potestas clavium, quæ a Passione Christi derivatur; adeoque nondum erat institutum, ut homo in peccatum lapsus, de illo doleret cum proposito subjiciendi se clavibus Ecclesiæ per Confessionem, & Satisfactionem, spe consequendæ veniæ virtute Passionis Christi. Qui Pœnitentiæ modus a Christo Domino nostro in Nova Lege determinatus, & institutus est, Joan 3. 9.

ARTICULUS IV.

Quibus gradibus ad divinam Pœnitentiæ Virtutem ascenditur?

CUm Deo in nobis sine nobis Pœnitentiam operanti cooperari tamen debeamus, merito *S. Thomas*, & ex eo Conc. Tridentini Catechismus sex gradus distinxerunt, ordine quodam disposuerunt, quibus veluti gradibus ad Pœnitentiæ virtutem pervenitur.

Primum illorum principium est Dei misericordia nos præveniens, & corda nostra ad se convertens, secundum illud *Jeremiæ* Lamentat. xv. 21 *Converte nos: Domine, ad te, & convertemur.* Ut enim explicat S. Synodus Tridentina sess. VI. cap. V. *Justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum est, hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis vocantur: ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Sp. Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat: quippe qui illam & abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in Sacris Litteris cum dicitur:* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, *libertatis nostræ admonemur: cum respondemus:* Converte nos, Domine, ad te, & convertemur; *Dei nos gratia præveniri confitemur.* Primus itaque gradus ad Pœnitentiam est gratia præveniens.

Secundus gradus est motus fidei, quo ad Deum tendimus. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit* (inquit Apostolus ad Heb. XI. 6.) Atque illud in primis, *A Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu,* (ut loquitur Conc. Tridentinum sess. VI. cap. VI.) Ex quo sequitur, Fidem non esse Pœnitennitentiæ partem (quod commenti sunt Hæretici) cum necessario Pœnitentiam antecedat.

Tertius gradus est motus timoris servilis, quo concussus peccator timore suppliciorum a peccatis revocatur. Atq; huc spectare videtur illud *Isaiæ* oraculum, cap. XXVI. 17. *Sicut quæ concipit, quæ appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus a facie tua, Domine.* Et illud Eccl. I. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Ad hunc proinde timorem adhortatur Christus, Matt. x. 28. *Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.*

Quartus gradus est motus spei, quam ex divinæ misericordiæ intuitu concipimus, fidentes Deum nobis propter Christum propitium fore: qua spe erecti, vitam, & mores emendare constituimus.

Quintus gradus est motus charitatis, quo peccatum displicet Pœnitenti secundum seipsum, & quatenus Dei summe Boni offensa est, vel propter suam turpitudinem, non jam propter supplicia. *Sicque Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipit;* ut loquitur Conc. Trident. sess. VI. *Nam peccatum prius incipit homini displicere, maxime peccatori, propter supplicia, quæ respicit timor servilis, quam propter Dei offensam, vel peccati turpitudinem, quod pertinet ad charitatem;* (inquit *S. Thomas* III. p. qu. LXXXV. art. V. ad I.)

Sextus gradus est motus timoris filialis, quo propter Dei reverentiam pœnitens sponte satisfactionem offert, & peccatum in seipso vice divinæ justitiæ punire constituit. Quo timore animatus Filius prodigus ait: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum ex mercenariis tuis.*

AR-

ARTICULUS V.

Utrum Pœnitentia sit Sacramentum?

PROPOSITIO I.

Exteriorem Pœnitentiam esse Novæ Legis Sacramentum, dogma Fidei est.

SAcramentum enim *est in aliqua celebratione, cum rei gestæ ita commemoratio fit, ut aliquid significare intelligatur, quod sancte accipiendum est*; ut ajunt *S. Augustinus* Epist. LV. alias CXIX. ad *Januarium*, & *Isidorus* Lib. VI. *Originum*, cap. XIX. & habetur cap. *Multi*, Causa I. qu. I. Sive, Signum est practicum, & efficax gratiæ a Christo institutum. At externo Pœnitentiæ Ritu, prout administratur in Ecclesia, aliquid sanctum significatur tam ex parte peccatoris pœnitentis, quam ex parte Sacerdotis absolventis: nam peccator pœnitens rerum, & verborum notis plane ostendit cor suum a peccato recessisse. Similiter etiam ea, quæ a Sacerdote geruntur, & dicuntur, misericordiam, & operationem Dei peccata remittentis significant. Hoc autem signum ex institutione Christi gratiam conferre, probant illa Salvatoris verba *Matth. XVI.* 19 ad S. Petrum: *Tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis.* Tum & ad reliquos Apostolos, Matth. XVIII. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Ac post Resurrectionem ad eosdem: *Accipite Spir. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Solvunt autem, & remittunt peccata Sacerdotes, cum Pœnitentem rite dispositum a peccatis absolvunt: ligant, cum peccata legitimas ob causas retinent, idest, peccatoribus sicut oportet non penitentibus Asolutionis, & Reconciliationis gratiam, vel ad tempus suspendant, vel omnino negant, Ligant, cum satisfactionem penitentibus imponunt: solvunt, cum de illa ipsa satisfactione justis de causis aliquid remittunt, vel per eam purgatos ad Sacramentorum participationem admittunt. His autem præcipue verbis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur*, &c. Apostolis eorumque legitimis Successoribus, potestatem remittendi peccata in Sacramento Penitentiæ fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Montanistas, atq; Novatianos, potestatem remittendi peccata esse in Ecclesia olim pertinaciter negantes, Ecclesia Catholica tanquam Hæreticos jure merito damnavit. Quamobrem S. Synodus Tridentina verissimum illum verborum Domini sensum probans, & recipiens, damnavit commentitias Hæreticorum interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annunciandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent. Sic ipsa loquitur, sess. XIV. cap. I. & can. III. *Si quis dixerit,* „ *verba illa Domini Salvatoris*, Accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis „ peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt, *non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; Anathema sit.*

Penitentiam Sacramentũ esse probatur ex Scriptura Sacra.

Joan. 20. 27.

Tridentinum porro Concilium secundum veteris Ecclesiæ doctrinam, & Apostolicam Traditionem suum illum Canonem condidisse, clarissimis Patrum testimoniis ostenditur; scilicet.

S. Cypriani Epist. LIV. ad *Cornelium* Pontificem Maximum: *Statueramus* qui-

Penitentiam

Sacramentum esse, probatur ex Traditione.

quidem jam pridem, Frater chariſſime, participato invicem nobiſcum conſilio; ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab Adverſario, & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu Pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent ∴ Quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cęlis ligata eſſent; ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur. Et Epiſtola LV. *Primus felicitatis gradus eſt non delinquere, ſecundus delicta cognoſcere. Illic currit innocentia integra, & illibata, quæ ſervet: hic ſuccedit medela, quæ ſanet: quod utrumque iſti offenſo Deo perdiderunt, ut & amiſſa ſit gratia, que de Baptiſmi ſanctificatione percipitur, & non ſubveniat Pœnitentia, per quam culpa curatur.*

S. Paciani Barcinonenſis Epiſcopi, Epiſt. I. ad *Simpronianum Novatianum*, ubi de Remiſſione peccatorum ſic loquitur: *Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum eſt, ſed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud, quod Apoſtolis dicit:* Quæ ligaveritis in terris, „ ligata erunt & in cœlis, & quæcumque ſolveritis in terris, ſoluta erunt „ & in cœlis. *Cur hoc ſi ligare hominibus, ac ſolvere non licebat? An tantum hoc ſolis Apoſtolis licet? Ergo & baptizare ſolis licet, & Sp. Sanctum dare ſolis, & ſolis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis quam Apoſtolis imperatum eſt.* Et paulo poſt: *Si ergo Lavacri, & Chriſmatis poteſtas, majorum longe Chariſmatum, ad Epiſcopos inde deſcendit, & ligandi quoque jus adfuit, atque ſolvendi. Quod etſi nos id ob noſtra peccata temerarie vindicamus, Deus tamen illud ut Sanctis & Apoſtolorum Cathedram tenentibus non negabit, qui Epiſcopis etiam Unici ſui nomen indulſit.*

S. Jo: Chriſoſtomi, Lib. III. de Sacerdotio: " Qui terram incolunt (inquit) atque in ea verſantur, his commiſſum eſt, ut ea, quæ in cœlis " ſunt, diſpenſent: iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus " Optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Neque " enim ad illos dictum eſt. *Quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cœlo.* Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verum in corpus ſolum. Id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit; uſque adeo, ut quæcumque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cęleſtium poteſtatem illis a Deo conceſſam? Quorumcumque ait, peccata retinueritis, retenta ſunt. Quænam obſecro poteſtas hac una major eſſe queat? Pater omnifariam Filio poteſtatem dedit. Cęterum video ipſam eamdem omnifariam poteſtatem a Deo Filio illis traditam. Nam quaſi jam in cœlum translati, ac ſupra humanam naturam poſiti, atque noſtris ab affectibus exempti, ſic illi ad Principatum iſtum perducti ſunt. Quid multa? Rex aliquis ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc detulerit, ut poteſtatem habeat, quoſcumque velit in carcerem coniiciendi, eoſdemque rurſus laxandi, beatus ille, & admirandus omnium judicio fuerit. At vero, qui a Deo tanto majorem accepit poteſtatem, quanto cœlum terra pretioſius eſt, quanto animæ corporibus præſtant, hic vilem eo uſque dignitatem accepiſſe nonnullis videri debet? ∴ Procul faceſſat hujuſmodi inſania. Inſania enim manifeſta deſpicere tantum iſtum Principatum, ſine quo neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus.

Et rurſus: *Non ſolum Sacerdotes cum regenerant, ſed etiam poſtea, condonandorum peccatorum obtinent poteſtatem.*

S. Ambroſii Lib. I. *De Pœnitentia* cap. II. Novatianos ita refellentis:

Id

Sed ajunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt Mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus, Accipite Spiritum Sanctum, quorum „ remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta „ sunt: *quis est ergo, qui magis honorat, an qui Mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum, & alliget, & relaxet. Hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare, quod non resolvat, non vult solvere, quod ligavit: in quo se, suamque sententiam sua damnat sententia. Dominus enim par jus esse voluit & ligandi, & solvendi qui utrumque pari conditione permisit.* Et paulo post: *Jus hoc solis permissum est Sacerdotibus. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet: Hæresis vindicare non potest, quæ Sacerdotes Dei non habet.* Joan. 20.

Et cap. VII. *Non interest, utrum per Pœnitentiam, an per Lavacrum hoc jus sibi datum vindicent Sacerdotes: idem in utroque Mysterio est,* &c.

S. Cyrilli Alexandrini, Lib. XII. in Joannem: *Duobus modis* (inquit) *Dei Spiritu afflati homines peccata remittunt, ac retinent, vel cum dignos admittunt ad Baptismum, & indignos excludunt, vel cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, ac Pœnitentibus ignoscunt.*

Alii etiam Patres eodem modo loquuntur de Pœnitentia, ac de Baptismo, quoad vim, & efficaciam remittendi peccata, & utrique Sacramenti nomen, ac dignitatem asserunt, præsertim *Sanctus Augustinus*, Epistola CCXXVIII. olim CLXXX. ad *Honoratum* scribens de persecutione Vvandalorum: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus Fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt?*

Et *S. Leo*, Epist. LXXXII. olim CLI. ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum. *Multiplex Misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui Regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent; & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam Reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quæ Ministris suis exequenda commisit, dicens:* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi: *ut si quid per servitutem nostram bono ordine, & gratulando impletur affectu, non ambigamus per Sp. Sanctum fuisse donatum.* Refertur. c. *Multiplex*, dist. I. *De Pœnitentia.* Matth. 28, 20.

Accedit denique Concilii Tridentini definitio, sess. XIV. can. I. *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere & proprie Sacramentum pro Fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; Anathema sit.*

Novatianorum objectionibus respondetur

Objiciebant Novatiani locum Apostoli in Epistola ad *Hebræos* cap. VI. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœ-*

leste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque; sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad Pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Ex quibus colligebant, homines post Baptismum in lethale aliquod peccatum lapsos, nullo Sacramento, aut Ecclesiæ ministerio Deo reconciliari posse.

Idem colligebant ex altero ejusdem Epistolæ loco, cap. x. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.*

Respondetur, priorem locum de Baptismatis gratia esse intelligendum, quam recuperare impossibile est, cum sit gratia regenerationis, & renovationis, ideoque Baptismus iterari non possit: non vero excludere veniam peccatorum per Pœnitentiam, & justificationem secundam, per gratiam sanationis, & reconciliationis. Hanc sententiam ad Baptismum referri, ostendunt hæc verba, *Qui semel sunt illuminati, rursus renovari.* Baptismum enim Sacramentum Illuminationis, & Renovationis ab antiquis Patribus appellatum, nemo nescit. Idem ostendunt illa verba, *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Nam in Baptismo configuramur Christo crucifixo: unde sicut Christus non potest iterum crucifigi, ita Baptismus non potest repeti: quod si quis tentaverit, is Filium Dei iterum crucifigit sibi ipsi, idest, ad suam renovationem, quam ex altero Baptismo sperat: Cum autem excludit renovationem ad Pœnitentiam, intelligit Pœnitentiam cum Baptismo conjunctam, sive ad Baptismum præparatoriam, ut ex illis verbis perspicuum est: *Non rursum jacientes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impossitionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni.* Ita hunc locum explicant *Sanctus Ambrosius* Lib. II. *De Pœnitentia* cap. II. *S. Augustinus* in Expositione inchoata Epistolæ ad Romanos, *S. Jo: Chrisostomus, Theophylactus, & Oecumenius* in Commentariis, Epistolæ ad Hebræos, & *S. Jo. Damascenus* Lib. IV. *De Fide Orthodoxa*, cap. x.

Hebr. 6. 6.

Hebr. 6. 1.

Locus alter eodem modo exponitur a *S. Jo: Chrysostomo*, & a *S. Augustino* locis mox indicatis, necnon a *Theophilacto*; ut sensus sit, iis, qui post Baptismum in gravia scelera prolapsi fuerint, jam non relinqui hostiam pro peccatis, sive applicationem Sacrificii a Christo in Cruce oblati, qualis fit in Baptismo, in quo sine ulla conditione satisfactionis applicatur virtus Sanguinis Christi ad perfectam peccatorum remissionem, quoad culpam, & pœnam.

Intelligitur etiam ab antiquis non de quocumque peccato lethali, sed de peccato Apostasiæ, qua Fides, & Religio Christiana semel susceptæ prorsus abjiciuntur. Hic sensus eruitur tum ex verbis antecedentibus, *Non deserentes collectionem nostram*; tum ex consequentibus, *Post acceptam notitiam veritatis.* Loquitur autem Scriptura de hujusmodi peccato velut de lapsu irreparabili, non quod vere Pœnitenti non pateat locus veniæ per Sanguinem Christi; sed quia, qui in id peccati genus prolabuntur, vix unquam ex eo emergunt, vix unquam ad Pœnitentiam flecti solent, eo quod ex certa malitia peccent.

Blasphemia in Spiritum Sanctum quo sensu non remitti dicitur.

Idem esto judicium de peccato *Blasphemiæ in Spiritum Sanctum*, quod Christus neque hic, neque in futuro sæculo remittendum asserit, *Matth.* XII. Non quod Blasphemia, qua manifesta Spiritus Sancti opera Dœmoni tribuuntur, remitti non possit per Sacramentum Pœnitentiæ, sed quod remittatur

dissi-

difficilius, quia vix contigit, ut hujus blasphemiæ rei vere convertantur ad Deum; & quia majorem obicem gratiæ opponunt, nullamque habent excusationem peccati. In aliis namque criminibus plerique ignorantia, aut infirmitas culpam aliquatenus minuunt. *Misericordiam consecutus sum* (inquit *Apostolus*) *quia ignorans feci*. Et *Deus cognovit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam pulvis sumus*, (inquit David:) at peccatum in Sp. Sanctum nihil habet ejusmodi, quod culpam minuere possit, utpote ex destinata malitia commissum. Sicut ergo morbus aliquis ea re insanabilis dicitur, quod ægrotus ita affectus sit, ut salutaris medicinæ vim oderit: sic quoddam est peccati genus, quod non remittitur, nec condonatur, propterea quod proprium salutis remedium Dei gratiam repellit, (inquit Conc. Tridentini Catechismus.) 1. Tim. 1. 13. Psal. 103. 14.

Peccatum illud in Spiritum Sanctum, non solum difficulter, sed nunquam omnino remitti censet *S. Augustinus*, quia in eo peccator ad extremum usque spiritum perseverat, sive illud sit desperatio de misericordia Dei, vel duritia cordis, qua homo recusat in unitate corporis Christi remissionem accipere peccatorum; vel oppugnatio, & invidia fraternæ charitatis; cujus tanta labes, *Ut deprecandi humilitatem subire non possit; etiamsi peccatum mala conscientia cognoscere, & annunciare cogatur*. Sola ergo impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Cetera vero peccata per Pœnitentiam remittuntur. *Sed ista impœnitentia, vel cor impœnitens, quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad Pœnitentiam adducit* ∴ *Unum ergo suffugium est, ne sit irremissibilis blasphemia, ut cor impœnitens caveatur: nec aliter Pœnitentia prodesse credatur, nisi ut teneatur Ecclesia, ubi remissio peccatorum datur, & societas Spiritus in pacis vinculo custoditur*. Verba sunt *S. Augustini* Sermone LXXI. *alias* XI. *De Verbis Domini*, *ubi* Quæstione de Blasphemia in Spiritum Sanctum irremissibili tractat, & solvit. Eamdemque tradit explicationem Lib. I. *De Sermone Domini in Monte*, cap. XXII. *Enchiridii* cap. LXXXII. & Epist. CLXXXV. alias L. ad *Bonifacium Comitem*, cap. XI.

Peccatum illud finalis impœnitentiæ, peccatum est ad mortem, de quo *S. Joannes* Epist. cap. v. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico roget quis*. Vel si aliud peccati genus intelligatur, sensus loci illius est, pro illius peccati remissione vulgares orationes non sufficere, sed necessarias esse orationes Sacerdotum, & ut singularis, eximiique meriti, ac sanctitatis viri veniam pro ejus remissione a Deo deprecentur, ut denique Ecclesia suis supplicationibus indulgentiam hujus criminis reis obtineat: non autem, quod pro hujusmodi peccati venia Deus nullo modo sit orandus. Sic explicat *S. Ambrosius*, Libr. I. *De Pœnitentia*, cap. VIII.

Hic vero operæ pretium est advertere, Synodum Tridentinam ex his præcipue verbis Joan. XX. *Accipite Spir. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Pœnitentiæ Sacramentum, a Christo institutum, probare: quia locus alter Matth. XVIII. *Quæcumque solveritis super terram*, &c. alias habet licet minus proprias interpretationes. De Correctione enim fraterna illum explicat, & Fidelibus omnibus accommodat *S. Augu.* Sermone LXXXII. alias XVI. *De Verbis Domini*, & refertur cap. *Cœpisti*, causa XI. qu. III. *Cœpisti*, (inquit) *habere fratrem tuum tamquam Publicanum, ligas illum in terra, sed ut juste alliges, vide. Nam injusta vincula disrumpit justitia. Cum autem correxeris, & concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra. Cum solveris in terra, solutus erit & in cœlo*. Attamen alibi sæpe proprium illius loci sensum aperte tradit *S. Augustinus*;

illum mox explicat de remissione peccatorum per Ecclesiæ claves, & ministerium Sacerdotum in Sacramento Pœnitentiæ, [illegible] Sermone [illegible] *De utilitate agendæ Pœnitentiæ*, alias LXXVII. inter Homilias quinquaginta, cap. III. Lib. XX. *De Civitate Dei*, cap. IX. Lib. I. *Contra Adversarium Legis & Prophetarum*, cap. XVII. [illegible] LXII. & LXIX. [illegible] & Serm. CCCXCII. alias XLIX. inter Homilias quinquaginta, cujus hæc sunt verba: *Agite Pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo dicat sibi: Occulte ago, apud Deum ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi?*

Similiter autem S. *Hieronymus* in cap. XIV. *Isaiæ*, ait Apostolos vincula peccatorum solvere *Sermone Dei*, & *testimoniis Scripturarum*, & *exhortatione virtutum*, atque ita Magistrum suum imitari, qui eis dixerat, *Quæcumque solveritis super terram soluta erunt & in cœlo*: sensum minus proprium illorum hic attingit; modum solvendi peccatorum vincula dispositive per verbi Dei prædicationem explicat, modum solvendi judicialiter per administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, & Absolutionem Sacerdotalem non excludit; qui proprius est illorum verborum sensus ab ipso traditus, & explicatus Commentario in cap. XVI. & XVIII. S. *Matthæi*.

P R O P O S I T I O II.

In Sacramento Pœnitentiæ non minus quam in aliis distingui possunt; Sacramentum res, & Sacramentum, & res tantum Sacramenti.

Sacramentum tantum, sunt actus externi tam peccatoris Pœnitentis, quam Sacerdotis absolventis, id significantes, quod interius in anima geritur. *Res, & Sacramentum*, est Pœnitentia interior peccatoris, quia & Sacramento significatur, & remissionis peccatorum signum est. *Res tantum, & non Sacramentum*, est remissio peccati. Ita S. *Thomas* quæstione LXXXIV. art. I. ad III. De his *Hugo a S. Victore*, Miscellaneorum Eruditionis Theologicæ Lib. I. cap. CIII. *Sacramentum Pœnitentiæ, est exterior exhibitio operis: res Sacramenti, vera contritio cordis. Si Sacramentum suscipis, opera Pœnitentiæ facias: habe rem Sacramenti in vera contritione, ne frustra speciem sine veritate ostendas. Opus sine contritione, flos est sine fructu: contritio sine opere, fructus est sine maturitate.*

P R O P O S I T I O III.

Sacramentum Pœnitentiæ a Christo post Resurrectionem institutum est.

Quamvis enim Christus initio suæ prædicationis Pœnitentiam indixerit hominibus, ut determinatos modos actuum significaret, qui ad hoc Sacramentum necessarii sunt, cum ait, Matth. IV. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum*; quod vero pertinet ad officium Ministrorum, determinaverit, cum dixit *Petro* Matth. XVI. *Tibi dabo claves Regni cœlorum*: &c. & iterum Matth. XVIII. hujus Sacramenti promiserit institutionem, dicendo Apostolis: *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*: quæ verba ad hujus Sacramenti institutionem pertinere declaravit Tridentina Synodus sess. XIV. cap. I. & can. X. Illud tamen *Sacramentum tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens*

Acci-

Accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Ita docet Conc. Tridentinum cap. I. ejusdem Sessionis. Et quidem cum hoc Sacramentum efficaciam habeat ex virtute nominis Jesu Christi patientis, & resurgentis, conveniens admodum fuit, ut post Resurrectionem Salvatoris plene, ac perfecte institueretur, & vis ejus prædicaretur, secundum illud Lucæ ultimo: *Sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus Penitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Ita docet *S. Thomas* III. par. qu. LXXXIV. art. VII.

PROPOSITIO IV.

Pœnitentiæ Sacramentum non est absolute necessarium ad salutem: sed iis dumtaxat, qui post Baptismum in mortale peccatum lapsi sunt.

DOctrina est Tridentini Concilii, sess. XIV. cap. I. *Si ea* (inquit) *in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset; ut justitiam in Baptismo ipsius beneficio, & gratia susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem institutum .:. Quoniam autem Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum: illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & Dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pænitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.*

Hinc Penitentia vocatur a Patribus *Secunda post naufragium tabula*: ut enim confracta navi, unum vitæ servandæ perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere: ita post amissam Baptismi innocentiam, nisi quis ad Penitentiæ tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est (inquit Concilii Tridentini Catechismus.)

Præterea, sicut Medicina corporea non est opus sanis, sed male habentibus; ita nec medicina spiritualis, scilicet Penitentia, justis necessaria est ad salutem, sed lapsis; pro quibus dumtaxat institutam, ostendunt verba Christi ad Apostolos, Joan. XX. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* &c. Hinc Tridentinum Concilium sess. XIV. cap. II. *Est*, inquit, *Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, sicut nondum regeneratis ipse Baptismus.*

Tertio, *Peccatum cum consumatum fuerit, generat mortem* (inquit *S. Jacobus* Epistolæ suæ cap. I.) Quamobrem necessarium est ad salutem peccatoris, ut peccatum ab eo removeatur: quod quidem fieri non potest sine Penitentiæ Sacramento, in quo virtus Passionis Christi per Absolutionem Sacerdotis operatur, & Penitens cooperatur gratiæ ad destructionem peccati, secundum illud *S. Augustini* Serm. CLXIX. alias XV. De Verbis Apostoli: *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te. Ergo fecit nescientem, justificat volentem.* Sacramentum igitur Penitentiæ hominibus post Baptismum in lethale aliquod peccatum lapsis necessarium est ad salutem, cum necessitate præcepti, tum necessitate medii: ita ut si facultas adsit, in re suscipi debeat: si desit facultas, & Sacerdos Sacramenti Minister, sufficiat ejus votum, ex Conc. Trid. sess. XIV. cap. IV. Votum, inquam, implicitum, quod in contritione includitur (ut docet *S. Thomas* in IV. Sententiarum, dist. XVII. qu. III. art. V. quæst. I.)

Quoties igitur veræ, & sinceræ conversioni ad Deum, Fidei, charitati, misericordiæ, remissio peccatorum in Scripturis tribuitur, non magis excluditur Penitentiæ, quam Baptismi necessitas. Postulat enim charitas, ut ho-

mo doleat de offensa in amicum commissa, & amico satisfacere studeat. Postulat fides, ut justificationem a peccatis sibi procuret per virtutem Passionis Christi, quæ in Sacramentis operatur: postulat misericordia, ut homo subveniat miseriæ, quam per peccatum incurrit, & misereatur animæ suæ placens Deo: ex qua miseria non potest emergere, nisi Sacramento Pęnitentiæ.

P R O P O S I T I O V.

Pœnitentiam in numerum Sacramentorum Christus Dominus gravissimis de causis referri voluit.

HUjus rei duplicem rationem affert Conc. Tridentini Catechismus. Prima est, ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, cum ait Ezech. XXXIII. *Si impius egerit Pœnitentiam a peccato suo*, &c. *vita vivet, & non morietur*, minus dubitare liceret. Cum enim de suo judicio cuique, in iis, quæ agit, maxime timendum sit, maxime anxii essemus, an intimam Pęnitentiam vere egissemus. Ut igitur Dominus huic nostræ solicitudini subveniret, Pęnitentiæ Sacramentum instituit, quo per Sacerdotis Absolutionem peccata nobis esse remissa confideremus; conscientiæque nostræ ob fidem, quæ Sacramentorum virtuti merito habenda est, pacatiores redderentur. Neque enim aliter accipienda est vox Sacerdotis peccata nobis in persona Christi, ejusque auctoritate legitime condonantis, quam Christi Domini, qui ait Paralytico: Matth. 9. 2. *Confide, fili, remittuntur peccata tua*. Quæ fiducia nos in agenda Pęnitentia ferventes, & alacres efficere debet; quam agere nihilominus deberemus, quamvis de venia obtinenda spem tam firmam non haberemus, ut docet *S. Augustinus*, Serm. CCCLI. *De Utilitate agendæ Pœnitentiæ*, alias L. inter Homilias quinquaginta. *Sed fac* (inquit) *incertum esse, utrum ignoscat Deus. Quid perdit, cum supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitavit, cum offenderet Deum? Quis enim certus est, quod etiam Imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur; & pene, ut mors evitetur, mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per homines homini: sine dubitatione fiunt ista, cum sit dubium, quo fine proveniant. Et tamen certiores sunt claves Ecclesiæ, quam corda Regum: quibus clavibus quodcumque in terra solvitur, etiam in cęlo solutum promittitur. Et multo est honestior humilitas, qua se quisque humiliat Ecclesiæ Dei: & labor minor imponitur: & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur.*

Secunda ratio hæc est. Cum nemo salutem, nisi per Christum, ejusque Passionis beneficio, consequi possit, consentaneum, nobisque utilissimum fuit, ejusmodi Sacramentum institui, cujus vi, & efficientia Christi sanguis ad nos defluens, peccata post Baptismum admissa elueret; atque ita reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum nos referre profiteremur, Apoc. 1. *Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*: & ejusdem pretiosissimi Sanguinis virtutem abluendis peccatorum sordibus, quas post Baptismum contraximus, cęlesti hoc fonte ad nos derivat.

PROPO-

PROPOSITIO VI.

Pœnitentia Sacramentum est a Baptismo diversum.

HAnc Propositionem satis, superque probatam habes in Tractatu nostro *De Baptismo*, art. x. Proposit. v ubi & *S. Augustini* testimonia exposuimus, quibus abutuntur Hæretici, ut probent sola Baptismi memoria remitti peccata commissa post Baptismum. Nunc itaque satis sit illud Fidei dogma, Apostolica Traditione, & Ecclesiæ definitionibus contra Novatianos, omniumque Patrum, qui de Pœnitentia, seu de Sacramento distincto a Baptismo locuti sunt, ac propterea *Secundam post Naufragium tabulam* appellarunt, testimoniis confirmatum, ex Tridentina Synodo explicare. *Hoc Sacramentum* (inquit Sacra Synodus sess. xiv.) *multis rationibus a Baptismo differre cognoscitur: nam præterquam quod materia, & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet: constat certe, Baptismi Ministrum Judicem esse non oportere; cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus*. Quid enim mihi, *inquit Apostolus*, de iis, qui foris sunt judicare? *Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus Lavacro Baptismi sui corporis membra semel efficit: nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat; sed ante hoc Tribunal tanquam reos sisti voluit: ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum Pœnitentes confugerint, possent liberari.* 1. Cor. 5. 12.

Alius præterea Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen vitæ novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dicta fuerit.

Eadem Sacra Synodus can. 11. hoc Fidei dogma confirmat: *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint; atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; Anathema sit.*

Veterum Patrum Doctrinæ consentaneus est Tridentinæ Synodi Canon, scilicet *Tertulliani* Lib. *De Pœnitentia*, cap. ix. *Pervicacissimus Hostis ille* (inquit) *numquam malitiæ suæ otium facit, Atquin tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat, & ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro suæ erasos ∴ Itaque observat, oppugnat, obsidet ∴ Hæc igitur venena ejus providens Deus, clausa licet ignoscentiæ janua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.*

S. Cypriani Epistola LII. *Miror autem, quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent Lapsis Pœnitentiam, aut Pœnitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit: Memento unde cecideris, & age Pœnitentiam, & fac priora opera. Quod utique ei dicitur, quem constat cecidisse, & quem Dominus hortatur per opera rursus exsurgere, quia scriptum est, Eleemosyna a morte liberat: & non utique ab illa morte, quam semel Christi Sanguis extinguit, & a qua nos salutaris Baptismi, & Redemptoris nostri gratia liberavit: sed ab ea, quæ per delicta postmodum serpit.* Apoc. 2. 5. Tob. 12. 9.

S. Atha-

S. Athanasii Lib. *De Peccato in Spir. Sanctum*, ad Serapionem: *Est* (inquit) *inter Pœnitentiam, & Baptisma non leve discrimen. Quem enim pœnitet, is desinit quidem peccare, sed tamen retinet vulnerum cicatrices: qui autem baptizatur, jam veterem hominem exuit, tum superne renovatur, quasi de integro regeneratus Spiritus gratia.*

S. Paciani Epistola III. ad Sympronianum: *Baptismus*, inquit, *Sacramentum est Dominicæ Passionis; Pœnitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratiæ Dei donum est, idest, gratuita donatio: labor vero iste paucorum est, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lachrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt.*

S. Jo: Chrysostomi, Hom. IX. in Epistolam ad Hebræos: *Novos* (inquit) *facere est solius Baptismi, Pœnitentiæ autem est, eos qui novi facti sunt, deinde in peccatis inveteraverunt, liberare a vetustate, solidosque reddere; ad illum autem splendorem non licet reducere: illic enim totum est gratia.*

S. Augustini, Sermone CCCXCIII. alias XLI. ex Homiliis quinquaginta *Ægrotant* (inquit) *homines, mittunt ad Ecclesiam, vel portantur ad Ecclesiam, & baptizantur, & renovantur, & felices hinc erunt. Sed non ipsa est causa Pœnitentiæ. Qui nondum accepit Baptismum, nondum violavit Sacramentum: quia autem violavit Sacramentum male, & perdite vivendo, & ideo remotus est ab Altari, ne judicium sibi manducet, & bibat, mutet vitam, corrigat se, & reconcilietur, cum vivit, dum sanus est.*

PROPOSITIO VII.

Pœnitentia, sive interior, quæ virtus est; sive exterior quæ Sacramentum est, sæpius iterari potest.

Dogma istud fidei, Canone I. sess. XIV. Conc. Tridentini confirmatum, probant Christi verba, *Matt.* XVI. & XVIII. & *Joan.* XX. quibus potestas solvendi peccatores, & peccata remittendi tribuitur Apostolis, & eorum Successoribus, nulla restrictione facta gravitatis, numeri, aut iterationis peccatorum. Nullum enim modum, aut terminum misericordiæ Dei statuit Scriptura Sacra, sed cujuscumque peccati quantumvis gravis, ac sæpe iterati reos ad Pœnitentiam invitat, & veniam Pœnitentibus promittit: quæ cum in Nova Lege obtineri a relapsis post Baptismum non possit, nisi Pœnitentiæ Sacramento; recte colligitur, non modo interiorem, sed exteriorem Pęnitentiam, idest, Pęnitentiæ Sacramentum sæpius iterari posse.

Præterea cum Dominus seipsum in exemplum misericordiæ proponat *Lucæ IV.* dicens, *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*; Ipse vero nobis præcipiat, ut fratri non tantum *septies*, sed *& septuagies septies* in nobis peccanti, & pęnitenti dimittamus, *Matth. XVIII.* sequitur multo, magis Deum peccatori, quotiescumque relapsus fuerit, pęnitenti peccatum dimittere. Iterata autem remissio iteratam Pęnitentiam supponit, sine qua peccatum non remittitur. Unde *Lucæ* cap. XVII. remissionem cum Pęnitentia Dominus conjungit: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte illi.*

Idem confirmatur Patrum testimoniis, scilicet *Tertulliani*, Lib. *De Pœnitentia*, cap. IV. *Omnibus ergo delictis* (inquit) *seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per Pœnitentiam spopondit.*

Pœnitentia sæpius iterari potest.

" Et cap. VII. Verum non statim succidendus, ac subruendus est ani-
,, mus

" mus desperatione, si secundæ quis Pęnitentiæ debitor fuerit. Pigeat sane peccare rursus, sed rursus penitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat iteratæ valetudinis: iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes, cui satisfacias, & quidem volentem. Id si dubitas, evolve, quæ Spiritus Ecclesiis dicat: Desertam dilectionem Ephesiis imputat: stuprum, & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat: Sardos non plenorum operum incusat: Pergamenos docentes perversa reprehendit: Laodicenos fidentes divitiis objurgat: & omnes ad Pęnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non pęnitenti, si non ignosceret pęnitenti. Dubium si non & alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset. Non ait, Qui ceciderit, resurget; & qui aversatus fuerit, convertetur? Ille est scilicet, ille est, qui misericordiam mavult, quam sacrificium. Lætantur cęli, & qui illic Angeli, Pęnitentia hominis. Heus tu peccator, bono animo sis; vides, ubi de tuo reditu gaudeatur. Quid illa similitudinum dominicarum argumenta nobis volunt? Quod mulier drachmam perdidit, & requirit, & reperit, & amicas ad gaudium invitat, nonne restituti peccatoris exemplum est? Errat & una Pastoris ovicula, sed grex una carior non erat: una illa conquiritur, una pro omnibus desideratur, & tandem invenitur, & Pastoris ipsius humeris refertur: multum enim errando laboraverat. Illum etiam mitissimum Patrem non tacebo, qui Prodigum filium revocat & post inopiam pęnitentem libens suscipit, immolat vitulum præopimum, convivio gaudium suum exornat. Quidni? Filium enim invenerat, quem amiserat; cariorem senserat, quem lucrifecerat. Quis ille vobis intelligendus Pater? Deus scilicet. Tam Pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti: magisque de regressu tuo, quam de alterius sobrietate lætabitur; sed si pęniteat ex animo, si famem tuam cum securitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquas pecus, si Patrem repetas vel offensum: Deliqui, dicens, Pater, nec dignus jam ego vocari filius tuus.

S. Jo: Chrysostomi, in Parænesi priore ad *Theodorum* Monachum lapsum. *Talis est* (inquit) *erga homines pietas Dei: numquam spernit Pœnitentiam, si ei sincere, & simpliciter offeratur. Etiamsi ad summum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit libenter, & amplectitur, & facit omnia, quatenus ad priorem revocet statum, &c.* Refertur Canone *Talis*, dist. III. *De Pœnitentia.*

S. Augustini, Sermone LXXI. alias XI. *De Verbis Domini*, docentis, *Pœnitentiæ quorumcumque criminum locum in Ecclesia non negari*: Et ipsos Hæreticos ad hoc utique corripiendos Apostolum dicere, *Ne forte det illi Deus Pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem* ∴ *Quis est enim fructus correctionis, sine ulla spe remissionis?* 2. Tim. 2. 25.

Et Sermone CCII. alias I. inter Homilias quinquaginta, cap. V. *Si jam de sanitate desperans, addis peccata peccatis, sicut scriptum est*, Peccator cum
„ venerit in profundum malorum, contemnit: *noli contemnere, noli despe-* Prov. 18. 3.
„ *rare; clama etiam de profundo ad Dominum, & dic ei*: De profundis cla-
„ mavi ad te, Domine ∴ *De tali profundo Ninivitæ clamaverunt, & hanc propitiationem invenerunt: faciliusque est evacuata comminatio Prophetæ, quam humiliatio Pœnitentiæ. Hic fortasse dicis: Sed ego jam baptizatus sum in Christo, a quo omnia mihi peccata præterita dimissa sunt, vilis factus sum nimis,* Psalm. 129.

iterans

iterans vias meas, & canis horribilis oculis Dei, conversus ad vomitum suum? Quo ibo a spiritu ejus, & a facie ejus quo fugiam? Quo frater, nisi ad ejus misericordiam pœnitendo, cujus potestatem peccando contempseras? Nemo enim recte fugit ab illo, nisi ad illum; ab ejus severitate ad ejus bonitatem. Quicquid feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te Deus omnino, si sanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad Pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando non tibi persuasit, ut non recederes, parcendo clamat, ut redeas.

Quicumque porro Patres Pęnitentiam iterari posse negant, de publica dumtaxat, & solemni, non de privata Pęnitentia loquuntur. Unus sit instar omnium *S. Ambr.* Lib. II. *De Pœnitentia*, cap. X. *Merito* (inquit) *reprehenduntur, qui sæpius agendam Pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent Pœnitentiam, iterandam postea non putarent; quia sicut unum Baptisma, ita una Pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.*

Objiciet quispiam illud *S. Gregorii* Hom. XXIV. in Evangelia: *Pœnitentia est, & mala præterita plangere, & plangenda non perpetrare*. Et illud *S. Isidori Hispalensis* Lib. II *Sententiarum*, cap. XVI. *Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet.* Quem ergo vere pęnitet, ille iterum non peccabit; adeoque Pęnitentia non iteratur.

Resp. *S. Thomas* III. part. quæst. LXXXIV. art. X. Istos quidem esse veræ Pęnitentiæ characteres; sed tamen ab ea pęnitentem posse deficere, iterum peccando. *Ille enim* (inquit) *est irrisor, & non pœnitens, qui simul dum pęnitet, agit quod pęnitet; vel proponit iterum se facturum, quod gessit; vel etiam actualiter peccat eodem, vel alio genere peccati*. Hinc *S. Augustinus* Serm. CCCXCIII. alias XLI. ex Homiliis quinquaginta: *Pœnitentes, pęnitentes, pęnitentes (si tamen pęnitentes, & non estis irridentes) mutate vitam, reconciliamini Deo*. Unde ad legitimam, sinceramque Pęnitentiam, necessariam esse *Cessationem a peccato, & propositum novæ vitæ*, quod *voluntatem peccandi excludat*, docet Tridentina Synodus. *Quod autem aliquis postea peccat vel actu, vel proposito: non excludit quin prima Pœnitentia vera fuerit*: (inquit S. Thomas.) *Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim vere cucurrit, qui postea sedet; ita vere pęnituit, qui postea peccat*. Vera igitur est interdum Pęnitentia illorum, qui in eadem peccata relabuntur, veritate virtutis; quia peccatum propter Deum detestati sunt, & cum dolore intimo confessi, cum proposito deinceps non peccandi, & divinæ justitiæ satisfaciendi: sed non fuit vera Pęnitentia veritate perfectionis, (quomodo dicitur, quod verus amor numquam extinguitur, & verus amicus numquam deserit;) quia nimirum hujusmodi Pęnitentia stabilis non est, ac perseverans, nec ad finem salutis æternæ perducit: quo sensu *S. Augustinus* Lib. V. *Contra Julianum*, cap. IV. ait; Reproborum neminem ad Pęnitentiam salubrem a Deo adduci. Illam autem Pęnitentiam, quæ nullo peccato mortali interrumpitur, & ad vitam æternam perducit, *Pœnitentiam perfectorum* vocat Sententiarum Magister Lib. IV. dist. XIV.

At (inquies) *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi* (ut ait *S. Ambrosius* Serm. VIII. in Psalm. CXVIII.) Et *Quidam proposita spe agendæ Pœnitentiæ, licentiam sibi delinquendi propagatam putant*. Pęnitentiæ igitur iteratio, Ecclesiasticæ Disciplinæ relaxatio, & solutio est.

Iteratione Pęnitentiæ non solvitur morum disciplina.

Resp. I. Facilitatem veniæ non præbere incentivum delinquendi, nisi detur venia citra formam justitiæ, & pro gravibus peccatis leviores satisfactiones imponan-

ponantur. Cum vero forma justitiæ servatur, & pro gravibus peccatis graves etiam pęnæ imponuntur, nec tanta est veniæ facilitas, nec peccandi datur occasio. Ita autem res se habet in Pœnitentiæ Sacramento, cum *Ad novitatem, & integritatem*, quæ illius effectus est, *sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possimus: ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a SS. Patribus dictus fuerit*, (inquit Sacra Synodus Tridentina.)

Hæc Responsio ex eodem *S. Ambrosii* loco, scilicet ex Serm. VIII. in Psal. CXVIII. eruitur. *In ipsa* (inquit) *Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma justitiæ; ne quis Communionis consortio abstentus, brevi lachrymula, & ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus Communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. Hoc eo dictum est, ut sciamus secundum verbum Dei, secundum rationem dispensandam esse misericordiam debitoribus.* Neque vero Deus, & Ecclesia veniam tribuunt, ut Dei misericordia abutamur; sed ut mores in melius emendemus, & ne creatura ad imaginem Dei condita, & pretioso Christi Sanguine redempta perdatur. Unde idem *S. Ambrosius* Lib. II. *De Pœnitentia*, cap. IX. ait: *Pœnitentia remedium peccati est, non peccandi incentivum*. Iteratione igitur Pœnitentiæ non solvitur disciplina; quia etsi spes veniæ non negetur, severior tamen satisfactio pro peccatis iteratis, secundum Ecclesiæ disciplinam, exigitur.

Resp. 2. Etsi nonnulli ex præsumpta spe veniæ minus a peccato caveant, gravius tamen malum emersurum, si spes veniæ penitus tolleretur. Qui enim ex infirmitate relapsi essent, sublata spe veniæ in omnia flagitia ruerent præcipites. Ita respondet *S. Augustinus*, Serm. CCCLII. alias XXVII. inter Homilias quinquaginta. *In quibuscumque peccatis* (inquit) "non perdit viscera pia mater Ecclesia. Ergo solent inde etiam Pagani, quasi insultare nobis, nescientes quid loquantur. Vos, inquiunt, facitis, ut peccent homines, cum illis promittitis veniam, si egerint Pœnitentiam. Dissolutio est ista, non admonitio ∴ Tamen quomodo vincantur, breviter accipiat charitas vestra, quia Domini misericordia totum optime constituit in Ecclesia sua ∴ Dicunt nos dare peccatis licentiam, quia portum Pœnitentiæ pollicemur. Si clauderetur aditus Pœnitentiæ, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi, Ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniæ nullus est locus; Pœnitentia infructuosa est, damnatus sum: quare jam non vivo, ut volo? Quia ibi non invenio charitatem, hic saltem pascam cupiditatem ∴ Quid ergo? Deus, ne per illam spem indulgentiæ rursus augerentur peccata; non dehinc providere debuit? Quomodo enim providit, ne disperando augeantur, sic providere debuit, ne sperando augeantur. Quo modo enim revera auget peccata, qui desperaverit, sic potest augere peccata, & qui veniam speraverit: ut dicat sibi, Faciam, quod volo, Deus bonus est, quando me convertero, ignoscet mihi. Ita plane dic tibi, Quando me convertero, ignoscet mihi, si crastinus dies certus est tibi. Nonne ad hoc te admonet Scriptura dicens, Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira ejus: & in tempore vindictæ disperdet te. Eccl. 5. 8. 9. *Ecce ad utrumque vigilavit pro nobis Providentia Dei. Ne desperando augeamus peccata, propositus est Pœnitentiæ portus: rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus.*

Spe veniæ sublata, graviora mala emergerent.

Nullus ergo peccator de venia desperet, nec Judam traditorem imitetur,

tur, quem non tam scelus, quod commisit, quam veniæ desperatio interire fecit. *Non erat dignus misericordia* (inquit S. Augustinus) *ideo ei non fulsit lumen in corde, ut ad ejus indulgentiam concurreret, quem tradiderat, sicut illi, qui eum crucifixerant; sed desperando se occidit, & laqueo suspendit se; suffocavit se. Quod fecit in corpore suo, hoc factum est in anima ipsius ∴. Quomodo enim, qui collum sibi ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat spiritus aeris hujus: sic illi, qui desperant de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant, ut eos Spiritus Sanctus visitare non possit.*

Cur Pœnitentia potius iteretur, quam Baptismus?

Quæres forsan, cur Pœnitentia potius iteretur, quam Baptismus, cum utrumque Sacramentum virtutem omnem hauriat ex Passione Christi, quæ una est, nec iteratur?

Resp. Id intercedere discriminis, quod Baptismus virtutem habeat ex Passione Christi, sicut spiritualis quædam generatio, cum spirituali morte præcedentis vitæ conjuncta; statutum est autem omnibus hominibus semel mori, & semel nasci: & ideo semel tantum debet homo baptizari. Sed Pœnitentia virtutem habet ex Passione Christi, sicut spiritualis Medicina, quæ frequenter iterari potest. Sic respondet *S. Thomas* III. part. quæst. LXXXIV. art. X. & IV. Sententiarum, dist. XV. quæst. I. art. IV. quæst. III. ubi & alias discriminis rationes affert. *Erroneum est dicere* (inquit) *quod Pœnitentia non possit iterari, & misericordiæ divinæ contrarium. Causa autem quare iteratur, cum Baptismus non iteretur, est quadruplex. Prima est, quia Pœnitentia non imprimit Characterem, sicut Baptismus; Character enim indelebilis est. Secunda, quia Baptisma est contra morbum non iterabilem, scilicet originale peccatum; Pœnitentia autem contra actuale peccatum, quod iteratur. Tertia causa est, quia Baptismus habet totam efficaciam a Passione Christi, sine actu nostro; & ideo quia Passio est una tantum, & Baptismus est unus: sed Pœnitentia etiam requirit actum nostrum; & ideo ratione ejus iterationem suscipit. Quarta, quia Baptismus est generatio spiritualis; sed Pœnitentia est quædam sanatio spiritualis: semel autem aliquis generatur, sed pluries curari, sive sanari potest, quamdiu in hac vita vivit.*

PROPOSITIO VIII.

Pœnitentiam interiorem ad finem usque vitæ durare oportet, non exteriorem.

Interioris Pœnitentiæ perpetuitas.

ITa docet *S. Thomas* III. part. quæst. LXXXIV. art. VIII. Primam Propositionis partem inde probat, quod semper homini displicere debeat commissum ab ipso peccatum. *Si enim ei placeret peccasse, jam ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet. Displicentia autem dolorem causat in eo, qui susceptivus est doloris, qualis est homo in hac vita.* Hinc Auctor Libri *De vera, & falsa Pœnitentia* inter *S. Augustini* Opera editi, cap. XIII. *Ubi* (inquit) *dolor finitur, deficit & Pœnitentia. Si autem Pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? Dixit enim Dominus*, Vade, & noli amplius peccare. *Non dixit, Ne pecces; sed, Ne peccandi voluntas in te oriatur. Quod quomodo servabitur, nisi dolor continue in Pœnitentia custodiatur?* Nam *Vera Pœnitentia* (inquit S. Thomas) *non solum removet peccata præterita, sed etiam præservat hominem a peccatis futuris.* Quamvis igitur homo, statim atque vere ad Deum conversus est, & sinceram Pœnitentiam aspirante Dei gratia concepit, remissionem consequatur præteritorum peccatorum, secundum illud Ezech. XVIII. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, &c. vita vivet, & non morietur*: postea tamen *Oportet in homine perseverare Pœnitentiam, ne iterum incidat in peccatum.* Unde Sacra

Syno-

Synodus Tridentina seſs. XIV. in Decreto *De Extrema Unctione*, ait: *Tota Christiana vita perpetua Pœnitentia esse debet.*

Alteram Propositionis partem inde probat *S. Thomas*, quod certa temporis intervalla Canones Pœnitentibus præscribant, quantum ad Pœnitentiæ exterioris actionem, cui illud *Jeremiæ* accommodat: *Quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo.* Est autem merces operis Pœnitentis plena remissio peccati quoad culpam, & pœnam: post cujus consecutionem non est necesse, quod homo ulteriorem Pœnitentiam agat. Id porro discriminis rursus statuit *S. Thomas* interiorem inter, & exteriorem Pœnitentiam; quod *Agere Pœnitentiam interiorem simul, & exteriorem, pertinet ad statum incipientium, qui de novo redeunt a peccato*: hic enim primus vitæ spiritualis gradus est, quem Theologiæ Mysticæ Magistri *Vitam purgativam* appellant, *sed Pœnitentia interior habet locum etiam in proficientibus, & perfectis*, secundum illud Psalmi LXXXIII. *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum.* Unde & *S. Paulus* Pœnitentiæ spiritu animatus dicebat: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

Jerem. 13. 1. Cor. 15.

Spectari potest iterum Pœnitentia secundum actum, & secundum habitum. Priori quidem modo spectatam necesse est somno saltem, & aliis quæ ad corporis necessitates pertinent, interpellari. Posteriori modo, continua esse debet (inquit *S. Thomas*, art. IX. ejusdem Quæstionis) *& quantum ad hoc, quod homo numquam aliquid contrarium Pœnitentiæ faciat, per quod habitualis dispositio Pœnitentis tollatur; & quantum ad hoc, quod homo debet in proposito gerere, quod semper sibi præterita peccata displiceant.*

Pœnitentia certe peccatorum venialium, tam interior, quam exterior, perpetua esse debet, cum illa quotidie subrepant. Unde *Quotidianam Pœnitentiam* S. Augustinus vocat Sermonibus CCCLI. & CCCLII. *De Pœnitentia*, alias Homiliis XXVII. & L. inter quinquaginta. Hinc quotidie pectora tundimus, & orantes dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Non enim ea dimitti precamur, quæ jam in Baptismo dimissa sunt: *sed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, & ipsarum orationum, ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat.* Inimicum salutis nostræ in hac mortali vita, quæ militia est super terram, bonis operibus percutimus, ab ea etiam sæpe percutimur, etsi non semper dejiciamur. *Sed neque facilius ab inimico dejicimur, quam cum eum superbiendo imitamur, nec vehementius eum prosternimus, quam cum humilitate Dominum sequimur; nec acriores ei dolores infligimus, quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo, & pœnitendo sanamus*; (inquit S. Augustinus.)

Pœnitentia peccatorum venialium, tam exterior quam interior, perpetua esse debet.

Neque tamen hoc solum nomine Proficientes ipsi, & Perfecti perpetuam Pœnitentiam agere debent; verum etiam vitæ hujus pœnitere quodam modo illos debet, quæ corruptioni, tentationibus, & peccatis est obnoxia. *Altera vero Pœnitentia est* (inquit S. Augustinus) *cujus actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis humilitate subeunda est. Primo, quia nemo vitam æternam, incorruptibilem, immortalemque desiderat, nisi eum vitæ hujus temporalis, corruptibilis, mortalisque pœniteat. Non enim sic quisque in vitam novam per sanctificationem Baptismi nascitur, ut quemadmodum deponit ibi omnia peccata præterita, ita etiam statim mortalitatem ipsam carnis, corruptionemque deponat. Quod si non ita est, restat, ut illud, quod etiam quisque in se sentit adhuc dum in hac vita est*, Corpus, quod corrumpitur aggravet animam, & deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. *Quod tunc in illa beatitudine*,

Proficientes, & perfectos, vitæ hujus mortalis quodam modo pœnitere debet.

Sap. 9. 15.

quia

quia non erit, cum absorbebitur mors in victoriam: quis dubitet, in quacumque temporali felicitate versemur, pœnitere tamen nos debere hujus vitæ, ut ad illam incorruptionem tota aviditate curramus? Inde est enim, quod etiam 2.Cor. 5. *Apostolus ait*, Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem. *Quis ergo festinat, atque optat ad Patriam remeare, & illam speciem, quæ est facie ad faciem contemplari, nisi quem peregrinationis suæ pœnituerit? Ex quo dolore pœnitentis, et-* Psalm.119.5. *tiam vox illa miserabilis erumpit, & sonat*, Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est!

Et infra de dispensatoribus verbi Dei, & Sacramentorum sic loquitur. „Non solum propter ipsam vitæ huius mortalitatem, & ignorantiam ∴ sed etiam propter ipsum pulverem mundi hujus, qui per itinera consulendi consulentium pedibus adhærescit, & damna, quæ in ipsa negotiosissima dispensationis actione contingunt, quæ Dominus præstet, ut cum lucris maioribus compensentur; quotidianam debemus habere Pœnitentiam ∴ Quanto ergo magis Ecclesiæ Provinciales * sæcularibus negotiis obligati, quotidianam debent agere Pœnitentiam? Qui quamvis a furtis, a rapinis, a fraudibus, ab adulteriis, & fornicationibus, omnique luxuria, a crudelitate odiorum, & inimicorum pertinacia, ab omni denique idololatriæ fœditate, spectaculorum nugacitate, hæresum, atque schismatum impia vanitate, atque ab omnibus ejusmodi flagitiis, & facinoribus immunes, puri, atque integri esse debeant: tamen propter administrationem rerum familiarium, & conjugiorum arctissima vincula, tam multa peccant; ut non tam de istius mundi pulvere aspergi, quam luto oblinirí videatur.

* Idest Laici.

CAPUT II.

DE POENITENTIÆ.

FRUCTIBUS, ET EFFECTIBUS.

PROPOSITIO I.

Primus effectus Pœnitentiæ est omnium Remissio peccatorum.

Effectus Pœnitentiæ.

DOgma Fidei est, verbo Domini firmatum, Ezechielis XVIII. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Et cap. XXXIII. 14. 15. 16. *Si dixero impio, Morte morieris, & egerit Pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium, & justitiam*, &c. *vita vivet, & non morietur. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei: Judicium, & justitiam fecit, vita vivet.* Et Mich. VII. 18. 19. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Item Isa. I. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere ∴ Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Neque enim Deus, cujus perfecta sunt opera, peccatoris vere Pœnitentis ex parte miseretur, ut quædam ei peccata condonet, non omnia: neque id patitur amicitiæ ratio, in quam ipsum restituit.

Quam-

Quamvis enim in debitis pecuniariis possit unum remitti sine alio, non tamen in debitis culpæ (inquit *S. Thomas.*) Culpam enim mortalem Deus non remittit, nisi diligendo, secundum illud Jerem. XIII. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Charitas vero Dei cum sterilis esse non possit, gratiam, & charitatem diffundit in cordibus nostris per Sp. Sanctum: cum igitur mortale quodlibet peccatum pugnet cum gratia, & charitate, & eas extinguat, unum peccatum remitti sine alio, impossibile est. Præterea, Deus veniam peccatori per Pœnitentiam spopondit. Vera autem, & sincera Pœnitentia esse non potest, quin omnia, & singula peccata mortalia ex æquo detestetur, & deserat. *Si enim displicet ei peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ Pœnitentiæ.)* sequitur, ut eum omnium peccatorum pariter pęniteat. Ita ratiocinatur *S. Thomas.* III. p. Qu. LXXXVI. art. III.

Tertio, Pœnitentia resurrectio est animæ a peccato; resurgere autem ex parte, & ex parte mortuum manere impossibile est. Id, ut intelligatur, sciendum est, peccatum esse mortem animæ, Deum esse ejus vitam. „Cum vivit anima in iniquitate, mors ejus est: cum autem fit ju„sta, fit particeps alterius vitæ, quæ non est quod ipsa; erigendo se quip„pe ad Deum, & inhærendo Deo, ex illo justificatur ∴ Deficiendo ab „illo fit iniqua, proficiendo ad illum fit justa ∴ Cum se erigit ad ali„quid, quod ipsa non est, & quod supra ipsam est, & a quo ipsa est, „percipit sapientiam, justitiam, pietatem: sine quibus cum esset, mortua „erat, nec vitam habebat, qua ipsa viveret, sed qua corpus vivificaret. „Aliud est enim in anima, unde corpus: vivificatur aliud, unde ipsa vi„vificatur. Melius quippe est quam corpus: sed melius quam ipsa est Deus. „Est ergo ipsa, etiamsi sit insipiens, injusta, impia, vita corporis. Quia „vero vita ejus est Deus, quomodo cum ipsa est in corpore, præstat illi „vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum; sic cum vita ejus „Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, pietatem, justitiam, charita„tem. Veniente itaque verbo, & infuso audientibus, factisque illis non „solum audientibus, sed etiam obedientibus, resurgit anima a morte sua „ad vitam suam, hoc est, ab iniquitate, ab insipientia, ab impietate ad „Deum suum, qui est illi sapientia, justitia, charitas. Verba sunt *S. Au„gustini*, Tractatu XIX. *in Joannem.* Effectus Pœnitentiæ.

Et Serm. II. in Psalm. LXX. *Cum animam suscitat Deus, nisi adsit, qui suscitavit, suscitata non vivit. Non enim suscitat, & dimittit, ut vivat sibi: sicut Lazarus quando resuscitatus est quatriduanus mortuus, suscitatus est corpore per Domini corporalem præsentiam. Resuscitatus est Domino præsente, sed vixit & Domino absente. Non sic anima suscitatur: suscitat illam Deus, moritur, si discesserit Deus ∴ Duæ vitæ sunt, una corporis, altera animæ: sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus: quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus. Ipsa est ergo gratia ejus, ut suscitet, & sit nobiscum.*

Propositio nostra confirmatur ex Conc. Tridentino sess. XIV. cap. III. *Res* (inquit) *& effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, & serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.*

PROPOSITIO II.

Pœnitentia reatum pœnæ æternæ cum peccato mortali simul expungit; non vero debitum pœnæ temporalis semper tollit.

S.Thom.III. p.q. lxxxvi. art.iv. PRima pars Propositionis ex Scriptura Sacra perspicua est, Ezech.XVIII. 21. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Et cap. XXXIII. *Nolo mortem impii, sed, ut convertatur impius a via sua, & vivat.* Quod quidem de æterna, & beata vita intelligendum esse, plane constat. Unde Christus ipse Dominus Regnum Cęlorum Pęnitentiæ pollicetur Præcursoris sui voce, *Pœnitentiam agite: appropinquavit*
Matth. 3. *enim Regnum Cœlorum.* Et certe cum peccator per Pęnitentiam ex injusto fiat justus, ex inimico amicus, ex servo peccati filius adoptivus Dei, fit *Hæres secundum spem vitæ æternæ*, ut loquitur Conc. Tridentinum sess. VI. cap. VII. Qui autem jus habet ad vitam æternam, non remanet reus æternæ damnationis: siquidem *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu;* (ex Apostolo ad Rom. VIII.)

Pars altera Propositionis non minus certa est. Quamvis enim contritio, & charitas Pęnitentis tanta, & tam fervens esse possit, ut non solum pęna æterna, sed & temporalis ipsi statim remittatur, id tamen semper non
Effectus Pęnitentiæ. fieri, sed post suam reconciliationem cum Deo, & acceptam justificationis gratiam, ipsum frequenter pęnæ temporalis debitorem manere, probat exemplum Israelitarum, quibus etsi Deus murmurationis peccatum dimisisset, in peccati tamen ultionem neminem eorum Terram promissam ingredi voluit, ut habetur *Num.* XIV. 20. 22. 23. Qua etiam pęna plexus est *Aaron*, eo quod incredulus fuisset verbo Domini ad Aquas contradictionis, (ut habetur *Num.* XX. 24.) & *Moyses*, ob eamdem culpam, quæ tamen ipsis a Deo condonata fuerat; (*Num.* XXVIII. 13. 14.) Idem probat exemplum *Davidis* Regis, cui homicidii, & adulterii crimina propter Pęnitentiam condonata sunt, pęna tamen temporalis irrogata est, II. Regum XII. 13. *Dixitque Natham ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Idem Rex ob numeratum ex superbia populum a *Gad* Propheta correptus, impetrata licet peccati venia, triduana peste, ex tribus flagellis a Deo oblatis electa, populum Israel ob peccatum
2.Reg.24.17 suum percuti vidit, ac doluit. *Dixitque David ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum, qui peccavi, ego inique egi: isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum Patris mei.* Hinc *S. Augustinus*, in Psal. L. hunc Versum, Ecce enim „ veritatem dilexisti, *sic explicat*: Impunita peccata etiam eorum, quibus „ ignoscis, non reliquisti. Sic misericordiam prærogasti, ut servares & ve-
2.Reg.12.13. „ ritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti: ita servatur „ misericordia, & veritas: misericordia, quia homo liberatur, veritas quia „ peccatum punitur. *Et infra*: Aliquando Deus, cui ignoscit in futuro sæ- „ culo, corripit eum de peccato in isto sæculo. Nam & ipsi David, cui di- „ ctum jam fuerat per Prophetam, *Dimissum est peccatum tuum*, evenerunt
2.Reg.15.10. „ quædam, quæ minatus erat Deus propter ipsum peccatum. Nam filius „ ejus Absalon adversus eum cruentum bellum gessit, & in multis humilia- „ vit Patrem suum. Ambulabat ille in dolore, in tribulatione humiliatio- „ nis suæ, ita subditus Deo, ut omnia justa ei tribuens, confiteretur, quod

„ nihil

„ nihil pateretur indigne, habens jam rectum cor, cui non displicebat Deus. „ Injuriosam quemdam, & in os sibi dura maledicta jacientem patienter au„ diebat, ex adversa parte, unum ex Militibus, qui erant cum filio ejus „ impio. Et cum ille jaceret maledicta in Regem, iratus unus ex comiti„ bus David, voluit ire, & percutere eum; sed prohibetur a David. Et „ quomodo prohibetur? Ut diceret, Deus illum misit, ut mihi maledice„ ret. Agnoscens culpam suam, amplexus est pœnam suam, quærens glo„ riam non suam. 2.Reg.16. 5.

Et Tract. cxxiv. in Joannem: *Productior* (inquit) *est pœna quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur, & pœna.*

Hinc *S. Gregorius* Lib. ix. *Moralium*, cap. xvii. *Delinquenti* (inquit) *Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic David audire post confessionem meruit*: Dominus transtulit peccatum tuum. *Et tamen multis post cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit.*

Quamvis autem Baptismo non solum pœna æterna, sed etiam temporalis penitus condonetur, quia Passio Christi homini applicatur, ut in ipso renascenti, & in ejus familiam per ipsum Baptismi Sacramentum cooptato: non tamen tota semper condonatur pęna per Pęnitentiam; quia Passio Christi Pœnitentibus applicatur, tanquam ingratis, & ab innocentia Baptismali lapsis. Unde misericordiam justitia temperatam in ipsis exercere Deus statuit, ut scilicet concessa venia peccatorum, & soluto pœnæ æternæ reatu, nihilominus pœnam temporalem exigeret, vel in hoc sæculo, vel in altero luendam. Quod Satisfactionum, Indulgentiarum, & Purgatorii fundamentum est. Quamobrem Sac. Synodus Tridentina sess. xiv. cap. viii. declarat. *Falsum omnino esse, & a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur: perspicua enim, & illustria in Sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam Traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui semel a peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non dubitaverint.*

Cur pœna peccati per Pęnitentiam non semper tota condonetur, sicut per Baptismum.

Et can. xii. errorem Hæreticorum asserentium totam pęnam simul cum culpa Pœnitentibus semper a Deo remitti, damnat his verbis: *Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo; satisfactionemque Pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; Anathema sit.*

PROPOSITIO III.

Homo per Pœnitentiam gratiam, & virtutes recuperat.

ID significatur Parabola Filii Prodigi, cui Pater jussit restitui *Stolam primam, & annulum, & calceamenta*, ut habetur *Luc. XV.* Peccatori enim ex animo pęnitenti, ex longinqua dissimilitudinis regione ad Patrem Optimum redeunti, dicentique, *Pater, peccavi in cœlum, & coram te*, ita veniam concedit misericors Deus, *Ut venienti, & adhuc longe posito occurrat, osculum tribuat, quod est insigne sacræ pacis; stolam proferri jubeat, quæ vestis est nuptialis, quam si quis non habuerit, a convivio nuptiali excluditur; det annulum in manu ejus, quod est fidei pignus, & Sancti Spiritus signaculum; calceamenta deferri præcipiat: (celebraturus enim Pascha Domini, epulaturus Agnum, tectum debet adversus omnes incursus bestiarum spiritualium, morsusque serpentis habere vestigium:) vitulum*

S.Thom. III. p.q. lxxxix. art. I. & III.

præcipiat occidi. quia Pascha nostrum immolatus est Christus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotiescumque peccata donantur, Corporis ejus Sacramentum sumimus: ut per Sanguinem ejus fiat peccatorum remissio. Verba sunt *S. Ambrosii*, Lib. II. *De Pœnitentia*, cap. III.

Pœnitens interdum gratiam recipit uberiorem.

Luc. 15. 7.

Quamvis autem innocentiam baptismalem Penitens recuperare non possit, interdum tamen gratiam recipit uberiorem, ut docet *S. Gregorius*, Hom. XXXIV. in Evangelia, ubi in eum sensum dominica illa verba interpretatur: *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore Pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem Justis, qui non indigent Pœnitentia.* Quia (inquit) plerumque experimur, quod, „Hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, nulla illicita perpetrant, sed „ tamen ad celestem Patriam anxie non anhelant, tantoque sibi in rebus licitis usum præbent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et „ plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua: quia valde sibi „ securi sunt, quod nulla commiserint mala graviora. At contra nonnunquam hi, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in amorem Dei, seseque in magnis virtutibus exercent, „ cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, flagrant desiderio, ad cœlestem Patriam anhelant; & quia se errasse a Deo considerant, damna „ præcedentia lucris sequentibus recompensant. Majus ergo de peccatore converso, quam de stante justo gaudium fit in cœlo; quia & Dux in prælio plus „ eum Militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, „ quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter „ gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas, uberes „ fruges profert, quam eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam „ fertilem messem producit.

Effectus Pœnitentiæ.

Jure ab Ecclesia sancitum est ne graviorum criminum reis tametsi Pœnitentibus, Ecclesiasticæ Dignitates, vel sacrorum Ordinum Ministeria restituerentur.

Matth. 16. 19.

Quamvis porro Deus Peccatorem Penitentem in primariam, & præcipuam dignitatem restituat, ut divinæ consors fiat naturæ, & inter filios Dei per gratiam censeatur; jure tamen ab Ecclesia constitutum est, ne graviorum quorumdam criminum reis Ecclesiasticæ Dignitates, vel Ordinum Ministeria restituerentur, vitandi scandali, & sanciendæ disciplinæ causa, ut explicat *S. Augustinus*, Epist. CLXXXV. alias L. *Ad Bonifacium Comitem*, cujus hæc sunt verba: „ Ut constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis Pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, „ vel in Clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum „ est Disciplinæ. Alioquin contra Claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.* Sed ne forsitan etiam detectis criminibus, spe honoris Ecclesiastici animus intumescens „ superbe ageret Pœnitentiam, severissime placuit, ut post actam de crimine „ damnabili Pœnitentiam, nemo sit Clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major, & verior esset humilitatis. Nam & S. David de „ criminibus mortiferis Pœnitentiam egit, & tamen in honore suo perstitit. „ Et B. Petrum, quando amarissimas lachrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo supervacua putanda est posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati „ aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti credo aliquorum fictas Pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum. „ Hinc certis criminibus annexa Irregularitas, quæ Pœnitentia non solvitur.

PROPOSITIO IV.

Bona opera subsequente peccato mortificata, per Pœnitentiam reviviscunt.

I. Opera in statu mortalis peccati facta, mortua esse certum est, quia nullam vim habent perducendi hominem, a quo fiunt, ad vitam æternam; quæ vis, & efficacia tota est gratia, & charitate. De qua Apost. 1. ad Cor. XIII. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:*

Opera in statu peccati mortalis facta, mortua sunt.

II. Non minus certum est opera in charitate, & ex charitate facta, quæ vitæ æternæ meritoria sunt, subsequente peccato mortali mortificari, cum a proprio suo effectu, sive operatione, quæ promotio est, ac perductio ad vitam æternam impediantur, gratia, & charitate in anima extinctis. Unde *Ezech.* XVIII. 24. Dominus ait: *Si averterit se Justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Hinc Apostolus Galatis post egregia virtutum opera in Judaismum prolapsis ait, cap. III. Epistolæ ad ipsos scriptæ: *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa?* Hinc *S. Joannes* Epist. II. 8. *Videte* (inquit) *vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis: sed ut mercedem plenam accipiatis.* Et Apoc. III. 11. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Hinc *S. Hieronymus* illud Isa. III. *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio*, sive secundum Versionem septuaginta Interpretum, *Et filius tuus pulcherrimus, quem diligis, gladio cadet*, moraliter interpretatur *De Animæ statu, quæ post virtutes peccaverit: pulcherrimum filium ejus, bona opera* intelligit, *quæ hostili gladio ceciderunt: & fortes quosque periisse in prælio; quia justitia Justi non liberabit eum, in quacumque die aberraverit.*

S.Thom. III p.q. lxxxix. art. v. Opera meritoria subsequenti peccato mortali mortificantur.

Hoc etiam sensu explicat *S. Hieronymus* illud *Aggæi* I. vers. 6. *Et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum*, cum sic ait: *Si quis e nobis bona operatur, & digna mercede, quam nobis redditurus est Dominus ∴ iste congregat conservandas, mansurasque mercedes; & virtutibus virtutes semper adjungens, coacervat pecunias in sacculum non pertusum. Qui autem post bona opera non semel, & bis, sed frequenter peccat, & præteritam charitatem sequentibus vitiis obscurat, & sordidat, iste in pertusum sacculum pecunias congregat.*

III. Certum etiam est, opera ex genere suo bona, sed nihilominus mortua, quia edita sunt ab homine gratia, & charitate, quæ spiritalis vitæ principia sunt, destituto, nusquam per Pœnitentiam reviviscere: quia fieri non potest, ut reviviscat, quod numquam vixit, & omnino periit. Opera autem illa numquam ex principio vitæ, scilicet ex charitate processerunt: quamobrem per Pœnitentiam non reviviscunt. Nec Deus rationem eorum habet ullam, ut ea remuneret in vita æterna, quæ solis operibus vivis, idest, ex charitate factis, promissa est: quamvis illa interdum præmio aliquo temporali remuneret. Unde *S. Gregorius* Hom. XL. in Evangelia ait: *Ista sententia pavore potius indiget, quam expositione. Nam si qui estis, qui in hoc Mundo exterioris boni aliquid accepistis, ipsum, ut ita dicam, donum exterius pertimescere debetis: ne vobis pro quorumdam vestrorum actuum recompensatione sit datum: ne Judex qui hic bona exteriora restituit, a retributione boni intimi repellat: ne honor hic, vel divitiæ non adjumentum virtu-*

S.Thom. ib. art. I. Opera mortua numquam per Pœnitentiam reviviscunt.

tis, sed remuneratio sint laboris. Ecce enim dum dicitur, Recepisti bona in
Luc.16.15. vita tua, *indicatur, & Dives iste boni aliquid habuisse, ex quo in hac vita bona reciperet. Rursumque dum Lazaro dicitur: quia recepit mala, profecto monstratur, & Lazarus habuisse malum aliquod, quod purgaretur. Sed mala Lazari purgavit ignis inopiæ, & bona Divitis remuneravit felicitas transeuntis vitæ ∴ Quicumque ergo bona in hoc sæculo habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de ipsis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorumdem*
Effectus Pœnitentiæ. *remuneratio sit bonorum*. Atque in hunc sensum explicat *S. Thomas* locum *S. Hieronymi* in cap. I. Aggæi Prophetæ scribentis: *Si quando videris inter multa opera peccatorum facere quempiam nonnulla, quæ justa sunt, non est tam injustus Deus, ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum*, Quamvis & aliam hujus loci explicationem afferat Doctor Angelicus, Deum scilicet bonorum illorum non oblivisci, quia propter illa homo in peccatis perseverans, tolerabilius judicium patietur. Quod insigni *S. Augustini* testimonio confirmat Lib. *De Patientia*, cap. XXVI. ubi de Schismatico pro Christo persecutionem patiente sic loquitur: *Non enim dicere poterimus, melius ei fuisse, ut Christum negando nihil eorum pateretur, quæ passus est confitendo: sed existimandum est, fortasse tolerabilius ei futurum Judi-*
1.Cor. 13. 3. *cium, quam si Christum negando cuncta illa vitaret: ut illud, quod ait Apostolus*, Si tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autem non „ habeam, nihil mihi prodest, *nihil prodesse intelligatur ad Regnum Cælorum obtinendum, non ad extremi Judicii tolerabilius supplicium subeundum*.

S.Thom. ib. art.v. Opera bona, iu sequente peccato mortificata, rev viscunt per Pœnitentiam.

IV. Verum bona opera subsequente peccato mortificata, per Pœnitentiam revivificunt, idest, recuperant efficaciam perducendi hominem, a quo sunt edita, in vitam æternam, *Secundum quod remanent in acceptatione divina*, ut loquitur *S. Thomas*. Hanc enim efficaciam amiserat vastante peccato, quo indignus factus fuerat vita æterna. Istud autem impedimentum Pœnitentia removetur. Hinc *Ezech.* XVIII. de Peccatore Pœnitente dicit Dominus: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor: in justitia sua, quam operatus est, vivet*. Antiquorum autem peccatorum Dominus recordaretur, si opera olim in charitate, & ex charitate facta nullo numero, & loco haberet, & sine præmio vitæ æternæ dimitteret, ob hujusmodi peccata, de quibus acta Pœnitentia est.

Hinc *Joelis II.* ubi Dominus dixit, *Convertimini ad me in toto corde vestro*, &c. subdit vers. 25. *Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca*: quod de meritis peccato subsequente perditis, *S. Hieron.* interpretatur: „ Ne timeas (*inquit*) Terra, imo confide, atque „ lætare; quæ prius se mentem dominicam tua ariditate perdideras; quia „ magnificavit Dominus, ut faceret tecum misericordiam ∴ & lignum „ Crucis afferret fructum suum, & Spiritus Sancti dona dulcissima tuam „ cunctis tribuerent largitatem. Vos quoque, quos juste post Pœnitentiam „ voco filios Sion, & Ecclesiæ, lætamini, atque gaudete, quia dedit vobis Deus Pater Doctorem Justitiæ, sive tribuit vobis alimenta justitiæ, „ & descendere fecit ad vos pluvias temporaneas, atque serotinas. Plu„ via tempestiva est, quando primum doctrinam suscipimus; pluvia sero„ tina, quando laboris nostri fructus recipimus ∴ Et non solam, inquit, „ hoc dedit, sed fecit vos novis virtutum frugibus abundare ∴ Et annos, „ quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando „ opera vestra locusta, bruchus, rubigo, erucaque consumpserant; Deus „ vobis perire non passus est. Tunc comedetis fructus justitiæ, & satu„ rabimini; & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum „ mirabilia. Si autem post Pœnitentiam tantam ubertatem Deus rerum

„ omnium

„ omnium pollicetur, quid respondebit Novatus negans Pœnitentiam, & „ reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera „ Pœnitentiæ?

Idem confirmat *S. Hieron.* in cap. III. Epistolæ ad Galatas, ad illa verba: „ Tanta passi estis sine causa? *ubi hæc habet*: Quicumque ob Christi fidem „ laboraverit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa „ dicitur passus fuisse dum peccat, sic rursum non perdet ea, si ad pristi„ nam fidem, & antiquum studium revertatur.

Denique idem probant Apostoli verba ad Hebr. VI. 10. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Quod non solum de iis: *Qui acceptam gratiam perpetuo conservaverint*, verum etiam de illis, *qui amissam recuperaverint*, intelligendum docet Sacra Synodus Tridentina, sess. VI. cap. XVI.

CAPUT III.

DE MATERIA POENITENTIÆ.

I. DUplicem Pœnitentiæ materiam distinguere Theologi solent, remotam nimirum, & proximam.

PROPOSITIO I.

Materia remota Pœnitentiæ sunt peccata detestanda; & destruenda.

II. UT enim ignis materiam ligna esse dicimus, quæ vi ignis consumuntur; ita peccata, quæ Pœnitentia delentur, recte hujus Sacramenti materia vocari possunt. Unde Apostolus II. ad Cor. XI. ait: *Non egerunt Pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.* Conc. Catechismus, p. II. c. V. §. 14.

III. Cum autem plura sint peccatorum genera, scilicet originale, & actuale; idque aut mortale, aut veniale: peccatum originale non est Pœnitentiæ materia; cum illud Baptismi Sacramento, ad id speciatim instituto, Pœnitentia non deleatur, quæ versatur dumtaxat circa peccata propria voluntate commissa. Si tamen Pęnitentiæ vocabulum magis extensa significatione sumatur, prout est displicentia, & detestatio mali præteriti, peccatum originale Pęnitentiæ virtutis objectum, quadamtenus dici potest. Quis enim Fidelium non detestetur malum illud, quod ab Adamo primo generis humani parente, & capite, in quo omnes homines unus homo fuerunt, carnali generatione propagatum, omnes peccatores constituit, & tot malorum scaturigo fuit, ignorantiæ, malitiæ, concupiscentiæ, & infirmitatis, quibus omnes animæ vires vulneratæ sunt, & infectæ: mortis insuper, quæ per peccatum in Mundum intravit? Dicente Apostolo ad Rom. V. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Cui peccatum illud non displiceat, quod justitiæ originalis privatio est; & legis illius origo, quam in membris nostris sentimus legi mentis nostræ repugnantem, & captivantem nos in lege peccati? Peccatum vero actuale mortale est propria, & præcipua materia, circa quam Pęnitentia versatur: propria quidem, quia proprie nos pęnitet eorum, quæ nostra voluntate commisimus: præcipua vero, quia hoc Sacramentum ad deletionem peccati mortalis principaliter institutum est. Peccatum denique veniale propria quidem

S. Thomas q. lxxxiv. art. II. ad III.

Rom. 7. 23.

est & sufficiens, sed non præcipua, & necessaria Penitentiæ Sacramenti materia: cum absque Confessione Sacramentali aut ejus voto, atque Sacerdotis Absolutione remitti possit aliis mediis ad ejus remissionem, & expiationem institutis.

S.Thomas q. lxxxvii. ar. i.ii. & iii.

IV. Media porro, quibus remissio peccatorum venialium confertur, sunt, primo fervor charitatis, virtualem quamdam illorum displicentiam includens, ut loquitur *S. Thomas*, cum scilicet homo ita in Deum, resque divinas affectus est, ut quicquid illi occurreret, quo motus ejus in Deum retardaretur, displiceret ei, & doleret se id commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret. Secundo, remittuntur peccata venialia per Eucharistiam, Unctionem Extremam, & omnia generatim Sacramenta Novæ Legis, in quibus gratia infunditur. Quamvis enim novæ gratiæ infusione ad remissionem peccati venialis non sit opus, sed motus aliquis, & fervor charitatis sufficiat: quia tamen infusio gratiæ non fit in adultæ ætatis hominibus absque actuali motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum; ita ut in illum se convertat, istud vero detestetur; ideo quoties nova gratia infunditur, peccata venialia remittuntur. Tertio, ad remissionem peccatorum venialium valent Sacramentalia, quatenus vel cum motu detestationis peccatorum conjuncta sunt, ut Confessio generalis, tunsio pectoris, & Oratio Dominica: vel cum motu reverentiæ in Deum, resque divinas, ut Benedictio Episcopalis, aspersio Aquæ Benedictæ, Oratio in Ecclesia consecrata, & alia hujusmodi.

Nunquam tamen peccata venialia remittuntur sine Pœnitentia virtute: remitti namque non possunt, quamdiu voluntas illis adhæret. Unde nec Martyrium venialia peccata delet, *Si actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem*; (inquit *S. Thomas*.) Nec Sacramentalia quæcumque ad remissionem peccatorum venialium conducunt, nisi quatenus *Inclinant animam ad motum Pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum, vel implicite, vel explicite*; (ut loquitur idem Doctor Angelicus.) Sicut ergo fictio impedit effectum Baptismi; sic actualis ad peccatum veniale adhæsio, Sacramentalium imo & Sacramentorum effectum impedit, quoad illius deletionem. Hæc autem remedia peccatorum venialium maculas abstergunt, *tum virtute alicujus satisfactionis, cum etiam virtute charitatis, cujus motus per illa excitatur*. At pœnæ debitum non expungunt, nisi secundum mensuram fervoris in Deum, quandoque magis, quandoque minus (inquit *S. Thomas*.)

PROPOSITIONIS CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA.

Penitentia perfectior ad mortalis peccati, quam ad venialis remissionem requiritur.

I. AD remissionem peccati mortalis perfectior Penitentia requiritur, quam ad remissionem venialium. Necesse quippe est, *Ut homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est*: adeoque, *ut diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur*. Id autem minime necessarium est ad remissionem peccatorum venialium, sed sufficit Pœnitentia virtualis. Ita docet *S.Thomas*, iii. p. qu. lxxxvii. art. i.

II. Virtualis Penitentia non sufficit ad remissionem peccatorum mortalium, nisi eorum, quæ e memoria exciderunt, nec illi occurrunt *Post diligentem inquisitionem*. Ita *S. Thomas* ibidem.

S.Thom. ib.

III. *Sicut peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adhæret; ita etiam nec peccatum veniale*. Manet enim veniale peccatum, quamdiu manet voluntas ad creaturam præter modum conversa, & ea conversione retardata, ne prompte in Deum feratur. *Amor* enim *rerum terrenarum, spiritualium viscum pennarum* (inquit *S. Aug.* Sermone cxii. alias xxxiii. De Verbis Apostoli)

Apostoli) Et Serm. CCCXI. alias *De Diversis* CXV. *Amate* (inquit) *& nolite amare: ad aliquid amate, & ad aliquid amare nolite. Est enim, quod ad profectum ametur, & est quod ad impedimentum ametur. Noli amare impedimentum, si non vis invenire tormentum. Quod amas in terra, impedimentum est: viscum est pennarum spiritualium, hoc est virtutum, quibus volatur ad Deum. Capi non vis, & viscum amas? Nunquid ideo non caperis, quia dulciter caperis? Quanto magis delectat, tanto fortius strangulat.*

IV. Pœnitentia de peccatis mortalibus includit necessario propositum abstinendi ab omnibus, & singulis hujusmodi peccatis: sed ad Pœnitentiam venialium necessarium quidem est propositum abstinendi a singulis, non tamen ab omnibus: *Quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur.* Omnia enim peccata venialia vitare impossibile est. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nemoque Justorum est, Deipara Virgine excepta, qui Oratione Dominica remissionem peccatorum precari non indigeat his verbis, *Dimitte nobis debita nostra.* S. Thom. ib. I. Joan. I.

V. Ad venialium peccatorum Pœnitentiam, homo *Debet habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda: alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia.* Ita *S. Thomas.* Idem confirmatur ex verbis Domini, & Apostolorum: Lucæ IX. 62. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei.* Ad Ephes. IV. 15. *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* II. Petri III. 18. *Crescite in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi.* Apoc. XXII. II. *Qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Quomodo autem in charitate crescere possumus, quomodo in justitia proficere, nisi ad venialia peccata minuenda parati simus, omnique studio, ac vigilantia enitamur? Hinc *S. Augustinus*, Serm. CLXIX. alias XV. De Verbis Apostoli: *Viatores* (inquit) *sumus. Dicitis, Quid est ambulare? Breviter dico, Proficere; ne forte non intelligatis, & pigrius ambuletis ∴ Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, Sufficit; & periisti: semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via remanere, noli, retro redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit; retro redit, qui ad ea revolvitur, unde jam abscesserat; deviat, qui apostatat. Melius it claudus in via, quam cursor præter viam.* Ad venialia porro peccata minuenda ille dumtaxat paratus est, qui contra concupiscentiam pugnat, qui toto studio collaboratut, in sic *Destruatur Corpus peccati*, qui *Spiritu ambulat, & desideria carnis non perficit*, qui *Spiritu facta carnis mortificat*, qui *Carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigit.* S. Thom ib. Rom. 6. & 8. Galat. 5.

PROPOSITIO II.

Tres actus Pœnitentis, scilicet Contritio, Confessio, & Satisfactio, sunt quasi materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, ejusdemque Sacramenti partes.

Actus enim illi, qui ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, & plenam, ac perfectam peccatorum remissionem, ex Christi institutione sunt necessarii, hac ratione sunt partes Pœnitentiæ: tres porro isti Pœnitentis actus ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, & plenam, ac perfectam peccatorum remissionem, ex Christi institutione sunt necessarii: sunt igitur partes Pœnitentiæ. Tres actus Pœnitentiæ.

Ac primum quidem Contritionem ex Dei institutione ad integritatem Sacra-

cramenti Pœnitentiæ, & ad remissionem peccatorum esse necessariam, constat ex verbo Dei, quo peccatricis animæ conversio ad Deum velut genuinus & essentialis Pęnitentiæ character exprimitur: Ezech. XVIII. *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et XXXIII. *Si impius non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur.* Joel. II. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu; & scindite corda vestra.* Luc. XIII. *Si Pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Quid autem est Pęnitentia, nisi d[illegible] testatio sincera, seu odium peccati, cum proposito deinceps non peccandi? II. ad Cor. VII. *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad Pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum.*

Confessionem ex institutione Christi pariter necessariam esse ad peccati mortalis remissionem in Nova Lege, probant Christi verba, Joan. XX. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus constat, Dominum nostrum Jesum Christum e terris in cęlos ascensurum, sui ipsius Vicarios reliquisse, tamquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi Fideles ceciderint, ut vice Christi sententiam Absolutionis, vel retentionis pronuntient. Quod judicium incognita causa exerceri non potuit, ut loquitur Conc. Tridentinum sess. XIV. cap. V.

Satisfactionem denique ex Dei institutione esse necessariam ad remissionem peccatorum, aut certe satisfactionis propositum, probat illud Joelis II. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu & planctu.* Illud item Luc. III. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ.* Item illud Luc. XI. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Contritio, Confessio, Satisfactio ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ necessariæ. Tres actus Pœnitentię.

Singulas illas Propositiones ex Traditione facile confirmaremus inpræsentiarum; sed ordinis, & perspicuitatis gratia id singularibus Quæstionibus reservamus, quibus de Contritione, Confessione, & Satisfactione singulatim agemus. Interim tamen nonnullis Patrum testimoniis tres illos Pęnitentis actus ad integritatem Sacramenti Pęnitentiæ necessarios esse, ostendo, scilicet.

S. Cypriani Lib. De Lapsis. *Confiteantur singuli, quæso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit in sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, & Pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus, dicit*

Joel. 2.

„ *ipse*: Revertimini, *inquit*, ad me, in toto corde vestro, simulque & jeju-
„ nio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta
„ vestra. *Ad Dominum toto corde redeamus. Iram & offensam ejus, jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus* ∵∴ *Si precem toto corde quis faciat, si veris Pœnitentiæ lamentationibus, & lachrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis, & continuis operibus inflectat, misereri talium potest* ∵∴∵ *Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

S. Joannis Chrysostomi, Sermone *De Pœnitentia*, cujus hæc sunt verba: *Perfecta Pœnitentia cogit Pœnitentem omnia libenter ferre: in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere toto humilitas: ut quibus modis Deum offendimus, corde, ore, opere iisdem reconciliemur Deo; corde quidem per Contritionem, ore per Confessionem, ac opere per satisfactionem.*

S. Augustini, Sermone CCCLI. „ De Pęnitentia, *alias* L. *inter Homilias*
„ *quinquaginta*. Implicatus (*inquit*) tam mortiferorum vinculis peccatorum,„

„ detre-

„ detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, qui-
„ bus solvatur in terra, ut sit solutus in cęlo, & audet sibi post hanc vitam,
„ quia tantum Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri .·.· Judicet er-
„ go se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores convertat in
„ melius: ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino ju-
„ dicetur. Et cum ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen me-
„ dicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves
„ ministrantur: & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum
„ membrorum ordine custodito, a Præpositis Sacramentorum accipiat satisfa-
„ ctionis suæ modum: ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus,
„ & supplex, id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam sa-
„ lutem, sed etiam ceteris ad exemplum.

S. Ambrosii, Lib. II. *De Pœnitentia*, Cap. V. *Qui agit Pœnitentiam* (inquit) *non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta superiora*. Cap. VI. *Si vis justificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda Confessio peccatorum .·. Sed audiant, qui agunt Pœnitentiam, quomodo agere debeant: quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua concussione viscerum, qua cordis* Thren. 2.
„ *conversione*, Vide, *inquit*, Domine, quia tribulor, venter meus turbatus
„ est a fletu meo, conversum est cor meum in me. *Cognovisti intentionem animi, fidem mentis, cognosce & habitum corporis*. Sederunt, *inquit*, in ter-
„ ra, tacuerunt Seniores filiæ Sion, & imposuerunt terram super caput su-
„ um, præcinxerunt se cilicio, &c. *Sic flevit, & Ninive Populus, & denuntiatum excidium civitatis evasit. In te igitur ut evadas, vult rogari Dominus, vult de se sperari, vult sibi supplicari. Homo es, & vis rogari, ut ignoscas, & putas Deum tibi non roganti ignoscere? Ipse Dominus Jerusalem flevit, ut quia ipsa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertingeret. Ipse nos flere vult ut evadere possimus, sicut habes scriptum in Evangelio*: Filiæ Jerusalem Luc. 19.
„ nolite me flere, sed vos ipsas flete. *Flevit David, & meruit, ut mor-* Luc. 23.
„ *tem populi pereuntis divina removeret misericordia, quando tribus sibi propo-* 2. Reg. 24.
sitis optionibus, eam tamen, in qua majorem Domini miserationem experiretur, elegit. Contritionem lachrymis demonstratam, Confessionem, Satisfactionem, precibus, emendatioribus factis, spontaneis corporis castigationibus constantem, *S. Ambrosius* ad solvendos peccatorum nexus necessarias esse docet. Tres actus Pœnitentiæ.

S. Gregorii, sive alterius Auctoris Commentarii in Lib. I. *Regum* inter ejus Opera editi Lib. VI. „ Quid prodest (*inquit*) confiteri flagitia, si Confessio-
„ nis vocem non sequitur afflictio Pęnitentiæ? Tria quippe in unoquoque
„ consideranda sunt veraciter Pęnitente, videlicet Conversio mentis, Con-
„ fessio oris, & Vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid
„ prodest ei, si peccata confiteatur? Peccatum quod diligitur, confitendo mi-
„ nime deletur. Nonnulli quidem sunt, qui peccata confitendo aperiunt,
„ sed non convertendo nequaquam detestantur. Hi profecto confitendo ni-
„ hil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde & Rom. 12
„ salubriter confiteri volentibus Scriptura insinuat dicens, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Quid est corde credere ad ju-
„ stitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem?
„ Cum ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, per
„ initium bonæ voluntatis, fructum habet bonæ conversionis. Hic certe jam
„ ad salutem confitetur: quia plus loquendo de vulnere ejicit, quam con-
„ versione compunxit. Tertia ergo species, id est vindicta, quasi medicina
„ necessaria est; ut apostema reatus, quod conversione compungitur, con-
„ fitendo purgetur, afflictionisque medicina sanetur .·. Signum ergo veræ
„ con-

„ conversionis non est in oris Confessione, sed in afflictione Pœnitentiæ: „ Tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictio„ nis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur.

Quod autem tres illi Pœnitentis actus ad integritatem Pœnitentiæ concurrant, probat *S. Thomas* III. P. Q. XC. A. II. hoc posito principio, quod alio modo fiat compensatio offensæ in Pœnitentia, & in justitia vindice. In ista enim fit compensatio offensæ secundum arbitrium Judicis; in illa vero secundum voluntatem peccantis, & arbitrium Dei, in quem peccatur, & quicum reconciliatio amicitiæ per Pœnitentiam quæritur. Necessaria igitur est in Pœnitente voluntas compensandi offensam, sive resarciendi injuriam, quod fit per Contritionem: secundo, ut se subjiciat arbitrio Sacerdotis, vice Dei, quod fit in Confessione: tertio, ut offensam compenset secundum arbitrium Ministri Dei, quod fit in Satisfactione.

Tribus Divinarum Personarum attributis tre Pœnitentiæ. partes respondent.

Tribus autem Divinarum Personarum attributis tres illæ Pœnitentiæ partes per accommodationem quamdam respondent: Contritio misericordiæ, vel bonitati, propter dolorem de malo: Confessio sapientiæ, propter veritatis manifestationem: Satisfactio potentiæ, propter satisfaciendi laborem. Potentia Patri, sapientia Filio, misericordia, & bonitas Spiritui Sancto tribuitur. Ita *S. Thomas* Quæst. VII. Supplementi, A. III. ad III. *Sed contritio est prima pars Pœnitentiæ, efficaciam aliis partibus præbens: ideoque eodem modo judicatur de tota Pœnitentia, sicut de contritione.*

Tres actus Pœnitentiæ.

Denique *Eugenius IV.* in Decreto pro Instructione Armenorum, & Sacra Synodus Tridentina Sessione XIV. Cap. III. & Canone IV. tres partes Pœnitentiæ assignant, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem. Tridentinus Canon his verbis conceptus est: *Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in Pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel Absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; Anathema sit.*

Fides non est pars Pœnitentiæ, sed dispositio ad illam necessaria.

Fides quidem ad Pœnitentiam desideratur, ut dispositio necessaria, sicut superius diximus. Unde *Marc. I.* dicitur: *Pœnitemini, & credite Evangelio*: sed non est pars Pœnitentiæ. Quod si de fide, quæ virtus est theologica, certum est; multo certius est de fide speciali, seu certa fiducia remissionis peccatorum, ex promulgatione Evangelii concepta, quam Lutherus Pœnitentiæ partem esse voluit. Cujus errorem configit Canon Tridentinus. Quamvis etiam peccatores ad agendam Pœnitentiam sepe divinitus incussis terroribus utiliter concutiantur, sicut Ninivitæ, qui ad Jonæ prædicationem *Plenam terroribus Pœnitentiam egerunt*; illi tamen terrores non sunt partes Pœnitentiæ, quæ posterior illis est. Nec vero sunt necessarii vel ad Sacramenti perfectionem vel ad peccatorum remissionem: siquidem absque hujusmodi terroribus integrum est Sacramentum, & remissio peccatorum obtinetur, cum peccator ex mero, & sincero Dei amore compunctus, peccata confitetur, & impositam sibi satisfactionem implet, vel implendi propositum habet.

Cur tres actus Pœnitentis quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ a Concilio Tridentino dicantur?

Dicuntur porro tres illi Pœnitentis actus supra recensiti, *Quasi materia* Sacramenti Pœnitentiæ, non quod veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sunt, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, & Chrisma in Confirmatione (inquit Concilii Catechismus:) & quia Contritio, Confessio, atque interdum Satisfactio, semper vero Satisfactionis adimplendæ propositum, formæ, id est, Absolutionis sacramentalis pronuntiationem præcedunt, cum in ceterorum Sacramentorum admini-

ministratione forma proferri debeat simul, atque materiæ sit applicatio.

Quamvis autem Contritio secundum essentiam sit in corde, virtute tamen ad exteriorem Pœnitentiam pertinet, quatenus includit propositum confitendi, & satisfaciendi (inquit *S. Thomas*) & sensibus patet per exteriores actus Confessionis, & Satisfactionis, aliaque externa doloris signa, sicut consensus internus contrahentium Matrimonium innotescit, ac sensu percipitur per verba, vel alia signa externa. Contritionis vero nomine tam perfecta Contritio intelligitur, quam imperfecta, quæ vocatur Attritio.

Observandum nihilominus est, Confessionem, & Satisfactionem ad integritatem Sacramenti Pęnitentiæ non esse ita necessarias, ac Contritionem. Hæc enim ita necessaria est: ut suppleri nunquam possit: illæ vero in extremo vitæ discrimine suppleri possunt, cum homo vi morbi oppressus, linguæ, aut mentis etiam usum subito amiserit, postquam externa quædam signa veræ Pęnitentiæ prodidisset. Tunc enim Sacerdos infirmum absolvere potest, adstantium testimonio, aut vitæ anteactæ, & secundum Legem Christianam institutæ suffragio, vicem Confessionis quodammodo supplentibus, cujus, uti & Satisfactionis propositum habuisse pie creditur homo, qui christiane vixit, & qui signa Pęnitentiæ edidit, ac Sacerdotem vocari jussit, apud quem peccata deponeret, antequam vox eum deficeret. Ita docet *S. Leo* Epist. LXXXII. alias XCI. ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum. *Verum* (inquit) *etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut & actio illis Pœnitentiæ, & Communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, non negetur. At si aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, & quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant: testimonia eis Fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & Pœnitentiæ, & Reconciliationis beneficium consequantur.*

Sola Contritio nunquam suppleri potest.

Observandum rursus, his duobus Pęnitentium officiis, quæ *Isaiæ I.* 16. & 17. exprimuntur: *Quiescite agere perverse, discite benefacere*; & illis Psalmi XIII. *Declina a malo, & fac bonum*, intelligi omnia, quæ ad veram Pęnitentiam sunt necessaria. Sic enim a perversis operibus cessandum est, ut vitæ veteris odium, & peccatorum detestatio concipiatur, & ut eorumdem Confessio fiat secundum institutionem Christi; atque pro illis Satisfactio divinæ justitiæ offeratur. Sic etiam discendum est beneagere, ut novæ vitæ propositum, & inchoatio sit in animo Pęnitentis. Unde Propheta eodem loco ait: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam*. Et cap. XXX. *Ezechias* Pęnitentiæ specimen præbens ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Adde, hæc duo esse justitiæ officia, *Declinare a malo, & facere bonum*, nec ad peccatores dumtaxat, sed ad justos etiam pertinere, ideoque non esse partes Pęnitentiæ.

Duo Pœnitentium officia.

CAPUT IV.

DE MATERIA PROXIMA, SEU PARTIBUS SACRAMENTI POENITENTIÆ. ET PRIMO QUIDEM DE CONTRITIONE.

ARTICULUS I.

Quid sit contritio? Et in quo vis illius posita sit?

Definitio Contritionis

Contritio a Concilio Tridentino Sessione xiv. Cap. iv. definitur *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.*

Doloris nomine non is intelligitur, quem corporis sensu percipimus: Contritio enim est voluntatis actio: & *S. Augustinus* Sermone cccli. alias quinquagesimo inter Homilias quinquaginta, testatur dolorem illum Pęnitentiæ comitem esse, non Pęnitentiam. *Sicut enim* (inquit) *comes Pęnitentiæ dolor est; ita lachrymæ sunt testes doloris*. Verum peccati detestationem, & odium, doloris vocabulo Patres significarunt: tum quia sacræ Litteræ eo sensu illud usurpant; ait enim David Psalmo xii. *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?* Tum quia dolor in inferiori etiam animæ parte, quæ concupiscendi vim habet, ex ipsa Contritione plerumque oritur, quamobrem Contritio non incommode dolor definita est, quod dolorem efficiat, ad eumque declarandum Pęnitentes vestem etiam mutare soliti fuerint, ut observat Concilii Tridentini Catechismus. Qua de re Christus *Matthæi XI.* ait: *Væ tibi Corozaim: væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere Pœnitentiam egissent.*

Contritionis notio.

Recte autem *Contritionis* nomen huic de peccatis interno dolori impositum est, ducta similitudine a rebus corporalibus, quæ minutim saxo, aut duriore aliqua materia confringuntur: ut eo vocabulo declaretur, corda nostra, quæ superbia obduruerunt, Pœnitentiæ vi contundi, atque conteri. *Quare nullus alius dolor, vel parentum, & filiorum obitu, vel cujusvis alterius calamitatis causa susceptus, hoc nomine appellatur:* (ut observat Concilii Tridentini Catechismus:) *Sed illius tantum doloris proprium est nomen, quo ex amissa Dei gratia, atque innocentia afficimur.* Quia enim *Initium omnis peccati est superbia*, per quam homo sensui suo inhærens a mandatis divinis recedit; oportet, ut id, quod destruit peccatum, hominem a proprio sensu discedere faciat. Qui autem in suo sensu pertinax est, rigidus, & durus per similitudinem appellatur: & frangi dicitur aliquis, quando a suo sensu divellitur. *Et quia ad dimissionem peccati requiritur, quod affectum peccati homo totaliter dimittat, quem per quamdam continuitatem, & soliditatem in suo sensu habebat; ideo actus ille, quo peccatum dimittitur, Contritio dicitur per similitudinem;*) inquit *S. Thomas*, in iv. *Senten.*, Dist. xvii. Q. ii. A. i.)

Eccl. 10. 15.

Verum aliis quoque vocabulis eadem res declarari solet. Nam & *Contritio cordis* dicitur, quia cordis nomen frequenter sacræ Litteræ pro voluntate usurpant. Sicut enim cor motionum omnium corporis principium est: ita voluntas reliquas omnes animæ vires moderatur, & regit. Vocatur etiam a SS. Patribus *Cordis compunctio*: quos inter *S. Joannes Chrysostomus* Libros duos de Contritione a se editos, *De compunctione cordis* inscribere maluit. Quæ

etiam

etiam vocabulo *S. Ephrem*, usus est Semone *De extremo Judicio*, & S *Isidorus. Hispalensis*, Lib II. *De Summo bono*, Cap. XXII. Quemadmodum enim tumida ulcera ferro secantur, ut inclusum virus possit erumpere; ita corda quasi scalpello contritionis adhibito inciduntur, ut peccati mortiferum virus ex iis eliciatur, & exprimatur, ac eo pacto a lethali vulnere sanentur adhibito Sacramenti celestis medicamine, & gratiæ medicinalis Christi per Sacramentum subministrata virtute. Quamobrem a *Joele* Propheta scissio cordis vocata est: *Convertimini ad me* (inquit Dominus) *in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu; & scindite corda vestra.*

Dicitur *Dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*: quia contritionis vis in eo solum posita non est, ut quis peccare desinat, aut propositum ei sit novum vitæ genus instituere, aut ipsum jam instituat: sed in primis male actæ vitæ odium, & expiatio suscipienda est. Hæc igitur tria includit dolor de peccato sincerus; primo cessationem a peccatis: deinde eorumdem odium, ac detestationem; tertio vitæ novæ propositum, atque inchoationem. Dolere namque de peccatis nemo potest, nisi prius ab illis cessaverit. Hinc *Isaiæ I.* dicitur: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, discite benefacere.* Et Cap. LV. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Apostolus etiam prius hortatur Romanos, ut abjiciant opera tenebrarum, deinde ut induantur arma lucis. *Abjiciamus ergo* (inquit) *opera tenebrarum, & induamur arma lu-* Rom 13.
cis. Sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum. Et Ephesios prius *deponere* jussit secun- Ephes. 4.
dum pristinam conversationem *veterum hominem, qui corrumpitur secundum desideria carnis*: deinde subjunxit; *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Qui reconciliari vult amico, quibus eum ante hac injuriis afficiebat, ab iis deinceps jam abstinet, quo facilius redire possit in gratiam. Quæ autem est alia Pœnitentiæ ratio, quam ut reconciliemur Deo, remissione peccatorum impetrata? Cessemus itaque a peccatis necesse est, in quibus, vel in proximis illorum occasionibus quamdiu perseverat aliquis, dolere de illis, eaque ex animo detestari non potest. Primum itaque cessandum est a peccatis, quod tamen solum non sufficit. Doleamus insuper oportet, quod ea perpetraverimus aliquando; ac sicut ea placuerunt antea, sic deinceps detestemur, & odio habeamus. Hinc *Ezechielis* XVIII. dicitur: *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Quo etiam pertinent pœnitentiæ, & tristitiæ, doloris & gemitus vocabula, quibus Scriptura Sacra utitur; ut cum Christus ait, Lucæ XIII. *Si Pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Et II. ad Corinthios VII. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad Pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur ∴∴ Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos quantam in vobis operatur solicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed vindictam?* Id vero maxime confirmant illi Pœnitentium clamores, quos in sacris Litteris frequenter editos esse legimus. *Laboravi*, inquit David, *in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo ∴∴ Exaudivit Dominus vocem fletus mei ∴∴ Afflictus sum,*

ſum, & humiliatus ſum nimis? rugiebam a gemitu cordis mei ∴. Et gemitus meus a te non eſt abſconditus. Et *Iſaiæ* XXXVIII. Ezechias Rex Pœnitens ait: *Domine, vim patior ∴ Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Quas certe, & alias hujuſmodi voces vehemens quoddam anteactæ vitæ odium, & peccatorum deteſtatio expreſſit. Unde *S. Auguſtinus* Sermone CCCLII. alias XXVII. inter Homilias quinquaginta, ait: *Nemo eligit vitam novam, niſi quem veteris pœnitet.* Communis certe ſenſus indicat, ad novam vitam inchoandam opus eſſe deteſtatione vitæ prioris, & diſplicentia. Etiam homini ſi quis reconciliari vult, oſtendit ſibi diſplicere quod eum aliquando offenderit. Quod ſi delectari ſe illatis injuriis indicaverit, eoque nomine ſibi placuerit, tantum abeſt, ut in gratiam redeundi poteſtas illi fiat, majorem etiam ut iram ſibi cumulet. Si ad hunc modum agi par eſt cum homine æque, ac nos mortali, quo ore ad Deum accedemus? qua fronte ei reconciliari poſtulabimus, nullum de injuriis ipſi factis dolorem præ nobis ferentes?

Merito itaque damnata eſt Propoſitio iſta Lutheri: *Optima Pœnitentia, nova vita*: quatenus ſignificat non aliam a nobis exigi Pœnitentiam, quam vitam bonam impoſterum. Declaravitque Sacra Synodus Tridentina Seſſione XIV. Cap. IV. *Contritione non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem; ſed veteris etiam odium continere.*

Dicitur, *Cum propoſito non peccandi de cetero*: Quia Pœnitentia ſincera non eſt, niſi Pœnitens certam, & ſtabilem vitæ emendandæ cogitationem ſuſcipiat, & voluntatem habeat. Hoc vero diſertis verbis Deus docet. Ezechielis XVIII. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Et paulo poſt: *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium, & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit.* Ac paucis interjectis: *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas: projicite a vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis: & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Idem etiam Chriſtus Dominus mulieri in adulterio deprehenſæ præſcripſit, Joannis VIII. *Vade & amplius noli peccare.* Item Paralytico illi, quem ad Probaticam Piſcinam curaverat, Joannis V. *Ecce ſanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Sed natura quoque ipſa, & ratio plane oſtendunt, duo illa ad Contritionem eſſe in primis neceſſaria, dolorem ſcilicet de peccato admiſſo, & propoſitum cautionemque, ne quid hujuſmodi impoſterum committatur. Nam qui amico reconciliari velit, quem injuria aliqua affecerit, & doleat neceſſe eſt, quod in eum fuerit injurioſus, & diligenter impoſterum caveat, ne qua in re amicitiam læſiſſe videatur. Quæ duo obedientiam adjunctam habeant oportet. Hominem enim legi ſive naturali, & divinæ, ſive humanæ, quibus ſubjectus eſt, parere convenit. Quamobrem ipſa Contritio confitendi, & ſatisfaciendi voluntatem conjunctam habere debet. Unde Concilium Tridentinum Seſſione XIV. Cap. IV. ait: *Contritionis motus ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.*

Contritionis definitionem, ejuſque mox datas explicationes Sacrorum Canonum auctoritas confirmat, ſcilicet Canon *Pœnitentia*, Diſt. III. *De Pœnitentia*, ex *S. Gregorio* Lib. IX. Epiſtola XXXIX. aliiſque Patribus deſumptus,

cujus

cujus hæc sunt verba: *Pœnitentia est, & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*. Et Canon. *Ille*, eadem distinctione, qui ex *S. Isidoro*, Lib. II. *De Summo Bono*, Cap. XIII. excerptus est: *Ille Pœnitentiam digne agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lavet laterem crudum, quem quanto magis laverit, tanto amplius lutum facit*.

Definitionem Contritionis a Sacra Synodo Tridentina consecratam, ceteris merito anteponimus, quas *S. Thomas* refert in IV. *Sententiarum* loco supra laudato. Definiebatur a quibusdam, *Dolor de peccatis assumptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi*. Ab aliis, *Dolor voluntarius pro peccato, semper puniens, quod dolet commisisse*. Quæ definitio ex Libro *De Vera, & falsa Pœnitentia* sub nomine *S. Augustini* edito colligitur. A *S. Isidoro* Lib. II. *De Summo Bono*, Cap. 12. *Compunctio & humilitas mentis cum lachrymis, veniens de recordatione peccati, & timore judicii*. Ab aliis, *Dolor remittens peccatum*. Quæ definitio colligitur ex *S. Augustini* Enarrationibus in Psalmos L. LXXIV. & CXLVI. Ab aliis denique, *Humilitas spiritus annichilans peccatum inter spem, & timorem*; quæ definitio eruitur ex *S. Gregorio* Lib. XXXIII. *Moralium*, Cap. XI.

ARTICULUS II.

De Necessitate, & Utilitate Contritionis.

PROPOSITIO I.

Contritio ad remissionem peccatorum mortalium, & ad justificationem peccatoris ita necessaria est, ut sine ipsa peccatorum remissio, & gratia justificans obtineri non possit.

ID probant omnia Scripturæ Sacræ loca, quibus Pœnitentiæ, conversionis ad Deum, scissionis cordis necessitas significatur. Joelis II. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu, in planctu, & scindite corda vestra*. Quando flere, quando plangere, quando scindere cor jubet, quid aliud quam Contritionem præcipit, sine qua toto corde converti ad Deum non possumus? Ezechielis XVIII. *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Isaiæ LX. *Dominus evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde*. Ex quo vel solo colligitur, qui sanari vult per Pœnitentiam, eum contrito corde esse oportere. Christus etiam dixit Lucæ XIII. *Si Pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. Et Princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis Pœnitentiam commendans Actuum II. dicebat: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*. Pœnitentiam porro peccati odium, & detestationem, vitæque novæ propositum, & inchoationem complecti, in quo posita est Contritio, Articulo superiore probatum est.

Idque ex *Tertulliano* confirmatur Libro *De Pœnitentia* Cap. IX. *Itaque* (inquit) *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mæroribus dejicere; illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare ∴ Plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymare, & mugire, dies, noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari*.

Item ex *S. Cypriano* in Tractatu *De lapsis*, dicente: „ Convertamur ad „ Dominum mente tota, & Pœnitentiam criminis veris doloribus exprimen„ tes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mestitia

„ satisfaciat: illi spes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus, dicit ipse: *Re-*
Joel 2. „ *vertimini* (inquit) *ad me ex toto corde vestro, simulque & jejunio, & fletu &*
Necessitas „ *planctu ; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Ad Dominum to-
Contritionis „ to corde redeamus. Iram & offensam eius jejuniis, fletibus, planctibus, sicut „ admonet Ipse, placemus. Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, „ fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra „ quotidie celebrat, qui epulis affluentibus pastus, & sagina largiore disten- „ tus, cruditates suas postridie ructat, nec cibos, & potus suos cum paupe- „ rum necessitate communicat? Qui hilaris, ac lætus incedit, quomodo mor- „ tem suam deflet? Cumque scriptum sit, *Non corrumpetis effigiem barbæ* „ *vestræ*; barbam vellit, & faciem suam comit: & placere nunc cuiquam „ studet, qui Deo displicet? An illa ingemiscit, & plangit, cui vacat cul- „ tum pretiosæ vestis induere, nec indumentum Christi, quod perdidit cogi- „ tare? Accipere pretiosa ornamenta, & monilia elaborata, nec divini, & „ cœlestis ornatus damna deflere? .·.·. Si quem de tuis charis mortalitatis exi- „ tu perdidisses, ingemisceres pariter, & fleres, facie inculta, veste mutata, „ neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris ostenderes. Animam „ tuam misera perdidisti, spiritaliter mortua supervivere hic tibi, & ipsa am- „ bulans funus tuum portare cœpisti; & non acriter plangis, non jugiter ingemi- „ scis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis?

Et infra: „ Agite Pœnitentiam plenam, dolentis, ac lamentantis animi pro- „ bate mæstitiam. Nec vos quorumdam moveat, aut error improvidus, aut „ stupor vanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, percussi sunt animi „ cæcitate, ut nec intelligant delicta, nec plangant. Indignantis Dei major „ hæc plaga est.

Idem confirmat *S. Joannes Chrysostomus* Libro 1. De Compunctione cordis. „ Lugendum est (*inquit*) & flendum, & per totam vitam plangendum, ut vel „ sic occupata in luctu, & lachrymis anima erubescat peccare. Denique lugen- „ tes pro charorum suorum amissione interrogemus. Si quando aut unicum pa- „ ter filium, aut uxor ereptum cito plangit maritum, quomodo velut fulmine „ quodam icta anima contremiscit, & in stuporem vertitur; aufugiunt conti- „ nuo, nec usquam apparent omnes illæ moles, & dissolutæ deliciæ; nusquam „ ventris cura, aut solicitudo carnis habetur, sed acerrimæ continentiæ intro- „ ducitur Philosophia, abstinetur ab omnibus, aguntur extenta jejunia, juges vi- „ giliæ, humicubationes, juge silentium, quies magna, humilitas ultima, man- „ suetudo ineffabilis, miseratio immensa: etiamsi omnia auferantur, etiamsi „ diripiantur, nihil pro his animus curat, nihil movetur. Etiamsi igne concre- „ mentur universa, & census pariter cum domibus pereat, non indignatur, non „ irascitur. Multos novi post amissionem charorum nec urbes habitare voluisse, „ sed commigrasse ad agros, atque ibi jejunium & sobriam duxisse vitam cum „ omni silentio, & quiete. Alios memini in ipsis defunctorum suorum sepulcris „ habitaculum posuisse, atque inibi vitam similem mortuo transegisse. Interim „ donec dolor in augmentis est, nihil curat anima, nihil cogitat, procul omnis „ illa insania congregandæ pecuniæ, procul omnis cupiditas possidendi; honoris „ autem, & ambitionis omnis apud eos gloria tunc vere ut fœnum, & velut flos „ fœni videtur, & ita ex omni parte anima transfertur ad Philosophiam, ut de- „ liciarum, atque suavitatum vitæ huius ne ratio quidem ulla habeatur: imo po- „ tius si quid prius delectabile visum est, si quid gratum, id nunc amarissimum, „ & odibile ducitur .·.·. Una sola cogitatio lugenti, unus intuitus imago defun- „ cti est .·.·. Sic oportebat, & nos salutem nostram lugere perditam, atque ani- „ mam nostram mortuam lamentari. Exhibeamus animæ nostræ quod illi „ exhibent carni alienæ. An non extremæ miseriæ est, ut hi quidem qui filios,

„ aut

„ aut uxores lugent, ad nihil aliud occupent mentem ſuam, niſi ut de-
„ functos ſuos quaſi intueantur: nos vero quibus ſalus mortua, & Regni cœ- Neceſſitas Contritionis
„ lorum ſpes extincta eſt, omnia magis quam inde cogitemus? Et illi qui-
„ dem, etiamſi regii generis ſint, nemo tamen erubeſcit ſolemnitatem lu-
„ ctus implere: ſed & humi reſident, & cum amaritudine lamentantur,
„ & veſtem lugubrem ſumunt, & omnia faciunt, quæ ad afflictionem animæ,
„ & corporis ſpectant: & neque quod in deliciis nutriti ſunt cogitant, neque
„ florem ſui corporis reſpiciunt, neque metu futuræ ex afflictione ægritudinis
„ deterrentur, ſed omnia ferunt non ſolum viri, ſed multo magis fęminæ,
„ etiamſi valde fuerint delicatæ. Nos e contra qui non filios, aut uxores, ſed
„ animam lugemus, & animam non alienam, ſed noſtram, prætex imus ægri-
„ tudinem corporis, & excuſamus, quod in deliciis educati ſumus .·. Quid
„ corporis viribus opus eſt, cum cor conterere debeamus? Quid neceſſariæ
„ ſunt vires corporis, ut pura Deo fundatur oratio, ut peccatorum fiat
„ recordatio, ut humilitas aſſumatur, ut ſuperbia depellatur? .·. Non re-
„ quirit Deus ciliciorum pondus, neque concludi inter anguſtias cellulæ,
„ neque in obſcuris antris, & tenebroſis ſedere jubet. Hoc ſolum eſt, quod
„ expoſcitur a nobis, ut ſemper recordemur, & ad animum revocemus ma-
„ la noſtra, ut pro his ſupplicemus Deo, ut gehennam ponamus ob oculos, &
„ Angelos, qui in die iudicii ubique diſcurrunt, & congregant de omni orbe
„ terrarum eos, qui trudendi ſunt in gehenam, ac ſuppliciis tradendi. Po-
„ namus etiam ob oculos, quanti doloris eſt excludi, ac projici a Regno
„ cælorum, quod gravius eſt ipſa gehenna. Nam etſi ignis ille non arde-
„ ret, & immortalis illi pœna non eſſet parata, hoc ſolum quod alieni ef-
„ ficimur a Chriſto tam clemente, tam benigno, qui & ſeipſum pro nobis in
„ mortem tradidit, & omnia paſſus eſt, ut ab illo nos ſupplicio liberaret,
„ ſuoque Patri reconciliaret peccatis noſtris infenſo, & excludimur a bonis
„ æternis, nonne omni pœna gravius diceretur, & ad erigendas animas, at-
„ que ad ſpem ſufficeret incitandas?

Et Homilia IX. in Epiſtolam ad Hebræos: „ Cujuſmodi (*inquit*) eſt medica-
„ mentum Pœnitentiæ, & quomodo conficitur? Primum eſt ex ſuorum pec-
„ catorum condemnatione, & confeſſione. *Dixi*, inquit, *confitebor adverſum* Pſalm. 31. 5.
„ *me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei* .·. Secundo
„ ex multa humilitate .·. Oportet autem alia quoque addere humilitati, ſi
„ talis ſit, qualem Beatus David habebat, dicens: „ *Cor contritum, & humi-*
„ *liatum Deus non deſpicies*: Nam quod eſt contritum, non exſurgit, non fe- Pſalm. 50.
„ rit, ſed eſt paratum ad malum quodlibet perferendum. Ejuſmodi eſt cordis con-
„ tritio etiamſi contumelia affecta fuerit, etiamſi male & indigne accepta, con-
„ quieſcit, nec ad ultionem incenditur. Poſt humilitatem vero opus eſt inten-
„ ſis precibus, multis lacrymis, & interdiu, & noctu.

Idem confirmat & *S. Auguſtinus*, Enarratione in Pſalmum LXXIV. Omnia
„ ſublimia ut contingamus (*inquit*) adtollimus nos: contra Deus & altus eſt, &
„ ab humilibus contingitur. Scriptum eſt, Prope eſt Dominus his, qui obtrive-
„ runt cor. Tritura cordis, pietas, humilitas. Qui ſe conterit, iraſcitur ſibi. Pſalm. 33.
„ Se habeat iratum, ut illum habeat propitium: ſe habeat judicem ut illum ha-
„ beat defenſorem. *Et in Pſal.* CLXVI. *explicans illa verba*, „ Qui ſanat contri-
„ tos corde, & alligat contritiones eorum, *ait*: Noli erubeſcere, contere cor,
„ tales ſanat Deus .·. Diſtortum cor parum eſt, quod ſe non corrigit ad Deum,
„ & Deum vult diſtorquere a ſe. Quid ergo dicit Deus deſuper? Tortus es, æqu-
„ us ſum. Si tu rectus eſſes, ſentires æquitatem meam. Quemadmodum ſi in pa-
„ vimento æquali poneres diſtortum lignum, non collocaretur, undique nuta-
„ ret, undique agitaretur; quod non loci inęqualitas, ſed diſtortio ligni facit: ſi-

Psal. 72. „ cut ait Scriptura, *Quam bonus Israel Deus rectis corde*! Quid ergo tortum cor „ quomodo dirigitur? Et tortum est, & durum; jam ergo tortum, & durum „ frangatur, conteratur, ut dirigatur. Tu dirigere cor tuum non potes: Tu fran- „ ge, Ille dirigat. Quomodo tu frangis? quomodo tu conteris? Confitendo, pu- „ niendo peccata tua. Quid aliud significat pectorum tunsio? Nisi forte puta- „ mus ossa nostra aliquid peccasse, cum cædimus pectus. Sed significamus nos „ cor conterere, ut a Domino dirigatur. Sanat ergo contritos corde: & sanitas „ ipsius cordis tunc erit perfecta, cum & corporis reparatio implebitur, quæ „ promissa est. Nunc interim quid facit Medicus? Alligat contritiones tuas, ut „ possis pervenire ad plenissimam firmitatem, donec consolidetur, quod fractum „ est, quod alligatum est. Quæ sunt ista alligamenta? Temporalia Sacramenta.

Denique Propositionem nostram Triden. Conc. disertis verbis asserit Sessione XIV. Cap. IV. *Fuit autem* (inquit) *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius*. Qua assertione depellitur etiam Hæreticorum calumnia ab Catholicis Scriptoribus, *Quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit*: ut declarat Sacra Synodus.

P R O P O S I T I O II.

Fructus Contritionis securus est.

HAnc Propositionem Concilii Catechismus ex eo probat, quod cum pleraque alia pietatis studia, veluti beneficia in pauperes, jejunia, preces, & alia id genus sancta, & honesta opera, hominum culpa, a quibus proficiscuntur, a Deo interdum repudientur: ipsa certe Contritio numquam illi grata, & accepta esse non potest. Hinc David Psalmo quinquagesimo ait: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Quem Versum S. *Augustinus* explicans ait: *In te habes, quod offeras. Noli extrinsecus thura comparare,*
Psal. 55. 12. *sed dic:* In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudes tibi. *Noli extrinsecus* „ *pecus, quod mactes, inquirere, habes in te, quod occidas*. Sacrificium Deo „ spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non spernit.
Psal. 50. *Prorsus spernit taurum, hircum, arietem. Jam non est tempus, ut hæc offerantur. Oblata sunt cum aliquid indicarent, cum aliquid promitterent: venientibus rebus promissis, promissiones ablatæ sunt*. „ Cor contritum, & humiliatum „ Deus non spernit. *Nostis, quia excelsus est Deus: si te excelsum feceris, longinquabit a te; si te humiliaveris, propinquabit ad te.*

Idem confirmatur ex Psalmo XXXI. *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei*. Peccatum suum nondum ore confessus fuerat David, sed corde pronuntiaverat. Et hoc ipsum dicere, *Pronuntiabo*, pronuntiare est (inquit S. Augustinus) *Confessio ergo mea nondum ad os venerat; dixeram enim*, Pronuntiabo adversum me: *Verum*- „ *tamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat. Tu dimisisti impietatem cordis mei, quia dixi, Pronuntiabo*. Pronuntiatio autem interior, qua peccator iniquitatem suam adversus se ipsum confitetur, dicens ex intimo animi sensu ob Dei offensam dolentis, & peccatum detestantis: *Ego dixi, Domine, miserere mei: sana Ani-*
Psal. 40. 5. *mam meam, quia peccavi tibi:* Contritio est, exterioris Confessionis votum includens. Cum ergo charitate perfecta est hujusmodi contritio, statim hominem Deo reconciliat ante Confessionem Sacramentalem, & Absolutionem, cum solo Sacramenti voto, ut docet Tridentina Synodus. Atque illius rei figuram in decem Leprosis animadvertimus, qui a Salvatore nostro ad Sacerdotes missi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati sunt,

A R-

ARTICULUS III.

Quotuplex sit Contritio?

CONtritio duplex est, ut docet Concilium Tridentinum, Sessione XIV. Cap. IV. perfecta scilicet, & imperfecta.

Contritio perfecta est dolor de peccato commisso, ex amore Dei super omnia conceptus, & charitate perfectus, cum proposito non peccandi in posterum, & voto suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.

Contritio imperfecta, quæ *Attritio* dicitur, *est dolor, ac detestatio de peccato commisso, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu conceptus, peccandique voluntatem excludens, cum spe veniæ.*

PROPOSITIO I.

Contritio perfecta hominem Deo non reconciliat sine voto Sacramenti Pœnitentiæ; quamvis ante Sacramentum actu susceptum peccatorem justificet.

DOctrina est Concilii Tridentini Sessione XIV. Cap. IV. declarantis, *Et si contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, prius quam hoc Sacramentum actu recipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Qua ratione Contritio perfecta peccatorem justificet?

Sed & *Sixtus Quartus* Pontifex Maximus hunc Articulum *Petri Oxomensis* damnavit: *Peccata mortalia delentur per solam cordis contritionem, sine ordine ad claves Ecclesiæ.*

Id confirmat præclarus *S. Augustini* locus, Sermone CCCLI. alias quinquagesimo inter Homilias quinquaginta: *Quisquis ergo* (inquit) *post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeo ne sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare, cum tempus est, cum ita peccat, & vivit? ∴∵ Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum, detrectat aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cœlo; & audet sibi post hanc vitam, quia tantum Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri, nec veridico illo dominicæ vocis tonitruo contremiscit:* „ Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in Regnum Cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in Regnum Cœlorum ∴∵ „ Judicet ergo se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores convertat in melius: ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur. Et cum ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito a Præpositis Sacramentorum accipiat Satisfactionis suę modum: ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus, & supplex, id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Math. 7. 21.

Denique *S. Thomas* in IV. Sententiarum, Dist. XVII. Q. III. A. V. Quæstiuncula I. docet, quod „ Pœnitentia, in quantum est Sacramentum, præcipue in Confessione perficitur; quia per eam homo Ministris Ecclesiæ se subdit, qui sunt Sacramentorum dispensatores. Contritio enim votum Confessionis annexum habet; & satisfactio pro judicio Sacerdotis, cui fit confessio, taxatur. Et quia in Sacramento Pœnitentiæ gratia infunditur, per

„ quam fit remissio peccatorum, sicut in Baptismo; ideo eodem modo Confessio ex vi Absolutionis conjunctæ remittit culpam, sicut Baptismus. Liberat enim Baptismus a morte peccati non solum secundum quod actu recipitur, sed etiam secundum quod in voto habetur; sicut patet in illis, qui jam sanctificati ad Baptismum accedunt: & si aliquis impedimentum non præstaret, ex ipsa collatione Baptismi gratiam consequeretur remittentem peccata, si prius ei remissa non fuissent. Et similiter dicendum est de Confessione (adjuncta Absolutione) quod secundum quod in voto Pœnitentis præcessit, a culpa liberavit: postmodum autem in actu Confessionis, & Absolutionis gratia augetur; & etiam remissio peccatorum daretur, si precedens dolor de peccatis non sufficiens ad Contritionem fuisset, & ipse tunc obicem gratiæ non haberet.

Et Opusculo XXXII. *De forma Absolutionis*, Cap. II. *Nullus* (inquit) *reputatur contritus, nisi habeat propositum subjiciendi se Ecclesiæ Clavibus, quod est habere Sacramentum in voto.*

PROPOSITIO II.

Contritio perfecta non est necessaria ad justificationem peccatoris in Sacramento Pœnitentiæ; sed imperfecta, quæ vocatur Attritio, cum Sacramento sufficit.

Contritio perfecta non est necessaria cum Sacramento Pœnitentiæ.

ID colligitur ex Concilio Tridentino, Sessione XIV. Cap. IV. ubi declarat, *Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Nihil autem magis haberet cum Sacramento conjuncta, & per se spectata sine Sacramento, nisi sufficeret ad justificationem peccatoris, quatenus cum Sacramento conjuncta est. Nam & per se spectata sine Sacramento, ad gratiam impetrandam disponit.

Præterea, si perfecta contritio necessaria esset cum Sacramento, sequeretur, Absolutionem Sacerdotis non esse verum judicium, nec vere peccata remittere, quod illius tamen verba significant; sed solum remissa declarare: siquidem perfecta contritio peccati remissionem operatur: charitas enim perfecta stare cum reatu peccati non potest. Is autem error est a Sacra Synodo Tridentina damnatus Sessione XIV. Canone IX. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti; modo tantum credat se esse absolutum; Anathema sit.*

Id confirmat Concilii Catechismus P. II. Cap. *De Pœnitentiæ Sacramento*, §. XLVII. *Ex Fidei* (inquit) *Catholicæ doctrina omnibus credendum, & constanter affirmandum est: si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque imposterum non peccare constituat: & si hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit: ei tamen cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi Clavium scelera omnia remitti, ac condonari: ut merito a sanctissimis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiæ Clavibus aditum in cœlum aperiri: de quo nemini dubitare licet, cum a Florentino Concilio decretum legamus, Pœnitentiæ effectum esse Absolutionem a peccatis.*

Objiciet quispiam, SS. Patres, & præsertim *S. Gregorium Magnum*, exemplo *Lazari* prius ad vitam a Christo revocati, quam a Discipulis solveretur, probare peccatorem prius a morte peccati ad vitam gratiæ revocari (quod utique non fit nisi contritione perfecta) quam a Sacerdote absolvatur: ac proinde Contritionem perfectam ad justificationem peccatoris in Sacrammento.

Pœni-

Pœnitentiæ esse necessariam: nec imperfectam, quæ vocatur Attritio, cum Sacramento sufficere. Sic autem loquitur *S. Gregorius* Hom. XXVI. in Evangelia: „ Causæ pensandæ sunt, & tunc ligandi, atque solvendi potestas exer-
„ cenda. Videndum est, quæ culpa præcessit, aut quæ sit Penitentia secuta
„ post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat,
„ illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est Absolutio Præsidentis,
„ cum æterni arbitrium sequitur Judicis. Quod bene quatriduani mortui resu-
„ scitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Domi-
„ nus vocavit, & vivificavit dicens: *Lazare, veni foras*: & postmodum is,
„ qui vivens egressus fuerat, a Discipulis est solutus, sicut scriptum est:
„ *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis, & facies* Joan. 11. 44.
„ *illius sudario erat ligata Dicit eis Jesus Solvite eum, & sinite abire.* Ecce illum Di-
„ scipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim
„ Discipuli Lazarum mortuum solverent; fætorem magis ostenderent quam
„ virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos debemus per Pa-
„ storalem Auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.

Respondetur, Peccatorem non absolvi a Sacerdote, nisi prius fuerit a Deo suscitatus a morte peccati ad vitam gratiæ, resurrectione inchoata, non perfecta, & consummata, resurrectio, & vita spiritualis inchoata, est effectus gratiæ actualis animam interius excitantis, & moventis. Resurrectio, & vita spiritualis perfecta, & consummata, est effectus gratiæ justificantis. Prior Absolutionem Sacramentalem præcedere debet, sicut resurrectio Lazari solutionem ejus ministerio Discipulorum Christi factam: posterior fit Absolutionis ipsius virtute, & efficacia. Prior ab affectu peccati voluntatem avertit, & revocat, & ad Deum convertit: posterior a reatu peccati hominem suscitat. Prior Contritioni tribuitur; posterior Sacramento Pœnitentiæ, id est, ipsi etiam Confessioni, & Absolutioni Sacramentali. Itaque vitam inchoatam Contritio imperfecta sive Attritio ex impulsu, & dono Spiritus Sancti concepta operatur; & ad vitam perfectam per Sacramentum Pœnitentiæ conferendam disponit. Quod significat *S. Gregorius* his verbis: „ Ut quos om-
„ nipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris Sententia
„ absolvat. „ *Idemque docet S. Augustinus* Serm. 67. alias 8. *De Verbis Domini*, cap. I. & II. „ Qui confitetur, *inquit*, foras prodit foras prodire non pos-
„ set, nisi viveret: vivere non posset, nisi resuscitatus esset .... Dicit ergo ali-
„ quis: Quid prodest Ecclesia, si jam confessor voce Dominica resusci tatus pro- Necessitas
„ dit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, *Quæ solveritis in terra* Contritionis.
„ *soluta erunt, & in cœlo*? Ipsum Lazarum attende: cum vinculis prodit. Jam
„ vivebat confitendo; sed nondum ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo fa- Matth. 18.
„ cit Ecclesia, cui dictum est, *Quæ solveritis, soluta erunt?* Nisi quod ait Do-
„ minus continuo ad Discipulos, *Solvite* illum, & sinite abire. Qui reatu, & vinculis peccati nondum solutus est, nondum vivit vita perfecta, & consummata. Sed peccator ante Sacramentalem Absolutionem, quæ fit potestate clavium Ecclesiæ traditarum, nondum solutus est reatu, & vinculis peccati: nondum igitur vivit vita perfecta, & consummata: nisi forte *Contritionem charitate perfectam* esse contingat: quo casu nec ipsa Contritio per se, sed votum Sacramenti in ea inclusum, spiritalem peccatoris resurrectionem operatur.

Confirmatur hæc Responsio ex *S. Thoma* idem argumentum tractante Opusculo XXII. cap. II. *Constat* (inquit) *quod Dominus Lazarum suscitavit, & Discipulis solvendum mandavit: ergo Discipuli absolvunt. Per hoc ergo non ostenditur, quod Sacerdos non absolvat, aut non debeat dicere: Ego te absolvo: sed quod eum non debet absolvere, in quo signa contritionis non videt.*

videt, per quam homo justificatur interius a Deo culpa remissa.

Idem confirmat *S. Bonaventura* in IV. Sententiarum Dist. XVII. P. II. A. II. Q. IV. ubi explicans hanc *S. Augustini* Sententiam: *Nemo potest confiteri nisi suscitatus; quia a mortuo, velut qui non est, perit confessio*: respondet: *Dicendum quod vocat suscitatum, dispositum per charitatem, qui jam incipit suscitari, cum atteritur per dolorem. Et in Confessione plerumque recipit vitam.* Idemque *S. Thomæ* sensus est Q. VII. Supplementi, Art. I. dicentis in Responsione ad secundum: *Confessio præsupponit charitatem, qua quis vivus efficitur. Contritio autem est, in qua datur charitas.*

PROPOSITIO III.

Attritio naturalis non sufficit, etiam cum Sacramento, ad hominem Deo reconciliandum.

Pelagiana est illa propositio Molinæ in Concordia Q. 14. A. 13. Disp. [illegible] Liberum Arbitrium cum solo concursu [illegible], elicere potest actum Contritionis naturalem.

NAturalis Attritio dicitur, quam rationes mere naturales excitant, & quæ solis naturæ viribus concipitur; cum scilicet quis dolet de peccato commisso propter infamiam ex eo consecutam, aut aliud quodcumque damnum, vel supplicium temporale; vel quia contra rationem, & honestatem esse intelligit, quod fecit; aut quia illud improbari videt a parentibus, amicis, viris probis, sequi illis hoc nomine displicere, quod illud commiserit.

Hanc autem Attritionem etiam cum Sacramento non sufficere ad hominem Deo reconciliandum, probant Scripturæ Sacræ testimonia, quibus veræ conversionis ad Deum ex toto corde necessitas significatur ad remissionem peccati obtinendam. Ezechiel XVIII. *Convertimini & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et cap. XXXIII. *Si impius non fuerit conversus a via sua mala, ipse in iniquitate sua morietur.* Jeremiæ XXIX. *Quæretis me, & invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro.* Joelis II. *Convertimini ad me in toto corde vestro ..... Scindite corda vestra, & convertimini ad Dominum, quia benignus, & misericors est.* Act. II. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Et II. ad Corinth. VII. *Quæ secundum Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Sed qui Attritionem naturalem solum habet de peccato, non convertitur ad Deum ex toto corde, nec ejus tristitia secundum Deum est, cum infideles, & impii sic de peccatis doleant; & ita doluerit *Antiochus*, ut habetur II. *Machabęorum* IX.

Necessitas Contritionis.

Præterea, Contritio quovis tempore fuit ad peccatoris justificationem necessaria, ut docet Concilium Tridentinum. Attritio autem naturalis non est vera contritio, cum non sit *Donum Spiritus Sancti*, sine cujus gratia nihil salutare ex nobis habere possumus, secundum Concilii Tridentini definitionem Sess. VI. Can. III. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti operatione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; Anathema sit.* Quod & ab Arausicana Synodo secunda jam olim definitum fuerat. Et certe cum gratia sanctificans, ad quam in Sacramento Pęnitentiæ impetrandam Contritio imperfecta, sive Attritio disponit, sit supernaturalis, Attritionem ipsam ejusdem ordinis esse, necesse est.

Propositio damnata.

Denique *Innocentius XI.* Pontifex Maximus hanc inter alias Propositionem damnavit: *Probabile est sufficere Attritionem naturalem, modo honestam.* Et Clerus Gallicanus in Conventu generali anni 1700. hanc propositionem judicavit, ac declaravit *Hæreticam.*

PRO-

PROPOSITIO IV.

Attritio, qua quis dolet de peccato quatenus Dei offensa est, non tamen absoluta, & efficaci voluntate, non sufficit, etiam cum Sacramento, ad justificationem peccatoris.

HÆc enim Attritio peccandi voluntatem, & affectum non excludit, adeoque non est verus *Dolor, & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero*, nec *Vitæ veteris odium, & vitæ novæ propositum, & incboationem* continet: quæ necessaria sunt omnino ad Contritionem tam perfectam, quam imperfectam, quæ dicitur Attritio. Unde & usurarii, & concubinarii, aliique peccati mortalis habitu, consuetudine, & occasionibus implicati, dolent interdum de peccato quatenus Dei offensa est, non tamen absoluta, sed inefficaci dumtaxat, & suspensa voluntate, quæ velleitas nuncupari solet: quibus tamen inutilis est hujusmodi dolor, quia in peccatis nihilominus perseverant, & cum Dei vocem interius loquentis audierint, corda sua sinunt obdurari fallacia peccati.

PROPOSITIO V.

Attritio ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concepta, utilis est, & ad justificationem disponit.

GEhennæ, sive pœnæ æternæ timorem ex fide conceptum, utilem esse, & ad justificationem disponere, probat illud Scripturæ Sacræ oraculum, *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Unde Christus ad timorem Dei, pœnas æternas justo judicio peccatoribus infligentis, homines adhortatur, Matth. x. *Timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.* Eccl. 1.

Id confirmat *S. Augustinus*, Serm. CLXI. alias XVIII. *De Verbis Apostoli*, cap. VIII. *Modo (inquit) cum dicis mihi, Gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus sum? Male times, vane times? Non audeo, quando quidem ipse Dominus ablato timore, subjecit timorem; & ait, ubi dixit*, Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent, quid faciant: sed eum timete, qui habet potestatem, & corpus, & animam perdere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete. *Cum ergo Dominus timorem incusserit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum, Male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius times; nihil est, quod magis timere debeas. Sed interrogo te, si te non videret Deus, quando facis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide. Non enim potes ad verba omnia mea respondere, inspice teipsum. Faceres? Si faceres, ergo pœnam times, castitatem nondum amas, charitatem nondum habes: serviliter times; formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te; & sic volentem peccare animum interiorem non sinit. Est enim quidam custos timor, quasi Pedagogus legis; littera est minans, nondum gratia juvans. Custodiat tamen te timor iste, dum non facis timendo, & veniet charitas; intrat in cor tuum; & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat, ne faceres: charitas id agit, ut nolis facere, etiamsi impune possis admittere.* Timor itaque servilis, quo voluntas peccatum refugit, & aversatur eo nomine, quod peccantem obnoxium reddat pœnis a Deo justo Judice infligendis, utilis est, quia prohibet saltem opus externum peccati;

Necessitas Contritionis.

Matt. 10. 28.

Attritio servilis non est mala.

Timor disponit ad dilectionem.

cati: & ad charitatem disponit, removendo impedimenta. *Nisi enim timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem.* Initium sapientiæ timor Domini: *incipit ergo a vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de Sapientia*: Et torquem aureum circa tuam cervicem. *Non tibi imponeret torquem aureum, nisi primo in compedibus ferreis te alligasset. Cœpisti a timore, consummaris ad sapientiam*; (inquit *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum CXLIX.)

Psalm. 110. Prov. 1. 9.

Eamdem doctrinam pluribus in locis confirmat; scilicet Enarratione in Psalm. CXXVII. *Ille timor* (inquit) *nondum castus, præsentiam, & pœnas timet. Timore facit quicquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est.*

Et Lib. I. *Contra Adversarium Legis, & Prophetarum*; cap. XVI. *Salubriter non solum bonitatem, verum etiam severitatem Dei Sancta Scriptura commendat, quoniam & amatur Deus utiliter, & timetur*:

Propositionem nostram confirmat Synodus Tridentina, Sess. VI. Can. VIII. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; Anathema sit.* Quo Canone configitur error *Lutheri* asserentis, Timorem gehennæ malum esse, & hominem facere hypocritam. Contra quem & cap. IV. Sess. 14. declarat. *Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur; si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum; non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo Pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus Pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt.*

Error Lutheri.

Objicitur; Omnem motum, qui oritur ex cupiditate, malum esse: atqui timor gehennæ oritur ex cupiditate: timor enim, qui oritur ex amore creaturæ, oritur ex cupiditate: timor porro gehennæ, aliarumve pœnarum peccato debitarum oritur ex amore creaturæ: ideo enim gehennam, aliasve pœnas timet homo, quia se ipsum diligit. Timor itaque pœnarum malus est: ac proinde Attritio ex illo metu concepta non videtur esse utilis, nec ad justificationem disponere.

Servilis Attritio non est mala.

Objectionibus Hæreticorum respondetur,

Respondetur. Timorem gehennæ oriri ex amore creaturæ, in quo non quiescit, ut in fine ultimo. Unde non oritur ex cupiditate. Quod enim est ex impulsu Spiritus Sancti, nondum quidem inhabitantis, sed moventis, non est ex cupiditate; sed timor pœnarum quo peccator concussus ad divinam misericordiam confugit, est ex impulsu Spiritus Sancti, nondum quidem inhabitantis, sed moventis, ut docet Tridentina Synodus: non est igitur ex cupiditate. Neque vero omnis amor creaturæ & sui ipsius est inordinatus, cum ordo charitatis postulet, ut nos ipsos secundum Deum diligamus, & proximum sicut nosmetipsos; sed tunc solum est illicitus, cum in creatura sistit, & ad Deum, qui ultimus appetitus finis est, non refertur. Deinde quamvis timor gehennæ inordinatus oriatur ex amore creaturæ, non tamen ordinatus. Timor ordinatus est, quo plus culpa timetur quam pœna. Inordinatus, quo plus pœna timetur quam Dei offensa;

fensa; qui etiam servilis appellatur. At servilitas ista (ut ita loquar) vitium est timentium, non timoris ipsius. Sicut enim amor creaturarum, & appetitus naturalium bonorum per se bonus est, sed amantium vitio malus fit, quia hærent colligati creaturis, nec amando transeunt, quo eos transire Lex Dei jubet: ita non timoris, sed timentium vitium est, si in malis timendis ad finem ultimum non referant timorem, id est, ad finem charitatis de corde puro, de conscientia bona, & fide non ficta.

Objicitur secundo illud *S. Augustini* principium: *Inimicus est justitiæ, qui pœnæ timore non peccat*: timor itaque pœnarum malus est.

Respondetur, ex illo principio id minime sequi quod colligitur: non sequitur (inquam) timorem pœnæ malum esse, sed adhuc malum esse, qui serviliter timet; quia ita affectus est, ut peccare vellet, nisi Deus penas peccatori comminaretur: unde abstinet solum ab opere externo peccati, quia timor intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem. Ceterum timor paulatim cupiditatem domat, malamque consuetudinem frangit, ut *S. Augustinus* docet Serm. CLXXX. alias XXVIII. *De Verbis Apostoli*, cap. IX. *Ex quo* (inquit) *Deo servire cœpimus, & quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & veternosissimam consuetudinem timore frænavimus. Frænata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, & malæ consuetudini bona succedit*: Et infra: *Lingua facilitatem habet motus, in udo posita est, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius, & facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis; vigilabis, si timebis; timebis, si Christianum te esse cogitaveris*. Ita plerumque fit, *Ut Deo terrente, & hortante, convertente, & implente, humanus in melius mutetur affectus ..... Et quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum* (ut loquitur *S. Augustinus* Lib. II. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. XIX.)

Objicitur tertio; Timor qui expellitur a charitate malus est: sed *Perfecta charitas foras mittit timorem* (ut docet Apostolus *S. Joannes* Epist. I. cap. IV.) Timor itaque penarum malus est.

Respondetur, primam Propositionem falsam esse. Non enim quicquid expellitur a charitate, ipsi per se contrarium est, & secundum substantiam (ut ita loquamur) sed secundum statum dumtaxat, & perfectionem, Peccatum expellitur, & aboletur a charitate, ut per se ipsi contrarium; timor vero ab eadem expellitur, ut contrarius ejus perfectioni. Unde non sequitur, timorem pœnæ esse per se malum, sed solum imperfectum. Charitas autem hunc timorem expellens, adducit alium perfectiorem, scilicet timorem castum, manentem in sæculum sæculi. Id egregie *S. Augustinus* explicat, Sermone CLXI. alias XVIII. *De Verbis Apostoli*, cap. IX. *Sectamini charitatem* (inquit) „ intret charitas, admittite illam, timendo peccare, admittite amorem non peccantem, admittite amorem bene viventem. Illa intrante, incipit timor exire. Quanto plus illa intraverit, tanto timor minor erit. Cum illa tota intraverit, nullus timor erit: quia perfecta charitas foras mittit timorem. Intrat ergo charitas, pellit timorem. Non autem intrat & ipsa incomitata. Habet secum suum timorem, quem introducit ipsa; sed illum castum, permanentem in sæculum sæculi. Servilis timor est, quo times cum diabolo ardere; timor castus est, quo times Deo displicere. Considerate, Charissimi, & ipsos humanos interrogate affectus. Timet servus offendere Dominum suum, ne jubeat eum verberari, jubeat in compedes mitti, jubeat carcere includi, jubeat eum pistrino conteri. Hæc timens servus non peccat: sed quando senserit absentes oculos Domini sui, nec habuerit testem, a quo possit convinci, facit. Quare facit? Quia pœnam timebat, non justitiam

Timoris servilis, & timoris casti discrimen

„ tiam

,, tiam diligebat. Vir autem bonus, vir justus, homo liber .... delectatur
,, ipsa justitia: & si possit sine teste peccare, testem reformidat, & Deum:
,, & si possit audire Deum dicentem sibi, Video te, cum peccas, non te
,, damnabo, sed displices mihi: ille nolens displicere oculis Patris, non
,, formidolosi Judicis, timet, non ne damnetur, non ne puniatur, non ne
,, crucietur, sed ne offendat gaudium paternum, ne displiceat oculis aman-
,, tis. Si enim amat ipse, & amantem sui Dominum sentit, non facit,
,, quod displicet amanti se. *Eamdem doctrinam luculento exemplo explicat*
,, *cap. x* Lubricos (*inquit*) & inhonestos amatores attendite; si quis amore
,, fœminæ lascivus, & nequam vestit se aliter, quam illi placet, vestit
,, se aliter, quam amatæ suæ placet, aut ornat se aliter, quam illi pla-
,, cet: illa dixerit, Nolo habeas talem byrrhum; non habet: si per hye-
,, mem illi dicat, In lacerna te amo; eligit tremere, quam displicere.
,, Numquid illa, cui displicet, damnatura est? Numquid in carcerem mis-
,, sura? Numquid tortores adhibitura? Hoc solum ibi timetur, Non te vi-
,, debo: hoc solum ibi contremiscitur, Faciem meam non videbis. Si hoc
,, impudica dicit, & terret: Deus dicit, & non terret? Sane plurimum,
,, sed si amamus. Si autem non amamus, non inde terremur, sed terre-
,, mur ut servi, de igne, de gehenna, de atrocissimis tartareis minis, de
,, exaggeratissimis diaboli angelis, ejusque suppliciis. Vel inde terreamur.
,, Si illud minus amamus, vel illa timeamus.

Timor locum præparat charitati.

Non minus perspicue id explicat Tract. IX. in Epistolam S. Joannis. *Ergo* (inquit) *timor non est in charitate. Sed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo?* Sed perfecta, *inquit*, charitas foras mittit timorem. Ergo

Eccl. I.

,, incipiat timor: quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi lo-
,, cum præparat charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pelli-
,, tur timor, qui ei præparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille
,, decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major cha-
,, ritas, minor timor: minor charitas, major timor. Si autem nullus ti-
,, mor, non est, qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci
,, linum: quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non suc-
,, cedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet
,, timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.... Stimulat timor:
,, sed noli timere, intrat charitas, quæ sana, quod vulnerat timor. Ti-
,, mor Dei sic vulnerat, quomodo Medici ferramentum putredinem tollit,
,, & quasi videtur vulnus augere. Ecce putredo quando erat in corpore,
,, minus erat vulnus, sed periculosum: accedit ferramentum Medici; mi-
,, nus dolebat illud vulnus, quam dolet modo cum secatur. Plus dolet,
,, cum curatur, quam si non curaretur: sed ideo plus dolet accedente me-
,, dicina, ut numquam doleat succedente salute. Occupet ergo cor tuum
,, timor, ut inducat charitatem: succedat cicatrix ferramento Medici.
,, Talis est Medicus, ut nec cicatrices appareant: tu tantum subde te
,, dexteræ ipsius. Nam si sine timore es, non poteris justificari ..... Opus
,, est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat charitas. Timor me-
,, dicamentum, Charitas sanitas.

PRO-

PROPOSITIO VI.

Utrum Attritio ex ſolo pœnarum metu concepta nullumque Dei amorem includens, cum Sacramento ſufficiat ad juſtificationem peccatoris: an Dei amorem ſuper omnia includere debeat neceſſario: quæſtio eſt ſummam Fidei non ſpectans.

Utrum Attritio ſine Dei amore inchoato ſufficiat cum Sacramento.

DE illa enim etiamnum diſputant Catholici Theologi: nec affirmans, negansve ſententia ex Scriptura, vel Traditione certo, & aperte colligitur: nec a Synodo Tridentina, aut altero Eccleſiæ Judicio finita eſt. Synodi namque Tridentinæ tempore, nulla ea de re Catholicos inter, & Hæreticos erat controverſia. Unde id unum Sacra Synodus contra Lutherum pronuntiavit, & declaravit, *Eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, eſſe verum, & utilem dolorem; præparare ad gratiam;* nec *facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illum* non *eſſe dolorem coactum*, ſed *liberum, ac voluntarium*: contrariumque ſentientes, & aſſerentes Anathemate confixit.

Concilium Tridentinum Quæſtionem illam non finivit.

,, Id confirmat Cardinalis *Palavicinus* in Hiſtoria Concilii Tridentini,
,, Lib XII. cap. x. ubi refert hanc fuiſſe Theologorum Tridentinorum men-
,, tem, ut error Hæreticorum damnaretur, tanquam inhoneſtum improban-
,, tium pœnæ timorem; non item, ut ferrent, ſententiam de Scholaſtica
,, Quæſtione, an hujuſmodi timor non ſolum abſque contritione animi per-
,, fecta (de quo controverſia vix fuit) ſed etiam abſque eo, quod ullus ex-
,, citetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum remiſſionem in Sacra-
,, mento. Id vero clare liquet ex ipſa probatione Concilii, qua hujus Ar-
,, ticuli doctrinam firmat Capite quarto; nimirum, Ninivitarum Pœniten-
,, tiam ex timore profectam ipſis profuiſſe; cum certum eſſet, eo tempo-
,, re, quo Sacramentum Pœnitentiæ adhuc non extabat, eam formidolo-
,, ſam Pœnitentiam minime ſuffeciſſe per ſe ipſam ad peccatum delendum;
,, ſed vim tantummodo habuiſſe ad impetrandam novam gratiam, cujus o-
,, pe adjiceretur charitatis affectus, quem omnes neceſſarium fuiſſe fatentur
,, ante Novam Legem ad juſtitiam recipiendam. Addit *Palavicinus*, in Pa-
,, trum Conventu id paucos attigiſſe. Aliquod dumtaxat veſtigium opinio-
,, nis negantis neceſſitatem amoris, inveniri in iis, quæ Granatenſis diſpu-
,, tavit. At vero *Joannem Æmilianum*, Hiſpanienſem, Tudetanum Antiſti-
,, tem, extremum oppoſitæ ſententiæ tenuiſſe: hoc eſt, opus eſſe Contri-
,, tione perfecta; nec tamen hinc argui per Sacramentum peccata non re-
,, mitti, quippe, quæ jam invenit remiſſa præeuntis Contritionis efficaci-
,, tate: ſiquidem, ajebat, Ipſa Contritio id præſtat virtute Sacramenti, cu-
,, jus votum in ea continetur. Addit Illuſtris Hiſtoricus, Poſtea decretis
,, doctrinam complexis verba hæc fuiſſe adjecta, *Illam Contritionem, quam Theologi Attritionem vocant, quod imperfecta ſit, & ſolum vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, qui ſervilis timor dicitur, concipiatur, ſi voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque de commiſſis delictis exprimat, ſtatuit hæc Sancta Synodus, & declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem (ut quidam blaſphemare non verentur) verum etiam ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem, ac donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum veriſſimum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis quo Pœnitens ad-*

jutus,

jutus, cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat, viam ſibi ad juſtitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam diſponitur. „ Sed laudatus Epiſcopus monuit, falſo dici, hujuſmodi dolorem ſine amo„ re vix unquam concipi poſſe; quod autem hæc Attritio ſatis eſſet Sacra„ mento conſtituendo, variare Auctorum ſententias, adeoque id eſſe tol„ lendum: quamobrem Decretum, ſicuti nunc extat, reformatum eſt.

Neutri ſententiæ inurenda cenſura.

Poſt Synodum Tridentinam Theologi hanc, vel illam partem libere propugnarunt. Denique contentione ea de re in Belgio fervente, & ad Sedem Apoſtolicam relata, Summus Pontifex *Alexander VII.* Decreto edito die quinta Maii, anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi ſeptimi: In „ virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pęna Excommunicationis latæ ſenten„ tiæ Sanctæ Sedi reſervatæ, aliiſque pęnis ejuſdem Sanctæ Sedis arbitrio „ taxandis, præcepit cunctis, & ſingulis Fidelibus, quocumque gradu, & „ dignitate, Epiſcopali, & majori, imo & Cardinalitia fulgentibus, ut ſi „ deinceps de materia Attritionis ſcribent, vel Libros edent, vel doce„ bunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes, aut Scholares, „ ceterosve erudient, non audeant alicujus Theologicæ Cenſuræ, alteriuſ„ ve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam, *Sive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur: ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.*

PROPOSITIO VII.

Attritionem ſine Dei amore, ſaltem inchoato, ad juſtificationem peccatoris in Sacramento non ſufficere, probabilius eſt.

Joel 2. Jerem. 29. 13. 2. Reg. 8.

ID probatur primo ex Propheticis Oraculis, quæ homines ad meliorem frugem adhortantur his verbis ex perſona Dei prolatis, *Convertimini ad me in toto corde veſtro .... Quæretis me, & invenietis, cum quæſieritis me in toto corde veſtro .... Si peccaverint tibi, & reverſi fuerint ad te in univerſo corde ſuo, tu propitiaberis populo tuo.* Atqui ex toto corde ad Deum non convertitur, niſi, qui Deum amat. Cum enim cor peccatoris a Deo averſum, amore conglutinatum ſit creaturis, neceſſe eſt, ut a creatura abſtrahatur, & amore Deo adhæreſcat, ut vere converſus dici poſſit. Cum namque cupiditas charitate ſola minuatur, aut perimatur, & peccator ſit unuſquiſque quamdiu dominatur ipſi cupiditas: conſequens eſt neminem hominem a ſtatu peccati ad ſtatum juſtitiæ transferri, niſi vi, & beneficio charitatis.

Amoris Dei neceſſitas ad juſtificationem, etiam in Sacramento, probatur ex Scriptura Sacra.

Idem colligitur ex verbis Chriſti de Muliere peccatrice, Luc. VII. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Dilectionem eſſe menſuram remiſſionis peccatorum Salvator noſter his verbis ſignificat: ita ut illi minus remittatur, qui minus diligit; illi multa condonentur, qui multum diligit: adeoque nihil illi remittatur, qui non diligit.

Idem confirmatur ex illis Domini noſtri verbis, Joannis XIV. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Nemo porro Dei gratiam impetrat per Sacramentum, niſi a Deo diligatur: nemo itaque juſtificatur etiam in Sacramento, niſi Deum diligat.

Confirmatur & Apoſtolorum teſtimoniis I. ad Corinthios ultimo: *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit Anathema.* Et I. Joan. III. *Qui non diligit, manet in morte.* Quomodo autem juſtus quis cenſeri

poteſt,

poteſt, qui coram Domino eſt anathema, & in morte peccati manet? Nemo ergo juſtus eſſe poteſt, niſi amet Dominum Jeſum.

Probatur ſecundo Propoſitio luculentiſſimo *S. Auguſtini* principio. Sincera converſio nulla eſt, niſi peccandi voluntas deponatur, & nova ſecundum Chriſtum vita inchoetur. Voluntas porro peccandi non deponitur, niſi quis juſtitiam, id eſt, Deum ipſum amet: neque novam vitam auſpicatur quandiu ſolo timore pœnæ abſtinet a peccato: ſiquidem timor ille ab opere quidem peccati revocat, ſed affectionem animi a peccato non avertit: Juſtus itaque nullus homo eſſe poteſt, niſi Dei amore a peccato abſtineat. Præclarum illud principium tradit *S. Auguſtinus*, Libro *De Spiritu*, *&* *Littera*, cap. VIII. ubi de Judæis ſic loquitur: „ Illis Lex iram operabatur, abundante „ peccato, quod a ſcientibus perpetrabatur: quia & quicunque faciebant, „ quod Lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiuſque ex illo „ rei tenebantur, quod eos noverat malle, ſi fieri poſſet, impune „ committere.

Amoris Dei neceſſitas ad juſtificationem, etiam in Sacramento, invicte probatur ex S. Auguſtino, & aliis Patribus.

De Contritione.

Et cap. XIV. Mandatum ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter: & ideo nec fit: non enim fructus eſt bonus, qui „ de charitatis radice non ſurgit.

Idem, cap. XIX. Ex hac promiſſione, hoc eſt, Dei beneficio, Lex impletur, ſine qua promiſſione prævaricatores facit, vel uſque ad effectum mali operis, ſi etiam repagula timoris concupiſcentiæ flamma tranſcenderit, vel certa in ſola voluntate, ſi timor pœnæ ſuavitatem libidinis vicerit.

Illud ipſum inculcat Libro *De Natura*, & *Gratia*, cap. LVII. *Sub lege eſt* (inquit) „ qui timore ſupplicii, quod Lex minatur, non amore juſtitiæ, „ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipſa enim voluntate reus eſt, qua mallet, ſi fieri „ poſſet, non eſſe, quod timeat, ut libere faciat, quod occulte deſiderat. „ Ergo ſi Spiritu, inquit, ducimini, non adhuc eſtis ſub Lege: utique Lege, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem: quia Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per Legis litteram, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Hæc eſt lex libertatis; non ſervitutis; quia „ charitatis utique, non timoris.

Et Lib. III. Ad *Bonifacium* contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. IV. veteribus Judæis rurſus ait: „ Illi etiam quicumque ibi erant, ſola quæ ibi „ Deus pollicetur terrena promiſſa ſectantes, & quid pro Novo Teſtamento ea ipſa ſignificent, ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, & „ amittendorum timore, Dei præcepta ſervabant: imo non ſervabant, ſed „ ſibi ſervare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas, metuſque carnalis. Sic autem præcepta qui „ facit, proculdubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit: mavult „ enim omnino non facere, ſi ſecundum ea, quæ cupit, & metuit, permittatur impune. Ac per hoc in ipſa voluntate intus eſt reus, ubi ipſe, „ qui præcipit, inſpicit Deus.

Idem confirmat diſertiſſimis verbis Epiſtola CXLV. alias CXLIV. ad Anaſtaſium: *Inaniter* (inquit) „ putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etſi non implctur foris negotium malæ cupiditatis, „ ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens „ invenitur, qui vult fieri, quod vetatur, ſi ſubtrahas, quod timetur? Ac „ per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere, quod non licet fieri,

„ ſed

„ sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Nam quantum in ipso „ est, malle non esse justitiam peccata prohibentem, atque punientem. Et „ utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit, quod eam, si pos„ set, auferret? Ac per hoc quomodo justus est, justitiæ talis inimicus, ut „ eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem, vel „ judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnę timore non pec„ cat; amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim vere ti„ mebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ar„ dere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas o„ dit.... Tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit, „ quod non poterit Lege terrente per litteram, sed Spiritu sanante per „ gratiam.

Et Enarratione in Psalm. LXXVII. observat Prophetam de veteribus Judæis maluisse dicere, „ In Lege ejus noluerunt ambulare, *quam*, Non am„ bulaverunt. Poterat enim putari lex operum quasi sufficere ad justifica„ tionem, cum ea, quæ præcipiuntur, forinsecus fiunt ab eis hominibus, „ qui mallent non præcipi, quod non ex corde faciunt, & tamen fa„ ciunt; ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed nolunt am„ bulare: non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fie„ ri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ. Nam quan„ tum attinet ad facta, quæ forinsecus aguntur, & qui timent pœnam, „ & qui amant justitiam non furantur; & ideo pares sunt manu, dispa„ res corde; pares opere, dispares voluntate.

De Contritione.

Et Concione XXV. in Psal. CXVIII. ad illa verba, „ Confige timore tuo „ carnes meas, *ait*: Timor iste, quo non amatur justitia, sed timetur pę„ na, servilis est, quia carnalis est; & ideo non crucifigit carnem. Vivit „ enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur „ impunitas. Cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit: vivit ta„ men. Mallet enim licere, & dolet non licere, quod Lex vetat: quia „ non spiritaliter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit, quod „ minatur. Timore autem casto ipsa, quæ hunc timorem foras mittit, „ peccare timet charitas, etiamsi sequatur impunitas; quia nec impuni„ tatem judicat secuturam, quando amore justitiæ peccatum ipsum depu„ tat pœnam. Tali timore carnes crucifiguntur, quoniam carnales de le„ ctationes, quæ Legis littera vetantur potius, quam vitantur, spiritua„ lium bonorum delectatione vincuntur, & eadem usque ad perfectionem „ crescente victoria perimuntur.

Item Sermone CLXIX. alias XV. *De Verbis* Apostoli, cap. VI. insigni exemplo hanc doctrinam explicat. „ Lege Dei proposita (*inquit*) exceptis illis „ carnalibus Sacramentis, quæ fuerunt umbræ futurorum; Lege Dei pro„ posita quisquis timuerit, & suis viribus eam implere se posse putave„ rit, & fecerit, quod Lex jubet, non amando justitiam, sed timendo „ pœnam; fuit quidem secundum justitiam, quæ ex Lege est homo sine „ querela; non furatur, non adulterat, non dicit falsum testimonium, „ non concupiscit rem proximi sui: potest hoc: potest fortassis, unde? „ Timore pœnæ. Quamquam, qui timore pœnæ non concupiscit, puto „ quia concupiscit. Terrore ingenti armorum, atque telorum, & circum„ dantis forsitan multitudinis, vel obviam euntis, etiam leo revocatur a „ præda: & tamen leo venit, leo redit; prædam non rapuit, non mali„ tiam posuit. Si talis es, adhuc justitia est, quia justitia tibi consulis, „ ne torquearis. Quid magnum est, pœnam timere? Quis eam non ti„ met? Quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter

time-

„ timorem tuum, timoremque latronis quod latro timet leges hominum, „ & ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum: tu au- „ tem leges ejus times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, „ quid non fecisses? Ergo & concupiscentiam tuam non amor tollit, sed „ timor premit. Ad ovile venit lupus: latratu canum, & clamore pasto- „ rum ab ovili reversus est lupus: ipse tamen semper est lupus. In ovem „ vertatur. Facit enim & hoc Dominus: sed ipsa est justitia ejus, non tua. „ Nam quandiu habes tuam, potes timere pœnam, non amare justitiam. Ex quibus colligitur, affectum peccati non deponi, cum solo timore pœnæ correptus homo a peccato abstinet, sed opus esse, ut amor Dei cor hominis ad ipsum convertat.

Idem inculcat Serm. 179. alias 19. *De Verbis Apostoli*, c. VIII. *Quid est magnum*, inquit, „ timere malum? Magnum est, non facere malum: magnum est, amare „ bonum. Nam & latro timet malum; & ubi non potest, non facit: & tamen „ latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile „ ovium, quærit invadere, quærit jugulare, quærit devorare: vigilant pastores, „ latrant canes: nihil potest, non aufert, non occidit; sed tamen lupus „ venit, lupus redit. Nunquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, „ & ovis redit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens: lupus est ta- „ men & fremens, & tremens. Interroga ergo te quisquis vis judicare; „ & vide si tunc non facis male, quando potes facere, & ab homine non „ puniri: tunc times Deum. Nemo est ibi, nisi tu, & ille, cui facis ma- „ lum, & Deus, qui ambos videt: Vide, ibi time. Parum est, quod di- „ co, Vide, ibi time malum: ibi ama bonum. Nam etiamsi timore ge- „ hennæ non facis malum, nondum es perfectus. Audeo dicere, si timo- „ re gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, quia credis fu- „ turum Dei esse judicium: gaudeo fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ „ tuæ. Quid est quod dixi? Quia si timore gehennæ non facis malum, „ non amore justitiæ facis bonum. Ex quibus rursus colligo, hominis peccatoris voluntatem timore pœnæ non immutari, sicut nec lupi immanis indoles timore immutatur. Et sicut lupus latrantibus canibus timore perculsus, & intactis ovibus fugiens, non ideo fit ovis, sed plus manet; ita peccator Concionatorum Judicii divini minas exaggerantium verbis perterrefactus, etsi abstineat aliquandiu ab opere peccati, non fit justus, si solo timore abstineat; sed necesse est, ut amore justitiæ succensus peccatum execretur.

De Contritione.

Probatur tertio Propositio aliorum Patrum testimoniis, qui *Sancto Augustino* in eadem asserenda veritate præiverunt, vel ipsum secuti sunt. Præivit *S. Jo: Chrysostomus*, Hom. IV. in Epistolam II. ad Corinth. *Cum peccaveris* (inquit) *ingemisce, non quod pœnas daturus sis nihil enim hoc est, sed quod Dominum tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum offenderis, ut Filium quoque suum tua causa tradiderit. Nec nunc lætum, cras autem mæstum, ac rursum lætum te præbe, verum perpetuo in luctu, ac Contritione tui mane.*

Secuti sunt, *Sanctus Petrus Chrysologus*, Serm. 94. *Audisti* (inquit) *quemadmodum cœlestis Creditor totum debitum charitate compensat, & ad incrementum totius fœnoris Amoris solius exigit, & requirit usuram. Plectendus debitor, qui dilectione sola suam negligit redimere cautionem. Vis scire, homo, quid Deo debeas? Quod factus es, Dei creditum est: quod es rationis capax, Dei fœnus est: quod discretionem boni, malive possides, accepisti: & quod vivendi normam acceperis, per chirographum legis stipulanti Deo spopondisse te, non potes diffiteri. Sed dum te per vitia carnis in lutum instar suis demergis, & quadrupedum more vivens, qua præditus es ratione priva-*

ris, & in gurgite criminum, boni, malive perdita discretione, confundis, & divinæ legis substantiam dissipas, mundana voluptate captivus, factus es gloriosi fœnoris debitor luctuosus: cui deficientibus virtutum lucris, criminum multiplicatur usura. Sed licet in hac re cecideris, licet fueris in ista devolutus, vide ne desperes: homo, remansit tibi unde piissimo satisfacias Creditori. Absolvi vis? Ama. *Charitas cooperiet multitudinem peccatorum.....Ama ergo homo Deum, & ama totus, ut possis omnia sine labore vincere peccata.*

S. Leo, Serm. xc. qui septimus est *De Jejunio Septimi Mensis*, cap. 1. *Quamvis* (inquit) *varietas hostiarum, differentia baptismatum, & otia sabbatorum, cum ipsa carnis circumcisione cessaverint: manent tamen ex ipsis Voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia. Et cum inde dicatur:*
Matth. 22. „ Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & Diliges proxi-
„ mum tuum sicut te ipsum, *Christo Domino dicente cognoscimus, quod* in
„ his duobus mandatis tota Lex pendet, & Prophetæ. *Tantaque est sub hujus geminæ Charitatis edicto utriusque copula Testamenti, ut sine istarum connexione virtutum, nec Lex quemquam inveniatur justificasse, nec Gratia.*
De Contritione. Quibus verbis non obscure significat, neminem unquam justificatum fuisse, sive tempore Legis Mosaicæ, sive tempore Legis Evangelicæ, absque amore Dei.

S. Gregorius Magnus Hom. xxvi. in Evangelia: „ Videndum (*inquit*)
„ quæ culpa præcessit, aut quæ sit Pœnitentia secuta post culpam, ut
„ quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pasto-
„ ris sententia absolvat. Tunc enim vera est Absolutio Præsidentis, cum
„ æterni arbitrium sequitur Judicis. Ibidem ait, Sacerdotes illos debere solvere, quos noverunt Dominum *per suscitantem gratiam vivificare*. Ex quibus colligitur, necessarium esse ad justificationem, ut peccator jam sit suscitatus a peccandi affectu, & novam vitam agere incipiat: quod fieri cum non possit absque Dei amore, secundum illud 1. Joan. III. *Qui non diligit; manet in morte*; amor Dei saltem inchoatus omnino necessarius esse videtur ad justificationem etiam per Sacramentum Pœnitentiæ consequendam.

Et Lib. IX. *in Job cap.* XXII. *explicans illa verba*: „ Auferet a me vir-
„ gam suam, & pavor ejus non me terreat; *ait*: A peccati morte timor
„ nos suscitare non valuit, sed ad statum vitæ aspirata mansuetudinis
„ gratia reduxit. Quod bene in Elisæo Sunamitis filium suscitante signa-
„ tur: qui cum baculo puerum mittens, extincto filio vitam minime red-
„ didit; per semetipsum vero veniens, seque super mortuum sternens, at-
„ que ad ejus membra se colligens, huc illucque deambulans, & in ore
„ mortui septies aspirans, hunc ad redivivam lucem protinus per mini-
„ sterium compassionis animavit. Auctor quippe humani generis Deus,
„ quasi mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo mi-
„ seratus aspexit. Et quia per Moysen terrorem Legis protulit, quasi per
„ puerum virgam misit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non va-
Hebr. 7. „ luit, quia Paulo attestante: *Nihil ad perfectum adduxit Lex*. Ipse au-
„ tem per semetipsum veniens, & super cadaver humiliter se sternens,
Philipp. 25. ad exequenda sibi mortui membra se collegit, quia *Cum in forma Dei es-*
„ *set, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exina-*
„ *nivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu*
„ *inventus ut homo*. Huc illucque deambulat, quia & Judæam juxta, &
„ longe positas Gentes vocat. Super mortuum septies oscitat, quia per
„ apertionem divini muneris, gratiæ septiformis Spiritum in peccati mor-
„ te jacentibus aspirat. Moxque vivens erigitur: quia is, quem terroris

„ virga

„ virga suscitare non potuit, per Amoris Spiritum puer ad vitam rediit.
„ Dicat itaque Beatus Job ex sua, dicat ex voce humani generis: *Auferat a me virgam suam, & pavor ejus non me terreat: loquar, & non timebo.* Ubi & apte subjungitur: *Neque enim possum metuens respondere.*
„ Respondere quippe cuilibet dicimur, cum factis illius digna opera rependamus. Deo ergo respondere, est donis ejus præcedentibus nostra obsequia reddere. Rectum Deus hominem condidit, eumque ad perversa defluentem cum longanimitate toleravit. Quotidie culpas aspicit, & tamen vivendi spatia non citius abscindit. Dona largitur benignitate sua, & erga malos utitur patientia sua. Respondere homo tot beneficiis debet; sed tamen respondere metuens non valet, quia humani generis Conditorem, qui adhuc serviliter formidat proculdubio non amat. Nam tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus; cum nos ad bona opera affectus, non metus dirigit; cum malum nostræ menti jam non placet, etiamsi liceat. Nam qui a perversitatis opere ex timore restringitur, perversa libenter ageret, si liceret. Nequaquam ergo veraciter rectus est. Bene itaque dicitur: *Neque enim possum metuens respondere*: Quia vere obsequia Deo non reddimus, si ex timore mandatis illius, & non potius ex amore servimus. De Con- tione.

Et Lib. 1. *Moralium*, cap. XI. *Sancta Ecclesia* (inquit) „ simplicitatis suæ vias timore inchoat, sed charitate consumat. Cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum vero adhuc timore bona agit, a malo penitus non recessit: quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inulte potuisset.

Auctor Sermonis inter Augustinianos olim VII. *De Tempore*, nunc CXVII. in Appendice: *Pœnitentiam*, inquit, *certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.*

Auctor Commentariorum in Libros Regum sub *Sancti Gregorii Magni* nomine editorum, Lib. II. cap. III. interiorem hominem in Sacramento Pœnitentiæ non renovari asserit nisi per amorem justitiæ, & affectionem charitatis. „ Conversio peccatoris, *inquit*, non est in humilitate Confessionis, sed in renovatione interioris hominis, cum peccatori jam divina inspiratione correcto & malum displicet, quod amavit, & bonum placet, quod odit. Nam sunt nonnulli, qui se & de nequitia accusant criminis, & pravitatem non corrigunt voluntatis, qui profecto converti ad Dominum non creduntur: quia vera conversio in ore non accipitur, sed in corde. Converti etenim simul verti est. Conversio itaque peccatoris vera tunc est, cum ad Creatoris nostri beneplacitum uterque noster homo reducitur; cum & caro nostra per iniquitatis odium cohibetur a perpetratione facinoris, & per amorem justitiæ mens se extendit ad intentionem bonæ operationis. *Et infra:* Ex vi conversionis magnitudo deletur criminis. Vis autem conversionis est infusio charitatis cordi infusæ visitatione Sancti Spiritus.

Sanctus Isidorus Hispalensis Lib. II. *Sententiarum*, cap. XXI. *Qui sola* (inquit) „ pœna supplicii in se vitia reprimit quamvis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi: doletque sibi esse illicitum, quod lex prohibere dignoscitur. Ille ergo mercedem boni operis percipit, qui amando justitiam facit, non is, qui eam solo metu pœnarum invitus custodit.

Sanctus Bernardus, Tract. *De Diligendo Deo*, cap. XII. *Est* (inquit) qui confitetur Domino, quoniam potens est: est & qui confitetur Domino, quoniam sibi bonus est: & item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius est, & cupit sibi: tertius filius est, & defert patri. Itaque & qui timet, & cupit, utrique pro

„ ſe agunt: ſola, quæ in filio eſt, charitas non quærit, quæ ſua ſunt. Qua-
„ mobrem puto de illa dictum: *Lex Domini immaculata, convertens animas*:
„ quod ſola videlicet ſit, quæ ab amore ſui, & mundi avertere poſſit animam,
„ & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertunt
„ animam: mutant internum vultum, vel actum, affectum nunquam. Facit
„ quidem nonnunquam, & ſervus opus Dei, ſed quia non ſponte, in ſua ad-
„ huc duritia permanere cognoſcitur: facit & mercenarius, ſed quia non gra-
„ tis, propria trahi cupiditate convincitur... Sit itaque ſervo ſua lex timor
„ ipſe, quo conſtringitur: ſit mercenario ſua cupiditas, qua & ipſe arctatur,
„ quando ab ipſa tentatur abſtractus, & illectus: ſed harum nulla, aut ſine ma-
„ cula eſt, aut animas convertere poteſt. Charitas vero convertit animas,
„ quas facit, & voluntarias.

Pſalm. 18. 8.

Ad Patres laudatos accedit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, diſt. XX. q. I. art. I. q. I. in Reſponſione ad primum. *Antiochus* (inquit) veniam conſecutus fuiſſet,
„ ſi vere pœnituiſſet: ſed non habuit veram Pœnitentiam, quia non ex amore ju-
„ ſtitiæ de peccatis commiſſis dolebat; ſed timore pœnæ, quam expectabat,
„ vel dolore pœnæ, quam ſuſtinebat. Et hoc etiam multis in fine Pœnitenti-
„ bus contingit; quia non eſt facile, ut affectus quem homo toto tempore vi-
„ tæ ſuæ inclinavit in aliquid, ſubito ad contrarium retrahatur.

Amoris Dei neceſſitas ad juſtificationem, etiam in Sacramento probatur ex S. Thoma

Et Lib. IV. *Contra Gentes*, cap. LXXII. *Primum* (inquit) quod in Pœnitentia
„ requiritur, eſt ordinatio mentis, ut ſcilicet mens convertatur ad Deum, &
„ vertatur a peccato, dolens de commiſſo, & proponens non committendum,
„ quod eſt de ratione contritionis. Hæc vero mentis reordinatio ſine gratia eſ-
„ ſe non poteſt: nam mens noſtra debite ad Deum converti non poteſt ſine cha-
„ ritate: charitas autem ſine gratia haberi non poteſt.

Item in Quæſtionibus Diſputatis, q. VII. art. XI. in Reſponſione ad tertium. *Ejuſdem* (inquit) *rationis eſt, quod voluntas feratur in appetitum contrarii, & in deteſtationem alterius. Nullus autem uſum habens liberi arbitrii poteſt inchoare novam vitam, quæ eſt per gratiæ infuſionem, niſi amet, & appetat gratiæ bonum: & ideo oportet, quod deteſtetur omne malum repugnans*. Item I. 2. q. CXIII. art. IV. cum præmiſiſſet, Ad juſtificationem impii requiri motum mentis, quo convertitur in Deum, eamque converſionem fieri per fidem, ſubdit in Reſponſione ad primum: *Motus fidei non eſt perfectus, niſi ſit charitate informatus. Unde ſimul in juſtificatione impii, cum motu fidei eſt etiam motus charitatis. Movetur autem liberum arbitrium in Deum ad hoc, ut ei ſe ſubjiciat: unde etiam concurrit actus timoris filialis, & actus humilitatis*.

Et III. p. quæſt. LXXXV. art. VI. *Actus*, inquit, *virtutis Pœnitentiæ eſt contra peccatum ex amore Dei*.

Ejuſdem Quæſtionis Art. V. quinque actus eſſe docet, quibus Deo in Pœnitentia operanti *Diſpoſitive* cooperamur: quorum actuum primum principium eſt Dei operatio convertentis cor, ſecundum illud: *Converte nos Domine, ad te, & convertemur*. Primus actus eſt *Motus fidei*. Secundus eſt *Motus timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum a peccatis retrahitur*. Tertius eſt *Motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi*. Quartus eſt *Motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſe ipſum, & non jam propter ſupplicia*. Quintus eſt *Motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam*, ideſt, vitæ melioris propoſitum, & ſatisfactionem, *Deo voluntarius offert*. Igitur *Actus Pœnitentiæ a timore ſervili procedit ſicut a primo motu affectus ad hoc ordinato: a timore autem filiali ſicut ab immediato, & proximo principio*. Peccatum in Sacramenti ſuſceptione remitti non poteſt ſine actu Pœnitentiæ: actus vero Pœnitentiæ eſt a timore filiali ſicut ab immediato, & proximo principio: cum itaque timor filialis

ſit

fit a charitate; actus Pœnitentiæ sine charitate saltem inchoata esse non potest.

Art. III. ejusdem Quæstionis docet, Pœnitentiam virtutem specialem non esse eo solum nomine, quod sit dolor de malo perpetrato, (ad hoc enim sufficeret charitas) *Sed ex eo, quod Pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei; cum emendationis proposito.* Dolor porro de peccato quatenus est offensa Dei, oritur ex charitate. Unde in Responsione ad quartum asserit: Pœnitentiam, quatenus est justitia quædam hominis ad Deum, participare ea, quæ sunt Virtutum Theologicarum. Quamobrem *Pœnitentia est, cum fide Passionis Christi, per quam justificamur a peccato, & cum spe veniæ: & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem.*

Et Art. II. Pœnitentiam specialem virtutem esse probat, quia in illa invenitur specialis ratio actus laudabilis, *Scilicet: Operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa.* Et in Responsione ad primum: *Si ergo in actu Pœnitentiæ consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet: sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate.* Veram itaque Pœnitentiam charitati saltem inchoatæ individuo fœdere conjunctam docet *Sanctus Thomas.* De Contritione.

Idem confirmat quæst. LXXXVI. art. III. *Peccatum mortale,* (inquit) *non potest sine vera Pœnitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum, in quantum est contra Deum. Quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus. Unde non potest esse vere Pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ Pœnitentiæ) sequeretur, quod de omnibus peccatis pœniteret.* Veræ igitur Pœnitentiæ character est, secundum *S. Thomam* ut sit dolor de peccato, quatenus est contra Deum super omnia dilectum.

Quæstione tandem tertia, Supplementi; Art. I. Contritionem dolorum omnium maximum esse debere probat, quia *Omnis dolor in amore fundatur: amor* autem *charitatis, in quo fundatur dolor Contritionis, est maximus.* Ex quibus colligitur, sincerum non esse dolorem de peccatis conceptum, neque ad justificationem sufficere, etiam cum Sacramento, nisi in amore Dei fundetur.

His, ut opinor, momentis adducti Sacræ Synodi Tridentinæ Patres, (quamvis Quæstionem, quam tractamus, finire noluerint) Sententiæ tamen amoris divini, saltem inchoati necessitatem ad justificationem peccatoris, etiam in Sacramento Pœnitentiæ, asserenti, & Attritionem ex solo pœnæ timore conceptam, vel cum ipso Sacramento sufficere neganti, non obscure faverunt. Docet nimirum Sacra Synodus, sess. VI. cap. VI. Homines adultos justificari, *Dum peccatores se esse intelligentes a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Ex quibus colligitur, inter dispositiones ad justificationem necessarias a Concil. Tridentino inchoatum Dei amorem postulari. Qui quidem non est merus amor spei, sed benevolentiæ, quo Deus super omnia diligitur. Præter spem enim, in quam peccatores eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, Sacra Synodus postulat amorem, quo ipso *Tanquam fontem omnis justitiæ diligere incipiant.* At amor a spe distinctus est amor benevolentiæ:

Conc. Trid. favet omnino opinioni propugnanti amorem Dei necessarium esse ad justificationem, etiam in Sacramento Pœnitentiæ.

lentiæ: Concilium igitur poſtulat amorem benevolentiæ, ceu diſpoſitionem omnino neceſſariam ad juſtificationem primam, quæ fit per Baptiſmum.

De Contritione.

Confirmatur ex can. III. ita ſanciente: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit.* Quo ex Canone liquet, non ſolum fidem, & ſpem, ſed & dilectionem, qua Deum ſicut oportet, ideſt, ſuper omnia diligamus, a Concilio ſtatui inter diſpoſitiones neceſſarias ad juſtificationem; adeoque non de ſolo amore ſpei, qui a ſpe ipſa indiſtinctus eſt, ſed de amore benevolentiæ eſſe intelligendum.

Amor Dei multo magis ad juſtificationem requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, quam Baptiſmi.

Ex quibus rurſus colligitur, multo magis amorem Dei ad juſtificationem in Sacramento Penitentiæ neceſſarium eſſe; cum longe major diſpoſitio deſideretur ad juſtificationem peccatoris poſt Baptiſma, quam ante Pœnitentis. Quo circa Trid. Conc. ſeſs. XIV. cap. II. ait: *Ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus: ut merito Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus a SS. Patribus dictus fuerit.* Id evidentius colligitur ex cap. IV. ejuſdem Seſſionis, ubi *Contritionis motum quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum neceſſarium fuiſſe docet.* Declarat ſecundo. *Hanc Contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem; ſed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis; & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Tertio docet, *Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur.* Quo tamen caſu juſtificatio ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſt adſcribenda. Poſtremo docet, *Illam Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Sp. Sancti impulſum, nondum quidem inhabitantis, ſed tantum moventis; quo Pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, Pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt.* Ex quibus colligo, Conc. Tridentini Patres in eam propenſos fuiſſe Sententiam, quæ Attritionem ex ſolo gehennæ metu conceptam, etiam cum Sacramento non ſufficere ad juſtificationem aſſerit, ſed neceſsarium eſse Dei amorem, ſaltem inchoatum, & imperfectum, propugnat: primo, quia eum dolorem Sacra Synodus poſtulat, qui peccandi voluntatem excludat. Peccandi porro voluntas non excluditur niſi contraria voluntate, ſcilicet amore juſtitiæ, ſive amore Dei ſuper omnia. Timor enim pœnæ voluntatem non mutat. *Qui enim metuit, reprimitur, non emendatur;* (inquit *Sanctus Ambroſius*, Lib. VIII. in Lucam.) Et certe voluntas peccandi perſeverat, quamdiu mundus amatur, quamdiu cupiditas dominatur; amor autem Mundi manet in corde radicatus, quamdiu non diligitur Deus. *Duo namque amores ſunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diverſæ qualitatibus, ſicut dividuntur auctoribus. Rationabilis enim animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut Mundi. In dilectione Dei nulla nimia: in dilectione autem Mundi cuncta ſunt noxia;* (inquit

Ezech. 18.

De Contritione.

quit S. *Leo* Serm. v. De Jejunio 7. Mensis.) Concinit S. Leoni *S. Gregorius Magnus*, Lib. XVIII. *Moralium*, cap. VIII. *Qui terrenarum rerum* (inquit) *amore vincitur, in Deo nullatenus solidatur. Esse quidem sine dilectione animus nequaquam potest: nam, aut infimis delectatur, aut summis; & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori studio torpescit ad infima: quantoque acriore cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit a summis.* Nulla porro in Sacramento Pœnitentiæ virtus est, qua efficiat, ut in amore Mundi cuncta non sint noxia; ut acriore cura infimis bonis inardescens, tepore damnabili non frigescat a summis. Nulla itaque in Sacramento Pœnitentiæ virtus est, qua justus fiat, qui Deum non amat.

Secundo, quovis tempore Contritionis motum ad impetrandam veniam peccatorum necessarium fuisse docet Sacra Synodus. Si quovis tempore, non igitur extra Sacramentum dumtaxat, sed etiam in Sacramento. Cum igitur Contritio sit dolor de peccato, quatenus Dei offensa est, ex amore ipsius super omnia conceptus; & Contritio perfecta, & imperfecta, quam Attritionem vocamus, differant tantum, ut perfectum, & imperfectum sub eodem Contritionis genere, ut innuit Sacra Synodus his verbis: *Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, &c.* Sequitur Attritionem non ex solo pœnarum timore conceptam esse debere, ut sit dispositio ad justificationem sufficiens cum Sacramento; sed admixtum habere Dei amorem super omnia, saltem inchoatum & imperfectum. Quod autem dixi, Attritionem a Contritione non differre, nisi ut imperfectum a perfecto intra idem genus veterum Theologorum Sententia est, inprimis *Guillelmi Parisiensis*, Tract. *De Sacramento Pœnitentiæ*, cap. VI. *Attritio* (inquit) „ ad Contritionem sic est, sicut vulneratio non lethalis ad occisionem, & „ gratia præveniens, ac præparans ad gratiam gratum facientem, sicut calefactio „ ad arsionem, & sicut illuminatio, quæ est umbra ad irradiationem, hoc „ est, sicut umbra crepusculi ad radium. *Et paulo post*: Amor, quo iste a„ mat Deum, & amor, quem quærit, & quo nondum amat Deum, sunt „ unius, & ejusdem, videlicet Dei, & secundum idem, & propter idem: „ sunt ergo unius, & ejusdem speciei, & non differunt nisi secundum ma„ gis, & minus. *Et infra*: Amore autem præparatorio amatur Deus se„ cundum quod Deus, & propter id quod Deus, quemadmodum amore, „ qui charitas dicitur. Amorem præparatorium Attritionem vocat: charitatem vero amorem, qui in Contritione perfecta continetur.

Attritio a Contritione non differt nisi ut imperfectum a perfecto in eodem genere.

Ita *S. Thomas*, in IV. Sententiarum, dist. XVII. quæst. II. art. I. quæst. II. ad III. *Attritio* (inquit) *dicit accessum ad perfectam Contritionem; unde in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo sunt comminuta, sed non perfecte: sed Contritio dicitur, quando omnes partes tritæ sunt simul per divisionem ad minima: & ideo significat Attritio in spiritualibus quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; Contritio autem perfectam.* Et art. V. quæst. III. *Contritio* (inquit) *habet duplicem dolorem: unum rationis, qui est displicentia peccati commissi; & hic potest esse adeo parvus, quod non sufficiat ad rationem Contritionis, ut si minus displiceret ei peccatum, quam debeat displicere separatio a fine, sicut etiam amor potest esse remissus, quod non sufficit ad rationem charitatis. Alium dolorem habet in sensu*, &c.

De Contritione.

Tertio declarat Sacra Synodus, hanc Contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, & facite vobis cor novum.* Atqui cor novum fieri non potest sine Dei amore. Ut enim ait *S. Augustinus*, Libro contra *Adimantum* Manichæum, cap. XVII. *Hæc est brevissima, & apertissima differentia duorum Testamento-*

Ezech. 18.

mentorum, timor, & amor: illud ad hominem veterem, hoc ad novum pertinet: In illam ergo sententiam propensa fuit Sacra Synodus Tridentina, quæ Dei amorem, ceu dispositionem necessariam ad justificationem postulat.

Quarto, in exemplum affert Sacra Synodus Pœnitentiam Ninivitarum, qui timore utiliter concussi, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, Pęnitentiam egerunt. Atqui Pęnitentia Ninivitarum aliquem charitatis actum admixtum habuit. Nam *Vidit Deus opera eorum quia conversi sunt de via*
Jonæ 3.10. *sua mala*, &c. Deus porro nullam rationem habet operum in ordine ad justificationem, nisi procedant ex fide, quæ per dilectionem operatur. Ut enim ait *S. Augustinus*, Sermone CXXXVIII. alias L. *De Verbis Domini*, cap. 11. *Adde charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt cetera.*

Et Tract. V. in Joannem: *Per hanc dilectionem peccata solvuntur. Hæc si non teneatur, & grave peccatum est, & radix omnium peccatorum.* Synodus itaque Tridentina in eam propensa fuit Sententiam, quæ Contritionem imperfectam aliquem gradum amoris Dei includere necessario debere asserit, ut cum Sacramento justificet.

Merito igitur Clerus Gallicanus in generali Conventu anni 1700. hanc Propositionem damnavit: *Conc. Tridentinum adeo expresse definivit Attritionem, quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad Absolutionem, ut anathema pronunciet adversus negantes.* Hanc, inquam, propositionem merito confixit his verbis.

Hæc propositio falsa est, temeraria, Conc. Tridentino contraria, & in errorem inducit.

Sequentem etiam propositionem jure damnavit idem Cleri Gallicani generalis Conventus: *Attritio ex gehennæ metu sufficit etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis honesta, & supernaturalis est.* Sic autem de illa judicavit:

Hæc propositio, qua a dispositionibus necessariis ad Absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.

Hanc denique Declarationem edidit Illustrissimus, & Religiosissimus Clerus: *De dilectione Dei sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus Baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo inprimis ex Sacrosancta Synodo Tridentina monenda, & docenda esse duximus. Primum, ne quis putet in utroque Sacramento requiri, ut præviam Contritionem eam, quæ sit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis putet in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei, & spei actus non incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem.*

„ Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium
De Contritione. „ vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pęnitens primi, ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat, nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum divina opitulante gratia sese excitet, ac provocet.

„ Placet etiam caveri a Sacramenti Pœnitentiæ Administris, ne in hoc „ Sacramento, aliisque Sacramentis conferendis sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore. Neve pęnitentes ipsorum „ fidei animam suam committentes admonere cessent, ut in pęnitendo „ inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit, graviter peccaturi in hoc salutis discrimine, vel eo solo, quod certis incerta præponant.

Pluri-

Sanctitate illustrium Theologorum suffragiis confirmatur sententia necessitatem amoris Dei ad justificationem, etiam in Sacramento propugnans,

Plurimos Auctores proferrem, qui Sententiam de necessitate amoris Dei in Contritione imperfecta, sive Attritione cum Sacramento conjuncta, ante, & post Tridentinum Concilium propugnarunt: sed cum a minorum gentium Theologis hoc in Opere citandis abstinere decreverim: paucorum sanctitate pariter, & doctrina insignium testimoniis Propositionem nostram confirmabo; imprimis *S. Raymundi* in Summa, Lib. III. Tit. *De Pænitentiis, & Remissionibus*, §. XI. dicentis: *Qualiter autem hoc intelligendum, utrum scilicet sola Contritio sine Confessione tollat peccata, an Contritio cum Confessione, variæ sunt opiniones*: quas cum sigillatim retulisset, de tertia subdit: *Tertii vero dicunt, sola cordis Contritione dimitti peccatum cuilibet adulto, si vere conteritur, & proponit ab aliis abstinere, & illud confiteri, & de eo satisfacere secundum judicium Ecclesiæ ∴ Hæc ultima opinio celebrior est*. Et paulo post: *Quod ista opinio etiam si vera, patet per exempla Lazari, quem primo suscitavit Dominus, quam a Discipulis solveretur ∴ & per decem Leprosos, qui in via, antequam venirent ad Sacerdotes, mundati sunt*. Subdit denique, quod Hæc tria, *Contritio, Confessio, & Satisfactio sunt in præcepto*. Attritionis non meminit: nullam itaque agnovit, nisi quæ vere Contritio esset, adeoque verum, & prædominantem Dei amorem includeret. *Præcedit gratia, (actualis scilicet) sequitur dilectio: quoniam, qui gratiam habet diligit. Sequitur Contritio: qui enim diligit, conteritur. Sequitur remissio. Et iste processus colligitur, De Pœn.* dist. I. Omnis, qui non diligit, manet in morte. *Et August. Sine charitate quomodo veram cordis Contritionem quis habere poterit? Quomodo ergo delictorum remissionem?*

S. Antonini, in Summa, IV. p. tit. XIV. cap. V. *Quia* (inquit) *timor servilis non est in charitate, ideo non sufficit ad salutem: & ideo Pœnitentes, præcipue in gravibus infirmitatibus, oportet admonere, ne ad pœnitendum, & confitendum propter hujusmodi principaliter moveantur: nam inutilis esset sibi talis Pænitentia. Hoc expresse dicit B. Augustinus De Pœnit* dist. VII. cap. ult. *Non in „ solo timore vivit homo: quem ergo sero pęnitet, oportet non solum timere Deum „ Judicem, sed Justum diligere. Non tantum pœnam timeat, sed etiam anxietur pro gloria*. Id confirmat exemplo relato in Lib. *De Septem Donis*, suo tempore vulgato, Scholastici cujusdam Parisiis defuncti, qui lethaliter decumbens, multis cum lachrymis peccata confessus est, devote suscipiens omnia Sacramenta secundum humanum judicium. Hic postquam e vita migravit, Doctori suo, prout spoponderat, Deo volenti apparuit, a quo de statu suo interrogatus, respondit se in æternum damnatum esse. Cumque ille attonitus causam quæreret, respondit miser: *Pœnitentia mea, & lachrymæ illę non fuerunt ex amore Dei, & principaliter propter Dei offensam: sed propter timorem inferni, ne ad illum deputarer, & ideo mihi non valuit.*

Terribile exemplum,

S. Bernardini Senensis, Sermone quem habuit Feria III. post Dominicam primam Quadragesimæ: *Qui conteritur* (inquit) *principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non est in statu salutis, quia non dolet amore Dei, sed amore sui; ut si cessaret damnatio ex propria culpa, cessaret & contritio illa*. Et continuo subdit: *Licet ad veram Contritionem concurrat timor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans. Unde etsi in peccatore initiet timor pœnæ, superveniens tamen amor talem timorem debet repellere.*

De Contritione.

Venerabilis *Ludovici Granatensis* Operum pietate, ac doctrina, vitæque sanctimonia celebris, Conc. I. in Festo B. Mariæ Magdalenæ, *Constat plane* (inquit) *neminem ex injusto fieri justum, nisi is peccatum super omnia detestetur, illudque supra omnia vitare constituat: hæc vero duo habere nemo potest, nisi Deum diligat super omnia. Hæc enim tria, Dilectio Dei super omnia,*

odium

odium peccati, & propositum ejus omni opera, & studio vitandi, ita se mutuo consequuntur, ut alterum sine altero consistere nullo modo queat. At hujusmodi dilectionem post naturæ lapsum nemo nisi præsente Dei ope adjutus habere potest. Et allata ratione, quod scilicet post peccatum homo totum amorem, quem Deo debebat, in seipsum inverterit, seque jam supra cetera omnia diligat, subdit: *Hæc igitur tanta erga se amoris vis in causa est, ut nemo Deum supra se sine singulari ope diligere queat: sine hac vero Dei dilectione, neque vera Contritio, neque firmum sceleris vitandi propositum, ac proinde, neque justificatio constare potest.*

S. Thomæ De Villa Nova Sermone, quem habuit in Dominica Passionis: *Non de damno* (inquit) *vel de pœna, vel de infamia, vel de turpitudine, & vilitate peccati: sed dolendum est de peccato, prout offensa Dei, sicut etiamsi nullum incommodum de peccato proveniret, neque esset infernus, aut judicium, neque aliquis sciret, etiam displiceret peccatum, quia Deus fuit offensus ∴ Vera Contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore, aut amore sui ∴ Unde Attritio, & Contritio non tam differunt, quia Contritio est dolor intensus & Attritio est dolor remissus; sed magis quia Contritio est dolor perfectus propter Deum, & Attritio est dolor imperfectus, & mixtus cum aliis respectibus.*

Sancti denique *Francisci Salesii*, Lib. II. *De Amore Dei* cujus verba Latino idiomate fideliter, & simpliciter reddo. *Pœnitentia* (inquit) *quæ non excludit amorem Dei, quamvis adhuc sine ipso sit, est bona, & optanda Pœnitentia, sed imperfecta, & quæ salutem nobis dare non potest, donec ad amorem provecta sit, & cum ipso commixta: ita ut, sicut magnus Apostolus dixit, Si corpus suum traderet, & distribueret pauperibus omnes facultates suas, non haberet autem charitatem id sibi prodesset nihil: ita vere dicere possumus. Etsi Pœnitentia nostra tanta esset, ut in lachrymas oculi nostri resolverentur, & dolore corda nostra colliquescerent, nisi sanctum Dei Amorem habeamus, id totum nobis ad vitam æternam nihil plane profuturum esse.*

Objectionum solutio.

Objicitur. Si amorem Dei super omnia necessario continere debet Attritio cum Sacramento Pœnitentiæ conjuncta, ut peccator justificetur, sequitur, inutiles esse Ecclesiæ claves, inane, & otiosum Sacramentum; siquidem Amor Dei super omnia justificat peccatorem ante Sacramentum, & absque Sacramento.

Contritionis imperfectæ ex amore Dei saltem inchoato, & Sacramenti necessitas recte conciliantur.

Resp. Id non sequi, quod objiciunt. Optime enim conciliantur, & Contritionis saltem imperfectæ, & Sacramenti necessitas. Hunc inter alios *Vviclefi* Articulum damnavit Synodus Constantiensis; *Si homo fuerit debite contritus, omnis Confessio exterior, seu Sacramentalis, est sibi superflua, & inutilis*. Et redeuntes ex illa Secta ad Ecclesiam Hæreticos *Martinus V.* interrogari jubet, *Utrum credant, quod Christianus ultra Contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, de necessitate salutis ei confiteri teneatur*. Idem docet Sacra Synodus Tridentina sess. XIII. cap. VII. statuens: *Ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad Sacramentum Eucharistiæ accedere debeat, &c.* can. XI. *Statuit, atque declarat, illis, quos conscientia mortalis peccati gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem*, antequam SS. Eucharistiæ Sacramentum sumant: *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat*. Inutiles itaque Ecclesiæ claves, otiosum, & inane Sacramentum Sacra Synodus non existimavit, etiamsi Contritio perfecta necessaria censeretur: multo minus si Contritio duntaxat imperfecta

fecta

fecta Amorem Dei super omnia inchoatum includens necessaria cum Sacramento asseratur. Nec vero inutile fore Sacramentum judicarunt ipsi Theologi, qui Contritionem perfectam ad remissionem peccati etiam in Sacramento velut necessariam postularunt: quia non remitti peccatum per Contritionem nisi in ordine ad Claves Ecclesiæ agnovere; adeoque non uni Contritioni, sed Sacramento Pœnitentiæ, cujus illa votum includit, peccatorum remissionem tribuendam. Absolutionem enim Sacramentalem in iis operari, qui ad ipsam votis ferventissimis inhiant, sicut Christi Passio in iis operabatur, qui in Christum venturum credebant, antequam re ipsa consumata esset.

Verum opinionem illam, quæ sine Contritione perfecta peccatorem etiam in Sacramenti susceptione non justificari asserit, merito rejicimus, & improbamus. Nam & *Pius V.* Sanctissimus Pontifex Propositiones illas *Michaelis Baii* anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo damnavit; *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, in Catechumenis, & Pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.*

Merito rejicitur opinio Contritionem perfectam, etiam in Sacramento, ad justificationem esse necessariam asserens.

Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non semper est conjuncta cum remissione peccatorum.

Et Sacra Facultas Parisiensis in Comitiis generalibus congregata Kalendis Julii anno millesimo sexcentesimo trigesimo octavo hanc Propositionem damnavit: *Actus charitatis perfectæ, seu veræ, & perfectæ Contritionis absolute necessarius est ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam.* Hanc Propositionem in Lib. *De Sancta Virginitate* ex *S. Augustino* Gallice reddito, & Notis illustrato a *Claudio Seguenot* Presbytero Sacra Facultas merito proscripsit. Censuræ ipsius verba adscribo: *Quæ tradit de Attritionis sufficientia, & Contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate, ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ; & quæ addit, & approbat de Absolutione, quod nihil aliud sit, quam declaratio juridica peccati jam remissi, damnavit quoque Facultas, & censuit has Propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi, & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ imminutivas, & insuper temerarias, ac erroneas.*

De contritione.

Quod autem objicitur, Amorem Dei super omnia justificare *peccatorem* absque Sacramento, id concedimus de amore perfecto, non de amore inchoato. Quæ responsio ex Tridentino Concilio colligitur. *Etsi* (inquit) *Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare prius, quam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Seff. 14. c. 4.

Idemque confirmat Conc. Catechismus p. II. *De Pœnitentia*, §. XLVI. *Ut enim hoc concedamus* (inquit) *Contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit.* Hæc est Contritio charitate perfecta, qua justificatur peccator absque actuali Sacramenti susceptione, cum solo illius voto. De imperfecta vero subdit: *At quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves Regni cœlestis Ecclesiæ tradidit. Etenim ex Fidei Catholicæ doctrina omnibus credendum, & constanter affirmandum est: si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque imposterum non peccare constituat: & si hujusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam*

am satis esse possit : ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti, ac condonari : ut merito a sanctissimis viris Patribus nostris celebratum sit, Ecclesiæ clavibus aditum in cœlum aperiri : de quo nemini dubitare fas est, cum a Florentino Concilio Decretum legamus, Pœnitentiæ effectum esse Absolutionem a peccatis.

Amor Dei imperfectus pœnitentem non justificat ante Absolutionem.

Amor itaque Dei imperfectus, & inchoatus Pœnitentem non justificat ante Absolutionem, sicut non justificat Catechumenum ante Baptismum. Utriusque enim eadem ratio est. Porro Catechumenus imperfecto tantum, & inchoato amore Deum diligens, aut minori fervore Baptismum desiderans, non justificatur ante susceptionem Baptismi. Quo spectant illa *S. Augustini* verba Tract. XIII. in Joannem : *quantumcumque* (inquit) *Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, non ei dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum. Quomodo non caruit Populus Israel Populo Ægyptiorum, nisi cum venisset ad Mare Rubrum : sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi pervenerit.* Intelligit autem S. Augustinus *Catechumenum divina charitate flagrantem* (ut ipse loquitur Lib. IV. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. XXI.) Et certe negari non potest quin *Augustinus* ipse Catechumenus charitate flagraret saltem imperfecta, & inchoata, quamvis nondum adulta, & robusta : siquidem de se scribit Lib. VIII. *Confessionum*, cap. XII. *Flebam amarissima Contritione cordis mei.* Et Lib. IX. cap. II. *Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua.* Et cap. IV. *Gaudens in fide laudavi nomen tuum.* Fides illa cum Amore Dei saltem inchoato conjuncta erat : & tamen peccata sibi remissa non fuisse antequam Baptismum susciperet, ibidem testatur. *Et ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant.*

De Contritione.

Verum (inquies) spiritualiter vivit, qui Deum amat : quid igitur præstabit Sacramentum, si Amor Dei super omnia necessario præcedere debeat Absolutionem Sacramentalem? Et quomodo Pœnitentia vere dici poterit Sacramentum mortuorum?

Varii spiritualis vitæ gradus.

Respond. Varios esse vitæ spiritualis gradus. Habet illa exordium suum, progressum, perfectionem. Amor vita cordis est. Amor inchoatus est initium vitæ spiritualis : amor provectus est progressus vitæ spiritualis : amor perfectus est perfectio vitæ spiritualis; secundum illud S. Augustini : *Inchoata charitas, inchoata justitia est : provecta charitas, provecta justitia est : perfecta charitas, perfecta justitia est.* Peccator itaque imperfecte contritus, sive attritus, Deumque ut omnis justitiæ fontem diligere incipiens, vivit vita inchoata, quæ dispositio est ad vitam perfectam ex charitate perfecta, & a Sacramento ipsam conferente procedentem. Duplicis hujus vitæ distinctionem approbavit *Pius Quintus* Sanctissimus Pontifex, cum *Michaelis Baii* Propositionem sexagesimam tertiam his verbis conceptam inter alias damnavit : *Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei Pœnitenti, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in Christo vite efficitur, commentitia est, & Scripturis minime conveniens judicatur.* Et quamvis ante susceptionem Sacramenti, seu ante Absolutionem Sacramentalem vivat Pœnitens, seu vita inchoata, & imperfecta, cum imperfecte contritus est, seu vita perfecta, cum perfectam Contritionem habet; Pœnitentia nihilominus Sacramentum est mortuorum, quia peccatores vivificat per dispositiones, vel partes sibi prævias, sibique connexas, quæ etiam efficaciam ab ipsa mutuantur. Præterea Baptismus adultorum, & Pœnitentia lapsorum in peccatum mortale post Baptismum, Sacra-

Baii propositio damnata.

cramenta sunt mortuorum, qui jam divinæ gratiæ virtute excitati e tumulo, idest, ex affectu peccati prodire cœperunt; instar Lazari, quem prius vivificavit Dominus dicens, *Lazare, veni foras*, & postmodum jam viventem solverunt Discipuli. Ex quo *S. Gregorius* colligit, *Quod illos debemus per Pastoralem Auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus; per suscitantem gratiam vivificare*. Hinc *S. Augustinus* Sermone II. in Psal. CI. ait: *Cum audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit*. Et tamen nondum esse solutum, idest, nondum ipsi remissa peccata, ibidem asserit. „Remissio peccatorum (*inquit*) solutio est. Quid enim prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur: *Solvite eum, & sinite abire?* Ipse quidem voce de sepulcro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem sepulto impositam vicit, & processit ille vinctus: non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis. Fit hoc in corde Pœnitentis; cum audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit; cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus est. Quando solvitur? A quibus solvitur? *Quæ solveritis*, inquit, *in terra, erunt soluta & in cœlo*. Merito per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest: suscitari autem ipse mortuus nonnisi intus clamante Domino potest: hæc enim Deus interius agit.

Hom. 26. in Evang.

Præterea, Sacramentum Pœnitentiæ peccatorum medicina, ejusque Ministri Sacerdotes Animarum Medici frequentius a Patribus appellantur: mortuis vero medicina non datur, sed viventibus. Unde Pœnitentes semivivos potius, quam mortuos dicendos esse, *S. Cyprianus* asserit Epistola LII. *Opem nostram* (inquit) *medelam nostram vulneratis exhibere debemus. Nec putemus mortuos esse, sed magis semianimes jacere eos, quos persecutione funesta sauciatos; videmus qui si in totum mortui essent, nunquam de eisdem postmodum & Confessores, & Martyres fierent*. Idem asserit *S. Ambrosius*, Lib. I. *De Pœnitentia*, cap. X. *Si mortuus est* (inquit) *cur ei dicitis agendam Pœnitentiam, qui jam curari non potest? Si semivivus est, infunde vinum, & oleum*, &c.

Pœnitentes, semivivi potius, quam mortui, dicendi.

De contritione.

Instabis: Minima charitas sufficit ad delendum peccatum: cum igitur Attritio, cum Sacramento sufficiens, peccatum delere non possit, quando a Sacramento sejuncta est, charitatem non includit.

Resp. Minimam quidem charitatem habitualem sufficere ad delendum peccatum, non vero minimam charitatem actualem. Charitas, & gratia habitualis delent maculam, & reatum peccati: charitas actualis non delet nisi sit perfecta; & adeo vehemens, acris, intensa, ut habitum producat. Si vero inchoata sit, imperfecta, languida, tollit quidem affectum peccati, & peccandi voluntatem excludit, sed maculam, & reatum non delet. Nec est, quod objiciatur, concipi non posse, quomodo homo Deum amans ipsi displiceat, ac æternæ pœnæ reus sit: respondetur enim, In pœnitente Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiente placere quidem Deo exordium conversionis, & sancti amoris initium, sicut & timorem, spem, fidem, quæ Dei ipsius dona sunt: displicere vero peccatum, quod a Deo non est, sed ab homine, adeoque & hominem ipsum peccati labe adhuc inquinatum, & consequenter æternæ pœnæ reatu, obligatum donec macula, & reatus, vel charitate perfecta, & Sacramenti in voto suscepti efficacia, vel ipsius Sacramenti actuali susceptione expungantur, & solvantur. Id perduellis exemplo explicari utcumque potest, quem etsi criminis pœniteat, reus tamen manet donec indulgentia Principis absolvatur. Sic reus peccati manet Pœnitens, qui perfecte contritus non est, nec Deum perfecte diligit, sed diligere incipit;

Minima charitas actualis non sufficit ad delendam maculam, & reatum peccati, sed solum ad affectum peccati tollendum, & peccandi voluntatem excludendam.

cipit; manet (inquam) reus peccati, & damnationis æternæ, donec a Deo per ejus Ministros sit absolutus, quia id æterna, & immutabili Dei lege statutum est, ut nulla iniquitas maneat impunita, nisi quam Sanguis Christi per Sacramenta defluens, & applicatus expiaverit.

Id confirmat præclarus S. *Augustini* locus Lib. VI. ,, Contra Julianum, ,, *cap.* IX. Sicut (*inquit*) idolis immolatio, quæ jam nec in actione est, quia ,, præteriit, nec in voluntate, quia error, quo fiebat, absorptus est, ma- ,, net tamen reatus ejus donec in Lavacro regenerationis peccatorum omni- ,, um remissione solvatur: sic e contrario, quamvis reatus malæ concupiscen- ,, tiæ eodem Baptismate sit solutus, manet tamen ipsa, donec ab eo, qui ,, post ejecta dœmonia perficit sanitates, medicina perficiente sanetur ∴ Sed ,, quæso te, cum & ipse concedas peccati facti, atque transacti reatum mane- ,, re, nisi sacro Fonte abluatur, dic mihi, reatus iste quis sit, & ubi maneat ,, in homine correcto, recteque vivente, nondum tamen peccatorum remissio- ,, ne liberato? *Resp.* Julianus, *Actu prætereunte, manere peccati reatum in ejus conscientia, qui deliquit, donec remittatur. Quam responsionem* S. Augustinus *sic refellit*: ,, Quid si obliviscatur se deliquisse, nec ejus conscientia sti- ,, muletur? Ubi erit reatus ille, quem transeunte peccato manere concedis, ,, donec remittatur? Non est certe in corpore, quia non est eorum accidentium, ,, quæ accidunt corpori: non est in animo, quia ejus memoriam delevit oblivio: ,, & tamen est. Ubi est igitur, cum jam bene vivat homo nihil tale committens, nec dici possit eorum peccatorum, ejus reatum manere, qui meminit, ,, ejus vero, qui oblitus est, non manere? Manet quippe omnino donec remit-

De Contritione.

,, tatur. Ubi ergo manet, nisi in occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt ,, quodammodo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi ,, quam Sanguis Mediatoris expiaverit? Cujus signo Crucis consecratur un- ,, da Baptismatis, ut ea diluatur reatus tamquam in chirographo scriptus in no- ,, titia spiritualium Potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum. *Quod de* ,, *Catechumeno* S. Augustinus *dixit*, *idem de Pœnitente dici potest*. ,, Quæ ,, enim baptismatis, eadem & Penitentiæ ratio est, *ut ipse asserit Lib.* De ,, Adulterinis Conjugiis, *cap. ultimo*.

Sed (inquies) si Pœnitens imperfecto illo Dei amore succensus moriatur, sequitur, ipsum damnatum iri, posito, quod amor inchoatus ad justificationem non sufficiat extra Sacramentum. Quomodo vero fieri potest, ut quis Deum quoquo modo diligens in æternum pereat? ut qui Deum amat, non sit consors bonorum æternorum, *Quæ præparavit Deus diligentibus se*? ut

Psalm. 6.

qui Dei amanter reminiscitur, ejusque laudes amando confitetur, in mortem secundam incidat, in qua nemo Dei memor est; in infernum detrudatur, in quo nemo Deo confitetur? secundum illud, *Non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi*? ut quia aversam a peccato voluntatem habet, & ad Deum conversam, projiciatur in locum ubi,

Quomodo Pœnitens in extremis positus, neque copiam habens Sacerdotis, justificetur cum imperfecta Contritione ex amore Dei inchoato concepta?

Et si erit stimulus pœnitudinis, nulla tamen erit correctio voluntatis? A damnatis enim *iniquitas sua ita culpabitur, ut nullatenus possit ab eis Justitia vel diligi, vel desiderari*. Verba sunt *San. Fulgentii*, Lib. *De Fide ad Petrum*, cap. III.

Resp. Aliud ferendum esse judicium de homine in extremis posito, qui non habeat copiam Sacerdotis, apud quem peccata deponere, & a quo beneficium Absolutionis consequi possit, & de homine cui præsto est Sacerdos, cui peccata confiteri, & a quo absolvi possit. Posterior enim, quamvis Attritionem cum amore Dei super omnia supponatur habuisse, ab illo tamen amore excidit, nec vere aversam a peccato, & ad Deum conversam habet voluntatem, quia contempti, vel neglecti Sacramenti reus est. Prior vero

si. Sa-

si Sacramentum non contemnat, non negligat, sed illud vehementer desideret, si Contritione imperfecta, & peccandi voluntatem excludente, peccatum detestetur, Deumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat; nec tamen sistere velit in illo conversionis & bonæ voluntatis exordio, in illis amoris nascentis initiis, sed pio desiderio, sinceroque cordis affectu Deum magis diligere exoptet, quantum necesse est, ut Ei reconcilietur; antequam de vita migret peccatorum remissionem consequitur, Dei misericordia complente, quod deest ei, qui quod in se est facit, Divina scilicet bonitas nascentem, & imperfectum amorem Pęnitentis, in extremo illo discrimine ad illum perfectionis gradum provehit, qui ad justificationem necessarius est: quod fit & in Catechumenis Deum imperfecte diligentibus. Si enim Baptismum non recipiant, non justificantur, sed portant iniquitatis suæ sarcinam, ut ait *S. Augustinus*: quos tamen Baptismi voto justificari, certum est, si mors ipsos intercipiat, antequam Baptismum suscipere valeant; *complente Deo, quod non ex voluntate defuit*, ut loquitur idem S. Doctor Libro IV. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. XXIV. Qui enim dimittit per hominem, potest dimittere & præter hominem, ut ipse alibi ait. *Sed tunc impletur invisibiliter, cum Ministerium Baptismi non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit*. Idem asserit, multisque Patrum testimoniis probat *Theobaldus* Stampensis in Galliis Abbas, in Epistola ad Lincolniensem in Anglia Episcopum, edita Tom. III. *Spicilegii*, quam ita concludit: *Patet ergo, quod quicumque bonam voluntatem habebit in terris, pacem indubitanter, & gloriam consequetur in cœlis. Amen. Si quis vero hanc Epistolam improbare voluerit, & hos præfatos Doctores Catholicos recipere noluerit, lapide percutiatur, percussus comminuatur, cominutus in pulverem redigatur*. Idem docet *Innoc. III.* in Epistola Decretali, quam ea de Quæstione interrogatus scripsit ad Episcopum Cremonensem. *Inquisitioni tuæ* (inquit) *taliter respondemus, Presbyterum, quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in Sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter. Lege super octavo Libro Augustini De Civitate Dei, ubi inter cetera legitur: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit. Librum etiam B. Ambrosii De obitu Valentiniani, idem asserentis revolve. Sopitis igitur Quæstionibus Doctorum, Patrum Sententias teneas*. Refertur, Extra, *De Presbytero non baptizato*, cap. *Apostolicam*. Hanc denique veteris Ecclesiæ fuisse sententiam, colligitur ex Conciliis Carthaginensi IV. Canone septuagesimo nono; Vasensi can. II. Arelatensi II. can. XII. Toletano XI. can. XII. quibus statutum est, ut Pœnitentium, qui Pœnitentiam impositam sedulo obibant, si casu in itinere, vel in mari, ubi eis subveniri non posset, morte interciperentur, antequam reconciliati fuissent, memoria orationibus, & oblationibus Deo commendaretur.

Id Catechumenorum exemplo explicatur.

De Contritione.

Objicitur commune Theologorum Axioma: *Pœnitentem ex attrito fieri contritum* in Sacramento Pœnitentiæ: quod certe falsum esset, nisi Attritio ex solo pęnarum metu concepta sufficiens esset dispositio ad justificationem in Sacramento.

Quo sensu pœnitens ex attrito fiat contritus in pœnitentiæ Sacramento?

Resp. Pœnitentem ex attrito fieri contritum, non quod Attritio ex solo pœnarum metu concepta sufficiat, aut quod Attritio illa possit fieri Contritio; sed quia Contritio Attritioni succedit, & amor inchoatus virtute Sacramenti maturescit, adolescit, & perfectus evadit, infuso in animam habitu charitatis; a quo velut principio facile contritionis, & amoris perfecti actus oriuntur. Hinc *S. Bonaventura*, in IV. *Sententiarum*, dist. 16. qu. 3. ad

primum,

primum, & secundum ait; Tria esse in peccato, scilicet actionem malam, interiorem maculam, & sequelam. *Actio mala* (inquit) *expellitur timore; macula, dolore; sed sequela, charitatis ardore. Unde timor servilis est in Justificatione (ut dicitur) præparatio ad justitiam: dolor, ut infusio justitiæ: charitatis ardor, in consumationem.* Et par. II. dist. XVII. quæst. IV. *Attritio* (inquit) *frequenter ob Confessionem superadjunctam, & Absolutionem Sacerdotis, formatur per gratiam, ut fiat Contritio, sive ut ad ipsam Contritio subsequatur, & multis ibi gratia conceditur.* Et ad quartum: *Ad illud, quod objicitur de Absolutione, dicendum, quod nemo recipit effectum, nisi charitatem habeat saltem in principio Confessionis, vel in medio, vel in fine.*

Idem confirmat *Sanctus Carolus Borromæus* in Instructionibus De Sacramento Pœnitentiæ. *Antequam* (inquit) *Confessarius Pœnitentiam imponat, & Absolutionem tribuat Pœnitenti, videbit, an propter Deum veram peccatorum suorum Contritionem habeat: atque certum deliberatumque ei sit in posterum, quantum in se est, divina gratia adjuvante a peccatis abstinere: & quæ antea commiserit, pro iis satisfactionem persolvere. Quod si ita animo affectum viderit, monebit, valdeque hortabitur, ut pro tanto beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoque cœlestis gratiæ præsidium petere numquam desinat; quo adjutus, pravis cupiditatibus facile resistere possit. Si vero talem Contritionem illum non habere intellexerit, illius desiderium accendere conabitur, hoc admonens, propter Deum ipsum usque adeo, quantum potest, eum peccata dolere oportere, ut saltem adjutrice divina gratia, quam a Deo intime precetur, ex Sacramentique virtute, ex attrito contritus fiat.* Contritio igitur imperfecta ex amore Dei inchoato procedens, inchoatio quædam est novæ vitæ, novique hominis conceptioni similis: verumtamen non solum concipi, sed nasci opus est ad salutem. Fit autem nativitas illa, seu perfectio novæ vitæ vi Sacramenti, Contritionem imperfectam perficientis, & amorem inchoatum virtute Passionis Christi ad perfectionem charitatis promoventis. Contritionem igitur Sacramentum non supplet, quæ ex divina Lege, & Christi institutione necessaria est; sed complet, ac perficit Gratia sanctificante, & Charitate in animo producta: pios conatus, & affectus hominis Deum, ceu omnis justitiæ fontem diligere incipientis, & magis, ac magis diligere cupientis adjuvat, roborat, ad maturitatem, & perfectionem perducit. Hoc sensu Pœnitens virtute Sacramenti *Ex attrito fit contritus.*

De Contritione.

ARTICULUS IV.

De Contritionis objecto.

I. Contritionis objectum sunt peccata propria, & præterita. Contritio namque odium est, ac detestatio peccati propria voluntate commissi ab eo, qui firmum habet deinceps non peccandi propositum. De alienis proinde peccatis non conterimur, quamvis illa displicere nobis debeant: nec de originali peccato, quamvis & illud detestari quisque debeat, & dolere, ac erubescere, quod in eo natus sit, dicendo cum Davide: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: & ad illud destruendum per susceptionem Baptismi, & ad concupiscentiam ex eo superstitem domandam, eradicandam, crucifigendam teneatur. Dolor ille de peccato originis homines ad Baptismi desiderium accendit, secundum illud *S. Augustini* Lib. *De Correctione, & Gratia*, cap. VI. *Corripitur origo damnabilis, ut ex dolore correctionis voluntas Regenerationis oriatur.* Neque etiam circa

Psalm. 50.

ca pœnas peccata consecutas contritio versatur: hæ namque materia sunt patientiæ, non pœnitentiæ, si de pœnis temporalibus hujus vitæ loquamur: nec eas detestari, sed amplecti debet Pœnitens, ut a Deo ordinatas ad expiationem peccatorum suorum. Pœnarum vero alterius vitæ debitum, maximeque æternarum se incurrisse merito dolet; sed hæc non est proprie dicta contritio, nisi quatenus dolor est de peccatis, propter quæ pœnis illis obnoxius est. Unde & quod *S. Augustinus* ait, Serm. CCCLI. alias L. inter Homilias quinquaginta: *Nemo vitam æternam, incorruptibilem, immortalemque desiderat, nisi eum vitæ hujus temporalis, corruptibilis, mortalisque pœniteat*: ita intelligendum est, Pœnitentiam agendam esse de hac vita mortali, & corruptibili, non ratione mortalitatis, & corruptibilitatis, sed ratione peccatorum, quæ mortis, & corruptionis, ac miseriarum hujus vitæ causæ sunt. De Contritione.

Objectum itaque Contritionis actualis sunt peccata, seu mortalia, seu venialia: sed actualis Contritio ad mortalium veniam obtinendam necessaria est, ut scilicet singulis peccatis mortalibus diligenti examine in memoriam revocatis, singula peccator detestetur: ad venialium autem remissionem obtinendam sufficit virtualis contritio (ut loquuntur Theologi) quæ quidem in eo posita est, ut quis eo affectu, eoque charitatis fervore in Deum feratur, ut si singula peccata venialia ejus memoriæ actu occurrerent, illi displicerent, ac de illis ex animo doleret. Nec ad venalium duntaxat, sed & mortalium, quæ post accuratum, & diligens conscientiæ examen memoriæ non occurrunt, virtualis illa contritio sufficit. Quæ *S. Thomæ* doctrina est III. p. q. LXXXVII. art. I.

Contritionis actus in omnia, & singula peccata mortalia ferri debet.

Virtualis Contritio ad venialium remissionem sufficit.

Quamvis autem necesse non sit, ut tot Contritionis actus eliciantur, quot numero commissa sunt peccata; necesse tamen est, ut singulis discussis, collectis, & in memoriam singulatim revocatis, unus contritionis actus in omnia, & singula feratur, & ad omnia, & singula terminetur. Unde Conc. Tridentinum sess. IV. can. V. *Contritionem parari* docet *per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum suorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem*. Quod *S. Thomas* confirmat in IV. *Sententiarum*, dist. XVII. qu. II. art. II. Quæst. VI. Isa. 38.

Necesse est igitur, *peccata omnia, quæ admisimus, odisse, & dolere: ne si quædam tantum doleamus, ficta & simulata, neque salutaris Pœnitentia a nobis suscipiatur. Nam, ut a S. Jacobo Apostolo dictum est*: Quicumque *totam legem servaverit: offendit autem in uno, factus est omnium reus*. Ita Conc. Tridentini Catechismus p. II. De Sacramento Pęnitentiæ, §. XL. Jacob. 2.

Sed & §. XXXIX. Monendos Fideles, & maxime hortandos esse docet, *Ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant. Ita enim Ezechias Contritionem describit*: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Etenim recogitare omnes annos, est sigillatim peccata discutere, ut ea ex animo doleamus. Sed apud Ezechielem quoque legimus*: Si impius *egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet*. Isa. 38. Ezech. 18.

Ad singulas scilicet mortalium peccatorum species propriam adhibere contritionem, ut propria singulorum gravitas, & fęditas est, saluberrimum fuerit; ut docet *S. Jo: Chrysostomus*, Homilia XLII. in Matthæum. „ Non „ est profecto, (*inquit*) non est insufficiens ad emendandum via, si cum „ omnia secundum speciem in unum peccata collegeris, assidue animo de„ inde ipsa verses, ac de ipsis deinde continuo mediteris, & cogites. Nam „ qui hoc faciet, his adeo compungetur, ut neque hac vita se ipsum di„ gnum existimet. Quod qui de se ipso judicabit, omni cera tenerior hu-

Ad singulas mortalium peccatorum species proprium Contritionis actum adhibere saluberrimum.

,, milius vivet in dies. Nec fornicationes ſolum, & adulteria, atque illa,
,, quæ omnes perhorreſcunt, collegeris; verum etiam occulta inſidiarum
,, conſilia, & calumnias, obtrectationes arcanas, inanem gloriam, in-
De Contritione. ,, vidiam, ceteraque hujuſmodi omnia collige. Non enim effugient, qui
,, hæc delinquunt, extremos ſuppliciorum dolores. Nam & convitiatores
,, in gehennam incident: & qui vino inebriatur, nihil cum Regno Dei
,, habet commune. Et qui proximum non diligit, ſic Deum offendit, ut
,, neque Martyrio juvetur. Et qui propinquos negligit, fidem negat: & qui
,, pauperes deſpicit, atque contemnit, in ignem mittitur. Noli ergo tan-
,, quam parva hæc negligere, ſed collige, ac in mente pervide, ac ſi in li-
,, bro conſcriberes. Si enim tu ſcripſeris, Deus delebit: ſi vero non con-
,, ſcripſeris, ipſe Deus & ſcribit, & pœnas exigit. Quare multo melius eſt
,, a nobis iſta conſcribi, ut a Deo deleantur, quam horum nobis omnium
,, oblitis, præ oculis noſtris in die judicii hæc a Deo proponi. Quod ne ita
,, fiat, exquiſite omnia recolamus, & inveniemus multis nos eſſe obno-
,, xios.

Idem confirmat Auctor Commentarii in ſeptem Pſalmos Pęnitentiales inter Opera *S. Gregorii* editi, ad illa verba Pſ. v. *In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam*. In electorum ſcilicet cordibus tribulationem eſſe notat, quam in eis generat continua Pęnitentiæ amaritudo. *Qui enim* (inquit) *mala, quæ commiſit, ante mentis oculos congerens, pro ſingulis quibuſcumque compungitur, in arcano cordis magna, & amara doloris, & metus anxietate contribulatur. Solent namque electi viri, ad ea, quorum ſibi ſunt conſcii peccata, mentis intuitum reducere, & modis eorum cauta ſingulatim conſideratione perſpectis: ſingula quæque deflere; ut hoc modo cordis ſui præparent habitaculum, dum per unumquodque erroris ſui deplorant exceſſum. Hinc*
Thren. 3. ,, *namque Jeremias ait*: Diviſiones aquarum deduxit oculus meus. *Diviſas quippe aquas ex oculis deducere, eſt diſpertitas lacrymas unicuique peccato tribuere, & iniquitatis gaudia ſatisfactionis doloribus compenſare: quatenus dum nunc hujus, nunc illius delicti memoria menş acrius tangitur ſimul de omnibus ſingulis commota purgetur.*

A R T I C U L U S V.

De Contritionis Vehementia.

P R O P O S I T I O I.

Summus, & maximus dolor de peccatis Contritio eſſe debet, ita ut nullus major excogitari poſſit.

Par. II. De Pœnit. 35. DUplici ratione hanc Propoſitionem probat Conc. Tridentini Catechiſmus: prima hæc eſt: Cum perfecta Contritio ſit charitatis actio, a timore, qui filiorum eſt profecta, idem ſtatuendus eſt charitatis, & contritionis modus. Charitas porro qua Deum diligimus, perfectiſſimus eſt amor: Contritio itaque ſummus, & maximus animi dolor eſſe debet. Ut enim maxime diligendus eſt Deus: ita quæ nos a Deo alienant, maxime deteſtari debemus. Hinc eodem loquendi genere charitatis, & contritionis magnitudo in Sacris Litteris ſignificatur. De charitate dictum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. De contritione clamat Dominus per Prophetam: *Convertimini ad me in toto corde veſtro*.

Deut. 6. Matth. 22. Joel. 2.

Ratio altera hæc eſt. Sicut Deus ſummum bonum eſt inter omnia, quæ diligenda ſunt: ita peccatum ſummum eſt malum inter omnia, quæ odiſſe homines debent: unde quæ ratio probat Deum ſumme diligendum eſſe, eadem

eadem demonſtrat peccatum odio maximo deteſtandum. Omnibus vero rebus amorem Dei anteponendum eſſe, ita ut ne vitæ quidem conſervandæ cauſa peccare liceat, aperte nos docet Chriſtus Dominus, Matth. x. *Qui amat* (inquit) *patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Et Matth. xvi. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam.* Quemadmodum igitur nullus finis, & modus charitati præſcribitur: *Modus* enim *diligendi Deum, eſt ipſum diligere ſine modo;* (inquit *S. Bernardus*, Lib. *De Diligendo Deo*) ita deteſtationi peccati nullus modus definiendus eſt. De Contritione.

Idem argumentum tractat *S. Thomas* in iv. *Sententiarum*, diſt. xvii. qu. ii. art. iii. quæſt. ii. & Propoſitionem noſtram his rationibus probat.

Omnis dolor in amore fundatur: ſed amor charitatis, in quo fundatur dolor contritionis, eſt maximus: dolor itaque contritionis eſt maximus.

Secundo, dolor eſt de malo, ac proinde gravius malum doloris majoris objectum eſt: at culpa gravius eſt malum pœna: dolor itaque de culpa conceptus, qui eſt contritio, omnem alium dolorem excedit.

Tertio, quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus diſplicet: finis autem ſuper omnia placet; cum omnia propter ipſum deſiderentur: & ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit, ſuper omnia diſplicere debet.

PROPOSITIO II.

Contritionem non ſolum maximam eſſe neceſſe eſt, ſed vehementiſſimam eſſe decet, ita ut ignaviam omnem, & ſocordiam excludat.

Diſertis Scripturæ Sacræ teſtimoniis Propoſitio probatur. Deut. enim iv. ſcriptum eſt: *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et Jer. xxix. *Quæretis me, & invenietis, cum quæſieritis me in toto corde veſtro, & inveniar a vobis, ait Dominus.*

Idem confirmat *S. Cæſarius Arelatenſis* Hom. i. *Homo ipſe* (inquit) *ſe decipit, ſi cum in medullis ſibi fervere ſentiat morbum, per ſuperficiem corporis molle deducat unguentum. Hæc itaque principalia mala ingenti rugitu, & gemitu, & fonte indigent lacrymarum: atque per lacrymas clamandum eſt cum Propheta,* Rugiebam a gemitu cordis mei ∴ *Oportet itaque ſicut ſuper mortuum conclamatum, ita magnos ſuper extinctam animam dare planctus. Et quomodo ſolet mater orbata ſuper amiſſione unici filii ſui fracto pectore lamentari; ita convenit ſuper unicam ſuam, ſed cum ſpe reparationis affligi ∴ neceſſe ſuper hanc unicam criminum mucrone confoſſam totum pondus doloris effundi, ſi forte poſſit lacrymarum vivificata fontibus calore fidei ſuſcitari.* Pſalm. 37. 9.

PROPOSITIO III.

Etſi vehementiſſima Contritio non ſit, vera tamen, & efficax eſſe poteſt.

Sæpe enim uſu venit, ut quæ ſenſibus ſubjecta ſunt, magis quam ſpiritualia nos afficiant, & vehementius moveant voluntatem, idque citra culpam hominis, propter ſtatum animæ in corpore corruptibili conſtitutæ. Quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine doloris ſenſum capiunt. Vera etiam Contritio eſſe poteſt, quamvis lacrymæ doloris acerbitatem non conſequantur: quæ tamen in Pœnitentia ſummopere optandæ, & commendandæ ſunt (inquit Conc. Tridentini Catechiſmus.) Atque ad id valent plurimum Ninivitarum, Davidis,

Peccatricis Mulieris, & S. Petri exempla, qui omnes uberrimis, amarissimisque lacrymis Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt. *Anima nostra quomodo plangenda?* Hinc Patres lacrymas *Secundum Baptisma* vocarunt, scilicet S. *Gregorius Nazianzenus*, Oratione xI. in Sancta Lumina, *S. Gregorius Nyssenus*, Homilia in eos, qui de aliis durius judicant, *S. Jo: Chrysostomus* Homilia IV. De Pœnitentia, *S. Isidorus Pelusiota*, Lib. I. Epistola 408. *S. Isidorus Hispalensis*, Libr. II. De Officiis Ecclesiasticis, cap. XXIV. & *S. Jo: Damascenus*, Lib. III. De Fide Orthodoxa, cap. x. Hinc *S. Cæsarius Arelatensis*, Serm. XXXVII. inter Augustinianos, alias XLI. *De Sanctis*, nunc in CIV. Appendice, ait: *Sic lugeamus extinctam nostram animam, quomodo alienam carnem mortuam plangimus. Si aut uxor, aut filius, aut maritus mortui fuerint, in terram se collidunt homines, capillos trahendo, pectora tundendo, in luctu, & pœnitentia, vel in lacrymis non parvo tempore perseverant. Rogo vos, Fratres, exhibeamus animæ nostræ, quod illi exhibent alienæ carni ∴ Carnem, quam non possumus suscitare, plangimus; & animam nostram mortuam non plangimus, quam possumus per Pœnitentiam ad statum pristinum revocare.*

Vita animæ nostræ Deus. Præclare *S. Augustinus*, Sermone LXV. alias XIII. inter editos a Theologis Parisiensibus, cap. IV. ait: „ Vita corporis anima est: vita animæ Deus „ est. Sicut adest vita corporis, idest, anima, ne moriatur corpus: sic de„ bet adesse vita animæ, hoc est Deus, ne moriatur anima. Corpus quo„ modo moritur? Anima deserente. Anima, inquam, deserente moritur „ corpus, & jacet cadaver paulo ante appetibile, modo aspernabile. In„ sunt membra, oculi, aures: sed hæ fenestræ sunt domus, habitator ab„ scessit. Qui plangit mortuum, ad fenestras habitaculi frustra clamat: „ non est intus, qui audiat. Quanta dicit plangentis affectus, quanta enu„ merat, quanta commemorat; & per quantam, ut ita dixerim, doloris „ insaniam, quasi cum sentiente loquitur, cum loquatur cum absente? E„ numerat mores, enumerat indicia benevolentiæ circa se ∴ Mortuum est „ corpus. Quare? Quia discessit vita ejus, hoc est, anima. Vivit corpus, „ & impius est, infidelis est, ad credendum durus, ad corrigendos mores „ ferreus: vivente corpore mortua est anima, per quam corpus vivit ∴ „ Interrogo corpus, an vivat. Respondet mihi, Vides ambulantem, vides „ operantem, audis loquentem, cernis appetentem, & fugientem, & non „ intelligis corpus vivere? ∴ Et interrogo ipsam animam, an vivat? Ha„ bet & ipsa opera sua, per quæ ostendat vitam suam ∴ Ambulant pedes, „ intelligo corpus vivere. Sed quo ambulant? Ad adulterium, inquit. Er-
1. Tim. 5. „ go mortua est anima. Sic enim veracissima Scriptura dixit, *Mortua est* „ *vidua, quæ in deliciis vivit*. Cum multum intersit inter delicias, & a„ dulterium, quomodo potest anima, quæ in deliciis mortua dicitur, in a„ dulterio vivere? Mortua est ∴ Sic etiam cum audio loquentem, intelli„ go, quia corpus vivit: quæro, quid loquatur, utrum & anima vivat? „ Mendacium loquitur. Si mendacium loquitur, ergo mortua est ∴ Ipsam
Sap. 1. „ Veritatem interrogemus, quæ ait, *Os, quod mentitur, occidit animam* ∴
Eccli. 22. „ Plangis mortuum, plange peccatorem magis, plange impium, plange
De Contritione. „ infidelem. Scriptum est, *Luctus mortui, septem dies: fatui autem, & im*„ *pii omnes dies vitæ illorum*. An vero non in te sunt viscera miserationis „ Christianæ; ut plangas corpus, a quo recessit anima, & non plangas a„ nimam, a qua recessit Deus?

Lacrymæ sunt tacitæ preces. Hinc *S. Eligius* Noviodunensis Episcopus: *In omni culpa* (inquit) *prius flendum est, & sic deinde precandum: Lacrymæ enim tacitæ quodammodo preces sunt. Veniam non loquendo postulant, sed merentur.*

PRO-

PROPOSITIO IV.

Contritio, quatenus animi dolor est, non potest esse nimia.

EJus namque mensura est amor Dei, qui nimius esse non potest: & deformitas peccati, quod nimis displicere non potest, quatenus Dei est offensa. Sed dolor, qui sensu percipitur, potest esse nimius; velut si quis ita dolori, & lacrymis indulgeret, ut oculos amitteret, corporeque extabesceret: sicut etiam exterior corporis afflictio non debet esse nimia. Unde Epist. ad Roman. XII. dicitur, *Rationabile obsequium vestrum*. Ita *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XVII. q. II. art. III. quæst. III. Si quis autem dolorem Contritionis ex animo in sensus redundantem non temperaret, non advertens, fervoreque raptus, in tali casu non peccaret, (inquit *S. Bonaventura*) quia daret operam rei licitæ. Si autem advertat, debet temperare. Hoc tamen consilium, ait Seraphicus Doctor, paucis necessarium est. Si autem non temperaret, vel affectione gaudii, vel consolatione spei, transcenderet metas virtutis, ac proinde Contritionis.

PROPOSITIO V.

Gravioribus peccatis major Contritio respondere debet.

MAjor enim ratio doloris est in uno, quam in alio peccato, scilicet offensa Dei: ex actu siquidem magis inordinato Deus gravius offenditur. Præterea idem ordo esse debet in dolore, qui in amore, cum ex ipso ortum habeat: sed majus bonum secundum ordinatam dilectionem magis amandum est: pari ergo ratione gravius malum est magis detestandum. Nec solum intelligenda est Propositio de dolore quatenus affectus est animi peccatum detestantis, sed etiam quatenus sensum afficit, & libere suscipitur quasi pena peccati. Majori etenim culpæ major pena debetur. Ita docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XVII. qu. III. art. III. quæst. III. Quod a Patribus didicerat, Sancto scilicet *Cypriano* in Tractatu *De Lapsis*, dicente: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit, Pœnitentia crimine minor non sit.* Et *S. Ambrosio* Lib. I. *De Pœnitentia*, c. II. scribente: *Qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam Penitentiam. Majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatianus probatur, qui veniam interclusit omnibus, nec vos ejus discipuli imitatores ejusdem, & condemnatores, qui ibi minuitis studia Penitentiæ, ubi augeri oportet: quia graviora peccata majoribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia.* S. denique *Hieronymo*, Epist. XXVII. ad *Eustochium* data: *In Paula* (inquit) *crederes fontes lachrymarum: ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.*

ARTICULUS VI.

De Contritionis diuturnitate.

PROPOSITIO I.

Contritionis dolor perpetuus esse debet.

DOctrina est *S. Thomæ*, in IV. *Sententiarum*, dist. XVII. q. II. art. IV. duplicem dolorem distinguentis: unum rationis, qui est detestatio peccati a se commissi: alterum sensitivæ partis, qui ex isto consequitur: & quantum Duplex dolor.

„ tum ad utrumque (inquit) Contritionis tempus eſt totus præſentis vitæ
„ ſtatus. Quamdiu enim aliquis eſt in ſtatu viæ, deteſtatur incommoda,
„ quibus a perventione ad terminum viæ impeditur, vel retardatur. Un-
„ de cum per peccatum præteritum vitæ noſtræ curſus in Deum retarde-
„ tur, (quia tempus illud, quod erat deputatum ad currendum, recupera-
„ ri non poteſt,) oportet, quod ſemper in vitæ hujus tempore ſtatus con-
„ tritionis maneat quantum ad peccati deteſtationem. Similiter etiam quan-
„ tum ad ſenſibilem dolorem, qui ut pœna peccati a voluntate aſſumitur.
„ Quia enim homo peccando pœnam æternam meruit, & contra æternum
„ Dei peccavit, debet pęna æterna in temporalem mutata (ſaltem dolor)
„ in æterno hominis, ideſt, in ſtatu hujus vitæ remanere. Hinc *Eccl. V.* dicitur: *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu*. Perpetuus itaque de peccatis dolor eſſe debet, ut Deus nobis propitius ſit. Quamvis autem Satisfactionis tempus definitum ſit, non tamen Contritionis: quia pœna in Satisfactionem impoſita proportionem habet cum culpa ex parte converſionis ad creaturam, ex qua finita eſt: ſed dolor Contritionis reſpondet culpæ ex parte averſionis a Deo, ex qua infinitudinem quamdam habet. Et ita vera Contritio debet ſemper permanere (inquit *S. Thomas*.)

Tria in Contritione ſpectanda. Addit Quæſtiuncula tertia, tria in Contritione ſpectari poſſe: primum eſt Contritionis genus, quod eſt dolor: ſecundum eſt Contritionis forma: quia eſt actus virtutis gratia informatus: tertium eſt Contritionis efficacia: quia eſt actus meritorius, & ſacramentalis, & quodammodo ſatisfactorius. Sancti, qui Deo in cœlis fruuntur, Contritionem habere non poſſunt; quia carent dolore, propter gaudii plenitudinem. Damnati Contritione carent, quia etſi doleant, deeſt tamen eis gratia dolorem informans. Animæ in Purgatorio detentæ dolorem habent de peccatis gratia informatum, ſed non meritorium; quia non ſunt amplius in ſtatu merendi. In hujus autem mortalis vitæ curriculo, doloris capaces ſumus: gratiam a Deo impetrare poſſumus, qua dolor ille informetur; in ſtatu denique merendi, Sacramenta ſuſcipiendi & ſatisfaciendi ſumus.

Propoſitionem noſtram confirmat *S. Thomas a Villanova*, Sermone in Dominica Paſſionis. *Quarta* (inquit) *conditio doloris, quod ſit perpetuus: nam Pęnitentia cum vita finienda eſt. Vide, peccator, quod onus imponis ſuper te propter momentum delectationis. Non tamen ſic eſt intelligendum, quod dolor ille continuatus duret per totam vitam: hoc enim quis poſſet? Sed quod quoties peccatum tibi occurrit in memoriam, teneris odio habere, & deteſtari, ut te pœniteat feciſſe illud. Quidam dicunt, quod ſufficit, ut non placeat, ſed tutius eſt, ut etiam diſpliceat. Unde Pſalmus:* Peccatum meum contra me eſt ſemper. *Et iterum:* Tota die, *id eſt, tota vita,* contriſtatus ingrediebar. (Pſalm. 50. Pſalm. 37.)

P R O P O S I T I O II.

Momentanea Contritio, modo vera ſit, & ſincera, ſufficit ad veniam peccatorum quovis tempore obtinendam.

UT enim ait *S. Leo*, Epiſt. 82. alias 91. ad *Theodorum* Forojulienſem Epiſcopum. *His qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium Pænitentiæ, & mox Reconciliationis implorant, nec Satisfactio interdicenda eſt, nec Reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam*, Cum con-
„ verſus ingemueris, tunc ſalvus eris. *Et alibi*, Dic tu iniquitates tuas
„ prior

(Iſai. 30. 25. Iſai. 43. 26. Secundum LXX.)

„ prior, ut justificeris. *Et iterum*. Quia apud Dominum misericordia, & Psalm. 129.7
„ copiosa apud eum redemptio. *In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lachrymas, gemitusque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam.*

Confirmat ex Canone, *Talis*, Dist. III. *De Pœnitentia*, qui ex *S. Jo: Chrysostomo in Epistola ad Theodorum lapsum* sumptus est. *Talis*, (inquit) *mihi crede, talis est erga homines pietas Dei: nunquam enim spernit Pœnitentiam, si ei sincere, & simpliciter offeratur. Etiamsi ad summum quis perveniat malorum; & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit, & libenter amplectitur: facit omnia quatenus ad priorem revocet statum: & quod est adhuc præstantius, & eminentius, etiamsi non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulamcumque tamen, & quamlibet brevi tempore gestam non respuit Pœnitentiam: suscipit etiam ipsam, nec patitur quamvis exiguo conversionis perdere mercedem*. Id Ninivitarum, & Boni Latronis exemplis *S. Jo: Chrysostomus* confirmat Hom. 27. in Genesim: *Ninivitæ* (inquit) *tanta peccatorum multitudine aggravati, qui magnam, & veram Pœnitentiam egerunt, non indigebant ampliori, quam trium dierum tempore ad provocandam Dei bonitatem, & antiquandam, quæ adversum se lata erat Sententiam. Et quid dico, Ninivitas? Latro in cruce neque uno die opus habebat. Et quid dico, die uno? Neque brevi hora. Tanta est Dei erga nos misericordia! Nam ubi viderit voluntatis nostræ firmum propositum, & ferventi nos desiderio ad se accedere, non tardat, neque differt; sed accelerat.*

ARTICULUS VII.

REGULÆ MORUM

Contritionem spectantes explicantur.

REGULA I.

Qui solo pœnæ timore concussus de peccatis dolet, ab iisque abstinere proponit, ita ut Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere non incipiat Sacramentali Absolutione donari non debet.

INcertum enim vero esse fatentur ipsi servilis Attritionis defensores, an servilis Attritio cum Sacramento sufficiat ad justificationem peccatoris. De Contritione.
Unde asserunt, eum, qui in mortis periculo constitutus est, absolvi non posse, si solam illam Attritionem ipsum habere perspectum sit, nec facere, quod in se est, ut vere conteratur; quia damnationis æternæ periculo se exponit, qui ita affectus est. *Nam ubi est morale dubium, est morale periculum, præsertim in re tam gravi: hic autem est morale dubium, cum illa opinio nec valde antiqua, nec multum communis sit*; (ut loquitur *Suarez* III. P. Q. XC. Disp. XV. A. IV. Num. 17.) Idem asserunt *Sanchez* Lib. II. cap. IX. Num. 34. *Becanus*, Tract. I. cap. IV. Q. IX. *De Bonitate, & Malitia humanorum Actuum*, ad tertium. *Comitolus*, Lib. I. *Quæst. Moral.* Q. XXXII. Num. 8. insignes, & eruditi Societatis Jesu Theologi, & *P. Gamachæus*, Doctor, & Professor Sorbonicus in Tract. *De Pœnitentia*, cap. 8. Porro si in mortis discrimine hæc sententia non est omnino tuta, & periculo violandi Sacramentum se exponit, qui illam sequitur: nec sequenda est toto vitæ curriculo, cum periculum sit non minus sacrilegii committendi, si hæc opinio falsa sit, quæ servilem Attritionem sufficere censet, ut forsan falsa est, eruditis illis Theologis fatentibus. Et certe cum Christianus quisque eo animo, eaque pietate disponere se debeat ad Sacramentum susci-

ſuſcipiendum, cum ſanus eſt, qua ad illud ſe diſponit morti proximus; & parem gerere ſalutis ſuæ curam teneatur: ſi quidem mors eſt ſemper in januis: conſequens eſt non magis licere ſanis quam moribundis, ſequi opinionem quæ non eſt omnino certa, nec tuta, qualis illa eſt, quæ Attritionem omni Dei amore deſtitutam ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento aſſerit. *Graviter* enim *peccaret* homo *in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret*, (inquit *S. Auguſtinus* Lib. I. *De Baptiſmo*, cap. III.)

REGULA II.

Qui nihil timet magis quam a Deo ſeparari, ejuſque Viſione beatifica privari, ſufficienter contritus cenſendus eſt, ut Sacramentali Abſolutione donetur.

Dei caſtus amor.

HIc enim Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem, gratis amore caſto diligit, ut docet *S. Auguſtinus* Serm. 173. alias 19. *De Verbis Apoſtoli*, cap. x. *Aliud eſt* (inquit) *timere pęnam; aliud eſt amare juſtitiam. Amor caſtus in te eſſe debet, quo amore deſideres videre, non cęlum, & terram, non campos liquidos maris, non ſpectacula nugatoria, non fulgores, nitoreſque gemmarum: ſed deſidera videre Deum tuum, amare Deum tuum: quia dictum eſt:*

1. Joan. 3. „ Dilectiſſimi, filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quod erimus. Scimus autem, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. *Ecce propter quam viſionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, ſi in hac peregrinatione illo amore ſuſpiras; ecce probat te Dominus Deus tuus, quaſi dicat tibi: Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam; quicquid libuerit licitum puta; non hinc te punio, non te in gehennas mitto, faciem meam tantum tibi negabo. Si expaviſti, amaſti; ſi hoc quod dictum eſt, Faciem ſuam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam pęnam putaſti; gratis amaſti.* Quicumque ergo

De Contritione.

Deum, ut bonum ſuum, ac æternam ſuam beatitudinem diligit, illum amicitiæ, non concupiſcentiæ deſiderio expetit. Non enim illum ad commodum ſuum deprimit, verum diligit, ut ſe illi omnino ſubdat, illi obtemperet, in illoque tanquam in fine ſuo ultimo requieſcat. Caſtus quidem non eſt amor, quo Deus ut origo, & auctor bonorum externorum, fonſque terrenæ felicitatis tantum diligitur. Qui Deum hoc modo diligunt, illum non tam propter ipſum, quam propter iſta, quæ ab ipſo accipiunt, vel ſperant bona, diligunt. Hinc *S. Auguſtinus* Enarratione in Pſalm. XLIII. ait: *Exigitur a te, ut tu eum gratis colas, non quia dat temporalia; ſed quia præſtat æterna.* Sed caſtus eſt amor, quo quis Deum diligit tanquam ſuum, & omnis creaturæ rationalis beatificum bonum.

Qui Deum diligit, ut finem ſuæ beatitudinis, non eſt mercenarius.

Id confirmat *S. Bernardus*, Serm. VIII. De Diverſis: *Nunquid* (inquit) *mercenarium eum quis æſtimet, qui paternæ inhiat hæreditati, eamque toto affectu expetit, & exſpectat, quam nimirum filii mercedem eſſe, non mercenarii, Propheta teſtatur?* Cum dederit, *inquit*, dilectis ſuis ſomnum, ecce hæ-

Pſal. 126. 2. ræditas Domini, filii merces fructus ventris. *Invenitur tamen alter gradus ſublimior, & affectus dignior iſto, cum penitus caſtificato corde nihil aliud deſiderat anima, nihil aliud a Deo quærit, quam ipſum Deum. Crebro ſi quidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus ſperantibus in ſe, animæ quærenti ipſum, ita ut jam ex affectu cordis, atque ex ſententia clamet*

Pſalm. 72. „ *illud in Pſalmo:* Quid enim mihi in cęlo, & a te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea „ Deus in æternum. *Neque enim ſuum aliquid, non felicitatem, non glo-*

riam,

riam, non aliud quidquam tanquam privato sui ipsius amore desiderat anima, quæ ejusmodi est: sed tota pergit in Deum, unicumque ei, ac perfectum desiderium est, ut introducat eam Rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur.

Id confirmat *Hugo a S. Victore*, Libro II. *De Sacramentis*, cap. VIII. „ Sed forte (*inquit*) mercenarius eris, si diligis Deum, & servis ei, ut „ præmium ab illo accipias. Dicunt hoc stulti quidem, & tam stulti, „ ut se ipsos non intelligant: Diligimus Deum, & servimus illi; sed non „ quærimus præmium, ut mercenarii simus: etiam ipsum non quærimus. „ Dabit si voluerit, sed nos non quærimus. In tantum enim excutimus „ manus ab omni munere, ut etiam ipsum non quæramus, quem diligi- „ mus. Pura enim gratuita, & finali dilectione diligimus, nihil quæ- „ rimus. Ipse cogitet, si quid dare voluerit, nos nihil requirimus. Dili- „ gimus ipsum, sed non quærimus aliquid, etiam ipsum non quærimus „ quem diligimus. Audite, homines sapientes. Diligimus, inquiunt, ip- „ sum: sed non quærimus ipsum. Hoc est dicere. Diligimus ipsum; sed „ non curamus de ipso. Ego homo sic diligi nollem a vobis. Si me sic „ diligeretis, ut de me non curaretis, ego de vestra dilectione non cura- „ rem. Vos videritis, si dignum est ut Deo offeratis, quod homo digne „ respueret. Quomodo, inquiunt, mercenarii non sumus, si Deum pro- „ pter hoc diligimus, ut præmium ab ipso accipiamus? Non est gratis „ hoc amare, neque amor iste filialis, sed mercenarii, & servi, qui pre- „ tium quærit pro servitute sua. Qui hoc dicunt, virtutem dilectionis non „ intelligunt. Quid est enim diligere, nisi ipsum velle habere? Non aliud „ ab ipso, sed ipsum, hoc est gratis: Si aliud quæreres ab ipso, gratis non „ amares. Nunc autem non aliud quæris pro eo, quod amas, & tamen „ aliquid quæris, & desideras in eo ipso, quod amas. Alioquin non ama- „ res, si non desiderares. Sed aliud est pro ipso, aliud in ipso. Si pro ipso „ aliquid amas, mercenarius. Si in ipso amas, & ipsum amas, filius es.

Purus amor Dei non excludit ipsius desiderium quatenus beatitudo nostra est.

De Contritione.

REGULA III.

Qui dolet, quod Deum, ut par est, non diligat, ipsumque magis diligere desiderat, Deum ut omnis justitiæ fontem diligere incipit: ac proinde sufficienter contritus censendus est ad Absolutionem Sacramentalem recipiendam.

Qui desiderat amare Deum, amat.

DEsiderium enim amoris, initium amoris est. Siquidem, ut ait *Guillelmus Parisiensis*, Lib. *De Sacramento Pœnitentiæ*, cap. VI. *Qui quærit amare Deum, utique jam amat Deum, licet nondum ex amore, quem quærit. Cum enim quærat amare Deum, utique desiderat amare Deum: qui autem desiderat, amat. Amat ergo amare Deum, & non amat illud nisi propter Deum:* Hinc a *S. Augustino* Epist. CXXVII. alias XLV. scriptum est: *Justa vita, cum volumus, adest, quia eam ipsam plene velle, justitia est; nec plus aliquid perficienda justitia, quam perfectam voluntatem requirit. Vide si labor est, ubi velle satis est.... Sed hæc voluntas ut plena sit, oportet ut sana sit. Erit autem sana, si Medicum non refugiat, cujus solius gratia sanari potest a morbo desideriorum noxiorum.* Igitur & qui Deum vera, & sincera voluntate vult amare, ipsum amare incipit. Quicumque enim actus, ita a voluntate dependent, ut ad eos producendos externis membris, aut instrumentis minime indigeat, illi hoc ipso producuntur, quo eos ipsa vere, & sincere, fortiter, & integre vult esse productos, potest quis vere, & sincere velle ambulare, scribere, ædificare, qui tamen nec ambu-

ambulet, nec scribat, nec ædificet, quod vires corporis, instrumenta, & facultates voluntatem deficiant. Verum nemo sincere vult amare, qui revera amare non incipiat. Hunc enim actum si voluntas omnino, & sincere velit, statim adesse necesse est, cum eum producere nihil aliud sit, quam illum velle. Qui autem firmum propositum habet non peccandi de cetero, quod necessarium est ad fructum Absolutionis consequendum, is certe Deum amare firmo proposito decrevit. Habet enim propositum servandi mandata Dei, ac proinde servandi primum, & maximum mandatum, hoc est, amandi Dominum Deum suum ex toto corde. Illum igitur amare incipit. Nonne enim vero fur est, quisquis gerit furandi propositum? Nonne adulter est, quisquis firmum adulterandi propositum concepit? Nonne avarus, sive amator pecuniæ est, quisquis firmo proposito decrevit pecuniam amare? Eadem igitur ratione Dei amator est, quisquis firmo proposito decrevit Deum amare. Quisquis autem peccatum sincere detestatur, & deinceps non peccare decrevit, Deum amare sincere desiderat, ac firmiter decernit. Quomodo enim illum veteris amoris pœniteret, qui novo amore succendi non inciperet? Quomodo creaturarum cupiditatem detestaretur, qui cor suum non devoveret Creatori? Quomodo
Psalm. 118. diceret, *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum*, qui una non diceret, *Legem autem tuam dilexi?*

Propositionem nostram confirmat *S. Fulgentius*, Epistola ad *Eugypium*, ostenditque sine Charitate fieri non posse, ut quis Deum diligere velit. *Dilectio* (inquit) *nullatenus diligetur, nisi dilectio habeatur, qua ipsa dilectio diligatur. A se ipsa igitur dilectio diligitur, quia tunc diligitur, cum habetur, nec diligitur nisi habeatur. Equidem potest diligi a nobis, etiam cum petimus, ut augeatur in nobis: sed non diligit ejus augmentum, qui non ha-*
De Contritione. *bet initium. Non ergo sic charitas diligitur sicut nummus, aut aliquid ejusmodi. Potest enim quisque unum non habere nummum, & multitudinem diligere, ac desiderare nummorum. Diligit ergo iste nummorum multitudinem, cum ne unius quidem nummi habeat facultatem.... Charitas tamen non habetur, si non diligatur; nec diligitur, si non habeatur.*

REGULA IV.

Sacrilegii reus est, qui Sacramentalem Absolutionem recipit, Deum super omnia non diligens, idest, finem suum ultimum adhuc in creatura, non in Deo constituens.

ILle enim Sacramentum violat, quod sine debita dispositione suscipit. Ille in affectu peccati perseverat, quod se odisse, ac detestari coram Deo, & ejus Ministris profitetur. Ille remissionem peccatorum, quam Deus ad se sincere conversis duntaxat pollicetur, Deo si fieri posset, decepto suffurari conatur. *Si conversus fueris, & ingemueris, salvus eris*, (inquit Deus apud Isaiam.) In hoc testimonio (inquit *S. Fulgentius* Lib. 1. *De Remissione Peccatorum*, cap. XI.) Deus & præcepto utitur, & promisso. Dicens quippe, *Si conversus fueris, & ingemueris, salvus eris*, ostendit ex conversionis conditione promissionem salutis omnino pendere. *Hæc est igitur inter Deum, hominemque conditio, id est, inter præcipientem Dominum, servumque poscentem, inter judicem, qui sine justitia misericordiam prærogat, & peccatorem, qui misericordiam juste judicantis expectat. Dicit igitur iste Dominus misericors, & justus, severus, & pius: Si hoc feceris, hoc habebis. Ego tibi præcipio conversionem, tu poscis a me salutem. Si parueris præcepto, po-*
„ *tieris beneficio. Si jussa fieri videam, postulata concedam.* Si conversus fue-
„ ris

„ ris, & ingemueris, salvus eris. *Cum dicitur igitur peccatori beneficium salutis accipere cupienti, quia si conversus fuerit, & ingemuerit, salvus erit; consequenter intelligitur, quia etiamsi ingemuerit, tamen conversus non fuerit, salvus non erit. Non enim frustra utrumque divinus sermo complexus est, nisi ut hæc duo, id est, conversionem, & gemitum, necessaria cognosceremus ad consequendum salutis effectum.* Non sufficit gemitus orantis, nisi accedat conversio cordis. *Nonnulli enim scelerum suorum consideratione perterriti, pro iniquitatibus suis in oratione gemunt, nec tamen ab iniqua operatione discedunt. Fatentur se male fecisse, nec ullum finem volunt malefactis suis imponere. Accusant humiliter in conspectu Dei peccata, quibus tenentur oppressi, & eadem peccata, quæ humilitate sermonis accusant, corde perverso contumaciter cumulant. Indulgentiam, quam lacrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi pravis operibus adimunt. Medelam postulant a Medico, & in perniciem suam subrogant adjutorium morbo. Inaniter verbis quærunt placare Judicem, quem factis iniquis magis irritant ad futurum. Tales nunquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.* Rectissime igitur *dicit Deus homini:* „ Si conversus fueris, & ingemueris, salvus eris. *Apud Deum quippe severum, & bonum tunc oratio gementis auditur, tunc poscentis fletus attenditur, tunc flenti conceditur salus, si fuerit ad Deum contriti cordis humilitate conversus.* Non est autem vera conversio, nisi hominis animus, qui finem suum ultimum in creatura peccando collocaverat, eique Creatorem postposuerat, a perverso creaturæ amore aversus Deum tanquam finem suum ultimum diligat, eoque nomine peccatum oderit, ac detestetur, quod illum a summo illo bono, suoque & omnium creaturarum ultimo fine separaverit. Si autem nec ita sit affectus, neque sic affectum se probabiliter putet, ac nihilominus Sacramentum recipiat, sacrilegium committit, ut docet *S. Bonaventura* in IV. Sententiarum, Dist. XVII. P. II. Q. IV. *Nemo* (inquit) *recipit effectum Absolutionis, nisi charitatem habeat saltem in principio Confessionis, vel in medio, vel in fine. Multi autem habent in fine, qui tamen non habent in principio: & alii se credunt habere in principio, & in fine, qui fortassis non habent: & aliqui non habent, nec credunt se habere. Primi non incurrunt offensam, sed acquirunt gratiam. Secundi evadunt offensam, quamvis non acquirant gratiam. Tertii vero non acquirunt gratiam, sed iram.*

Nemo recipit effectum Absolutionis nisi charitatem habeat.

R E G U L A V.

Quamvis Confessarius explorare debeat animum Pœnitentis, an sit vere contritus; ipsum tamen interrogare non debet, an hæc, & illa supplicia, verbi gratia, rotas, ignes, pellis detractionem, &c. uxoris, filiorum, bonorum omnium amissionem, pœnas ipsas inferni, seclusa Dei offensa pati mallet, quam vel unum peccatum mortale perpetrare.

Nititur hæc Regula *S. Thomæ* auctoritate, Qu. III. Supplementi, Art. I. ad quartum. *Sciendum est* (inquit) *quod quamvis talis debeat esse contriti dispositio, non tamen de eis tentandus est, quia affectus suos homo non de facili mensurare potest: & quandoque illud, quod minus displicet, videtur magis displicere: quia est propinquius nocumento sensibili, quod magis est nobis notum.*

RE-

REGULA VI.

Vera Contritio renovatio pacti cum Deo in Baptismate initi esse debet.

HInc *S. Joannes Climacus*, Gradu v. ait: *Pœnitentia est revocatio Baptismatis; Pœnitentia est pactum cum Deo initum de vita priore emendanda & meliore instituenda.* Hinc *Gregorius VII.* Pontifex Maximus, Lib. VII. Epist. x. ad Britanniæ Episcopos, & Sacerdotes scribit: *Quisquis digne vult pœnitere, necesse est, ut ad fidei recurrat originem, & quod in Baptismo promisit, diabolo scilicet, pompisque illius abrenunciare, & in Deum credere, videlicet recta de eo sentiendo, mandatis ipsius obedire, solicitus sit vigilanter custodire.* Hinc Pœnitentes non prius olim absolvebantur, quam elata in altum manu promisissent se deinceps non peccaturos, sed acturos vitam Christianis dignam, teste *S. Eligio*, Hom. VII. de Pœnitentia. *Si* (inquit) *quantum humanæ fragilitati scire permittitur, digne pœnituistis, & deinceps ne talia facere velitis, tota mentis contentione promittitis, dexteras manus vestras in sublime extendite, & ab hinc cælestem conversationem, & vitam Deo dignam gerere ostendatis.*

REGULA VII.

Quamvis Formulæ quædam Precum, quæ inscribuntur, Actus Contritionis, *piæ sint, & Pœnitentibus utiles, non tamen censendi sunt Contritionis actum edidisse, quicumque Preces hujusmodi recitarunt.*

De Contritione.

UTiles quidem sunt ad gratiam Contritionis a Deo postulandam, quam ex nobis ipsis habere, propriisque viribus consequi non possumus: sed actus contritionis non sunt. Contritio namque, & amor Dei sunt actus, & motus voluntatis, non cogitationes mentis. Illæ porro Precum formulæ, sive ore proferantur, sive interius absque sono verborum concipiantur, non sunt actus voluntatis, non propensiones cordis in Deum, sed actuum significationes, propensionis, & amoris testimonia. Qualia his *S. Augustini* verbis Lib. XIII. *Confessionum*, cap. VIII. exprimuntur: *Da mihi te, Deus meus, redde te mihi, te enim amo, & si parum est, tamen validius. Non possum metiri quantum desit mihi amoris ad id, quod sat est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia male mihi est præter te, non solum extra me, sed & in me ipso; & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.*

Veræ Contritionis, & sinceræ conversionis indicia.

1. Occasionum peccati fuga.

Quædam autem sunt veræ contritionis, & sinceræ ad Deum conversionis indicia. Primum est occasionum peccandi fuga. Ut enim ait *S. Bernardus*, Sermone De Paschate, *Non satis cecidisse piget hominem, (ut videtur,) qui adhuc disponit manere in lubrico; aut errasse, qui ducem non quærit. Sic veræ compunctionis indicium opportunitatis fuga, subtractio occasionis.*

2. Frequens de Deo cogitatio.

Concione 2. de B. Maria Magdalena.

Matth. 6.

Alterum veræ contritionis signum est frequens de Deo cogitatio. Si enim Deus super omnia diligitur, super omnia de illo cogitatur. *Vis scire* (inquit S. Bonaventura) *si Deum perfecte diligas, vel aliud plus Deo amas? attende si de Deo plus, quam de aliis rebus cogitas, quia de illo plus cogitas, quod plus amas.* Ubi enim thesaurus tuus, ibi cor tuum est. *Veritas hoc docet, quæ mentiri non potest; ergo si plus cogitas de mundo, plus de lucro, plus de carnali amico, vel socio, quam de Christo, amas ista plus quam Christum.* Hanc ob causam Dominus ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Nam (sicut S. Bernar-

Matth. 22.

dus

dus dicit.) *Diligere Deum ex toto corde, est diligere toto intellectu sine errore: diligere Deum tota anima, est diligere tota voluntate sine contradictione: diligere vero tota mente, est diligere tota memoria sine oblivione.*

Tertium veræ contritionis signum est studium ardens quærendi Deum, cum illum nostris peccatis amisimus. Ut enim ait *S. Gregorius*, Hom. 25. in Evangelia, *Vis amoris intensionem multiplicat inquisitionis*. Sic Sponsa præ amore, & absentia Sponsi languens, illum ardentissima solicitudine quærit. 3. Studium ardens quærendi Deum. Cant. 3.

Quantum veræ contritionis signum, est studium bonorum operum, & desiderium, quo anima fertur ad omnia, quæ Deo sunt placita. *Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem* (inquit S. Augustinus.) *Dilectio vacare non potest, nisi & mali nihil operetur, & quicquid potest boni operetur. Quid enim facit dilectio?* Declina a malo, & fac bonum. 4. Studium bonorum operum. Psal. 36. 7.

Quintum veræ contritionis signum est vindicta peccati. Cum enim ordo justitiæ postulet, ut peccatum impunitum non maneat; puniatur necesse est aut ab homine pœnitente, aut a Deo vindicante. 5. Vindict. peccati.

Sextum veræ contritionis signum est constantia, & perseverantia in fuga peccati, & observatione divinorum mandatorum. *Si quis diligit me* (inquit Christus) *sermonem meum servabit*. Hæc omnia sinceræ conversionis, & veræ Contritionis indicia complectitur Apostolus II. ad Corinthios VII. scribens: *Quæ secundum Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur.... Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam*. Tristitia (inquit *S. Thomas* in hujus loci Commentario) ex amore oritur. Tristatur enim quis, quia caret eo, quod amat. Qualis autem est amor, talis est tristitia ex amore orta. Est autem duplex amor: unus, quo diligitur Deus, ex quo nascitur tristitia secundum Deum: alius, quo amatur sæculum, ex quo nascitur tristitia sæculi. *Amor quo diligimus Deum, facit nos libenter servire Deo, solicite quærere honorem Dei, & vacare Deo dulciter. Et quia peccando impedimur a servitio Dei, & ideo ei non vacamus, nec ejus honorem quærimus, ideo amor Dei causat tristitiam de peccato: & hæc est tristitia secundum Deum*. Hæc autem tristitia operatur *Pœnitentiam stabilem*, & constantem, non fugacem, desultoriam, vacillantem. Secundo, *Solicitudinem* operatur ad vitanda mala, & facienda bona. Tertio *Defensionem* parat contra illos, qui nos ad malum inducunt, facitque ut eis resistamus fortes in fide, illisque armaturam Dei opponamus. Quarto, *Indignationem* operatur. Pœnitens enim sibi ipsi irascitur, quod ob vilia, & peritura Deum dereliquerit. Quinto, *Timorem*, quo metuit, ne Deum offendat, illique displiceat. Sexto, *Desiderium*, quo anima fertur ad omnia, quæ Deus jubet, secundum illud Regis Pœnitentis: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore*. Septimo *Æmulationem*, qua æmulatur charismata meliora, & eos, qui in via mandatorum Dei incedunt, imitari studet. Octavo *Vindictam*, qua Pœnitens a se ipso pœnas exigit, Deique justitiæ satisfacere pro virili conatur.

6. Perseverantia in bono. Joan. 14. 23.

Tristitiæ salutaris effectus.

Psal. 118. 20.

RE-

REGULA VIII.

Ad Contritionis actum eliciendum tenetur homo in periculo mortis, & quotiescumque Sacramentum aliquod suscipiendum, vel administrandum est: quoties tandem se a Deo aversum esse per peccatum mortale cognoscit, de quo alias contritus non fuit.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Qu. III. Supplementi, Art. V. his verbis: *Cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad Contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriæ occurrunt, præcipue, cum in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione oporteat eum peccatum incurrere. Sicut cum tenetur Sacerdos ad celebrandum, si non desit copia Sacerdotis, confiteri tenetur; aut si desit, saltem conteri tenetur, & habere propositum confitendi, copia Sacerdotis oblata.*

Nec obstat, quod præceptum de contritione sit affirmativum, quod etsi obliget semper, non tamen pro semper. Nec enim dicimus pro semper teneri hominem ad excitandam contritionem, *sed pro loco, & tempore, videlicet cum recogitat mala sua, in quibus offendit Deum*; (inquit *S. Bonaventura* in IV. *Sententiarum*, Dist. XVI. Qu. II. Primæ Partis.)

De Contritione.

Idem confirmat *S. Antoninus* III. P. Tit. XIV. cap. XVIII. *Quantum* (inquit) *ad peccata mortalia, de quibus nondum quis habuit contritionem, videtur, quod semper teneatur, quando peccatum menti occurrit, ad actu odiendum, & detestandum peccatum. Alias peccat mortaliter peccato omissionis, quousque conteratur. Dicit enim D. Thomas, quod post mortale peccatum non tenetur quis ad statim confitendum: tenetur tamen ad statim conterendum: nec enim per momentum licet stare in peccato. Unde Eccli. XXI. dicitur:* Quasi a facie colubri fuge peccatum, *Imminet enim tali maximum periculum: cum enim nulla necessitas excuset a Contritione, si moriatur ante Contritionem, etiamsi non potuit confiteri, quia subito moritur, nihilominus damnatur.*

Et certe graviter peccare hominem, qui se a Deo aversum animadvertens, Pœnitentiam differt, confirmat sacrum oraculum Eccl. V. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Quæ verba consilium duntaxat, non præceptum exprimere, perabsurde diceretur. Præterea, Lex naturæ docet nos reconciliationem cum eo quem offendimus, non esse differendam, ubi datur opportunitas: quo pertinet illud Domini mandatum, Matth. V. *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Et filium nemo novi criminis reum non censeret, qui monitus, ut patrem offensum placare conetur, cum facile id possit, nihilominus in ejus inimicitia adhuc permanere vellet: quanto magis reus est, qui simul ac cognoscit Deum a se offensum, eum sibi reconciliari, ac propitium reddere vera, & sincera contritione non studet?

Denique cor humanum servit rei, quam propter se ipsam amore prædominante diligit. Servit igitur creaturæ, qui diligit ipsam præ Creatore. Debet ergo homo simul ac perversitatem illam in se cognoscit, tam cito resipiscere ab amore, quo creaturam super omnia diligit, quam cito ab idololatria recedere; cumque sensum abjicere, quo creaturæ potius servitur, quam Creatori. *Hoc enim colitur, quod diligitur: unde quia Deus rebus omnibus major, & melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur:* (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalm. LXXVII.)

CA-

CAPUT V.
DE CONFESSIONE SACRAMENTALI
ARTICULUS I.
Quid sit Confessio?

Confessio definitur in Catechismo Concilii Tridentini, *Peccatorum accusatio, ad Sacramenti genus pertinens, eo suscepta, ut veniam virtute clavium impetremus.* Confessionis definitio.

Accusatio dicitur, quia peccata ita commemoranda non sunt, quasi scelera nostra ostentemus, ut ii faciunt, qui lætantur, cum male fecerint: aut omnino enarranda, quasi rem aliquam gestam otiosis auditoribus delectandi causa exponamus. Verum accusatorio animo ita enumeranda sunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus. Hinc *Tertullianus*, Lib. *De Pœnitentia*, cap. IX. *Exomologesis* (inquit) *qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus Satisfactio Confessione disponitur, Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus mitigatur. Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animam mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare.... Plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia Exomologesis, ut Pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.*

Dicitur *ad Sacramenti genus pertinens*; Christus enim, qui bene omnia, & unius salutis nostræ causa fecit, hoc Sacramentum instituit singulari bonitate, & misericordia, cum Apostolis post Resurrectionem unum in locum congregatis insufflavit, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 22.

Dicitur *veniæ impetrandæ causa*, quia hoc judicium longe dissimile est forensibus capitalium rerum quæstionibus, in quibus confessioni pœna, & supplicium, non culpæ liberatio, & errati venia constituta est.

In eamdem fere sententiam Confessionem definierunt SS. Patres, & veteres Theologi. Ita quippe definitur ex S. Augustino: *Confessio est, per quam morbus latens spe veniæ aperitur.* Quæ definitio colligitur ex ejus Enarratione in Psal. LXVI. ad illa verba, *Confiteantur tibi populi Deus*, quæ ita commentatur: „Tuam iniquitatem confitere, gratiam Dei confitere: te accusa, illum glorifica te reprehende, illum lauda: ut & ipse veniens inveniat te punitorem tuum, & exhibeat tibi Salvatorem tuum.... Confiteri times Deo, ne confessum damnet? Si non confessus lates, confessus damnaberis? Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus: damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus. Et quia ista Confessio non ad supplicium ducit, sequitur, & dicit, *Lætentur, & exultent gentes*. Si plangunt ante hominem confessi latrones, lætentur ante Deum confessi fideles. Si homo judicet, exigit a latrone confessionem tortor, & timor: imo aliquando confessionem premit timor, exigit dolor: & De Confessione.

„ille,

„ ille, qui plangit in tormentis, timet autem occidi confessus, portat tormenta quantum potest; & si victus dolore fuerit, profert ad mortem vocem suam. Nusquam ergo lætus, nusquam exultans: antequam confiteatur, exarat ungula; cum confessus fuerit, damnatum carnifex ducit: miser ubique. Sed *Lætentur, & exultent gentes*. Unde? Per ipsam confessionem. Quare? Quia bonus est cui confitentur: ad hoc exigit confessionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Ergo tristis esto, antequam confitearis; confessus exulta, jam sanaberis. Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat: adhibet Medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis; tu cognosce Medici manum; confitere, exeat in Confessione, & defluat omnis sanies: jam exulta, jam lætare; quod reliquum est, facile sanabitur.... Advocatum misit tibi (*Deus:*) Propter illum, & per illum confitere: age causam tuam, & defensor est Pœnitentis, & petitor veniæ confitentis, & judex innocentis.

Quid est Confessio Sacramentalis?

Sic vero definitur a S. Gregorio: *Confessio est peccatorum detectio, & ruptio vulneris*. Quæ definitio colligitur ex Homilia illius XL. in Evangelia. *Quid est* (inquit) *peccatorum Confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? Quia peccati virus salubriter aperitur in Confessione, quod pestifere latebat in mente.*

Sic definitur a *S. Raymundo*, Lib. III. Tit. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, §. XIII. *Confessio est coram Sacerdote legitima peccatorum declaratio.*

Sic denique definitur a Beato *Alberto Magno*, in IV. Sentent. Dist. XVI. A. XVI. & ab antiquioribus Theologis: *Confessio est sacramentalis delinquentis accusatio, ex erubescentia, & per claves Ecclesiæ satisfactoria, obligans ad peragendam Pœnitentiam injunctam.*

ARTICULUS II.

De Confessionis Utilitate.

CONfessio medium efficacissimum est ad iram Dei placandam, ad satisfaciendum illius justitiæ pro peccatis nostris; amores denique in melius emendandos.

Confessio Deum placat.

I. Quam utilis sit ad iram Dei placandam sincera peccatorum Confessio, Sacræ Litteræ testantur. Adamum, statim atque peccavit, Deus ad peccati Confessionem benigna vocatione hortatus est, ut a peccato liberaret. Genes. III. *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es?* Quæ verba expendens *S. Jo: Chrysostomus*, Hom. XVII. in Genesim, ait. *Vel ex ipsa interrogatione hac dignum est, ut obstupescamus ad eminentem Dei clementiam, non solum quod vocavit, sed quod per se ipsum vocavit.* Non ita Judices terreni, qui reos ad tribunal suum per lictores vocant. Verum Deus non sic „ agit: *Ipse per sese vocat.* Et vocavit Dominus Adam, & dixit illi, A„ dam ubi es? *Vide in brevi hac dictione quanta vis recondita sit. Nam & ipsum vocare, magnæ, & ineffabilis est clementiæ; tum ob benignam interrogationem, quæ erubescentem, & neque os aperire, neque linguam movere audentem animabat: tum quod ipsum dicere*, Ubi es, *plurimam una cum benignitate vim habet.* Adamum, & Evam non ignorans interrogat Deus, sed *Ut suam declaret misericordiam, ad illorum se infirmitatem demittit, & ad peccatorum Confessionem provocat*. Illi vero peccatum excusarunt, & Adamus in mulierem culpam refudit, mulier in serpentem: qua excusatione culpam cumularunt, quam Confessione expiassent. Qua de re *S. Gregorius*,

Confessionis utilitas.

„ *rius*, *Lib.* XXII. Moralium, *cap.* IX. Ad hoc (*inquit*) requisiti fuerant, ut „ peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Unde & „ Serpens ille persuasor, qui non erat revocandus ad veniam, non est de culpa „ requisitus. Interrogatus itaque homo est, ubi esset, ut perpetratam cul- „ pam respiceret, & confitendo cognosceret, quam longe a Conditoris sui „ facie abesset. Sed adhibere sibimet utrique defensionis solatia, quam Con- „ fessionis elegerunt. Cumque excusare peccatum voluit vir per mulierem, „ mulier per serpentem: auxerunt culpam, quam tueri conati sunt: oblique „ Adam Dominum tangens, quod ipse peccati eorum auctor extiterit, qui mu- „ lierem fecit: & Eva culpam ad Dominum referens, qui serpentem in Pa- „ radiso posuisset. Sic ergo reatum suum dum defendere moliuntur, addi- „ derunt, ut culpa eorum atrocior discussa fieret, quam fuerat perpetrata. „ Unde nunc quoque humani generis rami ex hac adhuc radice amaritu- „ dinem trahunt: ut cum de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum „ verba, quasi sub quædam se arborum folia abscondat, & velut ad quædam „ excusationis suæ opaca secreta faciem Conditoris fugiat, dum non vult co- „ gnosci quod fecit. In qua videlicet occultatione non se Domino, sed Do- „ minum abscondit sibi. Agit quippe, ne omnia videntem videat, non au- „ tem ne ipse videatur. Quo contra cuique peccatori jam exordium illumi- „ nationis est humilitas Confessionis: quia sibimet ipsi jam parcere renuit, qui „ malum non erubescit confiteri, quod fecit: & qui defendendo accusari potu- „ it, accusando se celerrime defendit. Unde & mortuo Lazaro, qui magna mo- Joann. 11. „ le premebatur, nequaquam dicitur. Revivisce, sed, *Veni foras*. Ex qua „ scilicet Resurrectione, quæ gesta in illius est corpore, signatur qualiter „ nos resuscitemur in corde cum videlicet mortuo dicitur, *Veni foras*; ut „ nimirum homo in peccato suo mortuus, & per molem malæ consuetudinis „ jam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, „ a semetipso foras exeat per Confessionem. Mortuo enim, *Veni foras*, dici- „ tur, ut ab excusatione, atque occultatione peccati ad accusationem suam „ ore proprio exire provocetur .... Quia igitur hæc occultationis culpa in hu- „ mano genere vehementer excrevit, bene Beatus Job cum diceret: *Si abscon- di peccatum meum*, interposuit, *quasi homo*. „ Hominis quippe esse proprium „ conspicit, quod ex parentis veteris imitatione descendit.

Tanta inter justitiam Dei, & peccatoris Confessionem consensio est, ut Dei justitia placetur simul, ac peccator iniquitates suas confitetur. Quod his Prophetæ verbis, *Veritas de terra orta est*, *& justitia de cœlo prospexit*, signi- Psalm. 84. ficatum observat *S. Augustinus*, Enarratione in Psalm. LXXXIV. *Veritas* (in- quit) „ de terra orta est: Confessio ab homine. Homo enim peccator eras. „ O terra, qui quando peccasti, audisti, *Terra es*, *& in terram ibis*, Oriatur „ de te veritas, ut respiciat de cœlo justitia. Quomodo a te oritur veri- Confessionis utilitas. „ tas, cum tu peccator sis, cum tu iniquus sis? Confitere peccata tua, „ & orietur de te veritas. Si enim cum sis iniquus, dicis te justum, quo- „ modo a te veritas orietur? Si autem cum sis iniquus, dicis te iniqu- „ um; *Veritas de terra orta est*. Intende illum Publicanum longe a Pha- „ risæo in Templo orantem, qui neque oculos ad cœlum audebat leva- „ re, sed percutiebat pectus suum, dicens, Domine, propitius esto mihi „ peccatori. Ecce *Veritas de terra orta est*: quia Confessio peccatorum ab „ homine facta est. Orta est veritas de terra in Confessione peccato- „ rum: *Et justitia de cœlo prospexit*, ut descenderet justificatus Publicanus „ ille magis quam ille Pharisæus. Nam ut noveritis, quia Veritas perti- „ net ad Confessionem peccatorum, ait Joannes Evangelista: Si dixerimus, „ quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis 1. Joan. 1. „ non

,, non eſt. Quomodo ergo veritas de terra oritur, ut juſtitia de cœlo pro-
,, ſpiciat, audi illum ſequentem, & dicentem: Si confiteamur peccata noſtra,
,, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata, & purget nos ab omni ini-
,, quitate. *Veritas* ergo *de terra orta eſt*, *& juſtitia de cœlo proſpexit* ,, Quæ
juſtitia de cœlo proſpexit? Tanquam Dei dicentis, Parcamus huic homi-
,, ni, quia ipſe ſibi non pepercit: ignoſcamus, quia ipſe agnoſcit. Con-
,, verſus eſt ad puniendum peccatum ſuum, convertar & ego ad eum libe-
,, randum. *Veritas de terra orta eſt*. Confeſſio peccatorum ab homine. *Et
juſtitia de cœlo proſpexit*, ,, Id eſt, a Domino Deo data eſt juſtificatio confiten-
,, ti, ut ipſe agnoſcat impius pium ſe fieri non poſſe, niſi ille fecerit, cui con-
,, fitetur, credendo in eum, qui juſtificat impium. Tu ergo peccata potes ha-
,, bere, ſed fructum bonum non habebis, niſi ille dederit, cui confiteris. Ideo cum
,, dixiſſet, *Veritas de terra orta eſt*, *& juſtitia de cœlo proſpexit*: tanquam dice-
,, retur ei, Quid eſt quod dixiſti, *Juſtitia de cœlo proſpexit*? *Etenim*, inquit, *Do-
minus dabit ſuavitatem*, *& terra noſtra dabit fructum ſuum*. ,, Nos ergo reſpi-
,, ciamus nos; & ſi nihil in nobis invenerimus niſi peccata, oderimus peccata,
,, & deſideremus juſtitiam. Cum enim cęperimus odiſſe peccata, jam ipſum odi-
,, um peccatorum ſimiles nos incipit facere Deo: quia hoc odimus, quod odit
,, & Deus. Cum ergo cęperis odiſſe peccata, & confiteri Deo, cum te delecta-
,, tiones illicitæ rapiunt, & ducunt ad ea, quæ tibi non proſunt, ingemiſce ad
,, Deum: & confitens illi peccata tua, mereberis ab illo delectationem, & ſua-
,, vitatem juſtitiæ faciendæ dabit tibi, ut incipiat te delectare juſtitia, quem pri-
,, mo delectabat iniquitas: ut qui primo gaudebas in ebrietate, gaudeas in ſobrie-
,, tate: & quem delectabat rapere, delectet donare; quem delectabat ſpectare,
,, delectet orare; quem delectabant cantica nugatoria, & adulterina, delectet,
,, hymnum dicere Deo; currere ad Eccleſiam, qui primo currebas ad thea-
,, trum. Unde nata eſt iſta ſuavitas, niſi quia Dominus dabit ſuavitatem &
,, terra noſtra dabit fructum ſuum? *Juſtitia ante eum ambulabit*, *& ponet in via
greſſus ſuos*. ,, Juſtitia illa eſt, quæ eſt in Confeſſione peccatorum: Veritas enim
,, ipſa eſt. Juſtus enim debes eſſe in te, ut punias te. Ipſa eſt prima homi-
,, nis juſtitia, ut punias te malum, & faciat te Deus bonum. Quia ergo ipſa eſt
,, prima hominis juſtitia, ipſa fit via Deo, ut veniat ad te Deus: ibi illi fac vi-
,, am in Confeſſione peccatorum. Ideo & Joannes cum baptizaret in aqua Pę-
,, nitentiæ, & vellet ad ſe venire Pœnitentes de ſuis prioribus factis, hoc dicebat,
Luc. 3. 4. *Parate viam Domino, rectas facite ſemitas ejus* ,, Placebas tibi in peccatis tuis, o
Confeſsionis utilitas. ,, homo: diſpliceat tibi quod eras, ut poſſis eſſe quod non eras. Parate viam
,, Domino: præcedat iſta juſtitia, ut confitearis peccata. Veniet ille, & viſi-
,, tabit te, quia ponet in via greſſus ſuos. Eſt enim jam ubi ponat greſſus ſuos, eſt
,, ubi ad te veniat. Ante autem quam confitereris peccata, intercluſeras ad te
,, viam Dei, non erat qua ad te veniret. Confitere vitam, & aperis viam: &
,, veniet Chriſtus, & ponet in via greſſus ſuos, ut te informet veſtigiis ſuis.

Et in Pſal. LXVI. *Confiteri times Deo, ne confeſſum damnet? Si non con-
feſſus lates, confeſſus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo eſſe non
potes occultus: damnaberis tacitus, qui poſſes liberari confeſſus* .... Lætentur,
& exultent gentes. *Unde? Per ipſam Confeſſionem: Quare: Quia bonus eſt, cui
confitentur: ad hoc exigit Confeſſionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non
confitentem, ut puniat ſuperbum. Ergo triſtis eſt antequam confitearis; con-
feſſus exulta, jam ſanaberis.*

Confeſsio ſuum Animę decorem reſtituit. Peccatorum Confeſſione decorem ſuum recuperat Anima. Unde *S. Ber-
nardus*, Epiſt. CXIII. ad *Sophiam* Virginem ſcribit: *Ama Confeſſionem, ob
quam amaris; ama Confeſſionem, ſi affectas decorem. Confeſſioni jungitur decor,*
Pſalm. 103. *jungitur pulchritudo. Habes utrumque*: Confeſſionem, & decorem induiſti;
Et,

Et, Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus. *Si peccata sunt, in Confessione lavantur, si bona opera, Confessione commendantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus: cum Dei beneficia, immolas Deo Sacrificium laudis. Bonum animæ ornamentum Confessio, quæ & peccatorem purgat, & justum reddit purgatiorem. Absque Confessione justus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur*. A mortuo *quippe*, tanquam, qui non sit, perit Confessio, *Confessio igitur peccatoris est vita, justi gloria*. Psal. 93. 6. Eccli. 17. 26.

II. Secundo, utilis est Confessio ad satisfaciendum justitiæ Dei pro peccatis nostris. Ut enim ait *S. Ambrosius*, Lib. II. *De Cain, & Abel*, cap. IX. *Confessio pœnarum compendium est. Inde in Judiciis sæcularibus impositi, equuleo torquentur negantes, & quædam tangit Judicem miseratio confitentis. Est quædam in peccatis verecundia, & Pœnitentiæ portio crimen fateri, nec derivare culpam, sed recognoscere. Mitigat Judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium*. Confessio justitiæ Dei pro peccatis nostris suo modo satisfacit.

Idem confirmatur ex Canone, *Quem pœnitet*, 88. Dist. I. *De Pœnitentia*, qui sumptus est ex Libro *De vera, & falsa Pœnitentia*, sub nomine *S. Augustini* olim edito, cap. x. *Quem pœnitet* (inquit) *omnino pœniteat, & dolorem lacrymis ostendat: repræsentet vitam suam Deo per Sacerdotem; præveniat Judicium Dei per Confessionem .... Erubescentia partem habet remissionis. Ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto. In hoc enim, quod per seipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiam vincit timore Dei offensi, fit venia criminis .... Multum satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum, quæ commisit, Nuntio Dei denegavit. Deus enim misericors, & iustus est: sicut conservat misericordiam in justitia, ita & justitiam in misericordia. Opus enim est misericordiæ peccanti peccata dimittere; sed oportet, ut justus misereatur juste. Oportet enim, ut non solutum quid, sed in quo doleat consideret, si dignus est, non dico justitia, sed misericordia. Justitia enim sola damnat. Sed dignus est misericordia, qui spiritali labore petit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubescentiam. Et quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia*.

Et *S. Augustinus*, Tract. XII. in *Joannem*, explicans hæc verba: & *dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim mala opera eorum. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus*, ait: *Qui confitetur peccata sua, jam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua: si & tu accusas, conjungeris Deo. Quasi duæ res sunt, homo & peccator. Quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus salvet, quod fecit. Oportet ut oderis in te opus tuum, & ames in te opus Dei. Cum autem cœperit tibi displicere, quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum, Confessio est operum malorum. Facis veritatem, & venis ad lucem. Quid est, Facis veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non te adulas, non dicis, Justus sum, cum sis iniquus, & incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem, ut manifestentur opera tua, quia in Deo sunt facta: quia & hoc ipsum, quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & ejus veritas tibi ostenderet. Sed qui & admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem, & fugit eam, ut non arguantur opera ejus mala, quæ diligit. Qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua: non sibi parcit, non sibi ignoscit, ut Deus ignoscat: quia quod vult, ut Deus ignoscat, ipse agnoscit, & venit ad lucem, cui gratias agit, quod illi quid in se odisset, ostenderit. Dicit Deo*, Averte faciem tuam a peccatis meis. *Et qua fronte dicit, nisi iterum dicat*, Confessionis utilitas. Psalm. 50.

„ Quoniam facinus meum ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt „ ſemper? *Sit ante te, quod non vis eſſe ante Deum. Si autem poſt te feceris peccatum tuum, retorquet illud tibi Deus ante oculos tuos: & tunc retorquet, quando jam Pœnitentiæ fructus nullus erit.*

Adde præclarum *Tertulliani* locum, Lib. *De Pœnitentia*, cap. IX. *Exomologeſis, cum provolvit hominem, magis relevat: cum ſqualidum facit, magis mundatum reddit: cum accuſat excuſat: cum condemnat, abſolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.*

Gen. 4. 23. Lamechum pœnam evaſiſſe propter peccati Confeſſionem, cum ait: *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum*: etſi *ſeptuplum* ultio de Cain, de Lamech vero *ſeptuagies ſepties* repetenda eſſet; aſſerit *Theodoretus*. Interrogatione XLIV. in Geneſim: *Pœnam tamen* (inquit) *evaſit, propter peccati Confeſſionem: & contra ſe ferens Sententiam, evitavit Sententiam divinam.*

Confeſsio utilis ad morum emendationem. III. Utilis etiam Confeſſio eſt ad emendationem morum. Iis enim quorum eſt corrupta vitæ conſuetudo, nihil tam prodeſſe ad mores emendandos experimur, quam ſi interdum occultas animi ſui cogitationes, facta, dictaque omnia prudenti, & fideli amico patefaciant, qui eos opera, & conſilio juvare poſſit. Quare ob eamdem rationem maxime ſalutare exiſtimandum eſt iis, qui ſcelerum conſcientia agitantur, ut Sacerdoti, tanquam Chriſti Domini Vicario, cui perpetui ſilentii ſeveriſſima lex propoſita eſt, animæ ſuæ morbos, & vulnera aperiant: ſtatim enim parata ſibi medicamenta invenient, quæ non ſolum præſentis ægritudinis ſanandæ; verum ita præparandæ animæ cæleſtem quamdam vim habent: ut deinceps facile futurum non ſit, in ejuſdem morbi, & vitii genus recidere. Conſtat denique, ſi ſacramentalem Confeſſionem e Chriſtiana Diſciplina exemeris, plena omnia occultis, & nefandis ſceleribus futura eſſe: quæ poſtea, & alia etiam multo graviora, homines peccati conſuetudine depravati palam committere non verebuntur. Etenim confitendi verecundia, delinquendi cupiditati, & licentiæ tanquam frenum injicit, & improbitatem coercet; (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus P. II. *De Pœnitentia*, §. XLVIII. & XLIX.) Addit, Quicquid hoc tempore ſanctitatis, pietatis, & religionis in Eccleſia conſervatum eſt, id magna ex parte Confeſſioni tribuendum eſſe, ut nulli mirandum ſit, humani generis Hoſtem, cum Fidem Catholicam funditus evertere cogitat, per Miniſtros impietatis ſuæ, & ſatellites hanc veluti Chriſtianæ virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum eſſe. Quod enim ajebat *Tertulianus* de Ethnicis ab Idolorum cultu ad Chriſtum converſis, & Baptiſmo initiatis, idem de lapſis poſt Baptiſmum Pœnitentibus, & ſacramentali Confeſſione peccata ſua eluentibus

Confeſsionis utilitas. dici poteſt: *Non aliunde noſcibile, quam de emendatione vitiorum priſtinorum.* Et Apologetici cap. III. teſtatur, Gentiles fuiſſe ſolitos, cum viderent quantam morum emendationem in illis Deus operabatur, qui Chriſto nomen dabant, his verbis exclamare: *Quæ mulier! quam laſciva, quam feſtiva! Qui juvenis! Quam luſus! Quam amaſius! Facti ſunt Chriſtiani. Ita* (inquit) *nomen emendationi imputatur.* Sic olim quidam Adoleſcens poſt amores meretricios peregre profectus, & abolito amore regreſſus, poſtea veteri dilectæ, cum occurriſſet, illaque non interpellata, ſe non recognitam miraretur, & rurſus occurrens dixiſſet: *Ego ſum*: reſpondit ille, *Sed ego non ſum ego*; (ut refert *S. Ambroſius*, Lib. II. *De Pœnitentia*, cap. X.) Par mutatio in iis, qui rectam peccatorum Confeſſionem edunt, conſpicitur. Hinc Dominus ait: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Etenim (inquit) S. Ambroſius Qui

mortui, & sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decedere. Matth. 16. 24.

Quatuor Confessionis effectus assignat *S. Thomas* in IV. Sententiarum Dist. XVII. Qu. III A. V. Primo liberat a culpa, seu morte peccati, gratiamque confert, vel auget. Secundo liberat a pœna æterna, quam in temporalem Purgatorii commutat, & purgationem ita minuit vi clavium, ut proportionata remaneat viribus Penitentis, ita ut satisfaciendo in hac vita purgare se possit. Tertio, Paradisum aperit, remotis impedimentis, culpa nimirum, & pena. Quarto spem salutis tribuit: quia hæc spes non est nobis nisi per Christum: per Confessionem autem se subjicit homo clavibus Ecclesiæ ex Passione Christi vim habentibus. Quatuor Confessionis effectus.

ARTICULUS III.

De Necessitate Confessionis.

PROPOSITIO UNICA.

Confessio Sacramentalis ex Institutione Christi Domini Sacerdotibus necessario facienda est ab iis, qui post Baptismum in peccatum aliquod mortale lapsi sunt.

Istud Fidei Catholicæ Dogma colligitur ex Christi verbis. Discipulos suos Matthæi XVIII. ita compellantis: *Amen dico vobis, Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Et Joan. XX. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Singularem quamdam, & excellentem potestatem ligandi, & solvendi, remittendi, & retinendi peccata Apostolis, eorumque Successoribus, vice sua, Christum tradidisse, ex his locis perspicuum est. Hanc porro potestatem exercere non possunt, nisi Christiani post Baptismum lapsi omnia peccata mortalia, in quæ ceciderint, Sacerdoti aperiant, & confiteantur. Alligatio namque, & solutio, remissio, & retentio peccatorum, Judicium est, quod quidem exerceri non potest incognita causa, ut ait Concilium Tridentinum, ejusdemque Concilii Catechismus. Enim vero si Sacerdos in foro Pœnitentiæ constitutus est a Domino Judex ad solvendum, & ligandum, ad remittendum, & retinendum, necesse est, ut non præcipiti Judicio, neque pro libito, sed justo, ac prudenti arbitrio, juxta merita causarum, utatur tradita sibi potestate: alioqui ratum non habebitur a Christo in celis, quod ipse fecerit in terris. Id autem præstare non potest, nisi peccata, & peccantis causam, de qua Judicium ferre debet, plene cognitam habeat, & perspectam. Quæ cognitio cum haberi non possit absque spontanea peccatoris Confessione, qua peccata sua singulatim exponat Sacerdoti; recte colligitur, Confessionem Sacramentalem ex Institutione Christi necessario faciendam esse Sacerdotibus ab iis, qui post Baptismum in peccatum aliquod mortale lapsi sint. Catholici Dogmatis probatio ex Scriptura Sacra. Necessitas Confessionis.

Ad eam præterea ligandi, & solvendi potestatem pertinet, ut Sacerdotes Pœnitentiæ opera, quibus divinæ justitiæ fiat satis, & radices peccatorum exscindantur, iterataeque prolapsionis periculum avertatur, in sacro illo Judicio Pœnitentibus imponant, ut docet Sacra Synodus Tridentina Sess. XIV. cap. VIII. Ut autem in operibus Pœnitentiæ injungendis ita se gerant Sacerdotes, necesse est, ut peccata Pœnitentium particulatim cognoscant. Quam notitiam, cum nonnisi ex spontanea ipsorum Confessione compa-

rare possint; necesse est, ut Pœnitentes peccata mortalia, quorum sunt rei, Sacerdotibus singulatim exponant.

Necessitas Confessionis probatur ex Traditione.

Nemo vero dixerit, potestatem remittendi, retinendique peccata a Christo suis Ministris concessam, nudum esse jus, ac officium Legatorum, Nuntiorum, Præconum, qui peccatorum veniam, ac remissionem Pœnitentibus annuntient. Illud enim Hæreticorum commentum falsum esse, & verba ipsa Christi, & veteris Ecclesiæ Doctrina, quam Patres ab Apostolis ad sua tempora transmissam scriptis consignarunt, invictissime probant. Christus enim vero non dicit Apostolis. Quorum remissa nuntiaveritis, & promulgaveritis peccata, remissa jam ipsis erant: sed, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Porro nec præco, nuntius, vel caduceator, qui gratiam a Rege factam annuntiat, dicitur gratiam impartiri: nec apparitor, qui Sententiam Judicis promulgat, dicitur damnare reum, aut insontem absolvere.

Necessitas Confessionis.

Deinde antiqui Patres Apostolicæ Doctrinæ, & Traditionis testes fidelissimi, judiciariam potestatem laudatis Christi apud SS. Matthæum, & Joannem verbis primum promissam, demum collatam asserunt Sacerdotibus, qua remmittere, vel retinere peccata possint Domini auctoritate, ut ejus Ministri. Præclarus est ea de re S. Jo: Chrysostomi *locus Lib.* III. De Sacerdotio, *cap.* V., „Qui terram incolunt, *inquit*, atque in ea versantur, iis commis„ sum est, ut ea, quæ in cœlis sunt, dispensent: iis datum est, ut potestatem „ habeant, quam Deus Optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse „ voluit. Neque enim ad illos dictum est *Quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cœlo: & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta, & in cœlo*, „ Habent quidem, & terrestres Principes vinculi potestatem, verum corpo„ rum solum. Id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam ani„ mam contingit, atque ad cœlos usque pervadit: usque adeo, ut quæcumque „ inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac ser„ vorum Sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse di„ cas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem illis a Deo concessam? *Quorumcumque enim, ait peccata remiseritis, aut remittuntur eis, & quorumcumque retinueritis, retenta sunt.* „Quænam, obsecro, potestas hac una major esse queat? Pater om„ ne judicium Filio dedit: ceterum video ipsum omne judicium a Deo Filio „ illis traditum. Nam quasi jam in cœlum translati, ac supra humanam na„ turam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad Principatum istum „ perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis, si cui ex subditis suis hunc ho„ norem detulerit, ut potestatem habeat, quoscumque velit, in carcerem „ conjiciendi, eosdemque rursus laxandi, beatus ille, & admirandus judicio „ omnium fuerit, at vero, qui a Deo tanto majorem accepit potestatem, quan„ to cœlum terra pretiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant, hic „ vilem eo usque dignitatem accepisse nonnullis videri debet, ut vel in il„ lorum cogitationem descendere queat, reperiri posse quandoque unum ali„ quem ex eorum numero, quibus tanta illa fuerint a Deo concredita; „ cui ipsi munus suum sordescat, quique donum sibi a Deo datum despiciat?

Idem confirmat *S. Ambrosius*, Lib. I. *De Penitentia*, cap. II., Novatianorum hæresim convellens, qui potestatem peccata remittendi soli Domino reservandam asserebant. *Sed ajunt* (inquit) *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo nulli majorem injuriam faciunt, quam ei, cujus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus*: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiteritis peccata, remittuntur eis; & quorum detinueritis, detenta sunt: *quis est, qui magis honorat, utrum, qui man-*

datis

datis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet. Hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resolvat, non vult solvere, quod ligavit: in quo se sua damnat sententia. Dominus enim par jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit ...... Certum est, Ecclesiæ utrumque licere, Hæresi utrumque non licere. Jus enim hoc solis permissum Sacerdotibus est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet: Hæresis vindicare non potest, quæ veros Sacerdotes non habet.

Suffragatur eidem veritati *S. Hieronymus* Epist. 1. ad *Heliodorum De laude vitæ solitariæ*, ubi jus triplex, ac officium, seu triplicem potestatem in Sacerdotibus agnoscit, quæ maximam ipsis venerationem conciliare debet: primo, conficiendi Corpus Christi, seu consecrandi Eucharistiam: secundo, parturiendi Christianos per Baptismum: tertio, reconciliandorum Deo, qui post Baptismum peccaverunt, quod pertinet ad potestatem clavium, & forum Pœnitentiæ: & hanc potestatem judiciariam esse docet. *Absit* (inquit) *ut de his quidquam sinistrum loquar; qui Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt: per quos & nos Christiani sumus: qui claves Regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant.* Necessitas Confessionis.

Sanctus etiam *Augustinus*, Libro XX. *De Civitate Dei*, cap. IX. exponens Visionem S. Joannis, Apocalypsis XX. *Et vidi sedes, & sedentes super eas, & judicium datum est*: Judicium illud Ecclesiæ Præpositis in Administratione Pœnitentiæ commissum interpretatur. *Non hoc putandum est* (inquit) *de ultimo judicio dici; sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi intelligendi sunt per quos Ecclesia nunc gubernatur. Judicium autem datum, nullum melius accipiendum videtur, quam id, quod dictum est*: Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cœlo: & quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo. *Unde Apostolus:* Quid *enim mihi est* (inquit) *de his, qui foris sunt, judicare? Nonne de his; qui intus sunt, vos judicatis?* 1. Cor. 5. 12.

His concinit *S. Gregorius Magnus*. Hom. 26. in Evangelia, exponens laudatum Christi oraculum (Joannis 20.) „ Libet intueri (*inquit*) illi Discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt: Principatumque superni judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent .... Ecce, qui districtum Dei judicium metuunt, Animarum Judices fiunt: & alios damnant, vel liberant, qui se ipsos damnari metuebant. Horum profecto nunc in Ecclesia locum Episcopi tenent. Ligandi, atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum Regiminis sortiuntur.

Recte itaque Sacra Synodus Tridentina docet Session. XIV. cap. V. „ Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ universam Ecclesiam semper intellexisse, institutam etiam a Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Jure Divino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cęlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides; & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi Fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse: neque æquitatem quidem in pęnis injungendis illos servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.

Dogma Catholicum inde confirmatur, quod Pœnitentia medicina sit, cu-

curandis peccatorum morbis a Christo instituta: & qui illius Administrationi præsident Sacerdotes, sub summo, primarioque, ac cœlesti Medico Christo Domino, ac Salvatore nostro sint animarum Medici ab ipso constituti. Quomodo vero peccatorum morbos curabit Sacerdos, nisi ipsos particulatim cognoscat? Quomodo vero cognoscet, nisi illos aperuerit ægrotus, id est, ipse peccator Sacramentali Confessione? Hinc *Origenes* Hom. 11. in Psal. 37. explicans illa verba: *Quoniam iniquitatem meam pronuntiabo*, hæc habet: *Pronuntiationem iniquitatis, Confessionem peccati frequentius*

Necessitas Confessionis.

diximus. Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ii, qui habent intus inclusam indigestam escam, aut humoris, vel phlegmatis stomacho graviter, & moleste imminentis, si vomuerint, relevantur: etiam hi, qui peccaverint, siquidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & pronemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius Medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi noverit disciplinam: ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius, & eruditum Medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilii dederit, facias, & sequaris.

S. Basilius in Regulis brevioribus, in Responsione ad Interrogationem 229. *Omnino* (inquit) in peccatorum Confessione eadem ratio est, quæ in aper„ tione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis „ homines temere aperiunt, sed iis tantummodo, qui rationem, qua ea „ curanda sint, teneant: eodem modo etiam peccatorum Confessio fieri de„ bet, apud eos videlicet, qui ea possint curare: sicut scriptum est: *Vos* „ qui firmiores estis, imbecillitates infirmorum, portate, hoc est, tollite „ diligentia, & cura vestra. *Et in Responsione ad Interrogationem* 288. Neces„ sario (inquit) iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio „ Mysteriorum Dei.

S. Gregorius Nyssenus Oratione In eos, qui alios acerbe judicant, *idem confirmat*: Major (*inquit*) in eo tibi fiducia sit, qui te in Deo genuit, quam „ in illis, a quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi, quæ sunt „ recondita. Animi arcana tanquam occulta vulnera Medico detege. Ipse „ & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit. *Et paulo infra*: Tu ve„ ro, cujus animus æger est, cur non ad Medicum properas? cur non ei „ confitendo morbum ostendis tuum.

S. Jo: Chrysostomus Lib. II. De Sacerdotio, cap. III. *Multa* (inquit) *arte opus est, ut iis, qui laborant, Christianis persuadeatur, ut ultro se, ac volentes Sacerdotum curationibus summittant: neque id solum, sed etiam ut curationis, ac medicinæ nomine gratiam illis habeant.* Et Homilia IX. in Epistolam ad Hebræos: *Cujusmodi* (inquit) *est medicamentum Pœnitentiæ, & quomodo conficitur?*

Psalm.31.5.

Primum ex suorum peccatorum condemnatione, & ex Confessione. Delictum, „ *inquit*, meum cognitum tibi feci, & peccatum meum non abscondi, „ Pronuntiabo contra me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti im„ pietatem cordis mei. *Et iterum*: Dic peccata tua prior, ut justificeris;

Prov.18.17.

„ *Et*, Justus est sui accusator in primo sermone. *Secundo, ex multa humilitate. Est enim veluti quædam catena aurea, & si initium acceperit, sequuntur omnia. Nam si peccatum fueris confessus, ut oportet confiteri, fit humilis anima.* Ibidem inter præcipuas Pœnitentiæ conditiones recenset, *Se in Sacerdotes, ut convenit, gerere.* Subditque paulo infra, peccata particulatim esse detegenda: *Sin autem dicit: Sum peccator; ea autem per species non cogitat, ac supputat,*

tat, & non dicit, Hoc, & illud peccatum admisi; numquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis.

S. Hieronymus in cap. x. Ecclesiastis: *Si quem serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit, qui percussus est, & non egerit Pœnitentiam, nec vulnus suum fratri, & Magistro voluerit confiteri; Magister, qui linguam habet ad curandum facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat Medicina, non curat.* Fratris autem, & Medici nomine Sacerdotem intelligit, cui ex officio convenire asserit ligandi, solvendique potestatem. *Cum peccatorum audierit varietates*, ab ipso utique peccatore ea sigillatim confesso, ut ipsemet *S. Hieronymus* explicat Commentario in cap. xvi. *S. Matthæi*. Quamobrem sicut æger non tantum detegere generatim debet Medico morbum occultum, quo forte laborat; sed ipsi debet indicare, quid sibi doleat, eique omnia morbi symptomata, causas, & circumstantias aperire, ut congruis curet eum remediis, maxime si gravis sit morbus, qui naturæ vi, aut facilibus, obviisque remediis sanari non possit, utpote partes internas, quibus vita fovetur, afficiens; ita confessio peccatorum, quæ vitæ spiritalis principium, id est, gratiam, & charitatem destruunt, & ob id mortalia nuncupantur, omnium admissorum sigillatim; & nominatim esse debet. Necessitas Confessionis.

S. Augustinus in Psal. LXVI. *Conscientia tua* (inquit) saniem collegerat, apo„ stema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat: adhibet Medicus „ fomenta verborum, & aliquando secat: adhibet medicinale ferrum in „ correptione tribulationis: tu agnosce Medici manum, confitere, ex„ eat in confessione, & defluat omnis sanies; jam lætare, quod reliquum „ est, facile sanabitur.

Concilii Tridentini Catechismus alio probat argumento confessionis usum necessarium esse ei, qui mortali scelere premitur, ut ad spiritualem vitam revocetur; quod quidem argumentum petit ex Christi verbis, hujus Sacramenti administrandi potestatem clavem Regni cœlorum appellantis, Matth. xvi. *Et tibi dabo claves Regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quod ad solum Petrum non pertinere, sed ad ceteros etiam Discipulos, Christi verba confirmant cap. 18. Vers. 18. Unde *Tertullianus* cap. xi. *Scorpiaci* ait. *Cœli claves hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse*. Et *S. Optatus Milevitanus* Lib. I. contra *Parmenianum* ait: Petrum *claves Regni cœlorum ceteris communicandas solum accepisse*. Sicut ergo locum aliquem ingredi nemo potest sine ejus opera, cui claves commissæ sunt; sic intelligimus neminem in cœlum admitti, nisi fores a Sacerdotibus, quorum fidei claves Dominus tradidit, aperiantur. Aliter enim nullus plane clavium usus in Ecclesia esse videbitur: ac frustra is, cui clavium potestas data est, quempiam cœli aditu prohibebit, si tamen alia via introitus patere queat. Unde *S. Augustinus* Serm. 392. alias 49. inter Homilias 50. ait: *Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis; agite Pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occulte ago, apud Deum ago: novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est,* Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo? *Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi? Promittimus vobis, quod ille negat?*

Plurimis vero figuris adumbrata est Sacramentalis Confessio, & in Veteri Sacramentalis confessionis figuræ.

teri Teſtamento, & in exordio Novi. Peccatorum ſcilicet Confeſſionem quodammodo delineabant varia illa Sacrificiorum genera, quæ ad expianda diverſi generis peccata a Sacerdotibus fiebant. In Nova autem Lege Chriſtus figuras inſignes illius inſtitutioni præmiſit. Ad eam enim pertinet, quod Chriſtus iis, qui a lepra in itinere curati ſunt, præceperat, ut Sacerdotibus ſe oſtenderent, illorumque judicium ſubirent, (*Luc.* 17. 14.) Sicut Sacerdotium Leviticum Sacerdotii Evangelici figura fuit; ita oſtenſio lepræ Leviticis Sacerdotibus facta, & ſanitas Leproſis, ad illos ex mandato Chriſti euntibus collata, figura fuit Confeſſionis peccatorum Sacerdotibus Evangelicis faciendæ, & veniæ, ac ſalutis eorum miniſterio obtinendæ. *Corporis quippe lepram purgare, ſeu (ut verius dicam) haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus ſolis licebat. At vero noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt*; (inquit *S. Jo: Chryſoſtomus* Lib. III. *De Sacerdotio*, cap. V.)

Neceſſitas Confeſſionis.

Ligandi, ſolvendique poteſtatem, quam Novi Teſtamenti Sacerdotibus collaturus erat, ſignificaſſe etiam viſus eſt Dominus, cum Apoſtolis id negotii dedit, ut Lazarum a mortuis excitatum vinculis ſolverent, quibus conſtrictus erat, (*Joannis XI.* Quem locum ita *S. Auguſtinus* explicat, Serm. 67. alias 8. De Verbis Domini: Mortuus eſt peccator, maxime ille, „ quem moles conſuetudinis premit, quaſi ſepultus eſt Lazarus... Quis eum „ ſuſcitabit, niſi qui remoto lapide clamavit, dicens, *Lazare, prodi foras*? „ Quid eſt autem foras prodire, niſi quod occultum erat, foras prodere? „ Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non poſſet, niſi viveret: vivere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet. Ergo in Confeſſione ſui accuſa„ tio, Dei laudatio eſt. Dicit ergo aliquis, Quid prodeſt Eccleſia, ſi jam „ confeſſor voce Dominica reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt Eccleſia con„ fitenti, cui Dominus ait, *Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælo*? Ipſum Lazarum attende: cum vinculis prodit. Jam vivebat confi„ tendo; ſed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit „ Eccleſia, cui dictum eſt, Quæ ſolveritis, ſoluta erunt, niſi quod ait „ Dominus continuo ad Diſcipulos, *Solvite illum, & ſinite abire*? Sive er„ go nos accuſemus, ſive Deum laudemus, bis Deum laudamus. Quando „ Deum laudamus, tanquam eum, qui ſine peccato eſt prædicamus: quan„ do autem nos ipſos accuſamus, ei, per quem reſurreximus, gloriam da„ mus. Hoc ſi feceris, nullam occaſionem inveniet Inimicus, qua te cir„ cumveniat ante Judicem. Cum enim tu ipſe fueris accuſator, & Do„ minus liberator; quid erit ille niſi calumniator?

Catholici dogmatis de Confeſſionis Sacramentalis neceſſitate probationes concludat Canon ſextus Seſſionis XIV. Concilii Tridentini. *Si quis negaverit, Confeſſionem Sacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino; aut dixerit, modum ſecreto confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; Anathema ſit.*

Confeſſionis cæremoniæ.

Ritus tamen, & ſolemnes cæremonias ad Confeſſionem adhiberi ſolitas, non Chriſtus inſtituit, ſed Eccleſia. Quamvis autem illæ ad Sacramenti rationem non ſpectent, ejus tamen dignitatem magis ante oculos ponunt, & confitentium animos pietate accenſos, ad Dei gratiam facilius conſequendam præparant (inquit Concilii Catechiſmus.) Cum enim aperto capite ad pedes Sacerdotis abjecti, demiſſo in terram vultu, ſupplices manus tendentes, aliaque hujuſmodi Chriſtianæ humilitatis ſigna dantes, quæ ad Sacramenti rationem neceſſaria non ſunt, peccata confitemur, ex his

perſpi-

perſpicue intelligimus, tum in Sacramento cęleſtem vim agnoſcendam; tum a nobis divinam miſericordiam ſummo ſtudio requirendam, atque efflagitandam eſſe.

Objicitur, Sacras Litteras paſſim omni Fideli contrito, & vere pęnitenti remiſſionem peccatorum polliceri abſque ulla apud hominem prævia Confeſſione. Iſai. I. 16. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere.... Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Et Ezechielis XVIII. 21. *Si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Cum igitur Deus veraciſſimus ſit, ei, qui hæc præſtiterit, quæ a Prophetis deſcribuntur, plenam atque abſolutam confert remiſſionem peccatorum. Noſtra certe conditio deterior non eſt, quam Judæorum olim ſub Lege: atqui deterior erit, ſi illis quidem ſola apud unum Deum peccati Confeſſio veniam obtinuit, nobis vero idem conſequi non licet, niſi homini inſuper confeſſi fuerimus. Huc accedit, quod cum Veteris Teſtamenti ſervitus, Novi libertas propria ſit, conveniens non videtur, ut Confeſſionis jugum nobis quidem ſub Novo imponatur; Judæis vero ſub Veteri degentibus nullum impoſitum fuerit. Objectionum ſolutio.

Reſpondetur, Pęnitentibus quidem Deum optimum maximum veniam peccatorum polliceri, ſi ſecundum ſtatutas ab eo leges Pęnitentiam agant, & remedia ſibi procurent, quæ pro vario generis humani ſtatu ejus providentia variis temporibus alia, atque alia præparavit. Alioquin Pęnitentia vera, & ſincera non eſſet. Sicut ergo in veteri Lege interior mentis converſio non ſatis erat ad veniam peccatorum obtinendam, niſi præſcriptis a Lege Sacrificiis, & Purificationibus peccata expiarent: & ſicut Judæis, qui Chriſto nomen dabant, non ſufficiebat fides, & Contritio ad impetrandam indulgentiam peccatorum poſt Circumciſionem commiſſorum, ſed neceſſarius erat Baptiſmus a Chriſto Novæ Legis auctore ut medium ad ſalutem neceſſarium inſtitutus: nec tamen divinarum promiſſionum veritati Baptiſmi neceſſitas repugnabat: ita in Novo Teſtamento non ſufficit converſio mentis, & contritio; ſed neceſſe eſt, ut peccator apud Sacerdotem Exomologeſim agat, & peccata ſua confiteatur, ab eo impoſita Pœnitentiæ opera ſuſcipiat, atque ab eo abſolvatur: quia his omnibus neceſſario conſtat Pœnitentia, qua Sacramentum eſt a Chriſto Domino inſtitutum: quod ſi hæc non præſtiterit peccator, vere Pœnitens, & contritus dici non poteſt; quippe qui ſecundum ſtatutas a Chriſto leges Pœnitentiam non agat.

Nec ſequitur, noſtram conditionem deteriorem eſſe, quam Judæorum olim erat ſub Lege: imo potior eſt abſolute, ſiquidem excuſſo per Chriſtum veterum Sacramentorum, Sacrificiorum, Cæremoniarum, & Obſervantiarum legalium jugo. *Alia nobis Sacramenta data ſunt virtute majora, effectu meliora, actu faciliora, numero pauciora*; ut ait *S. Auguſtinus* Lib IX. *Contra Fauſtum*, cap. XIII. Confeſſionis autem jugum, ut vocant Hæretici, cum a Chriſto ſit impoſitum, cujus *Jugum ſuave eſt, & onus leve*, legi libertatis non magis repugnat, quam præceptum Baptiſmi, & alia Chriſti mandata, quæ *non* ſunt *ſarcina onerati, ſed alæ volaturi*, ut ait alibi *S. Auguſtinus*: & quæ charitas facillima efficit. Nec vero gravior eſt Confeſſio Sacramentalis, imo longe levior, ac facilior veterum Sacrificiorum apparatu, quæ Lex Moſaica ad expianda peccata præſcribebat. Denique cum

non

Necessitas Confessionis. non timore pœnæ, sed amore justitiæ; non Lege extrinsecus terrente per litteram, sed Spiritu intus sanante per gratiam, homines, quos vere peccatorum pęnitet, ad præceptum Confessionis implendum adducantur, non servi sunt, sed liberi ea libertate, qua Christus ipsos donavit. Quidni enim liberi essent, cum ad illud remedium quærendum obligantur, quo a peccati servitute, qua nulla turpior est, ac durior, liberantur?

Objectioni ex facto Nectarii petitæ respondetur. Objicitur secundo celebre factum *Nectarii* Episcopi Constantinopolitani, qui Pœnitentiarium Presbyterum Constantinopoli abrogavit, occasione nobilis cujusdam mulieris, quæ Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse confessa erat: & *Unumquemque pro arbitrio, & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum Communionem accedere* permisit; ut referunt *Socrates* Lib. v. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. xix. & *Sozomenus* Lib. vii. cap. xvi. Ex quo Sacramentalem Confessionem vel tunc in usu non fuisse, vel certe fuisse abrogatam a *Nectario*, colligitur.

Sed & *Nectarii* in eadem Sede Successor *S. Jo: Chrysostomus* Confessionem soli Deo factam sufficere asserit ad peccatorum veniam obtinendam. Hom. xxi. ad Populum Antiochenum: *Neque hoc* (inquit) *tantum est admirabile, quod nobis peccata dimittit; verum &, quod ipsa non revelat, nec manifesta facit, aut conspicua: nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus enuntiare, sed sibi soli rationem reddere jubet, & sibi confiteri.* Et Hom. ii. in Psalm. l. *Peccata tua dicito, ut ea deleas. At pudet dicere, te peccasse: dic ea quotidie in oratione. Num enim dico, ut ea conservo dicas, qui tibi exprobret? Dic Deo, qui eis medetur?* Homilia etiam xxxi. in Epistolam ad Hebræos: *Non tibi dico, ut peccata tanquam pompam in publicum efferas, neque ut apud alios oculos accuses; sed suadeo, ut pareas Prophetæ dicenti:* Revela Domino viam tuam. *Apud Deum ea confitere; apud Judicem confitere peccata tua, orans, si non lingua, saltem memoria: & sic misericordiam impetra.* Psal. 36. 5.

Respondetur ad primum, Publicam tantum arcanorum peccatorum Confessionem cum Pęnitentiario Constantinopolitano abrogatam esse a *Nectario*, quæ Christianæ plebi gravissimam offensionem creaverat occasione mulieris a Diacono vitiatæ, quæ abdicando Pęnitentialis Disciplinæ Præfecto locum dederat: sed sacramentalem Confessionem, (quæ an publica sit, an secreta, perinde est ad Sacramenti substantiam) *Nectarium* abrogasse negamus. Peccata etiam occulta palam renunciata fuisse aliquando coram Clero, & Plebe Christiana, ex consilio, vel mandato Sacerdotis, discimus ex *Origene*. Hom. ii. in Psalm. xxxvii: *Circumspice* (inquit) *diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius Medicum cui debeas causas languoris exponere ..... Ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius, & eruditum Medicum, ostenderit, & misericordem, si quid consilii dederit, facias, & sequaris: si intellexerit, & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari: multa hoc deliberatione, & satis perito Medici illius consilio procurandum est.* Publicam fuisse mulieris, quæ se a Diacono vitiatam prodidit, Confessionem constat, sive sponte, sive jussu, aut consilio Pęnitentiarii illam peregerit: Confessio enim secreta non adeo Ecclesiam turbasset, aut offensioni fuisset. Constat nihilominus Confessionis peccatorum lethalium, etiam occultorum, usum & tunc temporis, & antea in Ecclesia receptum fuisse. Non enim publicum fuisse videtur Mulieris illius peccatum. Quod nisi ignotum fuisset, tantam Christianæ Plebi offensionem illius Confessio non creasset. Id *Sozomeni* verba probant: *A Diacono se stupratam prodidit.* Quid est enim prodere, nisi rem occul-

Necessitas Confessionis.

occultam, atque intus latentem referare? Constat insuper non quædam solum capitalia crimina, sed sigillatim omnia post Baptismum commissa explicari solita Sacerdoti Pœnitentiæ Præfecto. De illa enim Muliere *Socrates* refert, quod *Delicta post Baptismum a se perpetrata sigillatim confessa erat*. Constat tertio, Pœnitentiarium pro aliis peccatis præter crimen stupri, quæ Confessione detexerat hæc mulier, Pœnitentiam publicam imposuisse. *Presbyter vero* (inquit Socrates) *præcepit Mulieri, ut jejuniis, & orationibus continuis vacaret, quo scilicet una cum delictorum Confessione opus etiam Pœnitentiæ conveniens ostenderet*. Opus autem conveniens Pœnitentiæ occultæ non ostenditur. Peccata igitur occulta, præter stuprum, hæc Mulier Pœnitentiario confessa fuerat, pro quibus Penitentiam cum in Ecclesia perageret, a Diacono vitiata est. Quarto, id confirmat *Sozomenus*, Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XVI. ubi ait: *In petenda venia peccatum necessario confiteri oportere*: usumque Confessionis, & Pœnitentiæ *Episcopos urbis Romæ jam inde ab ultima vetustate ad suam usque ætatem custodisse*. Denique testatur *Sozomenus*, Pœnitentiarium Presbyterum, qui Novatianorum occasione albo Ecclesiastico ab Episcopis adjectus est, hominem fuisse prudentia, & taciturnitate insignem: ad quid autem necessaria fuisset taciturnitas, nisi occultorum etiam criminum arcanam Confessionem excepisset? *Grave* (inquit) *ac molestum ab initio jure merito visum est Sacerdotibus, id est, Episcopis, tanquam in theatro circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset, & taciturnitate, ac prudentia polleret, huic Officio præfecerunt: ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur; Ille vero pro cujusque delicto quid, aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat confitentes a se ipsis pœnas criminum exacturos*.

Quod vero ait Socrates, *Nectarium* permisisse, ut *Unusquisque pro arbitrio, & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum Communionem accederet*, nihil aliud significat, nisi jugo publicæ Confessionis, & publicæ pariter Pœnitentiæ ob occulta crimina subeundæ solutos Fideles in Ecclesia Constantinopolitana, simul ac Pœnitentiarius sublatus est; rebus in eum statum restitutis, in quo erant ante Pœnitentiarii illius institutionem, ut unusquisque Confessione secreta peccatorum, cum opus erat, expiatus, ad Eucharistiam accederet.

Ad secundum respondetur, *S. Jo: Chrysostomum* locis laudatis, & aliis similibus. Confessioni sacramentali nihil officere, quam alibi diserte adstruxit, Libris præsertim *De Sacerdotio*; sed vel illius tantum Confessionis excludere necessitatem, ex qua reorum infamia sequatur: vel cujuscumque ministerium, sive testimonium excludere ab examine conscientiæ quotidiano, sive a quotidiana Pœnitentia: non autem a Pęnitentiæ Sacramento, quod potestate Clavium Ecclesiæ a Christo Domino traditarum administratur: vel denique de Contritione loqui, quæ peccata quælibet expungit, cum perfecta est, absque actuali Ministerio Sacerdotis. Negat itaque *S. Chrysostomus*, Deum Optimum Maximum Confessionem a peccatoribus exigere, quæ ipsos in discrimen conjiciat salutis, vel honoris, qualis exigitur ab iis, qui capitalium criminum rei ad Magistratuum tribunalia deferuntur; nullam ipsis infamiæ labem aspergi ait, quia non coguntur *Præsentibus quibusdam ea enuntiare, & in medium procedentes palam confiteri, sicut capti latrones, vel effossores sepulchrorum a sæcularibus Judicibus* ad confessionem coguntur. Negat, Deum Confessionem illi similem exigere, quæ fit a furciferis coram frequenti hominum cœtu, qui *Crimen exprobrent*, ac *veluti in medio theatro*. Negat, Confessionem exigi a Deo, ut pecca-

S. Chrysostomus Confessioni Sacramentali non officit.

Necessitas Confessionis.

peccator *puniatur*, non negat exigi, *ut relaxetur*. Negat denique Confeſſionem a Deo exigi, quæ in publico judicio, probatione per teſtes inſtituta fiat; & qua peccata *Tamquam pompam in publicum proferamus*: non negat Confeſſionem ſecretam.

Loquitur etiam quandoque *S. Jo: Chryſoſtomus*, de quotidiana Pœnitentia, de examine conſcientiæ ſingulis diebus a Fidelibus inſtituendo, & de contritione, ac lacrymis, quæ illius examinis comites eſſe debent. Hæc autem intus in conſcientiæ ſecreto, ſine teſte, ſolo Deo præſente, fieri poſſunt. Eo collineat Hom. II. in Pſalm. L. *Cum autem* (inquit) *in lectum, hoc eſt, ad tranquillum portum te conjeciſti, nec ullus eſt, qui tibi moleſtiam exhibeat, dic cordi tuo, atque animæ tuæ; Exegimus hodiernam diem, o anima: quid boni fecimus, aut quid mali admiſimus? Ac gehennæ recordare, ut metu affectus, bonum augeas, malum autem de medio tollas. Si in lecto ſis, atque tibi peccata tua in memoriam venerint, collacryma: atque ea hac ratione in lecto delere potes. Deum tuum roga, atque obſecra, ſicque corpus ſomno trade, poſtea quam prius peccata confeſſus fueris*. Hac Confeſſione ſoli Deo facta peccata quotidiana, & leviora curantur, atque delentur abſque miniſterio Sacerdotis: ſed ad gravia, atque lethalia peccata expianda non ſufficit abſque Sacerdotis opera, & abſque Confeſſione ſacramentali apud eum facta, vel ejus ſaltem propoſito, cum peccator perfecte contritus eſt. Quod ex Hom. XXX. ejuſdem Patris in Geneſim diſerte confirmatur: *Quia* (inquit) *in magnam hanc Hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime & Jejunii curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque diligens, & pura peccatorum Confeſſio*. Et infra: *Scit enim Inimicus noſter, quod per tempus illud poſſumus de iis, quæ ad noſtram ſalutem attinent, loqui, & peccata declarare, ſeu aperire, & detegere vulnera Medico, & ſanitatem conſequi*. Et Hom. XX. in Geneſim: *Attamen, qui hæc fecit, ſi voluerit, ut decet, uti conſcientiæ adjumento, & ad Confeſſionem facinorum feſtinare, & Medico oſtendere ulcus, qui curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & ſoli ei loqui, nullo alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facile peccata ſua emendabit. Confeſſio enim peccatorum, abolitio etiam eſt delictorum*. Hic enim de Confeſſione ſoli Deo facta non loqui *S. Chryſoſtomum*, patet, cum neceſſe non videatur omnia facinora Deo cum diligentia confiteri, & ulcus illi oſtendere, cujus notitiam effugere non poſſunt, quantumvis arcana, & recondita ſint.

S. Ambroſius Confeſſioni Sacramentali minime contrarius.

Objicitur tertio *S. Ambroſii* locus Lib. X. in Lucam, *Petrus doluit, & flevit, quia erravit, ut homo. Non invenio quid dixerit; invenio quod fleverit. Lacrymas ejus lego, ſatisfactionem non lego. Sed quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri*. Ex quibus verbis colligitur, minime neceſſariam eſſe Confeſſionem Sacerdotibus factam.

Reſpondetur; *S. Petrum*, nondum inſtituto Pœnitentiæ Sacramento, & Confeſſione, quæ pars ejus eſt, Pœnitentiam egiſſe; quæ proinde ſola Contritione, lacrymiſque peccatum ipſius delere potuit. Et nunc etiam Contritionis perfectæ tanta vis eſt, ut ante vocalem Confeſſionem peccata dimittat: ſed Confeſſionis apud Sacerdotem edendæ neceſſitatem propterea non excludit *S. Ambroſius*: imo diſerte adſtruit Lib. II. *De Pœnitentia*, cap. VI. *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum: ſolvit enim criminum nexus verecunda Confeſſio peccatorum*. Et cap. X. *An quiſquam ferat, ut erubeſcas Deum rogare, qui non erubeſcis rogare hominem? Et pudeat te Deo ſupplicare, quem non lates, cum te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri?*

Objicitur

Objicitur quarto, Canon *Quidam*, Dist. I. *De Pœnitentia*, ex *Theodori Cantuariensis* Pęnitentiali a *Gratiano* citatus: *Quidam* (inquit) *Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam vero Sacerdotibus confitenda esse peccata percensent, ut tota fere Sancta Ecclesia, quod utrumque non sine magno fructu intra Sanctam fit Ecclesiam.* Ex quibus verbis colligitur, Confessionem peccatorum Sacerdoti factam, non esse jure divino necessariam, cum Ecclesia Græca Confessionem soli Deo factam sufficere censeat ad veniam peccatorum obtinendam.

Ex Theodori Cantuariensis Pœnitentiali, & ex Concilio Cabilonensi, nihil contra Confessionis necessitatem colligi potest.

Respondetur. In Pœnitentiali *Theodori Cantuariensis* Archiepiscopi, nihil ejusmodi occurrere, ut constat ex Codicibus Manuscriptis, & ex Editione Parisiis facta studio *Jacobi Petit* anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo. Imo vero ex Capitulis *Theodori*, ad finem ejusdem Pœnitentialis editis constat, ejusdem Archipræsulis tempore, qui anno Christi circiter nonagesimo supra sexcentesimum vita decessit, usum sacramentalis Confessionis generalem fuisse. Fidem enim ejus rei facit Capitulum sexagesimum. Canon, *Quidam*, a *Gratiano* laudatus legitur in Concilio Cabilonensi Canone XXXIII. sed fœde interpolatus est in Editione *Gratiani*, siquidem, & in illo Concilio, & in Capitularibus adjectis, in quibus est quinquagesimus octavus, legitur absque illis verbis, *Ut Græci*, itemque sine istis, *Ut tota fere sancta Ecclesia*. Quidam, fateor, ea tempestate censebant, peccatorum Confessionem soli Deo factam sufficere, quæstione nondum eliquata in Plenario totius orbis Concilio; sed hi graviter errabant: neque hanc opinionem probabilem esse, aut in Ecclesia Catholica tolerandam significat Synodus Cabilonensis: sicut nec *S. Gregorius* eorum opinionem, qui de carnis Resurrectione dubitabant, cum eodem fere loquendi modo ait Hom. XXVI. *Sunt nonnulli, qui de Resurrectione carnis incerti sunt*. Canonis hic titulus est: *Quod Deo, & Sacerdoti confitenda sint peccata*. Sic vero habet: *Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero Sacerdotibus confitenda esse percensent: quod utrumque non sine magno fructu intra Sanctam fit Ecclesiam*. Pronomen *Utrumque*, significat Confessionem Deo, & homini factam individuo nexu conjungi in Ecclesia, nec unam ab altera dissociandam esse, ut spiritalis fructus, scilicet peccatorum veniam referatur. *Confessio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata: ea vero, quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata*. Non ait Synodus, quæ soli Deo fit, sed quæ Deo fit: Deo enim fieri Confessionem significat, quæ fit Sacerdoti ejus Ministro. *Deus namque salutis, & sanitatis tutor, & largitor plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione* (perfecte scilicet contritis: *plerumque Medicorum operatione*: idest, Sacerdotum Ministerio. Quod autem Græca Ecclesia nusquam in ea fuerit opinione, quam ipsi affingit Canonis, *Quidam*, interpolator apud *Gratianum*, sed Confessionem sacramentalem iis, qui in peccatum aliquod mortale post Baptismum lapsi essent, jure divino necessariam agnoverit, antiquorum Patrum testimonia liquido probant, & quod post ætatem Patrum ad hæc usque tempora ejusdem Catholici dogmatis tenacissima fuerit, certum est ex Libro Pœnitentiali *Joannis Jejunatoris* Patriarchæ Constantinopolitani; ex *Nicephori Chartophylacis* insigni Fragmento, quod in Bibliotheca Patrum editum est; ex *Euchologiis*, ex Libris *Simeonis Thessalonicensis*, & *Gabrielis* Philadelphiæ Metropolitæ, *De Sacramentis*; ex *Jeremiæ* Patriarchæ Constantinopolitani Responso I. ad Articulos Augustanæ Confessionis, a Vvirtembergensibus Lutheranæ Sectæ Pseudo-Theologis ad eum missæ, cap. XI. ex Synodo apud *Jasium*, contra *Cyrilli Lucaris* Capitula a *Parthenio* Patriarcha Constantinopolitano celebrata anno Christi millesimo sexcentesi-

mo

mo secundo, & ex Synodo Bethleemitica sub *Dositheo* Hierosolymorum Patriarcha celebrata anno millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo, cap. xv. Quæ loca satis sit indicasse.

Ceterum de necessitate sacramentalis Confessionis si quis plura velit, adeat Dissertationem singularem de hoc argumento a me editam contra *Dallæum* Ministrum Calvinianum.

ARTICULUS IV.

De Clavibus Ecclesiæ a Christo traditis.

CUm potestatem remittendi, retinendique peccata Christus Clavium nomine appellaverit, operæ pretium est, ut de Clavibus breviter agamus, earumque notionem, & divisionem tradamus, quantum necesse est ad Clericorum institutionem.

Clavis nomine in Scriptura Sacra quid intelligatur.

Clavis in Scriptura Sacra summam quamdam auctoritatem, potestatem, gubernationem, & domesticam administrationem designat. Nam & in profanis, ac civilibus rebus clavium traditio translationem dominii, ac possessionis significat. Nec abs re, quod habenti claves non solum omnia, quæ in domo sunt, pateant, sed & ei potestas sit quoslibet vel admittendi, vel excludendi, atque etiam secretissima quæque cubicula reserandi, vel occludendi. Cum itaque Christus in domo Dei non tamquam servus, sed tamquam filius in domo sua fuerit, summa eademque æterna auctoritate administrationis a Patre accepta fruitur; quemadmodum ipse ait *Matth.* ultimo: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Item Joan. VIII. *Pater omne Judicium dedit Filio.* Et ut Apostolus ad Hebræos scribit: *Omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Idcirco Isaiæ XXII. de ipso legimus: *Et dabo clavem Domus David super humerum ejus: & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat.* Et Apocalypsis III. *Hæc dicit Sanctus, & Verus, qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Et cap. I. *Ego sum Primus, & Novissimus, & vivus: & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum: & habeo claves mortis, & inferni.* Quibus verbis nihil aliud significatur, quam Christum esse summum Caput super universam Ecclesiam, atque adeo accepisse eum a Patre auctoritatem super omnem Principatum, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed & in futuro, ut ei omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: qui properantes ad se per veteris vitæ Pœnitentiam a peccatorum vinculis absolveret, absolutosque in Regnum suum intromitteret: aversos vero, & ad sua desideria conversos a Regni cœlestis ingressu repelleret, ligatisque manibus, ac pedibus mitteret in tenebras exteriores: qui Scripturas denique nobis aperiret, voluntatem Dei patefaceret, & quæcumque a Patre audivisset, nobis manifestaret. Easdem Regni cœlestis Claves, Christus hinc discedens Apostolis, illorumque Successoribus in Ecclesia reliquit, quemadmodum Petro dixit: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Namquod eadem potestate, qua Ipse a Patre missus est, eosdem in orbem terrarum miserit, plane testatur Joannis XX. *Sicut* (inquit) *misit me Pater, & ego mitto vos:* non tamen, ut Dominos, sed ut Ministros, qui legatione pro Eo fungerentur, in ædificationem corporis ejus, quod est Ecclesia. Unde potestatem Christi *Cla-*

Matth. 16.

vis

vem excellentiæ: poteſtatem vero Miniſtrorum Eccleſiæ, *Clavem Miniſterii*, Theologi poſt *S. Thomam* appellant.

Quæ ut magis perſpicua facerent, Claves partiti ſunt in *Clavem Ordinis*, & *Clavem Jurisdictionis*: Et rurſus utramque in *Clavem Scientiæ*, quam & *diſcretionis* appellant, & *Clavem Poteſtatis*. Clavis multiplex acceptio.

Clavis Ordinis, eſt Poteſtas ligandi, atque ſolvendi, cum Ordine Sacerdotali collata, qua Judex Eccleſiaſticus dignos recipere, & indignos excludere debet a Regno. Quam definitionem tradit *Joannes XXII.* Pontifex Maximus in Extravaganti, *Quia quorumdam*, Tit. *De Verborum ſignificatione*, & ante ipſum Magiſter Sententiarum, & *S. Thomas*. Clavis Ordinis.

Clavis Juriſdictionis, eſt Auctoritas in alterum tanquam in ſubditum data, per quam Sacerdos velut Judex Sententiam in eum rite ferre valeat, eumque ligare, vel ſolvere. Clavis Jurisdictionis.

Clavis, ſeu Poteſtas Juriſdictionis duplex eſt, alia in foro interiori, ſeu in Tribunali Pœnitentiæ, alia in foro exteriori Eccleſiaſtico exercenda. Prima confertur vel Paſtoralis Beneficii canonica collatione, & inſtitutione; vel approbatione Epiſcopi, ſive Ordinarii Prælati ad audiendas Confeſſiones ſuorum ſubditorum. Quæ quidem Poteſtas ſolis Sacerdotibus conferri poteſt: nec ſimul confertur cum Ordine Sacerdotali. Unde hæc verba Epiſcopi Sacerdotes inaugurantis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Clavem, ſeu Poteſtatem Ordinis dumtaxat, non Jurisdictionis conferunt. Quod aliis verbis exprimit *S. Thomas*, Q. XVII. Supplementi, Art. II. ad ſecundum. *Omnis* (inquit), „ Poteſtas ſpiritualis datur cum aliqua conſecratione: & ideo Clavis cum Ordine datur. Sed executio Clavis indiget materia debita, quæ eſt plebs ſubdita per Jurisdictionem: Et ideo antequam Jurisdictionem habeat, habet Claves, ſed non habet actum Clavium: & quia Clavis per actum definitur, ideo in definitione Clavis ponitur aliquid ad Jurisdictionem pertinens. Hæc duplex.

Clavis Jurisdictionis in foro Eccleſiaſtico exteriori, eſt poteſtas coercendi peccatores ſine vi corporali, quæ adhibetur, non ut homines, ſed ut error, & crimen tollantur; non ut homines lædantur, ſed ut curentur; non ut perdantur, ſed ut corrigantur. Hæc eſt poteſtas Excommunicationis, aliarumque Cenſurarum ferendarum in publicos peccatores, & contumaces, eoſque abſolvendi, & reconciliandi, ſi Pœnitentes Abſolutionem petant. Quæ poteſtas iis etiam, qui Sacerdotali Charactere non ſunt inſigniti, modo ſint Clerici, conferri poteſt a Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo.

Poteſtas Jurisdictionis in utroque foro, alia eſt ordinaria, alia delegata. Ordinaria in iis dumtaxat reſidet, quibus Animarum cura, & regimen ex officio competit, ſcilicet in Summo Pontifice, Epiſcopis, Parochis, & Prælatis Regularibus. Summo Pontifici convenit ſumma, & plena Poteſtas Jurisdictionis in utroque foro per univerſam Eccleſiam. Epiſcopo convenit utriuſque fori poteſtas ordinaria in ſua dumtaxat Diœceſi. Parochis convenit Poteſtas ordinaria jurisdictionis in foro dumtaxat interiori, & in ſuos dumtaxat Parochianos, Prælatis Regularibus competit ordinaria poteſtas in utroque foro, ſed in ſuos dumtaxat ſubditos Regulares. Poteſtas delegata tribuitur ab eo, qui ordinariam habet: ſic Sacerdotes animarum curam non habentes, ſive Sæculares ſint (ut loquuntur) ſive Religioſi, qui ab Epiſcopo ad audiendas Confeſſiones approbantur, delegatam jurisdictionis poteſtatem habent. Qua ratione *Coadjutores, & cooperatores Epiſcoporum* appellantur illi, quibus audiendarum Confeſſionum, & Pœnitentiarum injungendarum munus tam in Cathedralibus, quam in aliis Conventualibus Eccleſiis demandaverint, Canone X. Concilii Lateranenſis IV. Decanus tamen, ſeu prima cujuſque Capituli Dignitas, in omnia Poteſtas Jurisdictionis in utroque foro, alia ordinaria, alia delegata.

Capituli membra jurisdictionem ordinariam habet: si vero nullæ sint Dignitates, sed æquales sint omnes Canonici, Antiquior Canonicorum, qui præsens fuerit, vel alius a Capitulo legitime deputatus, secundum Ecclesiæ Statuta, vel Consuetudinem, jurisdictionem ordinariam exercet nomine Capituli. Pœnitentiarii Ordinarii Cathedralium Ecclesiarum, ubi sacrum illud officium Dignitati, & Beneficio annexum est, ordinariam pariter in Diœcesanos omnes jurisdictionem habent in foro interiori. Pœnitentiarii vero in aliis Ecclesiis ob Fidelium commodum ab Episcopis deputati ad Casuum reservatorum Confessiones audiendas, & Absolutionem ab hujusmodi Casibus impartiendam, habent jurisdictionem delegatam.

Potestas Ordinis, quam & *Sacramentalem* vocat *S. Thomas*, remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quandiu vivit, sive in Schisma, sive in Hæresim labatur, sive excommunicetur, suspendatur, aut degradetur. Potestas vero Jurisdictionis non immobiliter adhæret. Unde in Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, Degradatis non manet. Potest etiam ab iis, qui Animarum curam habent, cum Beneficio, sive Sacra Præfectura penitus auferri, vel suspendi justis, & canonicis de causis, multo magis ab aliis, quibus demandata est.

Clavis scientiæ, & clavis potestatis.

Clavem utramque, scilicet Ordinis, & Jurisdictionis, duplicem esse dixi, nempe *Clavem Scientiæ*, & *Clavem Potestatis*. Neque hanc divisionem mirabere, cum similes (licet non ejusdem dignitatis, & excellentiæ) Claves etiam Synagogæ concessas doceat Christus, abusum illarum Scribis, & Pharisæis interim exprobrans. De Clavi Scientiæ ipsos increpat *Lucæ XI.* quod eam abstulerint, & sibi solis vindicaverint. *Væ vobis Legis peritis, qui tulistis Clavem Scientiæ! Ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis*. De Clave Potestatis. *Matthæi XXIII.* ait: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite*. Clavem etiam Jurisdictionis habuerunt; sed ea pariter abusi sunt, ejicientes extra Synagogam eos, qui nomen Jesu confitebantur. Quod si in Synagoga hæ Claves conjunctæ fuerunt quanto magis in Ecclesia easdem conjunctas esse oportet? Neque enim Christus Potestatem, quam dedit Apostolis, cæcam, & temerariam esse voluit, alioqui alibi non dixisset, *Sinite illos: Cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*. Quin & ipsa vocabula remittendi, & retinendi, ligandi, & solvendi, claudendi, & aperiendi, indicant non solum auctoritatem illam, qua Christi Ministri peccata remittunt, ac retinent, sed etiam inter ligandos, ac solvendos discretionem, Claves esse, hanc *Potestatis*, illam *Scientiæ* merito nuncupatam. Ambas illas Claves in Christo conjunctas agnoscimus. Ipse est enim, in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei sunt absconditi, qui solus docet hominem scientiam; qui solus dignus inventus est aperire librum, & solvere septem signacula ejus: Ipse, cui dedit Pater judicium facere, & discernere inter paleam, & triticum: Ipse, de quo dixit Deus, Isaiæ XLII. *Dedi Spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium*. Quamobrem & Apostolos, quos sua potestate ornavit, ac pro se legatione fungi voluit, ambabus illis Clavibus instruxit, nempe scientiæ, & potestatis. Ad superni enim Judicii Principatum, quem in administratione Sacramenti Pœnitentiæ Sacerdotes exercent, Clavis u-
„ traque conjuncta esse debet. Clavis porro scientiæ erudit ad salutem: Cla-
„ vis potentiæ suscipit ad quietem. Clavis scientiæ doctrina verborum cor-
„ da patefacit: Clavis potestatis animabus aperit Regna cælorum (inquit Au-
„ ctor Sermonis III. in Natali SS. Apostolorum Petri, & Pauli, inter Ambrosianos.)

Matth. 15. 14.

ſianos.) Quamobrem recte dixit *S. Hieronymus* in cap. XVI. S. Matthæi: eos qui clavem poteſtatis a clave ſcientiæ ſeparant, „ Aliquid ſibi de Phariſæorum „ ſupercilio aſſumere, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios ar- „ bitrentur: cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæ- „ ratur. Legimus in Levitico de Leproſis, ubi jubetur, ut oſtendant ſe Sacer- „ dotibus, & ſi lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant: non quo „ Sacerdotes leproſos faciant, & immundos, ſed quo habeant notitiam lepro- „ ſi, & non leproſi, & poſſint diſcernere; qui mundus, quive immundus ſit. „ Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum, vel immundum facit; ſic & „ hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus, & Presbyter: non eos, qui inſontes ſunt, „ vel noxii ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varietates, ſcit, „ qui ligandus ſit, quive ſolvendus.

Cum autem *Clavem ſcientiæ* dicunt Theologi ad ſacrum judicium, ſive in foro interno Pœnitentiæ, ſive in externo Eccleſiæ foro neceſſariam, non intelligunt clavis nomine ſcientiam ipſam, quæ mentis habitus eſt, vel acquiſitus, vel infuſus, ſed auctoritatem exercendi actum ſcientiæ in Sacro Tribunali, & Judicio. Quæ quidem auctoritas quandoque ſine ſcientia eſt, quandoque autem ſcientia ſine ipſa: quod ſæcularium Judiciorum exemplo compertum eſt. Aliquis enim Judex ſæcularis habet auctoritatem judicandi, qui non habet Juris ſcientiam; & aliquis e contrario habet Juris ſcientiam, qui non habet auctoritatem judicandi. Et quia judicium ſine utroque rectum eſſe non poteſt, ideo auctoritatem judicandi ſine peccato ſuſcipere non poteſt, qui ſcientia deſtitutus eſt; ut obſervat *S. Thomas*, in Supplemento, Quæſt. XVII. Art. III. in Reſponſione ad ſecundum. De Confeſſione.

ARTICULUS V.

REGULÆ MORUM.

Circa neceſſitatem, & præceptum Sacramentalis Confeſſionis.

REGULA I.

Unuſquiſque Chriſtianus, cum ad annos diſcretionis pervenerit, id eſt, ad eam ætatem, qua rationis uſum habere poteſt, & inter bonum, ac malum diſcernere, Confeſſionis lege tenetur.

HÆc Regula colligitur ex Concilio Lateranenſi IV. Can. XXI. cujus initium eſt, *Omnis utriuſque ſexus*. Neque tamen ea ætas certo aliquo annorum numero definita eſt, (inquit Catechiſmus Concilii Tridentini.) „ Sed illud univerſe ſtatuendum videtur, ab eo tempore Confeſſionem pue- „ ro indictam eſſe, cum inter bonum, & malum diſcernendi vim habet, „ in ejuſque mentem dolus cadere poteſt. Nam cum ad id vitæ tempus „ quiſque pervenerit, in quo de ſalute æterna deliberandum eſt, tum pri- „ mum Sacerdoti peccata confiteri debet: cum aliter ſalutem ſperare ne- „ mini liceat, qui ſcelerum conſcientia premitur.

Optimæ vero conſuetudinis erit (inquit *S. Carolus* in Inſtructione „ Confeſ- „ ſorum) puellos, & puellulas, etiamſi ſex tantum annorum, acceriere, „ ut paulatim a prima ætate edoceantur, & ad hujus Sacramenti uſum, „ & cognitionem aſſuefiant. Obſervent tamen Sacerdotes Sacramentalem „ eis Abſolutionem non largiri, in quibus materia non ſolet reperiri, nec „ talis rationis uſus, unde eos ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum capa- „ ces judicent. Qui vero ad ſeptem, aut octo annos pervenerint, pro mo- „ dulo de neceſſitate, & virtute Sacramenti, illudque frequentandi modo „ inſtruantur.

REGULA II.

Quisquis sibi mortalis peccatis conscius est, & ad Sacramentum Eucharistiæ vult accedere, aut aliud Sacramentum suscipere, vel administrare, Confessionis Sacramentalis lege est adstrictus.

HAnc Regulam tradit Concilium Tridentinum Sess. XIII. cap. VII. *Communicare volenti* (inquit) *revocandum est in memoriam* Apostoli *præceptum:* Probet autem se ipsum homo. „ Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat: quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit. Et Can. XI. Ne tantum Saramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur: statuit, atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat. *Idem docet Concilii Catechismus*. Quoties (*inquit*) aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat: veluti cum Sacramenta administramus, aut percipimus toties Confessio prætermittenda non est.

Confessionis præceptum.

Quamvis autem Confessio venialium non sit absolute necessaria, Monitum tamen *S. Caroli* in Instructione de Sacramento Communionis auscultandum est. *Nec Sacerdoti* (inquit) *satis esse videatur vacare a culpa mortali, sed & a venialibus debet abstinere, & de iis, si quæ sint, confiteri. Licet enim ex se ipsis hominem a Sacrificio non removeant; fervorem tamen charitatis, gustum, & consolationem, quam Justi horum peccatorum immunes sentiunt, solent minuere; timendumque, ne dum talia peccata nonnulli negligunt, & cum iis celebrant, occultum aliquod peccatum mortale eos forsan lateat, in quod ex venialium negligentia inciderunt.*

REGULA III.

Confessionis lege tenemur, quoties mortis periculum imminet.

HAnc Regulam tradit Concilii Tridentini Catechismus. Ita *S. Thomas* in IV. Sentent. Distinct. XVII. Quæst. III. Art. I. Quæstiuncula IV. *Quia* (inquit) *ea, quæ sunt de necessitate salutis tenetur homo in hac vita implere, ideo si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo obligatur aliquis ad Confessionem faciendam tunc, vel ad Baptismum suscipiendum: & propter hoc etiam S. Jacobus simul præceptum edidit de Confessione facienda, & Extrema Unctione suscipienda.* Hinc Medicis præceptum est sub pœna Excommunicationis, ut ad infirmos periculose decumbentes vocati, *Ipsos ante omnia moneant, ut Medicos advocent animarum*. Ita statuit Concilium Lateranense IV. sub *Innocentio III.* Canone XXII. Eamdem Constitutionem innovavit *Clemens V.* Pontifex Maximus in Concilio Ravennate II. cap. XV. *De Pœnitentiis*, prohibuitque, ne Medici ad infirmos vocati ulterius redeant, & eosdem curare pergant, *Nisi prius eis constiterit, quod infirmi prædicti Medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum salute provisum*. Eamdem Sanctionem confirmavit Beatus Pontifex *Pius V.* Constitutione,

tutione, quæ incipit, *Super gregem*, edita VIII. Martii, anno 1566. cujus executionem imperat *Sanctus Carolus* in Concilio Mediolanensi II. Decreto XVII. *Quod* (inquit) *Summus Pontifex* Pius V. *propositis Excommunicationis, aliisque pœnis jussit, Medicos ab ægrotantis curatione post triduum abstinere, nisi eo tridui spatio de peccatis suis confessus ille sit; id Episcopus curet quam diligentissime observari. Rationemque præterea aliquam statuat, qua Medicis ipsis facilius exploratum esse possit, ægrum peccata sua vere confessum esse*. Idem edixerunt Concilia Gallicana, Bituricense anno 1584. Tit. XXI. *De Pœnitentia, & ejus partibus*, Can. XIV. Aquense anno 1585. Tit. *Quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent*, & Narbonense anno 1609. *De Sacramento Pœnitentiæ*, cap. XVII. Confessionis præceptum.

Secundum hanc Regulam, Confessionis præcepto tenentur Fideles, qui se in mortis discrimen adducendos probabiliter prævident, verbi gratia mulieres puerperæ, Milites in procinctu certaminis, item quicumque periculosas navigationes, vel infestum iter ineunt. Ita statuit *S. Carolus* in Concilio Mediolanensi v. Tit. Quæ ad Sacramentum Pęnitentiæ pertinent. *Salutariter* (inquit) *ex doctrina Spiritus Sancti cautum est, Christi Fideles de peccatis confiteri debere, quotiescumque rem, actionemve aliquam aggrediuntur, in qua præsens mortis periculum pertimescendum sit. Quamobrem Parochus curet, atque efficiat, ut præter id, quod* Pii Quinti *Constitutione, Decretoque Provinciali de ægrotante sancitum est, si quis etiam Parochialis eo profecturus est, ubi sit, aut pestis, aut hæresis, aut ubi nullam Confessarii copiam habere possit, aut ad bellum iturus sit, aut pugnam initurus, aut iter infestum, navigationemque periculosam facturus; antequam viæ, navigationive se committat, peccata confiteatur. Idem officium præstet de mulieribus proxime parituris.*

REGULA IV.

Pium consilium est peccata sacramentaliter confiteri, quoties rem arduam, & difficilem aggredimur.

HAnc Regulam tradit *S. Carolus* in eodem Concilio: *Moneat quoque sæpe numero Parochus, cohorteturque, ut quoties quis rem arduam, & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggreditur, primo confessus, itidem faciat: ut tanto Sacramento corroboratus*, (scilicet Eucharistia) *spe erectiori fiat rei bene gerendæ*.

REGULA V.

Præceptum Confessionis obligat, cum veremur, ne nos alicujus culpæ lethalis, quam admiserimus, oblivio capiat: vel ne Confessarii copiam intra annum non habeamus, cui peccatum mortale, cujus forte rei sumus, confiteri possimus.

PRimam partem docet Concilii Tridentini Catechismus, & merito: neque enim peccata confiteri possumus, quæ non meminimus: neque peccatorum veniam a Domino impetramus, nisi ea Pœnitentiæ Sacramentum per Confessionem deleat.

Partem alteram docet *S. Antoninus* Par. II. Tit. IX. cap. XIII. §. 4.

REGULA VI.

Confessionis præceptum non obligat statim atque aliquis in mortale peccatum lapsus est.

Confessionis præceptum.

COnfessionis enim præceptum ex iis est, quæ affirmativa dicuntur a Theologis, quæ obligant semper, sed non ad semper (ut loquuntur) cum e contrario præcepta negativa semper, & ad semper obligent. Unde quia rei alienæ retentio invito domino repugnat præcepto negativo, semper & statim ad restitutionem tenetur, qui rem alienam injuste retinet, si restituere possit. Præterea, *Eadem ratio esse videtur de Confessione, & de Baptismo differendo* (inquit S. Thomas) „ quia utrumque est Sacramentum necessitatis. Ad Baptismum autem percipiendum non tenetur „ aliquis statim postquam habet propositum Baptismi, ita quod peccet „ mortaliter, nisi statim baptizetur: nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod si Baptismum differat, peccatum mortale incurrat. Sed „ potest contingere, quod in dilatione Baptismi mortale erit peccatum, „ vel non erit: & hoc pensandum est ex causa dilationis. Unde si causa dilationis Baptismi mortale peccatum annexum habeat, utpote si propter contemptum, vel aliquid hujusmodi Baptismum differat, dilatio erit „ peccatum mortale; alias non. Et ideo idem videtur esse de Confessione, quæ non est majoris necessitatis quam Baptismus. *Qui ergo statim* „ *oblata opportunitate non confitetur*, Etiamsi major opportunitas non expectetur, *non peccat mortaliter*; sed quando ex articulo temporis necessitas inducitur: quia præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed „ ad tempus determinatum, non quidem ex hoc, quod tunc commode „ impleri possunt, (quia tunc si non daret aliquis eleemosynam de superfluo, quandocumque pauper monstraretur, peccaret mortaliter. quod „ falsum est;) sed ex hoc, quod tempus necessitatem urgentem adducit. *Ita* „ *S. Thomas, in* IV. *Sententiarum, Dist.* XVII. *Quæst.* III. *Art.* I. *Quæstiuncula* „ IV. Consilium tamen sanum est, ut omnes, qui in mortale peccatum „ lapsi sunt, quam citius possunt, confiteantur: non enim videtur vere „ contritus, qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum. De „ his itaque generaliter asserere, quod possunt usque ad Pascha differre, „ videtur periculosum (*inquit S. Bonaventura in* IV. *Sententiarum Dist.* XVII. „ *Quæst.* II. *P.* II.)

REGULA VII.

Præcepto Confessionis semel in anno faciendæ omnes, & singuli Fideles sunt adstricti.

ECclesiastico Jure hæc obligatio Christianis omnibus imposita est. Id scilicet præcepit Ecclesia in Concilio Lateranensi IV. congregata, Can. XXI. relato Extra, *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, cujus hæc sunt verba: *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi Pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum .... Alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Christiana careat Sepultura. Unde hoc salutare Statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XVII. Q. III. A. I.

Quæ-

Quæstiuncula III. *Ad Confessionem* (inquit) *dupliciter obligamur: uno modo ex Jure divino, ex hoc, quod est medicina: & secundum hoc non omnes tenentur ad Confessionem, sed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt post Baptismum. Alio modo ex præcepto Juris positivi: & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in Contilio Generali sub Innocentio III. Tum ut quilibet* Rom. 3. 21. *se peccatorem recognoscat, quia* Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei: *tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedat: tum ut Ecclesiarum Rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat.*

REGULA VIII.

Quamvis annuæ Confessioni nullum certum tempus Ecclesiæ præcepto præfixum sit, ratione tamen Communionis Paschalis in Paschate implendum est.

CUm enim ad Euchariſtiam accedere nemini liceat, qui ſibi mortalis peccati conſcius fuerit, niſi Confeſſione Sacramentali prius fuerit expiatus; peccatique mortalis reus ſit, qui Eccleſiæ præceptum de annua Confeſſione contemnit, vel negligit: ſequitur illud in Paſchate impleri ab illis neceſſario oportere, qui infra annum eo Chriſtianæ religionis, & obſervantiæ functi non ſunt officio: alioqui Euchariſtiam indigne ſumerent, & Apoſtolicum, imo divinum ab Apoſtolo promulgatum præceptum violarent: *Probet autem se ipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Sed & ab iis, qui venialibus dumtaxat peccatis obſtricti ſunt, tunc illud præceptum impleri poſtulat obedientia, quam Eccleſiæ præcepto debent. Hinc Eccleſiæ mos obtinuit, ut tempore Paſchatis annuæ Confeſſionis præceptum a Fidelibus impleatur. Unde Concilium Burdigalenſe anno vigeſimoquarto ſupra milleſimum ſexcenteſimum, Can. III. de tempore Paſchatis loquens: *Sacris* (inquit) *Canonibus insistentes, statuimus, eo tempore omnes Christi Fideles, tum ad Confessionem peccatorum proprio Parocho, aut alii de ejus licentia faciendam, tum ad sacram Eucharistiam in eadem Ecclesia percipiendam teneri, & obligari, nullosque alias præcepto Ecclesiæ satisfecisse; ac proinde in eos, nisi resipiscant, ab Ordinario Censuris agendum esse, declaramus.* Et Concilium Bituricenſe anno 1584. *Omnes Christiani cujuscumque sexus, peccata sua, saltem semel in anno, ad diem Paschæ, proprio Sacerdoti confiteantur.* Ex veteris porro Eccleſiæ inſtituto, & conſuetudine manavit uſus Confeſſionis Paſchali tempore a Chriſtianis omnibus faciendæ, ut Paſcha Domini ſancte celebrarent, & digne Euchariſtiam perciperent, ut conſtat ex *S. Jo: Chrysostomo*, Homilia xxx. in Geneſim, Anthiochiæ habita in magna, ſeu ſancta, ut vocatur, Hebdomada. *Quemadmodum* (inquit) *naucleri & cursores, & athletæ, ubi ad finem veniunt, magis enituntur, & vigilant, eodem modo & nos facere oportet: quia in Magnam hanc pervenimus Hebdomadam Dei gratia, nunc maxime & jejunii cursus intendendus, magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens, & pura peccatorum Confessio.*

Confeſsionis præceptum.

1. Cor. 11. 28

Hanc Regulam, ſuperioreſque confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto I. Qu. VI. Art. II. Quidam (inquit) *dixerunt, quod tenetur confiteri, quam cito opportunitas confitendi se obtulerit, ita quod si differat, peccat; sed hoc est contra rationem præcepti affirmativi; quod licet obliget semper, non tamen obligat ad semper, sed pro loco, & tempore: tempus autem implendi præceptum de Confessione videtur, quando imminet aliquis casus, in quo necesse est homini, quod sit confessus; puta si immineat ei mortis articulus, vel necessitas accipiendi Eucharistiam, aut sacrum Ordinem, vel aliquid hujusmodi, ad quod oportet hominem per Confessionem purga-*

tum præparari: unde si aliquid horum immineat, & aliquis confiteri prætermittat, peccat, dummodo debita opportunitas adsit. Et quia ex præcepto Ecclesiæ omnes Fideles tenentur saltem semel in anno (præcipue in Festo Paschæ) Sacramenti Communionem accipere; ideo Ecclesia ordinavit ut semel in anno, quando imminet tempus accipiendi Eucharistiam, omnes Fideles confiteantur.

Confessionis præceptum.

REGULA IX.

Optat vehementer Ecclesia, ut Fideles initio Quadragesimæ Sacramentalem peccatorum Confessionem edant: ad idque ipsos ferventer adhortari Parochi, & Concionatores debent.

HÆc Sacri Concilii Tridentini mens est, cum morem illum saluberrimum commendat Confessionis a Fidelibus faciendæ sacro Quadragesimæ tempore, Sess. XIV. cap. V. *Jam* (inquit) *in universa Ecclesia cum ingenti animarum fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc Sancta Synodus maxime probat, & amplectitur tanquam pium, & merito retinendum.*

Et Canone VIII. Anathemate ferit eum, qui dixerit, *Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam a piis abolendam: aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christi Fideles, juxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christi Fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ.* Ne quis autem existimet, Concilium approbasse, & commendasse consuetudinem eorum, qui cum perraro confiteantur, Confessionem differunt in postremos Quadragesimæ dies: non ea Concilii mens est; sed intelligendum est de Confessione ineunte Quadragesima a Fidelibus fieri solita; ut habetur in Notis ad Decretum Concilii Tridentini in Bibliotheca Doctissimi, & Piissimi Cardinalis *Bellarmini* repertis: *Non in fine, ut abusus irrepsit, sed initio hujus temporis, ut olim recte constitutum fuerat.*

Idem confirmatur ex Concilio Mediolanensi V. sub *Sancto Carolo Borromæo*, Tit. De his, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent. *Parochus* (inquit) *singulos, eosque præsertim, qui perraro confitentur, moneat ut ne Confessionem differant in postremos illos Quadragesimæ dies, quibus Sacerdotes, vel ob Mysteriorum celebritatem, assidua divinorum occupatione ab audiendis Confessionibus impediuntur; vel frequenti tunc concursu Fidelium defatigati, ita in eo ipso Munere præstando fere opprimuntur, ut tantum, tamque salutare Ministerium in confertissima multitudine vix recte illis præstare queant.* Idem repetit in Instructionibus *De Sacramento Pœnitentiæ*, & in instructionibus Confessorum.

Confirmatur iterum ex Concilio Bituricensi anno 1584. celebrato, Tit. *De Pœnitentia, & ejus partibus*, Canone X. *Qui curam animarum habent, veram confitendi rationem populo suo exponant, præsertim tempore Quadragesimæ, & Adventus Domini, necnon circa solemniores Festivitates anni: & ab initio Quadragesimæ Confessiones incipiant audire, ut adveniente Festo Paschæ omnes Fideles Eucharistiam suscipiant.*

Idem in Synodis plerisque Provincialibus, & Diœcesanis statutum est. Ita Statuta Synodalia Ecclesiæ Trecensis, apud *L. Bochellum*, Lib. II. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ. *Sacerdotes frequenter moneant Laicos, & alios Parochianos suos venire ad Confessionem. & præcipue in principio Quadragesimæ: quia jejunium, vel eleemosyna facta ab illo, qui est in peccato mortali, parum prodest.*

Odo

Odo Parisiensis Episcopus in Synodo : *Frequenter Presbyteri moneant ad Confessionem, & præcipue ab initio Quadragesimæ instanter præcipiant venire generaliter ad Confessionem.* Confessionis præceptum.

Synodus Senonensis anno 1524. Quoniam hominum labilis est memoria ,
„ periculosissimumque sit diutius in peccato remanere mortali , ac etiam
„ damnosum, cum bona opera in mortali peccato ad salutem directe non
„ prosint : statuimus, ut Curati de cetero ex parte nostra diligenter Pa-
„ rochianos suos moneant, & hortentur, ut sua frequenter , & præser-
„ tim in Festis solemnibus, confiteantur peccata, in Festo , scilicet Paf-
„ chæ, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis , in Festo om-
„ nium Sanctorum, Natalis Domini, & Dominica prima Quadragesimæ
„ ..... Insuper singulis diebus Dominicis Quadragesimæ moneant, & in-
„ ducant eosdem Parochianos suos, ut nullus eorum, qui per annum con-
„ fiteri distulit peccata sua, usque ad diem Mercurii Hebdomadæ Sanctæ
„ confiteri differat, vel expectet, comminando eis, & dicendo : Quod si
„ quis eorum absque excusatione notoria, & justa ita confiteri distulerit,
„ prædicto die elapso non admittetur. *Idem statuit Synodus Carnotensis an-*
„ *no* 1526. *celebrata.*

Vuillelmus Parisiensis Episcopus in Synodo statuit, „ Ut Presbyteri Pa-
„ rochianos suos moneant, & frequenter in Ecclesiis suis denuncient ,
„ quod omnes, saltem patres familias, & matres , ad Confessionem ve-
„ niant ante Pascha Floridum : & qui in hoc negligentes fuerint, in pœ-
„ nam, usque post Octavam Paschæ, ad Confessionem non admittantur ,
„ sed usque ad illud tempus a carnibus jejunabunt , sicut in Quadragesi-
„ ma.

Saluberrimam illam disciplinam initio Quadragesimæ confitendi commendat *Petrus Blesensis*, Sermone in die Cinerum. *Cum initio Jejunii* (inquit) *debet esse initium confitendi. Unde in fine Quadragesimæ de ablutione*
„ *pedum Discipulorum legitur*: Qui lotus est, non indiget , nisi ut pedes
„ lavet, sed est mundus totus. Non dixit, Qui lavandus est, sed lotus:
„ nec dixit, Nisi ut faciem, & pedes lavet, sed tantum pedes . Ac si
dicat: In principio Jejunii debet quis criminalia peccata lavare, pure, & humiliter confiteri: in fine venialia, quæ contraxit.

Eamdem commendat , & observari jubet *Tehodulphus* Aurelianensis Episcopus in Capitulari ad Presbyteros suæ Diœcesis, anno 835. *Hebdomada una ante initium Quadragesimæ Confessiones Sacerdotibus dandæ sunt , Pœnitentia accipienda , discordantes reconciliandi, & omnia jurgia sedanda , & dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberius dicant* : Dimitte Joan. 13. 10.
„ nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris . *Et sic ingredientes in Beatæ Quadragesimæ tempus, mundis, & purificatis mentibus ad Sanctum Pascha accedant, & per Pœnitentiam se renovent, quæ est secundus Baptismus.*

REGULA X.

Qui sola venialia admisit, Confessionis annuæ præcepto nihilominus tenetur.

ITa *Sanctus Thomas*, in IV. Sentent. Distinct. XVII. Quæst. III. Art. I. Quæstiuncula III. ad primum. *Quamvis* (inquit) *homo in hac vita post Baptismum naufragium evadere possit , quod est per peccatum mortale , non tamen potest evadere venialia , quibus ad naufragium disponitur ; contra quæ etiam Pœnitentia ordinatur : & ideo manet Pœnitentiæ locus etiam in illis , qui non* Confessionis præceptum.

non mortaliter peccant; & per consequens locus Confessionis. Et ad tertium: *Ex vi* (inquit) *Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur*. Accedit, quod multa sint mortalia, quæ interdum a peccatoribus venialia existimantur.

Quantumcumque ergo provectus sit homo in Vita spirituali, confiteri peccata sua semel in anno tenetur sub reatu peccati mortalis; & alias Sacramentalem Confessionem frequentare debent, qui ad Eucharistiam frequenter accedunt, quantumvis in Via interna provecti supponantur. Unde inter ceteros Michaelis Molinos errores ab Innocentio XI. merito hæc damnata est Propositio: *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt; & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem; & supplet ipse tanta gratia præservante, quantam in Sacramento reciperent; & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile*.

Propositio damnata.

REGULA XI.

Annuæ Confessionis præceptum sacrilega Confessione non impletur.

UNa enim, eademque Confessio a Deo, & ab Ecclesia præcipitur. Ecclesiæque præceptum determinatio est divini præcepti ad certum tempus. Nemo autem dixerit, sacrilega Confessione divinum præceptum impleri. Deus enim Confessionem præcepit ex veræ, & sinceræ Pœnitentiæ affectu editam; adeoque conjunctam cum omnium peccatorum mortalium, quæ singulatim apud Sacerdotem deponit, *Contritione*, (saltem imperfecta,) *quæ est de essentia Sacramenti*, ut docet *S. Thomas*. Quæst. VIII. Supplementi, Art. II. ad primum: & quæ *Primum locum tenet inter actus Pœnitentiæ, fuitque quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessaria*; ut docet Tridentina Synodus. Quamobrem qui Confessionem invalidam fecit, ut Ecclesiæ præceptum implere videretur, non solum accusare se debet de sacrilegio, sed etiam de violatione Præcepti Ecclesiastici.

Tandem ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo inter alias Propositiones, die 14. Septemb. anno 1665. hæc etiam damnata est ordine decima quarta: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Eamdem Clerus Gallicanus anno 1700. damnavit, ut *temerariam, erroneam, sacrilegio faventem, & præceptis Ecclesiæ illudentem*.

Propositio damnata.

REGULA XII.

Confessionis præceptum non impleret, qui scripto, vel nutu, non ore proprio confiteretur, nisi loquendi facultate, seu libertate destitutus esset.

COnfessio enim vero, quatenus pars est Sacramenti, habet determinatum actum, sicut & alia Sacramenta habent determinatam materiam: *Et sicut in Baptismo ad significandam interiorem ablutionem, assumitur illud elementum, cujus est maximus usus in abluendo: ita in Confessione Sacramentali, ad manifestandum ordinarie assumitur ille actus, quo maxime consuevimus, manifestare, scilicet proprium verbum. Alii autem modi sunt inducti in supplementum istius*, (inquit *S.Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinct. XVII. Qu. III. Art. IV. Quæstiuncula III.) Et Quodlibeto I. Quæst. VI. Art. I. *Ex institutione Ecclesiæ* (inquit) *tenetur homo, qui potest, ut verbo confiteatur; non solum propter hoc, ut ore confitens magis erubescat, & qui ore*

pecca-

peccavit, ore purgetur; *sed etiam, quia semper in omnibus Sacramentis accipitur id, cujus est comunior usus. Unde & in manifestatione peccatorum convenit uti verbis, quibus homines communius, & expresius suos conceptus significare consueverunt*. Et certe cum Sacerdos in Pœnitentiæ tribunali sedeat, ut Judex vice Dei jus habet interrogandi Pœnitentem, ut causam ipsius, ac statum omnino exploratum habeat: adeoque ore proprio respondere Pœnitens debet. Hinc Tridentinum Concilium Sess. XIV. cap. II. ait: *Eos, qui se crimine aliquo post Baptismum contaminaverint, ante hoc Tribunal tanquam reos sisti voluit Christus, ut per Sacerdotum sententiam, quoties ab admissis peccatis ad ipsum Pœnitentes confugerint, possent liberari*.

Per litteras, aut per internuncium absenti Sacerdoti peccata confiteri non licet.

Confirmatur ex Canone, Quem pœnitet, *Dist.* I. *De Pœnitentia*, ubi de Leprosis a Christo mundatis, & ad Sacerdotes missis dicitur: *Præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata; non per nuncium, aut per scriptum manifestanda: dixit enim, Ora monstrate, & Omnes, non unus pro omnibus: non alium statuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus a Moyse statutum; sed, Qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. In hoc enim, quod per seipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis*. Qui canon ex cap. X. Libri *De vera, & falsa Pœnitentia*, olim *S. Augustino* adscripti, sumptus est.

Confirmatur iterum ex Decreto *Clementis VIII.* Pontificis Maximi, anno secundo supra sexcentesimum, & millesimum, quo hanc Propositionem, *Licere per Litteras, seu per internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolutionem petere*; ad minus *Uti falsam, temerariam, & scandalosam se damnare, ac prohibere* declaravit; imo præcepit, ne deinceps ista Propositio in publicis privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve unquam *tanquam aliquo casu probabilis* defendatur; aut imprimatur, aut quovis modo ad praxim deducatur, *Sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ*, Summo ipsi Pontifici reservata.

Fuere, qui Propositionem a Clemente VIII. in sensu duntaxat complexo, & copulativo, non in sensu disjunctivo damnatam esse propugnarent: adeoque Pœnitentem posse in aliquo casu per Litteras, vel per internuncium confiteri absenti, etsi non possit ab absente absolvi. Verum partem utramque Propositionis a Summo Pontifice fuisse damnatam, inde constat, quod Sectionem in qua celeber Theologus Clementis VIII. Decretum in eum sensum detorquebat, ex ejus Commentariis eradi jusserit ipse Pontifex; & doctissimus Cardinalis Bellarminus, necnon Armacanus Archiepiscopus Petrus Lombardus, qui Clementem VIII. privatim rogarunt, quænam ipsius mens fuisset, testati sunt, Sanctitatem suam declarasse, partem utramque Propositionis a se fuisse damnatam laudato Decreto; & prohibuisse ne Confessio fiat absenti, quamvis Absolutio in præsentia danda esset.

Denique Concilii Tridentini Catechismus, P. II. De Pœnitentia, *§. 69.* docet, Nemini omnino licere neque per nuncium, neque per litteras peccata confiteri; quoniam ea ratione nihil jam occulte agi potest.

Circumferuntur quidem Absolutiones quædam olim absentibus concessæ; sed vel Absolutiones erant a Censuris duntaxat Ecclesiasticis, non a peccatis; vel cæremoniales tantum, & deprecatoriæ, non sacramentales, & judiciariæ. Sic *S. Thomas Cantuariensis*, timens ne Censuram aliquam incurrisset cedendo *Henrico II.* Angliæ Regi Libertates Ecclesiasticas oppugnanti, in Clarendonensi Conventu, Absolutionem petiit ab *Alexandro III.* quam ipsi concessit Pontifex, jussitque ne deinceps a missarum celebratione abstineret;

ret; ſed tamen ad Sacerdotem illum remiſit, cui confiteretur peccata, quorum ſibi forte conſcius eſſet, ab eoque ſacramentaliter abſolveretur, ut conſtat ex Pontificis Reſcripto, cujus hæc ſunt verba: *Si te recolis aliquid commiſiſſe, de quo propria te debeat conſcientia remordere, quicquid ſit, Sacerdoti, qui diſcretus, & providus habeatur, tibi conſulimus per Pœnitentiam confiteri*. Sic *Gregorius VII.* Linconienſi in Anglia Epiſcopo Abſolutionem per litteras conceſſit, quam ipſe per Epiſtolam petierat, ſed canonicam duntaxat, quæ in mera pœnarum canonicarum relaxatione, ſeu Indulgentiæ conceſſione poſita eſt, ut conſtat ex illius Regeſti Lib. I. Epiſt. XXIV. Similem Abſolutionem per litteras conceſſit Epiſcopo Leodienſi, Epiſt. LXI. Lib. II. *Robertus* Cenomanenſis Epiſcopus gravi morbo laborans, confeſſus eſt peccata per Epiſtolam Coepiſcopis circa Muros Andegavenſes reſidentibus cum Rege Chriſtianiſſimo, & ab ipſis Abſolutionem petiit, obtinuitque, cujus formula legitur Tomo III. Conciliorum Galliæ: ſed hæc Abſolutio cæremonialis tantum fuit, & deprecatoria, ſicut illa, quæ Miſſæ præmittitur, non ſacramentalis, uti nec Confeſſio, quæ nullum peccatum particulatim explicabat, ſed in genere duntaxat *Innumerabilia ſcelera*.

Qui tamen *uſum linguæ non habet, ſicut mutus, vel qui eſt alterius linguæ, ſufficit, quod per ſcriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur; quia non exigitur ab homine plus quam poſſit: quamvis homo non poſſit, vel debeat Baptiſmum accipere niſi in aqua, quæ omnino ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur; ſed actus Confeſſionis eſt ab intra, & a nobis: & ideo quando non poſſumus uno modo, debemus, ſecundum quod poſſumus, confiteri*: (inquit *S. Thomas* loco ſupra laudato in Reſponſione ad ſecundum.)

ARTICULUS VI.

De Conditionibus Confeſſionis.

Confeſſionis ſacramentalis Conditiones ſexdecim vulgo numerantur his Verſibus expreſſæ:

Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrimabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Quæ Conditiones ad quatuor, aut quinque capita, brevitatis, & facilitatis cauſa revocandæ ſunt, ut ait *S. Carolus* in Inſtructione Confeſſorum.

§. I.

Confeſſio integra eſſe debet.

Confeſſionis integritas.

Præcipua conditio eſt, ut integra, & abſoluta ſit. Quæ quidem integritas in eo eſt poſita, ut omnia peccata mortalia Sacerdoti aperiantur. Nam venialia, quæ nos a Dei gratia non divellunt, & in quæ frequentius labimur, tametſi recte, atque utiliter, quod Piorum uſus demonſtrat, confitemur: tamen ſine culpa prætermitti, multiſque aliis rationibus expiari poſſunt. At mortifera peccata ſingula enumeranda ſunt, quamvis etiam occultiſſime lateant, & ejus generis ſint, quæ duobus tantum extremis Decalogi capitibus interdicuntur, ſoloque deſiderio, & cogitatione perpetrata ſint. Unde *S. Cyprianus* Tract. *De Lapſis*, ait, eos, qui vel de ſacrificio idolis offerendo, vel de libellis ab Ethnico Magiſtratu accipiendis cogitaverant, quibus fidem facerent ſe

Prin-

Principum Decretis paruisse, atque ita immunes essent a persecutione in Christianum nomen excitata, adire debuisse Sacerdotes, apud eos crimen confiteri quamvis occultum, quamvis cogitatione sola admissum; conscientiæ suæ pondus exponere, medicinam salutarem ab ipsis exquirere, *Quanto* (inquit) „ & „ fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti; quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum „ apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes, Exomologesim „ conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis „ licet, & modicis vulneribus exquirunt. *Quod autem non spontanea tantum animi religione, sed publica lege id officii Lapsi præstare deberent, sequentia verba ostendunt:* „ Confiteantur singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum, „ dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum adhuc admitti Confessio ejus „ potest, dum Satisfactio, & Remissio facta per Sacerdotes apud Dominum „ grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, & Pœnitentiam criminis „ veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur.

Idem docet *Origenes*, Hom. III. in Leviticum, *Est* (inquit) „ aliquod in „ hoc mirabile secretum, quod jubet pronunciare peccatum. Etenim omni „ genere pronuncianda sunt, & in publicum proferenda cuncta, quæ egerimus, si quod in occulto egerimus, si quod in sermone solo, vel etiam intra co„ gitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri.

Idem docet *S. Augustinus*, Serm. CCCLI. alias L. inter Homilias 50. ubi loquens de Pœnitentia pro illis peccatis, *quæ Legis Decalogus continet*, & de quibus Apostolus ait: „ Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non Gal. 5. 21. „ possidebunt; *hæc habet*: Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis pec„ catorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas Claves Ec„ clesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cœlo, & audet sibi post „ hanc vitam, qui tantum Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri? .... „ Judicet ergo seipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores con„ vertat in melius: ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem, a „ Domino judicetur. Et cum ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, „ sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ec„ clesia Claves ministrantur; & tanquam bonus jam incipiens esse filius, „ maternorum membrorum ordine custodito, a Præpositis Sacramentorum „ accipiat Satisfactionis suæ modum.

Confessionem integram esse debere omnium peccatorum mortalium singulatim, constat & ex Canone Concilii II. Cabilonensis XXXII. „ Sed & hoc „ emendatione indigere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata „ sua Sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat hominem ex „ duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi „ motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent „ inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit Confessio: scilicet, ut ea „ confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione „ delinquitur. Instruendus est, itaque peccatorum suorum confessor, ut de „ octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, Confes„ sionem faciat: quia aut cogitatione, aut quod est gravius, opere, eorum „ instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel ceteræ hujus„ modi pestes, tanto periculosius lædunt, quanto subtilius serpunt. Confessionis integritas.

Idem docet *S. Bernardus*, Serm. XL. De Diversis: *Quid prodest* (inquit) „ par„ tem peccatorum dicere, & partem celare? Ex parte mundari, & ex parte im„ munditiæ deservire? Omnia nuda, & aperta sunt oculis Dei, & tu illi aliquid „ abscondis, qui Dei locum in tanto obtinet Sacramento? Ostende, & denuda „ quæcumque cor tuum dilacerant: detege vulnus, ut sentias operam medicantis.

Idem

Idem confirmat Concilium Tridentinum, Sess. XIV cap. v. *Cum*, inquit, *universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda Confessione a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi Fideles confiteri student, proculdubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt: qui vero secus faciunt, & aliqua scienter retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat Medicina non curat.*

Circunstantias peccati speciem mutantes confiteri necesse est.

Ad integritatem quoque Confessionis pertinet circumstantiarum, quæ speciem peccati mutant, declaratio. Si quis enim hominem interemerit, explicandum est utrum ille Sacris intiatus, an profanus fuerit. Item si cum muliere concubuit, aperiendum est, an Matrimonii lege libera sit, an alterius uxor, an propinqua, aut alicujus voti sponsione Deo consecrata. Hæc enim diversa peccatorum genera constituunt; primum quidem simplicis fornicationis, alterum adulterii, tertium incestus, quartum sacrilegii. Furtum etiam in peccatis numerandum est: verum si quis rem sacram furetur, malitiam furti cumulat sacrilegio: similiter si quis in loco sacro occidat hominem, aut graviter percutiat, vel fornicetur, seu quodvis aliud peccatum luxuriæ perpetret. Hæ igitur circunstantiæ sunt enumerandæ, „ Cum sine illis peccata ipsa neque a Pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus „ innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere „ possit, & pęnam, quam oportet, pro illis Pœnitentibus imponere; (inquit Tridentina Synodus sess. XIV. cap. V.) *Quod fidei dogma est, quantum ad circunstantias speciem mutantes, ut constat ex can.* VII. „ Si quis dixerit, in „ Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse „ jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memo„ria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & „ quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circunstantias, quæ „ peccati speciem mutant, sed eam Confessionem tantum esse utilem ad eru„ diendum, & consolandum Pęnitentem, & olim observatam fuisse tan„ tum ad Satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui om„ nia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ igno„ scendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia; Anathema sit.

Confessionis integritas.

De his *Petrus Blesensis*, in Tractatu De Confessione: *Omnes* (inquit) *circunstantias peccatorum is, qui confitetur, aperiat: causam, locum, tempus, modum, & quicquid mensuram reatus exaggerat. Sic enim B. Augustinus*, (seu potius Auctor Libri *De vera, & falsa Pœnitentia*, cap. XIV. scribit: „ Pęnitens suorum criminum exprimat qualitatem, in loco, in tempore, in „ perseverantia, in varietate personæ, ut attendatur excellentia officii „ sui, turpitudo operis: si in sacro loco, si in die festivitati, vel oratio„ ni consecrata, aut jejunio: quanta tentatione impulsus sit. Et ut gratia „ evidentiæ ponamus hujus rei exemplum: qui fornicatur, non solum „ suam, sed illius animam perimit, quam in consensum, & participium „ suæ iniquitatis allexit. Porro animæ tertiæ homicida est, si rogatu ejus „ aliquis mediator illius turpitudinis intercessit ∴ Turpe reputas de tam turpi „ materia loqui: sed turpior est infernus. Si fędus est sermo, fędius est pu„ trescere in peccato ∴ Sic ergo Confessio fiat, ut etiam in tui accusatio„ nem peccati veniant, quæcumque videntur illius accessio, vel sequela. „ Tuam igitur conscientiam solerti revolve scrutinio, explora omnes angu„ los ejus, nihilque in eo remaneat indiscussum. Fode parietem, & abomi„ nationes conscientiæ monstruosas revelabit tibi familiare scrutinium.

De

De circunſtantiis malitiam peccati intra eamdem ſpeciem augentibus paulo major difficultas eſt, utrum earum explicatio ad Confeſſionis integritatem ſit omnino neceſſaria. Qua de re, etſi nihil ſit a Sacra Synodo Tridentina definitum, Catechiſmus tamen Concilii, p. II. *De Pœnitentia*, §. LXIII. illas etiam circunſtantias declarandas eſſe docet. *Furtum etiam* (inquit) *in peccatis numerandum eſt, verum ſi quis aureum nummum furetur, levius omnino peccat, quam is, qui centum, vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præſertim vero, qui ſacram pecuniam abſtulit. Quæ etiam ratio ad locum, & tempus pertinet. Hæc igitur enumeranda ſunt: quæ vero pravitatem rei magnopere non augent, ſine crimine omitti poſſunt.* Cenſet igitur Eccleſia, cujus doctrina cenſenda eſt, quæ in illo Catechiſmo traditur, circunſtantias illas, quæ pravitatem facinoris magnopere augent, ſine crimine omitti non poſſe. *Hinc S. Carolus Borromæus*, in Inſtructionibus Confeſſorum, a quarta Synodo Provinciali Mediolanenſi approbatis, monet Confeſſarium apprime ſcire debere *Circunſtantias peccati ſpeciem mutantes, aut augentes: nam hæ duæ circunſtantiarum ſpecies debent neceſſario explicari.* Verbi gratia vir conjugatus, qui commiſit adulterium cum aliena conjuge, debet circunſtantiam illam confiteri, quæ tametſi peccati ſpeciem non mutet, certe plurimum auget malitiam. Qui conmiſit inceſtum, explicare debet, in quo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis conjunctus ſit cum muliere, cui ſtuprum intulit. Qui puellam alteri pactam, & ſponſaliorum ſolemni Ritu deſtitutam violavit, circunſtantiam illam tenetur exprimere, quæ plurimum auget gravitatem facinoris, facitque, ut proxime ad adulterium accedat. Qui furatus eſt, pecuniæ ſummam, aut rei ablatæ naturam, quantitatem, & pretium declarare tenetur quantum poteſt. Qui lethalia peccata ex habitu, & conſuetudine commiſit, circunſtantiam conſuetudinis explicare debet. Unde *Innoc. XI.* Pontifex Maximus hanc inter alias ſexaginta quinque Propoſitionem damnavit 58. *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.* Et certe ratio, qua Conc. Tridentinum probat, circunſtantias peccati ſpeciem mutantes in Confeſſione aperiendas eſſe, probat pariter illas oportere declarari, quæ intra eamdem ſpeciem plurimum augent malitiam peccati, ſcilicet. *Quod ſine illis peccata ipſa, neque a Pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus innoteſcant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis Pœnitentibus imponere.* Congruam namquam Pœnitentiam ſpectatis peccatorum circunſtantiis imponendam, Sacri Canones ſtatuunt. *Innoc. III.* cap. *Deus qui*, Extra, De Pœnitentiis, & Remiſſionibus: *Conſideratis* (inquit) *circunſtantiis omnibus, competentem Pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout ſaluti eorum videritis expedire.* Et cap. *Omnis utriuſque*, ibid. *Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, ut more periti Medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſaucitati, diligenter inquirens, & peccatoris circunſtantias & peccati: quibus prudenter intelligat; quale debeat illi præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum.*

Circunſtantias malitiam peccati plurimum augentes confiteri neceſſe eſt.

Confeſſionis integritas.

Hæc ſententia probabilior, & tutior eſt, & in praxi omnino ſequenda. Nec *S. Thomam* in aliam opinionem iturum exiſtimo, ſi poſt Tridentinam Synodum, & ejus Catechiſmum ab Eccleſia approbatum, & Paſtoribus traditum ſcripſiſſet, quamvis in IV. *Sententiarum*, diſt. XVI. q. III. art. II. qu. V. rotunde aſſeruerit, quod *Circunſtantiæ aggravantes, quæ aliam ſpeciem peccato non tribuunt, (vel quæ tribuunt quidem, ſed non mortalis peccati) non ſunt de neceſſitate Confeſſionis; tamen eaſdem confiteri, perfectionis*

eſt;

est; ſicut de venialibus dictum eſt. Idemque confirmat Opuſculo XII. ad Lectorem Biſuntinum, qu. VI. Nemini Thomiſtæ religioni ſit ab ea *S. Thomæ* opinione diſcedere, quam junior propugnavit, & quam ipſum ejuraturum fuiſſe, ac retractaturum veriſimile eſt, ſi poſt Synodum Tridentinam ſcripſiſſet. Unde ſelecti ex Ordine Dominicano Theologi, qui Conc. Catechiſmo adlaborarunt, contrariam opinionem aſſeruerunt Eccleſia approbante: Et *Dominicus Soto*, qui Concilio magna cum eruditione, pietatiſque laude interfuit, illam propugnare non dubitavit in IV. *Sententiarum*, diſt. XVIII. qu. II. art. IV. *Pro mea* (inquit) *ingenii tenuitate ſtatuerem ſeptimam Concluſionem*: Omnis *circunſtantia notabili modo ad judicium Sapientis aggravans peccatum, ſive mutet, ſive non mutet ſpeciem, eſt neceſſario confitenda*. Hancque antiquorum Theologorum ſententiam fuiſſe ait: Et licet *S. Thomas* contrarium ſcripſerit in IV. *Sententiarum*, cum junior eſſet, *Fortaſſe in Summa, quæ ſuum erat poſtremum teſtamentum, ſententiam mutaſſet*.

Propoſitio damnata.

Ad integritatem Confeſſionis pertinet multo magis, ut gradus malitiæ, & qualitas individua peccati exprimatur. Unde, qui copulam habuit cum muliere Matrimonii lege ſoluta, integram Confeſſionem non facit, dicendo ſe grave peccatum contra caſtitatem cum ſoluta commiſiſſe. Idcirco *Alexander VII.* inter plurimas alias Propoſitiones hanc damnavit ordine 25. *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam*.

Nec pudore, nec timore, deterreri debent peccatores ab integritate Confeſſionis.

Ad integritatem denique Confeſſionis pertinet, ut numerus peccatorum, quoad fieri poteſt, explicetur.

Si qui pudore impediti, vel timore deterriti, peccata confiteri non audent, Confeſſarius ipſis animos addere debet, & monere, nihil eſſe, quod vitia ſua aperire vereantur, neminem hominem eſſe, qui infirmus, fragiliſque non ſit, & in gravia peccata cadere non poſſit; Sacerdotem hominem eſſe Pęnitentibus ſimilem, peccatorem, qui compati ſciat peccatoribus. Chriſtum non Angelis, ſed hominibus adminiſtrandæ Pœnitentiæ auctoritatem commiſiſſe, ne homines peccata ſua detegere vererentur iis, qui nullam ad peccandum proclivitatem haberent. Pudorem, & cruciatum æternum temporali pudore, & dolore redimi. Eos, qui ſtulta quadam verecundia peccatum aliquod mortale, aut circunſtantias ſpeciem peccati mutantes, vel aggravantes in Confeſſione ſtudioſe omittunt, pudore ſuffundendos coram Chriſto, & Angelis ejus, omnibuſque Sanctis, quibus eorum peccata in ſupremi Judicii die manifeſta erunt. Timendum non eſſe, cum ſe non habeat Confeſſio Pœnitentium ut Confeſſio reorum coram ſæculari Judice; iſtos torqueri, ut crimen fateantur, confeſſos ad patibulum duci: illos Dei benignitate, & patientia ad peccatorum Confeſſionem invitari; confeſſos abſolvi, & in Regnum cœlorum recipi. Eo ſpectat præclarus *Tertulliani* locus, Lib. *De Pœnitentia*, cap. X. „ Pleroſque (inquit) hoc opus, ut publicationem ſui ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores quam ſalutis; velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam Medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Intolerandum ſcilicet pudori, Domino offenſo ſatisfacere, ſaluti prodactæ reformari. Ne tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero ſubducens. Ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus acquiro. Certe periculum ejus tunc, ſi forte oneroſum eſt, cum penes inſultaturos in riſiloquio conſiſtit, ubi de alterius ruina alter attolitur, ubi proſtrato ſuperſcenditur. Cete-

„ rum

„ rum inter fratres, atque conſervos, ubi communis ſpes, metus, gau-
„ dium, dolor, paſſio (quia communis Spiritus de communi Domino, &
„ Patre) quid tu hos aliud, quam te opinaris? Quid conſortes caſuum tuo-
„ rum, ut plauſores fugis? Non poteſt corpus de unius membri vexatione
„ lætum agere: condoleat univerſum, & ad remedium collaboret neceſſe
„ eſt ∴ Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollice-
„ tur. Videlicet, ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum
„ celabimus? Adeo ne exiſtimatio hominum, & Dei conſcientia comparan-
„ tur? An melius eſt damnatum latere, quam palam abſolvi? Miſerum eſt
„ ſic ad Exomologeſim pervenire. Malo enim ad miſeriam pervenitur:
„ ſed ubi pœnitendum eſt, deſinit miſerum, quia factum eſt ſalutare. Mi-
„ ſerum eſt ſecari, & cauterio exuri, & pulveris alicujus mordacitate cru-
„ ciari: tamen quæ per inſuavitatem medentur, ea & emolumento cura-
„ tionis offenſam ſui excuſant, & præſentem injuriam ſuperventuræ utili-
„ tatis gratia commendant.

Ad malum illum pudorem vincendum pariter opem ferent *S. Auguſtini*
„ verba, locum illum Pſ. XLIX. Arguam te, & ſtatuam contra te faciem
„ tuam, *explicantis*: Quando (*inquit*) Deus manifeſtus veniet, Deus no-
„ ſter, & non ſilebit, *Arguam te*. Et quid tibi faciam arguendo te? Mo-
„ do te non vides, facio, ut videas te. Quia ſi videres te, & diſpliceres
„ tibi, placeres mihi: quia vero non te videns placuiſti tibi, diſplicebis,
„ & mihi, & tibi; mihi cum judicaberis; tibi, cum ardebis. Quid enim
„ tibi faciam, inquit? *Conſtituam te ante faciem tuam*. Quid enim vis la-
„ tere te ipſum? In dorſo tuo tibi es, non te vides: facio ut te videas;
„ quod poſt dorſum poſuiſti, ante faciem ponam; videbis fœditatem tuam,
„ non ut corrigas, ſed erubeſcas ∴ Modo ergo tu fac, quiſquis talis es,
„ quod tibi minatur facere Deus. Tolle te a tergo tuo, ubi te videre non
„ vis diſſimulans a factis tuis, & conſtitue te ante te. Aſcende tribunal
„ mentis tuæ, eſto tibi judex, torqueat te timor, erumpat a te Confeſſio, Pſalm. 50.
„ & dic Deo tuo, *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum*
„ *contra me eſt ſemper*. Quod erat poſt te, fiat ante te: ne tu poſtea a Deo
„ judice fias ante te, & non ſit, quod fugias a te.

S. Bernardus, Sermone CIV. *De Diverſis* quatuor impedimenta Confeſſio- Quatuor Confeſſionis impedimenta quomodo removenda?
„ nis recenſet, & quomodo removenda ſint, docet. Quatuor ſunt (*inquit*)
„ quæ impediunt Confeſſionem, pudor, timor, ſpes, deſperatio. Quoſ-
„ dam enim impedit pudor, qui ſcilicet pro ſola confuſione dicere erube-
„ ſcunt peccata, quæ commiſerunt. De quo per Salomonem dicitur: *Eſt* Eccli. 4.
„ *confuſio adducens peccatum*. Quo contra de his, qui confitentur, iterum
„ dicitur: *Eſt confuſio adducens gloriam*. Alios impedit timor. Timent e-
„ nim ſi confiteantur, ne gravis eis Pœnitentia injungatur: & hos arguit
„ Job dicens: *Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix*. Sunt autem non- Job 6.
„ nulli, qui in hoc mundo adhuc aliquid concupiſcunt, nec putant ſe ade-
„ pturos, quod deſiderant, ſi hominibus, quales ſint, innoteſcant. Ho-
„ rum Confeſſionem impedit ſpes, ideſt, cupiditas potiendi deſiderii: tali-
„ bus comminatur Dominus in Evangelio: *Væ prægnantibus, & nutrienti-* Matth. 24.
„ *bus in illis diebus!* Sunt item alii, qui nihil horum verentur, ſed ſolum
„ hoc timent, quia poſt peccatorum Confeſſionem ab ipſis abſtinere mini-
„ me poſſent. Et his obeſt deſperatio. Quibus non incongue illud poteſt Prov. 18.
„ aptari: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit*. Fit vero
„ nonnunquam, ut hæc omnia ſimul Confeſſionem impediant. Sed qui
„ quatuor his malis premitur, recte jam in monumento jacet, & velut il-
„ le Evangelicus Quatriduanus fœtet. Scriptum eſt enim: *A mortuo, ve-*

„ *lut qui non sit*, *perit Confessio*. Quod si is mortuus est, qui non confitetur, utique reviviscet, qui confitebitur. Veniat ergo Jesus, & dicat, „ *Veni foras*. Et ad vocem ejus illico suscitabitur mortuus. Excipiat hic „ noster mortuus exhortationem, & non differat Confessionem. Dicatur „ ergo illi, quem pudor afficit: Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem „ non puduit facere? Aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potes abscondi? Quod si forte pudor est tibi uni homini, & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? Hæc itaque tria proponenda sunt contra „ pudorem, scilicet consideratio rationis, reverentia intuentis Dei, comparatio majoris confusionis. Similiter contra timorem opponenda sunt „ tria. Considerandum enim est, quod sit longa pœna inferni, quam gravis, quam infructuosa. E contrario vero præsentis temporis Pœnitentia „ brevis est, & levis, & fructuosa. Contra spem quoque itidem tria opponuntur, bona scilicet futuri sæculi, præsentis vitæ bonis majora, certiora, durabiliora: ad quorum comparationem quicquid in hoc mundo „ desiderari potest, modicum est, & incertum, & ut ita dicam, momentaneum. Ita contra desperationem vincendi peccatum tria sunt remedia. „ Primum est, vigor ipse propositi boni, quem assumit ex Confessione. „ Secundum est gratia Dei, quam meretur ex humilitate. Tertium est auxilium, quod ex ejus habet, cui confitetur, compassione. Fortis est, quæ hæc impedimenta removet Confessio; fortis (inquam) quæ pudorem, timorem, spem, desperationemque vincit.

Joan. 11.
Eccli. 17.

§. II.

Confessio Simplex, & nuda esse debet.

Confessionis simplicitas.

Altera Confessionis conditio est, ut nuda, simplex, & aperta sit, non artificiose composita, ut a nonnullis fit, qui potius vitæ suæ rationem exponere, quam peccata confiteri videntur. Ea enim Confessio esse debet, quæ nos tales Sacerdoti aperiat, quales nos ipsos novimus, certaque pro certis, ac dubia pro dubiis demonstret. Quod si vel peccata non recensentur, vel alieni a re, quam tractamus, sermones inseruntur, perspicuum est, ipsam hac virtute carere. Cum tamen narrantur a Pœnitente quædam ad peccata, & eorum circumstantias minime spectantia, eo consilio, ut peccata sua detegat, ut fit ab hominibus rudioribus, & mulierculis imperitis, non vitiatur propterea Confessio: sed prudens Confessarius auctor esse debet, quantum fieri potest, ut superfluæ narrationes, & quæ ad rem non pertinent, resecentur. Ut vero id simplicibus, & rudioribus condonatur, ita in iis damnandum est, qui probe instituti, non superfluas solum, sed vanas narrationes Confessionibus suis inserunt. Quam perversitatem *S. Bernardus*, *Sermone* XVI. *in Cantica*, his verbis insectatur: „ Quamquam & de his, qui religiose vestiti, & Religionem professi sunt, „ nonnunquam audivimus aliquos reminisci, & jactare impudentissime mala sua præterita, quæ (verbi gratia) aliquando vel fortiter gladiatorio, „ vel argute litteratorio gessere conflictu, seu aliud quid secundum Mundi „ quidem vanitatem favorabile, secundum animæ vero salutem nocivum, „ perniciosum, damnosum. Secularis adhuc animi indicium est hoc: & „ humilis habitus, qui gestatur a talibus, non sanctæ novitatis est meritum, sed priscæ vetustatis operculum. Nonnulli talia quasi delendo, & „ pœnitendo rememorant, sed gloriam intentione captantes, commissa sua „ non diluunt, sed se ipsos illudunt: nam *Deus non irridetur*. Veterem „ ho-

Galat. 6. 7.

„ hominem non exuunt, ſed novo palliant. Non proditur, aut projicitur „ vetus fermentum illa Confeſſione. Sed ſtatuitur. Pudet reminiſci quo- „ rumdam tantam proterviam, ut non pudeat eos cum exultatione lugen- „ da jactitare, quod & poſt ſuſceptum ſanctum habitum callide quempiam „ ſupplantaverint, & circumvenerint in negotio fratrem: aut quod talio- „ nem pro convitio, vel maledicto, ideſt, malum pro malo, aut maledi- „ ctum audacter reddiderint.

§. III.

Confeſſio Humilis eſſe debet.

Altera conditio Confeſſionis eſt, ut ſit *humilis*, ita ut peccata non excuſemus, non rejiciamus in alium, non in defectum gratiæ, non in tentationem dæmonis, non in fatum, non in homines, qui nos ad malum provocaverunt; ſed noſtræ duntaxat malitiæ tribuamus. Unde Confeſſionis humilitas conditionem alteram involvit, nempe ut ſit *Accuſans*. Huc pertinet illud Eccleſ. IV. *Presbytero humilia animam tuam*, & illud Pſ. XXXI. *Dixi, Pronunciabo adverſum me injuſtitiam meam Domino*. Imitanda Publicani illius Evangelici humilitas, cavenda Phariſæi ſuperbia, qui merita ſua prædicabat, peccata tacebat, & tegebat: *Deus tegat vulnera; noli tu. Nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, Medicus non curabit. Sub tegmine Medici ſanatur vulnus, ſub tegmine vulnerati celatur vulnus:* (inquit *S. Auguſtinus* Enarratione II. in Pſ. XXXI.) Eo etiam ſpectat Canon, *Non eſt*, cauſa XV. qu. I. ſumptus ex *S. Ambroſio* Lib. I. *De Jacob, & Vita Beata*, cap. III. cujus hæc ſunt verba: *Non eſt, quod cuiquam noſtram adſcribamus ærumnam, niſi noſtræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, niſi voluntate propria deflexerit: non habent crimen, quæ inſeruntur reluctantibus: voluntaria tantum commiſſa ſequitur invidia, quod in alios derivemus. Voluntarium ſibi militem elegit Chriſtus, voluntarium ſervum ſibi diabolus auctionatur. Neminem jugo ſervitutis adſtrictum poſſidet, niſi ſe prius peccatorem ære ei vendiderit. Quid carnem velut infirmam accuſamus? Membra noſtra arma ſunt iniquitatis, & arma juſtitiæ ∴ Affectus igitur, non caro ductor eſt culpæ, caro autem voluntatis miniſtra. Non ergo vendat nos voluntas noſtra.*

Confeſſionis humilitas.

Confeſſionis humilitas.

Excuſationem peccati iniquam eſſe, & a diabolo ſuggeri docet *S. Auguſtinus*, Serm. XX. alias III. ex editis a Sirmondo: *Neminem* (inquit) *quæras accuſare, ne accuſatorem invenias, a quo te non poſſis defendere. Nam & ipſe Inimicus noſter Diabolus quando accuſatur, gaudet: & vult omnino, ut accuſes illum, vult ipſe, ut a te ferat qualem volueris criminationem, cum tu perdas Confeſſionem*, Et Serm. XXIX. alias De Diverſis III. *Eſt etiam ſalubris Confeſſio peccatorum. Unde audivimus in Pſalmo, qui primo lectus eſt*, Pſalm. 140. 3 „ Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium continentiæ circa labia „ mea, ut non declines cor meum in verba maligna, ad excuſandas ex- „ cuſationes in peccatis. *Cum vis eſſe excuſator tuus, triumphat de te Accuſator tuus. Vis ergo facere, quod doleat, & gemat accuſator tuus, ideſt Diabolus? Fac, quod audiſti, fac, quod didiciſti, & dic Deo tuo*: Ego dixi, Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quoniam peccavi tibi. *Ego, inquit, dixi: Non diabolus, non fortuna, non fatum. Ego dixi, Non me excuſo, ſed accuſo. Ego dixi, Domine, miſerere mei, ſana animam meam. Unde enim ægrotat? Quoniam peccavi tibi.*

Peccata minime excuſanda.

De Confeſſionis humilitate hæc docet Conc. Trid. Catechiſmus p. II. „ *De Sacramento Pœnitentiæ*, §. LXXIX. Inprimis autem reprimenda eſt „ quorumdam ſuperbia, qui ſcelera ſua excuſatione aliqua vel defendere,

„ vel minora facere nituntur. Nam exempli causa, cum aliquis fateatur
„ se ira vehementius fuisse commotum; statim hujus perturbationis cau-
„ sam in alium confert, a quo prius injuriam sibi factam esse quæritur.
„ Monendus itaque est hoc elati animi, & hominis peccati sui magnitu-
„ dinem, vel despicientis, vel plane ignorantis signum esse: tum vero e-
„ jusmodi excusationis genus ad augendum potius, quam minuendum pec-
„ catum pertinere. Nam qui ita factum suum probare contendit; hoc vi-
„ detur profiteri, se tunc patientia usurum esse, cum a nemine injuria læ-
„ detur, quo quidem nihil homine Christiano indignius esse potest. Ete-
„ nim cum illius vicem dolere maxime debuerit, qui injuriam fecit: ta-
„ men non peccati pravitate commovetur, sed fratri irascitur: at cum ei
„ præclara occasio oblata fuerit, ut Deum patientia colere, & fratrem
„ mansuetudine sua corrigere possit, salutis materiam ad perniciem suam
„ convertit.

Conditionem illam Confessionis, aliasque adjunctas, diserte, ac pie *S.*
Confessionis humilitas. „ *Bernardus* explicat, Serm. XVI. in Cantica. Omne (*inquit*) quod re-
„ mordet conscientiam, confitere humiliter, pure, fideliter ∴ Est Con-
„ fessio eo periculosius noxia, quo subtilius vana, cum ipsa etiam inhone-
„ sta, & turpia de nobis detegere non veremur, non quia humiles su-
„ mus, sed ut esse putemur. Appetere autem de humilitate laudem, hu-
„ militatis est non virtus, sed subversio. Verus humilis vilis vult prædica-
„ ri. Gaudet contemptu sui, hoc solo sane superbus, quod laudes contem-
„ nit. Quid perversius, quidve indignius, quam ut humilitatis custos Con-
„ fessio superbiæ militet, & inde velis videri melior, unde videris dete-
„ rior? Mirabile jactantiæ genus, ut non possis putari sanctus, si non ap-
„ pareas sceleratus. At talis Confessio speciem habens humilitatis, non
„ virtutem, non solum veniam non meretur, sed & provocat iram. Nun-
„ quid profuit Saul, quod se ad increpationem Samuelis peccasse confessus
„ est? Culpabilis procul dubio fuit illa Confessio, quæ culpam non diluit.
„ Quomodo enim humilem contemneret Confessionem humilitatis Magi-
„ ster, & cui humilibus dare gratiam certe ingenitum est? Omnino non
„ poterat non placari, si quæ in ore sonuit, in corde radiasset humilitas.

„ Oportet autem esse, & simplicem. Non intentionem (forte quia la-
„ tet homines) excusare delectet, si sit rea; nec levigare culpam, quæ
„ gravis est; nec alieno adumbrare suasu, cum invitum nemo coegerit.
„ Primum illud non Confessio est, sed defensio, nec placat, sed provocat.
„ Sequens monstrat ingratitudinem, & quo minor reputatur culpa, eo &
„ gloria minuitur Indultoris. Sed enim minus libenter beneficium datur,
„ quod minus grate, minusve necessarie provenire sentitur. Veniam proin-
„ de sibi abjudicat, qui munus largitoris attenuat: quod quidem omnis,
„ qui reatum suum verbis alleviare conatur, facit. Jam a postremo primi
„ hominis dehortetur exemplum, nec culpam siquidem diffitentis, nec ta-
„ men consequentis veniam, non dubium quin ob reatus mulieris admix-
„ tionem. Genus excusationis est, cum argueris tu, alium incusare. Por-
„ ro excusare te velle, quando corriperis, quam sit non modo minime fru-
Psalm. 140. „ ctuosum, sed & perniciosum, S. David interroga: *Verba* nempe *malitiæ*
„ *excusationes in peccatis* appellat, ne se ita declinet cor suum rogans, &
„ supplicans. Merito quidem. In animam etenim suam peccat, qui se ex-
„ cusat, repellens proinde a se indulgentiæ medicinam, & sic vitam sibi
„ proprio ore intercludens. Et quænam major malitia, quam propriam ar-
„ mari in salute, & linguæ tuæ temetipsum mucrone confodere?

„ Sit autem & fidelis Confessio, ut confitearis in spe, de indulgentia pe-
„ nitus

„ nitus non diffidens, ne tuo te ore non tam justifices, quam condemnes: „ Judas certe proditor Domini, & Cain fratricida confessi sunt, & diffisi „ sunt. Alter, *Peccavi*, inquit, *tradens Sanguinem justum*: alter, *Major* Matth. 27. „ *est iniquitas mea, quam ut veniam merear*: & verax licet, nihil eis pro- Gen. 4. „ fuit infidelis Confessio. *Hæc* S. Bernardus.

Humilis, & accusans Confessio id nobis procurat commodi, quod diabolo salutis nostræ hostis os occludat, ne ultra nos coram divino tribunali accusare possit. Hinc a Propheta dictum est: *Dic iniquitates tuas prior, ut* Isa. 43. 26. *justificeris*. Nam, ut ait *Origenes* Hom. III. in Leviticum, *Præventus dia-* secundum *bolus in accusatione, ultra nos accusare non poterit: & si ipsi nostri sumus ac-* Vers. LXX. *cusatores, proficit nobis ad salutem: si vero expectemus, ut a diabolo accusemur, accusatio illa cedit nobis ad pœnam*. Ad Confessionis humilitatem altera quoque conditio revocatur, nempe ut verecunda sit, modestisque verbis concepta.

§. IV.

Prudens sit Confessio necesse est.

PRudentia etiam opus est ad peccatorum Confessionem. Neque enim nimis multis verbis agendum est; sed quæ ad cujusque peccati naturam, Confessio & rationem pertinent, brevi oratione aperienda sunt: ita ut graviora pec- prudens. cata pœnitens *cum majori pondere confiteatur*, ut ait *S. Thomas*, qu. IX. Supplementi, art. IV. Ad prudentiam quoque Confessionis pertinet, ut personam, cum qua peccavit, non declaret, nisi ad Confessionis integritatem id necessarium sit; vel utile futurum videatur, ut prudens Confessarius, cum ipsius Pœnitentis licentia, secreto conscium sceleris admoneat, ad Confessionem criminis hortetur, fraterno affectu corripiat, prohibeatque pro viribus, ne vel pœnitenti, vel alteri cuipiam spiritale, vel temporale detrimentum inferat. Conscii revelatio alias facta, non solum imprudens est sed contra charitatem, utpote alienæ famæ violatio, qua de re inferius agetur.

§. V.

Confessio debet esse secreta.

ILlud vero tum confitenti, tum Sacerdoti maxime laborandum est, ut eorum sermo in Confessione secreto habeatur: idque petitur ex conditione Confessio fori, in quo de arcanis conscientiæ agitur (inquit *S. Thomas*.) Quare fit, secreta. ut nemini omnino neque per litteras; neque per nuncium confiteri liceat, ut superius diximus. Hinc publicam peccatorum occultorum Confessionem Ecclesia prohibuit. Qua de re *S. Leo* Epist. CXXXVI. alias LXXXI. Ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos, cap. „ II. scribit: Illam etiam contra Apostolicam Regulam præsumptionem, „ quam nuper cognovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis „ omnibus constituo submoveri: ne videlicet de singulorum peccatorum „ genere libello scripta professio publicetur: cum reatus conscientiarum „ sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secreta. Quamvis enim „ plenitudo fidei videatur esse laudabilis; quæ propter Dei timorem apud „ homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium hujusmodi „ sunt peccata, ut ea, qui Pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; „ removeatur tam improbabilis consuetudo: ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta „ re-

„ reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa „ Confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia „ confitentis. *Hinc S. Synodus Tridentina*, *sess.* XIV. c. V. Quoad modum „ (*inquit*) confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non „ vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publice confiteri possit: non est tamen divino præcepto „ mandatum; nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda. *Et* S. Thomas *in* IV. Sententiarum, *dist.* XVII. *in Expositione Textus ait*: Non licet publice confiteri, nisi forte sit peccatum manifestum; quia talis humilitas proximo præjudicaret, qui ex peccato manifestato posset scandalizari.

§. VI.

Lacrymabilis Confessio.

Quæ rationes elicere debent lacrymas peccatori?

L*Acrymabilis* etiam Confessio esse debet, idest, cum Contritione sive perfecta, sive imperfecta, quæ Attritio vocatur, conjunctam esse necesse est. Qua de re *S. Bernardus*, Serm. XVI. in Cantica: Deum (*inquit*) cogita factorem tuum, cogita & benefactorem, cogita patrem, „ cogita Dominum. Ad omnia reus es, plange per singula. Non est, quod „ a patre formides, qui etsi quandoque feriat ut emendet, nunquam tamen ut vindicet. At vero cogitantem, quod patrem offenderim, est certe quod pudeat, etsi non quod terreat. Voluntarie genuit me verbo veritatis, non stimulo carnalis cupiditatis excussit, quemadmodum genitor „ carnis meæ. Deinde etiam non pepercit Unigenito pro sic genito. Ita „ ipse quidem patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium. Quanam fronte attollo jam oculos ad vultum patris tam boni, „ tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto Patre „ vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei: operiat confusio „ faciem meam. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Galat. 6. 1. Joan. 2.

„ Proh pudor! Quem fructum habui, in quibus nunc erubesco? Si in carne seminavi, de carne non metam nisi corruptionem; si in mundo, & „ ipse transit, & concupiscentia ejus. Quid? Caduca, vana, & prope nulla, & quorum finis mors est, infelix, & insanus præferre non erubui „ æterni Patris amori, & onori? Confundor, confundor audire: *Si ego* „ *pater*, *ubi est honor meus*? Sed etsi Pater non esset, obrueret me beneficiis. Instaurat adversum me testes (ut alia innumera taceam) hujus corporis victum, & usum temporis hujus, & super omnia Sanguinem dilecti Filii clamantem de terra. Pudet ingratitudinis, quamquam ad confusionis cumulum, arguar etiam reddidisse mala pro bonis, & odium pro „ dilectione ... Quod si segnior forte partes suas minus exequitur pudor: „ timor sane excitetur in adjutorium. Excitetur, ut excitet. Sepone parum pia vocabula benefactoris & patris, atque ad austeriora convertere.

2. Cor. 1. Psalm. 93. Psalm. 7.

„ Nempe, qui legitur *Pater misericordiarum*, *&* *Deus totius consolationis*, legitur nihilominus *Deus ultionum Dominus*; legitur. *Deus Judex justus*, *&* *fortis*; legitur *Terribilis in consiliis super filios hominum*; legitur *Deus zelans*. „ Quod Pater est, quod beneficus est, tibi est: quod Dominus, ac Creator,

„ tor, sibi; etenim *Propter semetipsum fecit omnia*, Scriptura teste. Qui „ ergo, quod tuum est, tibi defendit, ac servat; putas, & pro se aliquan- „ do non zelabit? Putas sui non requiret principatus honorem? *Propter hoc* „ *irritavit impius Deum, quia dixit in corde suo: Non requiret*. Et quid est „ in corde suo dicere: *Non requiret*, nisi non metuere, quod requirat? Sed „ requiret usque ad novissimum quadrantem: requiret, & *Retribuet abun-* „ *danter facientibus superbiam*. Requiret a redempto servitium, honorem, „ & gloriam ab eo, quem plasmavit. Esto, quod dissimulet Pater, igno- „ scat beneficus: sed non Dominus, & Creator; & qui parcit filio, non „ parcet figmento, non parcet servo nequam.·. Paveo gehennam, paveo „ Judicis vultum, ipsis quoque tremendum Angelicis Potestatibus. Contre- „ misco ab ira Potentis, a facie furoris ejus, a fragore ruentis mundi, a „ conflagratione elementorum, a tempestate valida, a voce Archangeli, „ & a verbo aspero. Contremisco a dentibus bestiæ infernalis, a ventre „ inferi, a rugientibus præparatis ad escam: horreo vermem rodentem, & „ ignem torrentem. Horreo tenebras exteriores. *Quis dabit capiti meo a-* „ *quam, & oculis meis fontem lacrymarum*, ut præveniam fletibus fletum, „ & stridorem dentium, & manuum pedumque dura vincula, & pondus „ catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? „ Qui sic afficitur, sensum proculdubio recuperavit, & in duplici metu „ isto, itemque pudore illo æque duplici habet oscitationes quatuor. Tres, „ quæ restant ex voce Confessionis adjiciet. *Conditionis hujus defectum spe-* „ *ctat* Hugo a S. Victore Lib. II. De Sacramentis, p. XIV. cap. I. Qui- „ dam, *inquit*, sine aliquo timoris, vel amoris Dei attractu, pro sola con- „ suetudine explenda, ad dicenda peccata sua se ingerunt, existimantes se „ propter solam verborum prolationem a debito peccatorum absolvi: qui- „ bus recte dicitur: Prius flendum est, post confitendum.

Psalm. 65. Exod. 20. Prov. 16. Psalm. 9. Jerem. 5. Jerem. 9. 1.

§. VII.

Parere parata.

UNa item ex Confessionis conditionibus est, ut sit *Parere parata*, id est, ut Pœnitens sit paratus ad parendum sententiæ Sacerdotis in Sacro Tribunali prolatæ, & ad exequendum opera sibi injuncta tum in remedium peccatorum, tum ad satisfaciendum Justitiæ divinæ. Unde Conc. Lateranense IV. can. XXI. jubet ut Pœnitens *Injunctam sibi Penitentiam studeat pro viribus adimplere*. Id confirmatur ex Canone, *Consideret*, dist. V. *De Pœnitentia*, qui ex Libro *De vera, & falsa Pœnitentia*, inter *S. Augustini* Opera edito, sumptus est: *Ponat se*, (inquit) *omnino peccator in potestate Judicis, in judicio Sacerdotis, nihil sibi reservans sui: ut omnia eo jubente paratus sit facere pro reparanda animæ vita, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte; & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam, ut Deus. Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus*. Peccat ergo mortaliter, adeoque absolvi non debet, qui non vult suscipere *Condignam Satisfactionem* a Sacerdote impositam, ut docet *S. Bonaventura* in IV. *Sententiarum*, dist. XVI. p. I. dub. VI. Condignam ait, quia si Sacerdos Professionem vitæ Monasticæ, aut votum castitatis perpetuæ alicui injungeret, aliave opera, quæ cum illius peccatis proportionem non habent, aut vires illius forte superant, vel secundum præsentem illius statum fieri non possunt absque offensione aliorum; ut si mulieri conjugatæ, aut puellæ sub parentum cura positæ, extraordi-

Qui confitetur, paratus esse debet ad parendum sententiæ Sacerdotis.

Quæ satisfactiones a pœnitente necessario suscipiendæ?

narias abstinentias, & jejunia; peregrinationes, aut aliquam in muliebri cultu singularitatem, præter conditionis illarum decorum, & Patriæ mores Legi Dei, Ecclesiæ Statutis, Principum Sanctionibus non repugnantes imponeret, Pœnitens non teneretur parere Confessario, nec eam satisfactionem suscipere. Cum enim dicimus suscipi debere a Pœnitente opera satisfactionis, quæ a Sacerdote Confessionem illius excipiente imponuntur, *Intelligendum est de his, quæ Sacerdos, in quantum habet clavem scientiæ, & auctoritatis per divinum Judicium, & non secundum humanum errorem injungit; introitus autem in Religionem, cum sit voluntatis, non potest alicui injungi: & si aliqui Canones injungere inveniantur, magis est consilium quam præceptum: qualibet enim pœnitentia taxata levissima Religio est maior satisfactio; in quantum homo abdicat propriam voluntatem, qua nihil est homini carius*, (inquit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XVI. in Expositione Textus.) Rem illustrat *S. Antoninus* III. p. tit. XIV. c. XVIII. §. 19. *Si pœnitens* (inquit) *dubitat non posse implere, debet declarare Confessori, & Confessor debet injungere talem, quam credat eum servaturum. Tripliciter autem Confessor imponit pęnitenti aliquid: uno modo per modum consilii, & exhortationis, sicut cum admonet eum, ut quotidie oret, det indigentibus eleemosynas, &c. Ad ista non tenetur ex necessitate. Alio modo per modum declarationis communis obligationis, sicut declarando, quod restituat ablata, communicet in Pascha, satisfaciat læso: & ista si non observat, evacuat sibi fructum factæ Confessionis: non tamen propter hoc tenetur iterum confiteri, nec committit peccatum inobedientiæ speciale non obediendo Sacerdoti. Tertio modo per specialem satisfactionem, per commissionem: & ad istam tenetur ex præcepto, alias est transgressor, & committit speciale peccatum inobedientiæ. Si tamen injungeret Sacerdos alicui, quod intraret Religionem, vel non contraheret, & hujusmodi, non tenetur eam acceptare.*

Satisfactionis omissio, & commutatio.

Addit ibidem S. Antoninus: *Pœnitentiam autem, seu Satisfactionem, quæ sibi imponitur a Confessore, facere debet: nam si ex negligentia omittit, cum proposito non satisfaciendi id, quod sibi est injunctum pro mortalibus, mortaliter peccat: & si ejus est oblitus, tenetur iterum confiteri: sed si ejus recordatur adhuc, si vult eam facere, non tenetur iterum confiteri. Sed si non videtur sibi posse facere, vel nimis difficile, propter quod petit sibi commutari, potest fieri, etiamsi alteri confiteatur quam ei, qui eam imposuit; nec tenetur propter hoc iterum confiteri illa peccata, ut dicit Petrus de Palude. Quod videtur intelligendum, si pœnitentia fuit data pro peccatis, a quibus iste absolvere potuisset. Nam datam pro casibus reservatis, non posset commutare nisi in casu necessitatis, puta si impletio illius Pœnitentiæ posset illi esse periculosa, vel causa infirmitatis, vel ruinæ spiritualis, & ipse Pœnitens non commode posset habere recursum ad illum, qui primo injunxit: tunc enim præsumendum est, quod esset contentus de hujusmodi permutatione Pœnitentiæ. Non autem leviter, & sine causa, secundum Raymundum, sunt permutandæ Pœnitentiæ.*

Neglectus satisfactionis, impositæ gravæ peccatum.

Neque vero dicant ignavi homines, se pœnas peccatis suis debitas in Purgatorio subituros, divinæ Justitiæ sese summittere; impositam a Sacerdote Pœnitentiam citra crimen omittere se posse. Illos enim, qui ita sunt affecti, & hic Pęnitentiam agere negligunt, non Purgatorii pœnis expiandos, sed pęnis inferni damnandos, docet *S. Cæsarius* Arelatensis Episcopus, Serm. XXXVII. inter Augustinianos alias XLI. *De Sanctis*, nunc CIV. in Appendice. *Illi autem* (inquit) *qui capitalia crimina committunt, si quandiu vivunt, ea redimere Pœnitentiæ medicamentis noluerunt, ad illum*
1. Cor. 3. *ignem, de quo dicit Apostolus:* Ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi

per

per ignem, *venire non potuerunt; sed magis illam duram, & irrevocabilem sententiam audituri sunt*, Discedite a me maledicti in ignem æternum. *Et ideo, qui ab ista perpetua pęna, & ab illo Purgatorio igne desiderant liberari, crimina capitalia non admittant, aut si jam commiserunt, fructuosam agant Pęnitentiam, & illa parva, vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non desistant*. Sed etsi Purgatorii pœnis addicendi tantum essent, qui condignam Pęnitentiam hic agere, Satisfactionemque a Sacerdote impositam implere neglexerunt, nemo tamen dicat: *Non pertinet ad me quandiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero: nemo hoc dicat, Fratres carissimi, quia ille Purgatorius ignis durior erit, quam quidquid potest in hoc sæculo pœnarum aut cogitari, aut videri, aut sentiri*; (inquit S. Cæsarius.) Matth. 25.

§. VIII.

Confessio frequens, & accelerata.

Confessio denique debet esse *Freqnens*, & *accelerata*; quæ tamen postremæ conditiones non sunt omnino necessariæ, sed optandæ, & peccatoribus suadendæ, ut ajunt *SS. Thomas*, & *Antoninus*. Frequens esse debet, ut qui frequenter cadit, frequenter per Confessionem resurgat, ut habetur Canone, *Septies*, dist. III. *De Pęnit.* Accelerata autem esse debet, ut si statim non confiteatur, qui lethalis peccati sibi conscius est; non tamen Confessionem nimis procrastinet, vel ad mortem differat. Hæc enim dilatio ex impœnitentia est, quam lethale peccatum esse nemo negaverit. Hinc Ecclesia suspectam semper habuit eorum Pœnitentiam, qui eam ad mortem usque distulerant, interdum illis Communionem, imo & Absolutionem negavit, qui in mortis discrimine positi signa Pęnitentiæ dare, & Sacramenta postulare cœpissent. Qua de re *S. Cyprianus* Epist. LII. ad *Antonianum*, ex Ecclesiæ Africanæ sententia ita scribit: *Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis, & pacis, si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti Pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.*

Eccle in suspecto semper habuit eorum Pęnitentiam, qui ad mortem usque illam procrastinaverant.

„ Idem constat ex Conc. Arelatensis I. canone ult. De his (*inquit*) qui „ apostatant, & nunquam se ad Ecclesiam repræsentant, ne quidem Pęnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate correpti, petunt Communionem, placuit eis non dandam Communionem, nisi revaluerint, „ & egerint dignos fructus Pœnitentiæ.

Id confirmat *S. Augustinus*, Serm. CCCXCIII. alias XLI. ex Homiliis „ quinquaginta. Dico (*inquit*) in conspectu Dei, timori vestro, timorem „ meum. Qui autem non timet, timentem me contemnit, sed malo suo. „ Certus sum, quia homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere sine peccato, quis enim sine peccato? sed vitam sine crimine duxerit, & talia „ peccata habuerit, quæ quotidie dimittuntur in oratione dicenti, *Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris*: quando diem finierit, vitam non finit, sed transit de vita in vitam, de laboriosa ad quietem, de misera ad beatam: sive iste voluntate sua currat „ ad Baptismum, sive in periculo constitutus baptizetur, & exeat de hac „ vita, ad Dominum vadit, ad requiem vadit ∴ Qui egerit veraciter Pę-

„ ni-

„ nitentiam, & solutus fuerit a ligamento, quo erat constrictus, & a
„ Christi corpore separatus, & bene post Pœnitentiam vixerit, sicut ante
„ Pęnitentiam vivere debuit, post reconciliationem quandocumque defun-
„ ctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, Regno Dei non priva-
„ bitur, a populo diaboli separabitur. Si quis autem positus in ultima ne-
„ cessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere Pęnitentiam, & accipit, &
„ mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod
„ petit, sed non præsumimus, quia bene hinc exit. Non præsumo, non
„ vos fallo. Fidelis bene vivens securus hinc exit. Baptizatus ad horam,
„ securus hinc exit. Agens Pœnitentiam, & reconciliatus, cum sanus est,
„ & postea bene vivens, securus hinc exit. Agens Pęnitentiam ad ulti-
„ mum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus .·. Pę-
„ nitentiam dare possum, securitatem dare non possum .·.· Non solum post
„ Pęnitentiam ab istis vitiis se homo servare debet, sed & ante Pęniten-
„ tiam, dum sanus est: quia si ad ultimum vitæ steterit, nescit, si ipsam
„ Pęnitentiam accipere, ac Deo, & Sacerdoti peccata sua confiteri pote-
„ rit .·. Nunquid dico, Damnabitur? Non dico. Sed nec dico etiam, Li-
„ berabitur. Vis te dubio liberare? Vis, quod incertum est, evadere? Age
„ Pęnitentiam, dum sanus es. Si sic agis, securus es. Quare securus es?
„ Quia egisti Pęnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem
„ tunc vis agere Pęnitentiam ipsam, quando jam peccare non potes; pec-
„ cata te dimiserunt, non tu illa .·. Ergo dimitte incertum, tene cer-
„ tum.

Confessionis frequentia, & promptitudo.

Non minus luculenter Auctor Sermonis inter Augustinianos alias LVII.
„ *De Tempore*, nunc CCLV. in Appendice: Parum est (*inquit*) peccatorem
„ pęnitere, nisi Pęnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox
„ Pęnitentis sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum
„ non verba tantum, sed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extre-
„ mis Pęnitentia, quia non potest denegari: sed auctores tamen esse non
„ possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo enim agit
„ Pęnitentiam lapsus? Quomodo agit Pęnitentiam in extremis vitæ fini-
„ bus constitutus? Quomodo Pęnitentiam agere possit, qui nulla jam pro
„ se opera satisfactionis operari non potest? Et ideo Pęnitentia, quæ ab
„ infirmo petitur, infirma est: Pęnitentia, quæ a moriente tantum peti-
„ tur, timeo ne ipsa moriatur.

„ Et *S. Cæsarius*, Serm. LVII. in Augustiniana Appendice CCLVI. Cum
„ (*inquit*) omnes homines Pęnitentiam velint in finem vitæ suæ accipe-
„ re, & vix paucos videamus eam, secundum quod desiderant, promere-
„ ri; quare non quotidie ipsam Pęnitentiam agimus, ut rem certam te-
„ nentes, de rebus incertis, & dubiis liberemur? Quanti enim qui se ad
„ extremum vitæ suæ Pęnitentiam accepturos esse credebant, aut subita
„ ruina oppressi, aut forte per naufragium demersi sunt, aut fulmine in-
„ terfecti; aut illa infirmitate, quæ apoplexia dicitur, ita percussi sunt,
„ ut non solum Pœnitentiam petere, sed etiam signare se, aut Orationem
„ Dominicam dicere omnino non possent? Cum enim tantis casibus fragi-
„ litas humana subjaceat: nimis periculosa præsumptio est, ut nos in lon-
„ ga tempora ad agendam Pęnitentiam reservemus, qui unius diei vitam
„ in potestatem habere non possumus: Et ideo cum timore, & tremore
„ audiamus Dominum per Prophetam dicentem, & pia nos exhortatio-
„ ne monentem: Nolite tardare converti ad Dominum, nec differatis de die
„ in diem.

Eccli. 5.

„ Et

„ Et Sermone LVIII. in Auguſtiniana Appendice CCLVII. Conſidera, ſi „ juſtum eſt, ut per totam vitam tuam vitiis, & peccatis ſervias, & ad aquirendum vitam jam ſemivivus aſſurgas. Nunquid tibi hoc fieri vis „ a ſervo tuo, ut quamdiu fortis, ac juvenis fuerit, inimicis tuis ſerviat; „ & cum ad ſenectam venerit, tunc demum ad tuum ſervitium redire velit? Quod ergo non vis pati a ſervo tuo, non eſt juſtum, ut facias Domino tuo. Cum tamen multos noverimus, dum ſani eſſent, frequenter „ dixiſſe, Pęnitentiam ſe toto corde deſiderare: ſed tamen quia illam ſtatim agere noluerunt, ſine ipſius remedio de hoc ſæculo receſſerunt. Percutitur enim etiam hac animadverſione peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei. Nam qui remedium animæ ſuæ, „ quando potuit, noluit quærere; poſtea etiamſi velit, dubium eſt, utrum „ mereatur accipere.

Ezech. 33.

Non differenda converſio.

„ Et Sermone LX. in Appendice Auguſtiniana CCLIX. O homo, quare „ differs de die in diem; & non magis times, ne forte hodie habeas ultimum diem? *Et Sermone* LXI. *in eadem Appendice* CCLX. Non ſanitati credendum eſt, non ætati. In remedium ſalutis ſuæ ſemper tardus eſt, qui „ vitæ ſuæ incertus eſt. O ſi tempus Pęnitentiæ ſic diſponeretur, quando „ eſt in poteſtate poſitum, quomodo deſideraretur amiſſum?

Idem confirmat *Salvianus*, Lib. I. *Ad Eccleſiam Catholicam*, ubi in illorum præſumptionem invehitur, qui converſionem ad mortem uſque differunt ea fiducia, quod eleemoſynis peccata ſua tunc redempturi ſunt. Non „ quidem (*inquit*) ulli vitiis carnalibus implicato ſufficere ad vitam æternam putem, ſi cum uſque ad mortem in flagitiis conſenuerit, in obitu „ bene cuncta diſpenſet, niſi antea & peccatis renunciaverit, & ſordidam „ illam criminum tunicam, lutulentamque projecerit, & novam converſionis, ac ſanctimoniæ veſtem de manu Apoſtoli prædicantis acceperit. „ Alioqui peccare non deſinit, quem in extremis ſitum recedere a criminibus ſola tantum facit impoſſibilitas, non voluntas. Qui enim a malis „ actibus tantum morte diſcedit, non relinquit ſcelera, ſed relinquitur a „ ſceleribus. Ac per hoc neceſſitate excluſus a vitiis, & tunc, puto, peccat, quando ceſſaverit, quia quantum ad animum necdum deſiit, qui adhuc velit peccare, ſi poſſit. Non bonis itaque ſpebus innititur, qui ad „ hoc tantum peccat in vita, ut peccatorum molem redimat in morte, & „ ideo ſe evaſurum putat, non quia bonus, ſed quia dives ſit; quaſi vero „ Deus non vitam quærat hominum, ſed pecuniam, atque a cunctis malorum redimendorum ſpe male agentibus accipere ſolos pro criminibus nummos velit, & corruptorum Judicum more argentum exigat, ut peccata „ vendat. Non ita eſt: prodeſſe enim largitionem plurimum, certum eſt; „ ſed non illis, qui ultima futuræ largitionis ſpe male vivunt, qui fiducia redimendæ impunitatis ſcelera committunt; ſed illis, qui decepti, aut „ lubrico ætatis, aut nubilo erroris, aut vitio ignorantiæ, aut poſtremo „ lapſu fragilitatis humanæ, reſipiſcere tandem quaſi poſt mortem graviſſimæ infirmitatis, aut quaſi poſt luctum turbatæ mentis incipiunt. *Et infra:* Quod ſi aut tanta vis morbi, aut tanta ægrotorum fuerit incuria, „ ut valetudinis labem uſque ad dies ultimos trahat, quid dicam, neſcio, „ quid promittam, penitus ignoro. Revocare ab inquiſitione ultimi remedii periclitantes, durum, & impium; ſpondere autem aliquid in tam „ ſera curatione, temerarium. Sed melius tamen eſt abſque dubio, quamvis diuturna paralyſi aridas manus, aliquo tamen niſu ad cœlum erigi, „ quam lethali penitus deſperatione diſſolvi. Melius eſt nihil inexpertum

„ relin-

„ relinquere, quam morientem nulla curare; maxime quia nescio, an in extremis aliquid tentare, medicina sit: certe nihil tentare, perditio. Et unum scio, quod quicumque in hanc miseriam longi languoris extrema perduxerit, ineffabile dictu est quantum lamentationis erroribus suis debeat, qui nunquam errata cognovit. Et quid inter hæc fiet? Quando lugebit, qui dies lugendi perdidit? Quando satisfaciet, qui tempus satisfactionis amisit? Quando hæc tam grandia faciet, vicino jam exitu etiam a mediocrium actione disclusus? Fatiscente jam corpore, ubi exercebit districtionis officium censor animus?

Confessionis dilatio periculosa ob multiplicem rationem.

Guillelmus Parisiensis, Tract. *De Sacramento Pœnitent.* cap. XIX. periculosam esse probat Confessionis dilationem: *Primum, ne propter negligentiam faciendi Confessionem, dum quis potest, dum non vult, justo Dei Judicio infligatur ei non posse, cum velit: hoc enim modo consuevit justissimus Deus negligentias nostras punire. Secundo, propter periculum oblivionis peccatorum. Tertio, propter periculum moræ, quæ non mediocriter aggravat peccatum. Quarto, propter periculum ruendi in aliud: Peccatum enim, quod statim per Penitentiam non diluitur, suo pondere trahit ad aliud, sicut dicit Gregorius.·. Quis hoc vestimento suo, vel calceamento faciat; ut non quam cito inquinatum fuerit, illud ablui, vel abstergi curet; Quis in luto illud usque ad putrefactionem dimittat? Si vero dissolutum, vel detritum fuerit, quis non statim sutori, vel refectori tradat? Quis non equum suum, statim, ut vulneratus fuerit, curandum mittat? Si autem tantopere inquinamenta, & detritiones vestimentorum, & calceamentorum curantur a nobis; qua studiositate, & vigilantia curandæ sunt detritiones, & inquinamenta vestimentorum spiritualium? Si tanta solicitudine occurrere festinamus morbis equorum nostrorum, ne crescant, aut invalescant; quanto fortius accelerandum est nobis, ne morbi, aut læsiones animarum nostrarum crescant, & medicamentum Confessionis statim adhibere? Si serpentes, & colubros ab asino nostro, si venenum de corpore expellere; si hostem, vel latronem de domo nostra tantis studiis, atque conatibus ejicere properamus; & moram illud faciendi tam acriter, & in nobis, & in aliis culpamus, & petere inducias, aut dilationes, quo minus hæc statim fiant, tanta districtione damnamus, quid nobis de spiritualibus serpentibus, colubris, & veneno, de diabolo hoste, & latrone faciendum putamus? Si ignis incendio domum cujusquam vastare cœperit, quis super extinctione illius inducias ei, etiam unius momenti, suggerere audeat, vel suadeat? Quis etiam adeò cecus, aut demens esse potest, ut hoc suadentem, vel suggerentem audiat? De peccato scriptum est*, Job XXXII. *Quia ignis est usque ad consumptionem devorans; de omnibus vero generaliter in Psalmo dictum est: Supercecidit ignis, & non viderunt solem. Et iterum: Incensa igni, & suffossa.*

Accedit *Hugo a S. Victore*, Lib. II. *De Sacramentis*, p. XIV. c. V. *Valde* (inquit) *difficile est, ut tunc vera sit Penitentia, quando tam sera venit: quando cruciatus membra ligat, & dolor sensum opprimit, vix aliud cogitare potest. Ergo si vis securus esse, Penitentiam age, dum sanus es. Dum mens sibi vacare potest, exerce illam in opere suo. Valde suspecta debet esse Penitentia, quæ coacta videtur esse. Facile est, ut homo se nolle putet, quod posse non datur. Possibilitas optime voluntatem probat. Si non facis, dum potes, manifeste ostendis, quod non vis: Quamvis autem in tempore sanitatis securior sit Penitentia; tamen melior est sera, quam nulla. Ante finem time, ne penitere differas: in fine confide, ut vel tunc resipiscas. Quod si tunc forte tibi suppetere non vides tempus boni operis, egredere tamen in spe firma*

ma cum arrha bonæ devotionis. Multum sera fuit Latronis Pœnitentia, sed indulgentia sera non fuit. Quod tamdiu distulit, vide quam cito accepit. Cor contritum, & humiliatum Deus noster nunquam despiciet; quia mortem non vult peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.

Neque tamen Latronis exemplo peccatores abuti debent, ut Pęnitentiam ad obitum usque differant. Istud enim gratiæ miraculum fuit. *Recolamus fidem Latronis, quam non invenit Christus post* Resurrectionem *in Discipulis suis. Pendebat in cruce Christus, pendebat & Latro; in medio ille, illi a lateribus. Insultat unus, credit alter, judicat medius ille. Hic enim, qui insultabat, hoc dixit,* Si Filius Dei es, libera te. *Et alius ad illum,* Tu non times Deum. Si nos propter facta nostra merito patimur, ipse quid fecit? *Et conversus ad eum,* Memento mei, Domine, cum veneris in Regnum tuum. *Magna fides: huic fidei quid addi possit, ignoro. Titubaverunt ipsi, qui viderunt Christum mortuos suscitantem: credit ille, qui videbat secum in ligno pendentem. Quando illi titubaverunt, tunc ille credidit. Qualem fructum Christus de arido ligno percepit? Quid ei dixerit Dominus audiamus:* Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso. *Tu differs te, ego agnosco te. Quando speraret Latro, de latrocinio ad Judicem, de Judice ad crucem, de cruce ad Paradisum? Denique ipse attendens merita sua, non dixit, Memento mei, ut liberes me hodie: sed,* Cum veneris in Regnum tuum, *tunc* mei memor esto; *Ut si mihi tormenta debentur, vel quo usque veneris in Regnum tuum. Et ille: Non sic: invasisti in Regnum cœlorum, vim fecisti, credidisti, rapuisti.* Hodie mecum eris in Paradiso. *Non te differo, tantæ fidei hodie reddo, quod debeo. Latro dicit,* Memento mei, cum veneris in Regnum tuum. *Non solum credebat resurrecturum, sed etiam regnaturum. Pendenti, Crucifixo, cruento, hærenti: Cum veneris, inquit, in Regnum tuum. Et illi.* Nos sperabamus. *Ubi spem Latro invenit, Discipulus perdidit.* Verba sunt *S. Augustini* Serm. CCXXXII. alias *De Tempore* CCXLIV. Timeant itaque ne in exitu a Deo contemnantur, qui Deum ad Pœnitentiam illos vocantem nunc contemnunt: timeant ne tunc illis in penam peccatorum desit gratia conversionis, qui hic in peccatis perseverando defuerunt gratiæ vocationis: timeant pondus justitiæ vindicis, qui spreverunt, dum viverent, opem misericordiæ manum tendentis, *Quia vocavi* (inquit) *& renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio, & angustia: tunc invocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non invenient me: eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec aquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.* Et Isa. LXV. *Vocavi, & non respondistis: Locutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.* Unde Christus comminatur: *Ego vado, quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Quem locum *S. Augustinus*, expendens, *Tract.* XXXVIII. *in Joannem*, ait: *Tota infelicitas Judæorum ipsa erat, non peccatum habere, sed in peccatis mori. Hoc est, quod debet fugere omnis Christianus: propter hoc ad Baptismum curritur; propter hoc, qui ægritudine, vel aliunde periclitantur, sibi desiderant* sub-

Boni Latronis exemplum conversionem differentibus non favet.

Luc. 23.

Prov. 1.

Joan. 3.

subveniri; propter hoc etiam lugens parvulus a matre piis manibus ad Ecclesiam fertur, ne sine Baptismo exeat, & in peccato, quo natus est, moriatur. Infelicissima conditio, misera sors istorum, qui de ore veridico audierunt: In peccatis vestris moriemini.

ARTICULUS VII.

REGULÆ MORUM.

Quæ Conditiones Confessionis spectant.

REGULA I.

Qui peccatum aliquod mortale, aut circumstantiam, qua species peccati mutetur, vel plurimum aggravetur, dedita opera celaverit, Confessionem sacrilegam edidit & nullam; quam proinde iterare tenetur.

Quando iteranda Confessio.

HAnc Regulam tradit Conc. Tridentini Catechismus, p. II. *De Pœnitentia*, §. LXIV. *Ad Confessionem* (inquit) *adeo necessarium est, ut integra, & absoluta sit: ut si quis dedita opera, alia quidem ex iis, quæ explicari debent, prætermittat: alia vero tantummodo confiteatur, non solum ex ea Confessione is commodum nullum consequatur, sed etiam novo scelere se obstringat: neque ejusmodi peccatorum enumeratio Confessionis nomine, in qua Sacramenti ratio insit, appellanda est: quin potius Pœnitenti Confessionem repetere est necesse, seque ipsum illius peccati reum facere, quod Sacramenti sanctitatem simulatione Confessionis violavit.*

Eadem Regula confirmatur ex *S. Thoma* in IV. *Sent.* dist. XVII. qu. III. art. IV. qu. II. *In medicina* (inquit) *corporali oportet, quod Medicus non solum unum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat; sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi; ex eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur; & medicina, quæ uni morbo competeret, alteri nocumentum præstaret: & similiter est in peccatis; quia unum aggravatur ex adjunctione alterius, & illud quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incentivum præstaret; cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastorali docet: & ideo de necessitate Confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet; quod si non facit, non est Confessio, sed Confessionis simulatio.*

REGULA II.

Qui Confessionem divisit, uni Sacerdoti peccatorum partem, alteram alteri dedita opera declarans, nullam Confessionem fecit: adeoque omnia, & singula peccata uni, & eidem Sacerdoti tenetur iterum confiteri.

Quando iteranda Confessio.

HAnc Regulam tradit *S. Carolus* in Instructione Confessorum: nititurque Canone *Consideret*, dist. V. *De Pœnitentia*, cujus hæc sunt verba: *Cautus sit, ne verecundia ductus dividat apud se Confessionem, ut diversa diversis velit Sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda reservant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam per frustra putat totum pervenire.* Quod sumptum est ex Auctore Libri *De vera, & falsa Pœnit.* inter Opera *S. Aug.*

Confirmatur ex *S. Thoma*, in IV. Sententiarum dist. XVII. qu. III. art. IV. quæst. II. ad primum. *Etsi* (inquit) *erubescentia sit multiplicior quando dividit diversa peccata diversis, tamen omnes simul non sunt ita magna, sicut illa una, qua quis omnia peccata sua simul confitetur; quia unum peccatum*

per-

per se consideratum non ita demonstrat malam dispositionem peccantis, sicut quando cum pluribus aliis consideratur; quia in unum peccatum aliquis quandoque ex ignorantia, vel infirmitate labitur; sed multitudo peccatorum demonstrat malitiam peccantis, vel magnam corruptionem ejusdem.

Et in responsione ad secundum: *Pœna* (inquit) *a diversis Sacerdotibus imposita non esset sufficiens, quia quilibet consideraret tantum unum peccatum per se, & non gravitatem ipsius, quam habet ex adjunctione alterius; & quandoque pena, quæ contra unum peccatum daretur, esset promotiva alterius peccati. Præterea, Sacerdos Confessionem audiens vicem Dei gerit; & ideo debet ei hoc modo fieri Confessio, sicut fit Deo in Contritione: unde sicut non esset Contritio, nisi quis de omnibus contereretur; ita non esset Confessio, nisi quis de omnibus, quæ memoriæ occurrunt, confiteatur.*

REGULA III.

Hypocrisis reus est, & periculo peccandi mortaliter se exponit, qui duos eligit Confessarios, quorum uni venialia duntaxat, alteri vero lethalia peccata aperiat.

Peccat enim ille contra sinceritatem Pœnitentiæ Sacramento debitam; & inanis gloriæ studio inflammatus, suæ potius famæ, & existimationi, quam animæ saluti, & gloriæ Dei consulit: ac præterea exponit se periculo frequentioris prolapsionis in peccata mortalia, si Confessarium adeat vel imperitum, vel cui est ignotus, qui proinde opportuna Pœnitentiæ, & Satisfactionis remedia non applicet. Hanc Regulam confirmant verba Canonis, *Consideret*, superius prolata. Qui autem ita est affectus, ut Confessario suo ordinario mortale peccatum non aperiret, si alterius Confessarii copiam non haberet, procul dubio peccat lethaliter.

Damnanda hypocrisis.

REGULA IV.

Qui peccati alicujus mortalis declarationem omisit, vel ex oblivione, vel ex minus sufficienti conscientiæ discussione, adhibita tamen diligentia juxta conditionem, scientiamque suam, Confessionem iterare non tenetur; sed tamen ea peccata, quorum oblitus est, confiteri debet, ubi memoriæ occurrerint.

Hanc Regulam tradit Conc. Tridentinum sess. XIV. c. V. *Constat* (inquit) *nihil aliud in Ecclesia a Penitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem Confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me.* Minus autem sufficiens conscientiæ discussio esse potest ob Penitentis imperitiam, & tamen adhiberi ab illo diligentia, quam pro modulo suo, & facultate potest: quem casum spectat hæc Regula in Catechismo Concilii confirmata, p. II. *De Pœnitentia*, §. LXV. *At vero* (inquit) *si alia de causa Confessioni aliquid defuisse videatur: vel quia Penitens nonnulla crimina oblitus fuerit; vel quia conscientiæ suæ latebras non ita accurate perquisiverit, cum tamen illud in animo haberet, ut integre peccata omnia confiteretur, nihil ei opus erit Confessionem iterare: satis autem habebit, si quando peccata, quæ oblitus erat, in memoriam reduxerit, ea Sacerdoti alio tempore*

Psalm. 18.

Quando iteranda Confessio.

re

re confiteri. Neque necesse est, ut illa peccata aperiat eidem Sacerdoti, cui cetera confessus est, si forte ipsum adire facile non possit; aut ut alteri eadem peccata declaret, quæ prius confessus fuerat; sed sufficit, ut illa, quorum oblitus fuerat, singulatim explicet, alia vero generatim, dicendo, quod cum alia multa confiteretur, horum oblitus fuit, ut docet *S. Thomas* loco proxime citato, in Responsione ad tertium.

Propositio damnata.

Denique *Alexander VII.* Pontifex Maximus plurimas inter Propositiones die 14. Septembris anno MDCLXV. damnatas, hanc ordine 11. confixit: *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam; non tenemur in sequenti Confessione exprimere*. Hanc damnavit, & Clerus Gallicanus his verbis: *Hæc Propositio temeraria est, erronea, & Confessionis integritati derogat*.

REGULA V.

Qui conscientiam adeo negligenter discussit, ut videri possit parvifacere alicujus peccati mortalis, aut circumstantiæ necessario explicandæ omissionem, Confessionem iterare debet.

ITa *S. Carolus*, in Instructionibus Confessorum, & Conc. Tridentini Catechismus, p. II. §. LXVI. *Animadvertendum est* (inquit) *ne forte nimis dissolute, & remisse conscientiam nostram scrutati simus, adeoque negligenter peccata admissa memoria repetere studuerimus, ut ea ne recordari quidem voluisse merito videri possimus: id enim si factum fuerit, Confessionem iterare omnino oportebit.*

REGULA VI.

Accuratum, & diligens examen conscientiæ censendum est, in quo ea diligentia adhibetur, quæ in gravioris momenti negotiis adhiberi solet.

Conscientiæ examen accuratum.

HInc *S. Jo: Chrysostomus*, Hom. LVIII. Tomi v. cui titulus est: *Non est ad gratiam concionandum*, ait: *Apud conscientiæ rationes fiat disquisitio delictorum*, Et Hom. L. auctor est, ut quotidie, antequam in lectum nos recipiamus, conscientiam nostram diligenter discutiamus. Quod & Philosophi ipsi Ethnici docuerunt. *Democrates* turpe esse ait, anxie scrutari res alterius, nostras ignorare, meliusque esse peccata nostra reprehendere, quam aliena. *Cleobulus* affirmat, multa aliis ignoscenda, nihil sibi. Auctor Pythagoreorum Carminum *Lysis*, ante somnum ter nos ad animum revocare jubet acta diurna singula, quo iverimus, quid gesserimus, quid gerendum omiserimus: malefactis dolendum, lætandum rectis; ita demum virtutis vestigiis inhæsuros. Quæ ex doctrina *Pythagoræ* expressa fuisse confirmant *Diogenes Laertius*, & *Porphyrius* in istius Philosophi Vita. Morem hunc animi quotidie ad rationem reddendam cogendi disertis verbis commendat *Seneca* Lib. III. *De Ira*, cap. XXXVI. Fieri id solitum fuisse, ait, a *Sextio*, consumato quolibet die, postquam ad nocturnam quietem se recepisset: fieri id a se sublato e conspectu lumine; se causam dicere apud se, & totius diei facta, ac dicta remetiri. Nec levem hinc sibi fructum spondet *Seneca* Epist. XXVIII. imo salutem ipsam; quippe usurpat, atque laudat istud Epicuri: *Initium est salutis, notitia peccati*. Ex quibus patet, quanti momenti vel ab ipsis Philosophis Christiana Religione minime imbutis habitum sit istud conscientiæ discutiendæ negotium.

Conscientiæ examen.

De-

Denique *S. Carolus* in Instructione Confessorum, Pœnitentem interrogari jubet a Sacerdote, *Num in examinanda conscientia diligentiam debitam adhibuerit*, *eamque qualem æquum est exigi in negotio tanti momenti*. „ Modum autem hujus examinis instituendi varium esse, nemo ne„ scit. In eo Pœnitenti rudiori opitulari debere Confessarium, monet „ *S. Carolus*, ac docere, qua ratione peccata cum circumstantiis in me„ moriam possint revocari, animo scilicet vitam percurrendo, aut per „ ætates, pueritiam, juventutem, &c. vel per status varios, puta quo„ modo se gesserit ante Matrimonium, aut post ipsum: vel per vari„ os prosperitatis, aut adversitatis, sanæ vel infirmæ valetudinis ca„ sus, per temporum diversitates, per officia, quæ administravit, socie„ tates quas frequentavit, loca, regiones, domos, in quibus conver„ satus est; in his denique, aliisque rebus, num corde, aut lingua, aut „ opere peccaverit, examinet.

De confitendi ratione plures libelli sunt editi; commemorantes quicquid inter homines committitur, aut committi potest sceleris. Qui, ut recte a confirmatis ætate, usuque rerum viris leguntur, ita periculose sparguntur in vulgus, periculosius animis simplicibus, & innocentibus offeruntur. Sunt quibus ea ratio confitendi placet, ut quæcumque confiteri velimus, memoriæ juvandæ causa in septem, aut octo illa peccatorum lethalium genera distribuamus, quæ sunt superbia, vana gloria, avaritia, ira, invidia, luxuria, gula, & acedia, quod ex iis velut fontibus omnia vitia oriantur, ut alias explicabimus. Quam rationem probavit Conc. Cabilonense II. can. XXXII. *Instruendus est* (inquit) *peccatorum suorum confessor*, *ut de octo principalibus vitiis*, *sine quibus in hac vita difficile vivitur*, *Confessionem faciat*, *quia aut cogitatione*, *aut quod est gravius*, *opere*, *eorum instinctu peccavit*. Sunt qui confitendi locos ex se ipsis petant, quod omne peccatum, aut animo, aut aliquo quinque sensuum committatur. Veterem confitendi rationem magis probat Conc. Coloniensis Catechismus, ut ad fidem, & charitatem cuncta revocentur. Olim (inquit) Confessarius de „ Articulis Fidei, & quæ illis cohærent Ecclesiæ Sacramentis, ac Præce„ ptis dominicis interrogabat, ex quo Pœnitentes duplicem fructum refere„ bant: primum quod de Fide, & Præceptis instruerentur; deinde quod „ in sui, ac peccatorum agnitionem (quæ salutis initium est) venirent. „ Quemadmodum ergo omnino velimus, ut Sacerdotes veterem Ecclesiam „ in hoc imitentur, ita nobis simplicissima confitendi ratio videtur; si „ Pœnitentes doceantur, omnino duo esse, quæ a nobis Deus postulat, „ nempe fidem cum spe conjunctam, & charitatem. Fidem duo exigere, nem„ pe ut quicquid Symbolo Apostolico summatim continetur, firmiter cre„ damus: deinde, ut tota fiducia præsentis, ac futuræ vitæ constituatur „ in Deo. Principio ergo de diffidentia confitendum erit. Nempe si „ quis de ullo Articulo Fidei vel tenuiter hæsitaverit. Deinde quotusquis„ que hominum totam suam fiduciam in Deum collocat? Nunquid non „ singuli pene singulos sibi Deos faciunt? Alius finem operum suorum in „ fastu, ac vana gloria constituit; alius in divitiis confidit; alius ventrem „ curat, atque alii alia respiciunt: interim de fide in Deum parum, aut „ nihil soliciti: atque interim, quam pauci sunt, qui hanc suam diffiden„ tiam, atque adeo idololatriam peccatum putant, cum tamen sit omnium „ peccatorum fons, & origo? Nam qui a fiducia in Deum prorsus alienus „ est, hujus tota vita nihil aliud est, quam unicum peccatum, de quo Spi„ ritus Sanctus mundum condemnat. Ab hac ergo diffidentia initium recte „ capietur, & instruetur per Sacerdotem Pœnitens. Jam charitas ad duo „ se

Conscientiæ examen.

„ se porrigit, charitatem Dei, & proximi. Utramque Deus in Decalogo præcipit, qui aptissima quædam methodus est, docens nos omnia, quæ Deus fieri velit, & quæ fieri nolit, quod in ea omnes leges morales includi possint: Cum ergo omnino velimus, ac cupiamus, ut non tantum privatim, sed & publice ex suggestis, idque frequentissime populus in Decalogo instruatur, utque non solum Decalogum memoria tenere; sed & quibus operibus singulis præceptis satisfiat, rursus quibus contra singula peccetur, doceatur, fit, ut speremus (id cum Parochi factum curant) fore, ut hinc plebs certissimam simul, ac simplicissimam confitendi rationem sibi facillime colligat. Porro ad memoriam juvandam nihil magis profuerit, quam frequens interior Confessio. Præterea, huc non parum fecerit, si Pœnitens attendens ad præcepta dominica, recolat secum ubi locorum vixerit, quibus in negotiis versatus sit, & apud quos vixerit. Videndum est autem Sacerdoti, ne peccatum omissionis extenuetur, quod solet esse gravissimum, maxime in iis, qui auctoritate, aut dignitate præeminent, veluti sunt Episcopi, Abbates, Parochi, Principes, Magistratus, & Patres familias. Hæc Concilii Coloniensis Catechismus.

REGULA VII.

Confessionem dividi posse vulgo Theologi censent, ubi probabile periculum est, ne Sacerdos Pœnitentem ad peccatum solicitet, ne Confessionem revelet; adeoque ne certi cujusdam peccati, aut circumstantiæ declaratione, Pœnitens se ipsum, aut alium in salutis æternæ, vitæ, aut famæ discrimen adducat. Verumtamen hanc doctrinam plebi tradi non expedit.

Possit ne dividi Confessio?

JUris positivi præcepta (inquiunt Theologi) cum tanto periculo non obligant: ac proinde in illa hypothesi stricto jure non obligat Confessio, & perinde se habet Pœnitens, ac si copiam Confessarii non haberet. Vel, si Confessio facienda sit, nec obtineri potest facultas, aut non habetur opportunitas alterum Confessarium adeundi, explicanda sunt cetera, illud vero peccatum, seu circumstantiæ, ex quibus periculum merito timetur, eadem Confessione generatim, & implicite (ut loquuntur) includendæ sunt, cum proposito illud, vel illas explicandi, ubi primum copia idonei Confessarii habebitur. Tuncque Confessio integra non erit per accidens (ut ajunt) id est, non ex intentione Pœnitentis, sed ex defectu Confessarii integri. Melius autem (inquit) videtur provideri conscientiis communicantium, si hoc modo confiteantur, quam si ad Eucharistiam accedant tota Confessione dilata. Cavendum tamen, ne leves suspiciones, inanesque timores peccatorem abducant ab alicujus peccati lethalis, aut circumstantiæ necessario explicandæ, Confessione. Ideo plebi hujus Regulæ doctrina tradenda non est, ne ipsa abutatur, ut est hominum genus ad suspiciones, & inanes timores pronum.

R E-

REGULA VIII.

Qui Reservatorum Criminum reus est, & apud Sacerdotem confitetur, qui potestatem non habet a Casibus Reservatis absolvendi, tenetur nihilominus omnia peccata mortalia confiteri, tam reservata, quam non reservata: & de his quidem quamvis ab inferiori posset absolvi, & ad Superiorem remitti, ut a reservatis absolveretur: convenientior tamen illa videtur Disciplinæ ratio, ut ab omnibus simul absolvatur ab eo, qui potestatem habuerit, integra peccatorum Confessione apud ipsum edita.

HÆc Regula nititur auctoritate *S. Thomæ*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XVII. Q. III. A. IV. Quæstiuncula II. ad IV. *Dicendum* (*inquit*) *quod etiamsi Sacerdos non possit de omnibus absolvere, tenetur ei omnia confiteri; ut quantitatem totius culpæ cognoscat, & de illis, de quibus non potest absolvere, ad Superiorem remittat.*

Hanc doctrinam confirmat Parisiensis Ecclesiæ Ritualis Liber anno 1601. editus, Tit. *De Sacramento Pœnitentiæ*; Reg. IV. cujus hæc sunt verba: *Debet esse integra Pœnitentis Confessio, nec unum peccatum debet confiteri, & alterum celare, si veram, & perfectam absolutionem consequi desiderat. Hic cavebit Sacerdos, ne Pœnitentem absolvat ab uno peccato, altero retento, nisi forte de eorum sit genere peccatorum, quæ ad Superiorem jure ipso devolvuntur, & remittuntur; & tunc mittat ad Superiorem.*

Id omnino consonum est Instructionibus S. Caroli *De Pœnitentiæ Sacramento*, quarum hæc sunt verba: *Si Censura, aut peccato Pœnitens sit irretitus, a quo non possit absolvere, ne tamen eum rejiciat, sed potius juvare studeat: qua in re cum liceat ipsum, a quibus potest absolvere, & pro Reservatorum Absolutione mittere ad eum, qui habet absolvendi facultatem, videbit tamen, utrum Animæ illius magis consulatur, si ipse absolvendi facultatem impetret coram, si fieri possit, alioqui per litteras saltem, idque caute, quantum fieri possit: ut ita Pœnitentem uno tempore ab omnibus peccatis absolvat.*

Quæ mihi convenientior videtur Disciplinæ ratio, magis probata est *S. Carolo Borromæo* in Instructionibus pro iis, qui Sacramentum Pœnitentiæ in Urbe, & Diœcesi Mediolanensi ministrabunt. *Confessor* (inquit) *sæpius legat, juxtaque se Tribunali affixam habeat Bullam in Cœna Domini, aliosque casus Sedi Apostolicæ, aut nobis reservatos. Qui vero his Casibus irretiti fuerint, ad eum mittantur, qui ab iis absolvendi potestatem habet, prius quam illos audiat, vel ab aliis peccatis absolvat.*

Si vero inferior audita omnium peccatorum Confessione Pœnitentem absolveret ab iis, a quibus potest, quod plerique Doctissimi Theologi * jure fieri posse censent, remitterentur illi omnia peccata, modo recte dispositus esset, cum ordine tamen ad Absolutionem alteram, quam paratus esset postulare, ac recipere ab eo, ad quem remitteretur, accepta congrua Pœnitentia. Ex utraque enim illa Absolutione partiali Sacramentum unum eo in casu confici, & quasi unam moraliter Absolutionem, unamque Confessionem censendam, Theologi illi sentiunt. Ceterum, quod Deum spectat, unum peccatum sine altero non posse remitti, certissimum est; cum homo ex parte Dei amicus, & ex parte inimicus esse non possit, nullumque mortale peccatum cum gratia, & charitate, quæ filios Dei faciunt, possit consistere.

* Henricus Gandavensis Quodl. I. Q. I. Petrus Paludanus in IV. Sent. Dist. XVII. Q. I. A. I. Concluf. 2. Sylvester Prieras in Summa, verbo, Confessio I. § . 9. Cajetanus in Summa verbo, Confessio, Conditione 10. Paulus Soncinas, in IV. Sent. Dist. XVIII. Concluf. 2, &c.

REGULA IX.

Etsi venialium peccatorum Confessio non sit necessaria, illa tamen confiteri oportet, de quibus dubitatur, an mortalia sint, an venialia.

Quando iteranda Confessio?

Alioqui Pœnitens exponit se periculo celandi peccatum aliquod mortale in Confessione, proindeque sacrilegium committit, & Confessionem iterare debet.

Confirmatur ex *S. Thoma*, Qu. VI. Supplementi A. IV. ad tertium. *Quando* (inquit) *aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente. Quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri: non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitative loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram, & lepram.*

REGULA X.

Quamvis mendacium in Confessione venialium commissum, cum alia suppetit Sacramenti materia, lethale peccatum non esset, certe periculosissimum est Mentiri vero circa peccata mortalia, est absque dubio lethale peccatum.

Mendacium in Confessione quam grave crimen?

Quamquam enim quibusdam Theologis materiæ levitas mendacium circa venialia peccata in Confessione admissum, cum alia confitetur Pœnitens, nec debitam Sacramento materiam subtrahit, a peccato mortali excusare videatur: non tamen hominibus mentitur, sed Deo, injuriamque Sacramento facit, qui mendacium hujusmodi committit. A nemine vero in dubium revocatur, quin mendacium circa peccata mortalia, aut venialia, quæ sola Pœnitens confitetur, sit peccatum lethale. Cum enim in judicio etiam civili mentiri in re gravi ad judicium ipsum pertinente, lethale peccatum sit: lethale pariter peccatum esse, & quidem longe gravius, nemo negaverit, in sacro Judicio, scilicet in Confessione Sacramentali mentiri de rebus ad ipsam Confessionem pertinentibus. Si quis ergo a Confessario interrogatus de aliquo peccato lethali, illud se commisisse neget, cum revera commiserit, & se commisisse meminerit, sacrilegii reus est, & Confessionem iterare tenetur, si Absolutionem illo in statu recipiat. Idem esto judicium, si quis de aliquo mortali certo se accuset, quod non commisit, aut quod se commisisse haud ipsi certum est. Judicem enim a Deo constitutum decipit, occasionemque illi præbet, abutendi Clave scientiæ, inimicum Dei ipsum judicando, & a lethali peccato, cujus non est reus, frustra ipsum absolvendo. Ne vero quis existimet humilitatis causa id licere, cum falsa sit humilitas, quæ veritatem oppugnat. Unde *S. Augustinus*, Sermone 181. alias 29. *De Verbis Apostoli*, cap. IV. ait: *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaveras: Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es, dicas. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?* Neque id repugnat celebri *S. Gregorii* Sententiæ: *Bonarum mentium est, ibi culpas suas agnoscere, ubi culpa non est.* Id enim unum significat, justos etiam vereri debere, ne opera sua sordibus, ac nævis aliquibus inficiantur, quibus Deo displiceant, secundum illud Job. IX. *Verebar omnia opera mea, sciens quod*

non

non parceres delinquenti. Debet etiam justus se peccatorem confiteri in genere, juxta illud *Tertulliani*, Libro De Pœnitentia, *Peccator omnium notarum cum sim, nulli rei, nisi Pœnitentiæ natus*, &c. Quia nemo sine peccato vivit: *In specie vero non dicat se perpetrasse peccatum; nisi sciat, vel credat ita esse*; (inquit. S. *Raymundus* Lib. III. §. 24. Vel ut ait *S. Thomas*) agnoscere culpam, ubi culpa non est, dupliciter intelligitur: „ Uno modo quantum „ ad substantiam actus, & sic non est verum. Non enim ad bonam men„ tem pertinet, sed ad errantem, ut se actum aliquem commisisse agnoscat, „ quem non commisit. Alio modo quantum ad conditionem actus, & sic „ verum est, quod S. Gregorius dicit, quia justus in actu, qui de se bonus „ est, formidat, ne aliquis defectus ex parte sua fuerit. Et sic dicitur Job „ IX *Verebar omnia opera mea*. Et ideo ad bonam mentem etiam pertinet, „ ut hanc formidinem, quam corde tenet, lingua accuset. *Tandem* Per Con„ fessionem debet Pœnitens se Confessori suo manifestare. Qui autem aliud „ Sacerdoti de se loquitur, quam in sua conscientia habeat, sive bonum, „ sive malum, non se Sacerdoti manifestat, sed magis occultat: & ideo non „ est idonea Confessio, nisi os cordi concordet; ut solum hoc os accuset, „ quod conscientia tenet. *Hæc S. Thomas*, loco supra citato, & in IV. *Sententiarum*, Dist. XXI. Q. II. A. III.

REGULA XI.

Fidelem Confessionem non facit, lethalisque peccati reus est, qui circumstantias a peccato prorsus excusantes, aut ita minuentes, ut veniale faciant, quod alias esset mortale, silentio premit.

ILle enim Confessarium decipit in re gravi, neque cor suum effundit, sicut aquam in conspectu Dei, & Ministri ejus; cum aliud profiteatur ore, ab eo quod in animo gerit. Si quis, verbi gratia, occidit aggressorem cum inculpatæ tutelæ moderamine, (ut loquuntur Theologi) idest, necessaria vitæ suæ defensione compulsus; vel in bello justo hostes interfecerit; & homicidia se perpetrasse simpliciter declaret, confitetur, ut mortale peccatum, quod nullum revera peccatum est, adeoque mortaliter peccat. Si quis item urgente fame panem alienum invito Domino arripuit, cum frustra mendicasset, seque furti reum simpliciter confiteatur, circumstantiam illam non explicans, mortalis peccati reatum incurrit. Item si quis de violato jejunio quadragesimali se accuset, qui ob infirmitatem jejunare non potuit, nec circumstantiam infirmitatis aperiat, lethali peccato se obstringit. Lethalis tamen peccati reos non censerem homines simplices, rudes, & imperitos, qui circumstantias illas malo animo, vel ex industria, Confessarium non celarent: illorum enim simplicitati & imperitiæ prudens Confessarius succurrere debet.

Circumstantiæ prorsus a peccato excusantes, aut peccatum minuentes non dissimulandæ.

REGULA XII.

Pœnitens confiteri tenetur circumstantiam relapsus in eadem peccata.

HÆc enim circumstantia peccati gravitatem plurimum auget: *Fiuntque novissima hominis*, ita relapsi *pejora prioribus*, ut Christus docet .... Hanc Regulam confirmat S. *Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXII. Q. I. A. III. ubi eorum opinionem refellit, qui hanc circumstantiam non esse necessario in Confessione aperiendam contendebant: *Sed ex hac opinione* (inquit) „ videtur relinqui, quod non possit plene recidivantis morbo remedium

Luc. 11. 26. Recidivæ, & consuetudinis circumstantiam confiteri necesse est.

„ dium adhiberi: multa enim expediunt ad spiritualem salutem recidivantis; „ quæ non sunt necessaria innocenti; ut scilicet circa eum major cautela adhibeatur. Et ideo videtur distinguendum esse, quod in Confessione est aliquid „ exponendum dupliciter: uno modo directe; & sic exponi dicitur, cujus abolitio per Confessionem quæritur: & sic peccata dimissa recidivans nullo modo „ confiteri tenetur, nec in generali, nec in speciali, cuicumque confiteatur; „ alio modo indirecte, sicut illud sine quo fieri non potest debitus satisfaciendi „ modus: cum enim Contritio secundum quod est de necessitate salutis, votum Confessionis, & Satisfactionis debitæ includat, tenetur ille, qui confitetur, Sacerdoti exponere ea, quibus Sacerdos possit scire, quæ Satisfactio „ sit congrue injungenda, sicut confitens Sacerdoti interdum se esse infirmum, „ ut jejunium non imponat; & per hunc modum tenetur recidivans notificare „ peccata dimissa, quantum sufficit ad hoc, quod sciatur, quæ Satisfactio est „ ei injungenda; ut si ipse frequenter lapsum carnis passus est ex aliqua occasione, illa occasio præcidatur per Satisfactionem; & sic de aliis peccatis: & ad „ hoc videtur sufficere Confessio dimissorum peccatorum in generali: tamen „ interdum ad aliqua specialia oportet descendere, secundum quod confitens „ viderit opportunum: non enim potest in his aliqua certa mensura præfigi.

Denique inter varias corruptæ Moralis Propositiones *Innocentius XI.* Pontifex Maximus hanc damnavit LVIII. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Clerus etiam Gallicanus in generalibus Comitiis anni 1700. hanc propositionem confixit his verbis: *Falsa est, temeraria, in errorem inducit, sacrilegiis favet, Christianæ simplicitati, Ministrorum Christi judiciariæ potestati, Confessionis integritati, atque ipsius Sacramenti institutioni, ac fini derogat.*

REGULA XIII.

Imminente naufragio, vel prælio, aut alio præsente periculo, ex quo nullus pateat exitus, si Sacerdos omnium Pœnitentiæ remedium postulantium Confessiones integras excipere non possit, plures simul peccatum aliquod suum confessos, aut generatim dumtaxat se de peccatis accusantes, & signa Contritionis dantes, absolvere sacramentaliter potest, & debet.

An multorum Confessiones simul audiri aliquando possint.

CUm enim Ecclesiæ Clavibus se subjiciant, faciantque in illis angustiis, quod in se est, remedio a Christo instituto, & Ecclesiæ commisso, lapsique in mortale peccatum post Baptisma necessario, privari non debent, ne ligati exeant ex hoc mundo. Si tamen ex eo periculo evaserint, omnia peccata sua singillatim, ac soli tenentur Sacerdoti confiteri.

REGULA XIV.

Lethaliter peccaret Sacerdos, qui extra hujusmodi periculorum extrema, multorum simul Confessiones audiret, etiam puerorum doli capacium.

PRæceptum enim Ecclesiæ violare non vereretur, quæ Confessionem secretam esse jubet, atque a solo Pœnitente fieri, Can. XXI. Concilii Lateranensis IV. *Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.*

RE-

REGULA XV.

Sacerdos vocatus ad infirmum, qui obmutuit, aut rationis usu destitutus est, ipsum absolvere potest, & debet ex aliorum testimonio, asserentium Pœnitentis animi signa ipsum exhibuisse, & Confessarium postulasse.

HÆc Regula nititur inprimis auctoritate *S. Augustini* Libro I. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. XXVI. & XXVIII. ubi Cathecumenos in extremis constitutos, etiamsi nec ad interrogata respondere, nec Baptismum petere possint, esse nihilominus baptizandos docet, & similiter moribundis Pœnitentibus Reconciliationem, sive Absolutionem concedendam, etiamsi ipsos vox, & sensus defecerint. *Catechumenis*, (inquit) *in ultimo vitæ hujus constitutis, si morbo, vel casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen sibi Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis, quod eorum in Fide Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Et postquam significavit eos non esse judicandos, qui contrariam disciplinam usurpant; & baptizare non audent eos, qui pro se respondere nequiverint, ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium, eorum scrupulum his verbis amolitur: „ Sed non solum incredibile est, nec in fine vitæ hujus „ baptizari Catechumenum velle: verum etiam si voluntas ejus incerta est, „ multo satius est nolenti dare, quam volenti negare; ubi velit, an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se „ potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit „ se non oportere de corpore exire. *Et inferius, hypothesi facta de Catechumeno adultero, constituto in extremis, & vocis usu, sensuumque destituto, eum etiam baptizandum esse censet. Ego* (inquit) „ non solum alios Catechumenos, „ verum etiam eos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvo corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum; tamen si desperati, & intra se Pœnitentes tacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris „ Lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri? *Tamdem eamdem esse Pœnitentiæ rationem asserit, idest, eam Fideli moribundo, ante Sacerdotis adventum vocis usum amittenti administrandam esse.* „ Quæ autem Baptismatis, eadem Reconciliationis est causa, si forte Pœnitentem finiendæ vitæ „ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis „ exire velle debet Mater Ecclesia.

Quomodo se gerere debeat Confessarius erga infirmum, qui obmutuit, & rationis usu destitutus est, dum vocatus ad illum veniret?

Nititur secundo Concilii Carthaginensis IV. Canone LXXVI. cujus hæc sunt verba: „ Is, qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum „ Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutescat, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat „ Pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, „ admoneatur a supradictis testibus suæ petitioni satisfactum, & subdatur „ statutis Pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui Pœnitentiam dedit, „ probaverit.

Tertio nititur Concilii Arausicani I. Canone XII. *Subito obmutescens*, (inquit) *prout statutum est, baptizari, aut Pœnitentiam accipere potest; si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.*

Quarto, auctoritate *S. Leonis*, Epist. LXXXIII. alias XCI. ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum. *Oportet* (inquit) *unumquemque Christia-*

„ stianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in „ diem differat, nec Satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat: quia „ periculose hac se conditione fragilitas, & ignorantia humana concludit, ut „ ad paucarum horarum se reservet incertum: & cum possit pleniore Satisfa- „ ctione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix in- „ veniat spatium, vel Confessio Pœnitentis, vel Reconciliatio Sacerdotis, „ Verum etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut & actio illis Pœni- „ tentiæ, & Communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio, per indicia „ etiam integri sensus postulant, non negetur. At si aliqua ægritudine ita fue- „ rint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis signi- „ ficare non valeant: testimonia eis Fidelium circumstantiam prodesse debe- „ bunt, ut simul & Pœnitentiæ, & Reconciliationis beneficium consequantur.

Quinto, nititur Concilii Toletani XII. Can. II. *Multos* (inquit) „ sæpe „ conspeximus in salute positos ultimum desiderantes Pœnitentiæ fructum, & „ rursus nimietate ægritudinis ita loquendi, & sentiendi naturale perdidisse „ officium, ut nulla illis cura salutis suæ videretur inesse, nullo etiam „ pristinæ devotionis noscerentur desiderio anhelare: quorum tamen casibus „ Fraternitas condolens, ita talium necessitates in fide suscepit sua, ut ultimum „ illis tribuatur Viaticum, scilicet ne sine fructu Pœnitentiæ transire videan- „ tur e sæculo. *Idemque confirmat Concilium Toletanum* XII. *Can.* IX. „ Si- „ cut Baptisma, quod nescientibus parvulis sine ulla contentione in fide tan- „ tum proximorum accipitur: ita Pœnitentiæ donum, quod nescientibus il- „ labitur, absque impugnantia violationis, hi, qui illud acceperint, obser- „ vabunt. Sicut ergo ad gratiam Baptismi suscipiendam non est necessaria cognitio administrationis Baptismi sibi factæ, ut Baptismus parvulorum demonstrat: ita nec ad gratiam Reconciliationis in Sacramento Pœnitentiæ suscipiendam semper, & in omni casu necessaria est in eo, qui absolvitur, cognitio eorum, quæ circa ipsum geruntur.

Sexto, idem confirmat Rituale Romanum, de moribundo ita loquens: *Si petiit Sacerdotem, ut confiteretur, ostendit se facere velle omnia, quæ debet, & interea factus est mutus, vel phreneticus, & periculum est in mora, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo Confessionem generalem pro eo, Sicut fit in populo, Sacerdos faciat Absolutionem ab omni sententia, & peccato: & potest injungere circumstantibus aliquid pro eo faciendum, vel hæredibus, aut consanguineis pro ejus Anima, si volunt acceptare. Deinde debet ei dari Eucharistia, si non sit confessus.*

REGULA XVI.

Homines moribundos, quos vox, & sensus defecit, antequam ullum Pœnitentis animi signum darent, ac Sacerdotem postularent, absolvere non licet, si constet vitiis deditos fuisse, aut peccandi proximis occasionibus implicatos.

IN voluntate namque peccandi perseverare censentur, donec eam se deposuisse demonstraverint. Nec aliud colligi potest ex loco *S. Augustini* superius citato, ubi Catechumenos, qui adulterina retinent consortia, baptizandos esse docet, si infirmitate correpti, vocis, & sensus usum subito amiserint, eamdemque esse Pœnitentiæ rationem. Supponit enim *S. Augustinus*, illos in adulterinæ carnis illecebra perseverare noluisse, & propositum illis fuisse concubinas dimittere ante Baptismum, atque peccato nuntium omnino remittere: & in illis angustiis illos *Intra se pœnitere*, quod credibile faciebat Catechumenorum status, quem sponte susceperant, & Baptismi suscipiendi voluntas, quæ conjuncta præsumebatur cum voluntate sincera præstan-

di

di ea omnia, ſine quibus Eccleſia ipſos ad Baptiſmum non admiſiſſet. Illos ergo vitio deditos homines; aut etiam vagos, & ignotos, quibus nullum teſtimonium fide dignum perhibetur, quod pie, & Chriſtiane vixerint, nullus Sacerdos abſolvat.

REGULA XII.

Moribundum hominem, qui vocis uſu, ſenſuque ſubito deſtitutus, Pœnitentiam ac Reconciliationem, nec verbis nec nutibus petiit, nullave ſigna pœnitentis animi dare poteſt, abſolvere non licet, quamvis bene vixerit, & Confeſſionem, Communionemque frequentaverit.

ITa cenſet Sacra Facultas Pariſienſis, ad cujus examen inter alias Propoſitiones ex Libro quodam excerptas hæc etiam Propoſitio olim delata eſt: Talis infirmus, *Qui amiſit loquelam, vel uſum rationis, ſi bene vivebat, ut bonus, & fidelis, & frequentabat Confeſſionem, & Communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt, debet præſupponi contritus, & faciente aliquo Confeſſionem pro eo, ſicut fit in Populo, Sacerdos faciat Abſolutionem ab omni ſententia, & peccato:* quam Propoſitionem eadem Sacra Facultas in ſolemnibus Comitiis die tertia Februarii anni 1665. in Sorbona celebratis hac Cenſura notavit: *Doctrina hujus Propoſitionis univerſim, & abſolute ſumpta, eſt in praxi periculoſa.* Neque enim Pœnitentis actus, qui ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, in hac hypotheſi deprehenduntur, nec præſentem Pœnitentis ſtatum, & intentionem ſatis perſpectam habet Sacerdos, ut Abſolutionis ſententiam per modum judicii proferre poſſit. Alia vero Catechumenorum, & publice Pœnitentium ratio erat, de quibus in Regulæ ſuperioris explicatione diximus. In illis enim Baptiſmi ſuſcipiendi, in illis Reconciliationis, & Abſolutionis virtualem certe intentionem perſeverare compertum erat, cum Baptiſmum petiiſſent, nomenque dediſſent, vel Pœnitentiam profeſſi eſſent, & ad hæc Sacramenta ſuſcipienda inſtruerentur, expiarentur, præpararentur ab Eccleſia. Verum in hypotheſi Regulæ, quam explicamus, virtualem intentionem perſeverare minime compertum eſt. Moribundis igitur vocis uſu, ſenſuque ſubito deſtitutis Abſolutio ſacramentalis tunc tantum tribuenda eſt, cum ipſos Pœnitentis animi ſigna exhibuiſſe, & Confeſſarium poſtulaſſe, aliorum ſaltem relatione, ac teſtimonio conſtat quicquid Theologi nonnulli contra ſcripſerint.

Nec alius eſt ſenſus Sacerdotalis Venetiis editi apud *Joannem Variſcum* anno 1560. Statutorum Synodalium Eccleſiæ Lemovicenſis, editorum Lemovicibus anno 1620. cap. lxxi. Conditor contrariam ſententiam ſecutus videtur; ſed cum a Sede Apoſtolica confirmata non ſint, vel ab aliis Eccleſiis recepta, ea in praxi ſequi non tenemur. Sic autem habent: *Poterit quoque idem applicari remedium ei, qui judicio, omniumque ſenſuum uſu ſtatim captus eſt, non petita Pœnitentia, nulloque ſigno Contritionis edito, cum violentia morbi judicatur de repente, & ex improviſo præventus, & oppreſſus, & Chriſtiane vixit, ferrique poteſt judicium ex actionibus vitæ, & moribus eum libenter Pœnitentiæ Sacramentum petiturum fore, ſi tempus, & morbi violentia permiſiſſent, licet hoc in caſu nihil de Abſolutionis effectu promittere poſſimus. Sed Animarum ſalvandarum cauſa nullum remedium omittere debemus, quod Deus poteſtati noſtræ commiſit, Deum orantes, ut immenſa bonitate, & miſericordia, quod deeſt ægrotorum diſpoſitioni, ſuppleat, cetera inſcrutabilibus Dei Judiciis commendantes.*

REGULA XVIII.

Confessio absque Contritione, vel Attritione antecedente, concomitante, vel subsequente facta, prorsus invalida, adeoque iteranda est.

Confessio informis, & invalida.

CONTRITIO enim perfecta, vel imperfecta, quæ Attritio vocatur, dispositio necessaria est ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ suscipiendam: Et *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus fuit necessarius*. Qui ergo peccata sua confitetur, absque Contritione, vel Attritione antecedente, concomitante, vel subsequente, eaque destitutus absolvitur, dispositionem necessariam non affert ad Pęnitentiæ Sacramentum: ejus itaque Pęnitentia nulla, & invalida est, cum Sacramento sacrilege abutatur. Pœnitentia enim sola Confessione non constat, sed & Contritione, & Satisfactione, qui sunt actus Pęnitentis, & *quasi materia Sacramenti*, (ut Concilium Tridentinum loquitur.) Pęnitentiam autem nullam, & invalidam, Confessionemque sacrilegam iterari oportere nemo negaverit.

Præterea, *A mortuo, quasi qui non sit, perit Confessio*, (ut dicitur *Ecclesiastici* XVII.) Confessio igitur, quæ fit a peccatore, in quo nullum est vitæ novæ initium per Contritionem saltem imperfectam, nulla, invalida, & sacrilega est. *Qui confitetur* (inquit S. Augustinus) *foras prodit. Foras prodire non posset, nisi viveret. Vivere non posset, nisi resuscitatus esset.*

S. Thomæ locus de Confessione informi, & ficta explicatur.

Frustra vero quidam objiciunt locum *S. Thomæ*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XVII. Q. III. Art. IV. Quæstiuncula 1. & Q. VII. Supplementi, Art. II. *Confessio est actus virtutis, & pars Sacramenti: secundum autem quod est actus virtutis, est actus meritorius proprie, & sic Confessio non valet sine charitate, quæ est principium merendi: sed secundum quod est pars Sacramenti, sic ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet Claves Ecclesiæ, qui per Confessionem conscientiam confitentis cognoscit: & secundum hoc Confessio, etiam potest esse in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua Sacerdoti manifestare, & Clavibus Ecclesiæ se subjicere. Et quamvis tunc non percipiat Absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet; sicut etiam, & in aliis Sacramentis: unde non tenetur iterare Confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.* Confessus absque Contritione, vel Attritione sufficienter attritus non est, ad Sacramentum fictus accedit: nec tamen (inquiunt) iterare Confessionem tenetur, *S. Thoma* judice.

Frustra (inquam) hunc locum objiciunt: cum enim ait *S. Thomas*, hominem, qui ad Sacramentum Pęnitentiæ fictus accedit, non teneri ad iterandam Confessionem, sed solum ad confitendum postmodum fictionem suam; intelligendus est de homine, qui apud eumdem Sacerdotem peccata sua semper deponit; vel qui sine Contritione, aut Attritione sufficienti confessus, hunc defectum ignoravit. Qui igitur Confessionem fecit, & Absolutionem accepit absque sincero dolore de peccatis, eorumque detestatione quatenus sunt offensa Dei, si eumdem adeat Confessarium, eique suam illam fictionem declaret, minime necesse est, ut cetera peccata confiteatur, quæ in sacrilega illa Confessione aperuerat, quia fictionem illam aperiendo eidem Sacerdoti, qui *Conscientiam illius per Confessionem cognoscit*, eadem peccata subjicit clavibus Ecclesiæ, (ut docet *S. Thomas*.) Conscientiam vero peccatoris per Confessionem præcedentem penitus non cognovit Sacerdos; siquidem fictionem illius perspectam non habuit: ipsum enim non absolvisset, si neque contritum, neque sufficienter attritum esse cognovisset. Præterea, si fictionem confiteri tenetur, eam certe aperire debuit

buit Sacerdoti prima Confessione, in qua ipsam commisit: cum enim hujusmodi fictio sit lethale peccatum, certum est, eum qui sine dolore sincero de peccatis, & eorum detestatione, quatenus Deum offendunt, absolvitur, Confessionem integram non fecisset, siquidem fictionem illam celavit. Confessio autem, quæ non est integra, prorsus invalida est, nec est Confessio, sed Confessionis simulatio. Cum itaque fictio illa, seu contritionis defectus peccatori confitenti cognitus, pars fuerit peccatorum lethalium, quorum reus erat, cum primum confessus est, nec ab illa fictione fuerit absolutus, quam postmodum confiteri tenetur, secundum *S. Thomam*; evidens est, ipsum a reliquis etiam peccatis absolutum non fuisse: illa ergo cum ipsa fictione tenetur confiteri, ut simul ab omnibus absolvatur: nisi eidem, cui primum confessus est, Sacerdoti fictionem illam confiteatur, qui peccatorum memor jam clavibus Ecclesiæ a Pœnitente subjectorum, conscientiæ illius statum ex unius fictionis confessione satis perspectum, & exploratum habet. Verum si peccator alterum Confessarium adeat, non sufficit, ut fictionem ipsi confiteatur, ac de sacrilega Confessione se accuset, sed & reliquorum peccatorum Confessionem ipsum iterare necesse est: alioquin conscientiæ illius statum Sacerdos ille cognitum non habebit. Judex ergo illius in sacro Pœnitentiæ tribunali esse non poterit, nec pro gravitate peccatorum congruam satisfactionem imponere, nec Absolutionis Sententiam vice Christi proferre: ipsum enim Judicem, qui sententiam profert, plenam causæ cognitionem habere necesse est. Ita *S. Thomam* interpretatur *S. Antoninus* III. P. Tit. XIV. cap. XIX. §. 5. *Potest* (inquit) *sustineri opinio S. Thomæ, loquendo de illo, qui confitetur ei cui prius; & non oportet iterare Confessionem ei prius factam, licet fictam, etiamsi Sacerdos non recoleret peccata sibi prius dicta; quia nec quando Confessio est integra, oportet quod recolat actu de principio usque ad finem. Et maxime, quia hic sufficit absolvere ab omnibus, & injungere Pœnitentiam pro fictione, & pro aliis, quod faciat Pœnitentiam tunc sibi injunctam.*

Potest etiam explicari *S. Thomas* de peccatore, qui ad Sacramentum Pęnitentiæ fictus accedit, sed fictionem illam suam, seu contritionis defectum ignorat: qua in hypothesi Pęnitens confessionem iterare non tenetur, quam nullam fuisse nescit. Ipse sui sit Interpres *S. Thomas* locis supra laudatis. *Quilibet* (inquit) *tenetur ad Confessionem mortalium; sed si aliquis semel confessus est, etiam in mortali existens, non tenetur ulterius ad confitendum eadem peccata; quia cum nullus sciat se charitatem habere, nullus sciret se confessum fuisse: ergo non est de necessitate Confessionis, quod sit charitate formata.* Idque confirmatur ex verbis ejusdem Angelici Doctoris, III. P. Q. LXXX. Art. IV. ad quintum dicentis: *Quod non habeat aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere sine culpa ipsius, puta cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus. Et in tali casu non peccat sumendo Corpus Christi: quia homo per certitudinem scire non potest, utrum sit vere contritus: sufficit enim si in se signa contritionis inveniat, puta si doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris.* Ita rursus *S. Thomam* explicat *S. Antoninus* ibidem, & de eo loqui ait, *Qui fictus est quia habet dolorem, sed ita imperfectum, quod nec cum Sacramento actu suscepto sufficit ad contritionem: nihilominus tamen hanc imperfectionem, quæ est fictio, non confitetur, quia credit se sufficienter esse dispositum, & sic non scienter celat peccatum, quod fuit in hoc, quod non examinavit conscientiam suam, sicut debuit ..... Tali, quando rediit ad cor, & recolit se non bene fecisse debitum, & ex negligentia aliqua oblitum, tunc incipit valere Confessio, & non tenetur confiteri illa, quæ prius confessus fuit sic fictus, quia non fuit dimidiata ex intentione, sed solum illam fictionem tenetur confiteri. Si autem fuisset fictio, quia non doleret, & scienter celata*

lata fuisset, Confessio est nulla: vel si fictio fuisset confessa, non debuisset dari Absolutio, (ea manente.) Id rursus confirmat sententia illa *S. Thomæ*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXI. Q. II. Art. II. bis repetita: *Confessio operatur præsupposita Contritione*. Ubi ergo nulla Contritio est, sive perfecta, sive imperfecta, quæ Attritio vocatur, Confessio est invalida, adeoque iteranda.

Cum autem *S. Thomas* ait, peccatorem, qui sine Contritione confitetur, quamvis tunc non percipiat Absolutionis fructum, recedente tamen fictione percepturum, *sicut etiam in aliis Sacramentis*: comparationem usquequaque accuratam non instituit inter Pęnitentiam, & alia Sacramenta, quæ recedente fictione gratiam conferunt. Illa enim, etsi sacrilege suscepta, vera nihilominus Sacramenta erant. Adultus, verbi gratia, qui sine dispositionibus ad gratiam justificantem necessariis baptizatur, verum Sacramentum recipit, Christi Charactere insignitur, fit Ecclesiæ membrum: & Sacramentum illud in malo Christiano ratione characteris permanens gratiam operatur, cum obex, scilicet fictio præcedens, conversione sincera ad Deum removetur. Verum qui confessionem facit, & Absolutionem recipit absque Contritione saltem imperfecta, quæ Attritio dicitur, nullum Sacramentum suscipit: Confessio illa, & Absolutio nullum in eo producunt effectum: nihil in eo relinquunt, nisi magnum sacrilegium: characterem non imprimunt, cujus virtute gratia produci possit accedente contritione. Quod enim quidam Theologi ajunt, in eo, qui fictus accedit ad Sacramentum Pęnitentiæ, produci quemdam ornatum, cujus virtute gratia Sacramenti, recedente fictione, producatur, merum figmentum est, nullum in Scriptura, vel Traditione fundamentum habens; neque explicari adhuc potuit, quid sit ornatus ille. Certe si Eucharistia indigne recepta spiritualem effectum in anima non producit, recedente etiam fictione, quia characterem non imprimit, cum tamen Sacramentum recipiat, qui Christi Corpus indigne manducat, ut docet S. *Thomas* III. P. Q. LXXX. Art. I. ad primum: quomodo Confessio sacrilega, quæ characterem pariter non imprimit, imo quæ nullum Sacramentum est, gratiam operari dici potest fictione recedente, secundum Angelici Doctoris mentem?

Denique *Dominicus Soto* Ordinis Prædicatorum Theologus eximius, maximamque laudem in Tridentino Concilio consecutus, dicere non dubitat *S. Thomam* in IV. Sententiarum locutum fuisse cum vulgo, quod quidem in „ Summa correxit, & correxisset clarius, si huc usque pervenisset. *Secun-* „ *do*, non videri idem tribuisse huic Sacramento, quod Baptismo. Ait enim, „ quod quamvis tunc confessus non percipiat Absolutionis fructum, tamen „ recedente fictione recipiet, sicut est in aliis Sacramentis. De aliis autem „ Sacramentis non imprimentibus characterem nullibi hoc ipse opinatus est; „ sed Capreolus, & Paludanus, qui fictitium illum ornatum per Sacramen- „ tum hoc imprimi autumant, illum gratiæ fructum recedente fictione, & „ hic quoque fingunt. Attamen S. Thomas (ut arbitror) non aliud sibi „ vult, quam quod recedente fictione per Contritionem incipiat homo ha- „ bere gratiam, & remissionem peccatorum, quam non habuit prius per Sa- „ cramentum: & si iterum confiteatur, habebit etiam gradum sacramen- „ talem gratiæ similem illi, quem habuisset per primum Sacramentum. Hæc paulo prolixius explicare operæ pretium fuit, ne Theologi solutioris, molliorisque doctrinæ in iis, quæ Pœnitentiæ Administrationem spectant, *S. Thomæ* verbis ulterius abutantur.

Multiplex fictio Pœnitentium.

Hanc de fictione Pœnitentium quæstionem dilucide Venerabilis *Gersonius* explicat in Responsione ad Quæstiones quasdam Morales, Q. II. *Quædam fictio* (inquit) *est perniciose mentiens; quædam dolose dimidians: quædam patenter*

ter inficiens; quædam insufficienter discutiens. Fictio triplex prior impedit ne Confessio, vel prætensa Absolutio valeat sic fingenti; quin oporteat, vel necessarium sit iterum de omnibus sacramentaliter confiteri. Quarta vero fictio potest inveniri, licet non bona, non tamen sicut priores æqualiter mala; ubi licet Absolutio non conferat gratiam, nec peccata deleat, confert tamen cessante fictione, nec oportebit de sic confessis iterum confiteri. Mentiens autem in Confessione perniciose, peccat mortaliter. Secus autem est de mendacio quod ex genere suo alias esset solum veniale, ut videlicet miscendo quamdam levem circumstantiam falsam, vel excusationem frivolam. Fictio autem secunda, scilicet dolose dimidians dicitur, quæ tacet solum ad celandum peccatum suum uni certo Sacerdoti, attamen proponit hoc alteri confiteri, & hæc facit in fraudem integritatis ipsius Confessionis, videlicet ne vilis reputetur si hoc peccatum tali detegeret, cui jam forsan alia plura detexit gravia, & reservans hoc cuidam alteri, qui propria nescit, ut fallaciter reperiatur apud humanum judicium peccator parvus, qui coram Deo est peccator magnus .... Fictio tertia, quæ est patenter inficiens, fit dum confitens retinet adhuc propositum actualiter iterum peccandi, nec habet propositum juxta Confessoris voluntatem injuste ablata restituendi, & satisfaciendi aliis, prout foret satisfaciendum. Et hæc fictio relabitur, & coincidit in duo membra fictionis priora: quia vel hic est celatio peccati mortalis, si non confitetur hoc propositum peccandi: vel est perniciosum mendacium, si dicit, se pœnitere, & dolere peccasse, cum manifeste oppositum ostendant signa sua, ex quo non vult satisfacere juxta Sacerdotis Judicium. Fictio quarta, quæ est insufficienter discutiens, potest contingere multipliciter. Primo, ignorando factum, quia non fuit sufficienter recogitatum. Secundo, ignorando si factum sit peccatum, saltem mortale. Tertio, ignorando si sit taliter, & expresse confitendum. Quarto, ignorando si displicentia peccati sit principaliter in confitente, non ratione culpæ, sed ratione pudoris, & pœnæ. Quinto, ignorando si motus in detestationem peccati sit satis intensus, vel non. Sexto, ignorando si ponatur obex Absolutioni per propositum non abstinendi a peccato. His præmissis, dicendum est ad Quæstionem, quod Confessio non est propter aliquam istarum sex fictionum, quartam fictionem, quæ insufficienter discutit, respicientium, iteranda. Hujus ratio est ista: Quia ipsa Confessio obtinet, & habebit efficaciam, vel in Absolutione Sacramentali virtute clavium Ecclesiæ, vel postmodum cessante fictione hujusmodi; sicut fit etiam quandoque in Baptismo. Et ita concordat satis S. Thomas cum ceteris Doctoribus.

REGULA XIX.

Qui peccatum aliquod mortale in Confessione prætermisit ex Divini Juris ignorantia, Confessionem iterare tenetur: si vero ex ignorantia facti, sufficit, ut illud confiteatur, nec ceterorum Confessionem repetere necesse est.

HAnc Regulam tradit S. *Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXI. Qu. II. Art. I. ad quartum: *Ignorantia Juris* (inquit) „ non excusat, quia „ ipsa peccatum est; sed ignorantia facti excusat. Unde aliquis de hoc, „ quod non confitetur peccata, quæ nescit esse peccata propter ignoran„ tiam juris divini, non excusatur a fictione; excusaretur autem, si ne„ sciret ea esse peccata propter ignorantiam particularis circumstantiæ: ut „ si cognovit alienam, quam credidit esse suam: sed oblivio de actu pec„ cati habet ignorantiam facti: & ideo excusat a peccato fictionis in Con„ fessione, quod fructum Absolutionis, & Confessionis impedit.

Quando iteranda Confessio?

REGULA XX.

Quamvis peccata venialia sine virtuali saltem Contritione non deleantur, qui tamen sine Contritione illa confitetur, & ab illis absolvitur, non semper contrahit mortale peccatum, neque Confessionem iterare tenetur.

An Confessio venialium sine contritione facta necessario iteranda sit?

PRimam hujus Propositionis partem asserit *S. Thomas*, III. P. Quæst. LXXXVII. Art. I. ubi docet, Pœnitentiam ad remissionem venialis peccati, non minus quam mortalis esse necessariam, quia *Sicut peccatum mortale remitti non potest quandiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale*; sed perfectiori Pœnitentia opus esse ad mortalium remissionem, scilicet actuali detestatione omnium, & singulorum: ad venialium vero remissionem virtuali tantum displicentia, qua vir justus affectu tam fervido fertur in Deum, & res divinas, ut quicquid ipsi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se id commisisse, quamvis actu de illo non cogitaret.

Et in IV. *Sententiarum*, Dist. XXI. Quæst. I. Art. I. ad primum: *Confessio generalis* (inquit) „ quandoque est Sacramentalis, & quandoque non: Sacramentalis quidem est, quando aliquis in secreto Sacerdoti confitetur „ quædam, quæ meminit, & alia venialia in generali: & tunc illa generalis Confessio ex quatuor habet, quod valeat ad remissionem venialium quantum ad culpam; & etiam pœnam, vel in parte, vel in toto; scilicet ex contritione confitentis, ex humilitate Confessionis, ex „ oratione Sacerdotis, ex vi clavium. Quando autem fit publice coram „ multis, & cum multis in Ecclesia, non est Sacramentalis: unde tunc habet efficaciam ex tribus primis, & non ex quarto. *Ad tertium vero respondet*, quod Contritio generalis sufficit ad peccatorum venialium dimissionem quoad culpam; sed illud quod habitu retinetur in affectu, excluditur ab illa generalitate; unde illud non deletur per talem Contritionem, neque etiam per generalem Confessionem. Denique Sacramentum Pœnitentiæ tribus constat partibus, scilicet Contritione, Confessione, Satisfactione, quæ sunt *Quasi materia hujus Sacramenti*: cum igitur venialia peccata Sacramento Pœnitentiæ, & Ecclesiæ clavibus per Sacramentalem Confessionem subjiciuntur, quod certe saluberrimum est, Pœnitens de illis contritus esse debet saltem imperfecta Contritione, quæ peccandi voluntatem excludat: alioqui Pœnitentiæ Sacramentum in eo, qui venialia dumtaxat confitebitur, nullum erit, & carebit effectu.

Pars altera Propositionis inde probatur, quod adhæsio ad veniale peccatum, quod vir justus confitetur, adeoque Contritionis in illa Confessione defectus, non sit peccatum lethale: siquidem regnans Dei amor non expellitur ex anima nisi majore creaturarum amore, & nisi res condita Creatori præferatur. In ipso itaque Sacramenti Pœnitentiæ usu, sicut extra usum Sacramenti, charitas cum aliquo creaturarum amore consistere potest. Peccatum igitur lethale non contrahit homo justus, qui venialia peccata confitetur, a quorum amore necdum expeditus est, nec de illis vere contritus; præsertim si illud Sacramentum adeat non animo profanandi; sed sese in actibus Religionis exercendi, & spe Sacramentalem Absolutionem obtinendi. Neque enim Sacramentum profanari, & violari quis jure dixerit, cum traditur non profano, qui temporalia æternis anteponit, sed justo, & religioso, qui Deum omnibus præfert. Non prodest quidem Sacramentum ei, qui sola venialia confitetur absque illorum detestatione, sed lethalem noxam animæ propterea non affert. Possunt enim pharmaca

sic

sic sumi, ut nec prosint, nec obsint, vel certe non lethaliter obsint. Pari ratione Sacramenta non semper animæ mortem inferunt, quando accepta non prosunt. Nam inter prodesse, & lethaliter obesse, medium intercedit, nec prodesse nec obesse, vel etiam parum prodesse. Et quamvis Sacramenta sint res sacrosanctæ, non omnis tamen irreverentia, quæ in illa committitur, lethale sacrilegium est. Quamobrem nec est iteranda necessario Confessio venialium absque Contritione facta, nec hujusmodi fictio Confessioni Sacramentali necessario subjicienda est, cum aliis remediis expiari possit, sicut & venialium peccatorum reliquum omne genus. Periculi tamen plena res est venialia sine Contritione frequenter confiteri, & si quando perspectum sit Conscientiarum Moderatoribus Pœnitentes, qui sola venialia, illaque eadem sæpe confitentur, de illis non dolere, nec propositum ipsis esse ab illis cavere, quantum humana fragilitas patitur, sed in illis præsertim, quæ plena voluntate, non ex subreptione, vel infirmitate perpetrantur, amore adhuc hærere: omnem dare operam debent, ut illos ad Contritionem excitent, & ab amore nimio sui ipsius, vel terrenarum rerum ceterarum abstrahant, quibus vel ut glutino quodam, & visco detinetur anima, ne ad Sponsi cœlestis amplexus currat; illisque Communionem Eucharistiæ, imo & Absolutionem differre debent, nisi peccata quantumvis minuta detestentur, emendationisque propositum habeant. Non sunt tamen scrupulis conturbandæ piorum animæ, qui quotidianæ incursionis peccata frequenter confitentur, & in eadem, (quæ humana fragilitas est) semper impingunt, constet modo ipsis displicere noxas illas etsi leviores, illarumque remedia in Sacramento quærere, aliave adhibere, & Christianæ perfectionis desiderio in id incumbere, ut concupiscentiam expugnent, aut minuant. Sed cum illis severius agendum, qui sine timore ruunt in peccata, quæ non existimantur esse mortalia, illaque voluntate plene deliberata committunt, quia suppliciis æternis illa non puniri persuasum habent. Qui enim ita sunt affecti, non videntur amare virtutem, sed timere dumtaxat supplicia; nec Deum colere, ut Patrem, quem offendere nolint, sed solum vereri, ut Judicem a quo timent damnari. Probus enim filius non solum solicite cavet, ne illa committat, propter quæ scit se a patre exhæredandum; sed etiam omne studium adhibet, ne illa perpetret, quibus patrem suum novit offensum iri, tametsi non adeo, ut filium propterea ab hæreditate excludat.

REGULA XXI.

Virginibus, & Devotis Fœminis summopere cavendum est, ne ex frequentibus venialium peccatorum Confessionibus, & occasione Confessionum, collocutionibus cum Confessariis, & Moderatoribus Conscientiarum, nimia ad ipsos Confessarios, & Directores adhæsio, & impuri, vel inquieti affectus nascantur.

HAnc Regulam tradit insignis Vitæ Spiritualis Magister *Joannes Avila*, cap. VIII. super Versum Psal. XLIV. *Audi, filia*, his verbis ex Hispano fideliter redditis: *Fuge viris familiaris esse. Nunquam sola sis cum ullo illorum, nisi cum Confessario tuo; neque diutius apud illum commoreris, quam postulat Confessio. Et hæc nullis superfluis verbis protrahenda est, ne multiloquio & ipsa pecces, & peccandi occasionem Confessario præbeas. Hoc tanto studiosius curandum est, quo Confessio ordinata est, ut tollat, non ut ingerat peccata. Nihil enim magis perversum, quam eo uti ad augendos animarum morbos, quo illos curari* Cautio Devotis fœminis necessaria.

ri oportet. Sponsæ Christi, præsertim juveni, magna diligentia, & prudentia in eligendo Confessario opus est. Necesse ut is sit vitæ irreprehensibilis, & famæ illibatæ, atque ætatis maturæ. Hic ubi fuerit repertus, atque electus, tum observandæ animi affectiones; ne circa hunc fere ea ratione occupentur, qua animus matrumfamilias circa maritum, prolesque suas cogitando, amando, & satagendo occupatur. Locus, quem in corde uxoris maritus occupat, in corde Virginis non Confessario, sed Christo, qui unus Virginum Sponsus est, totus dandus est. Non cogitandum de Confessario, nisi ut, quod ipse docet, Virgo opere exerceat: dum Dei, qui solus spes, & consolatio nostra est, voluntas sinit, ut Confessarii præsentia Virgo destituatur, id æquo animo ferendum est. Si autem, qualem descripsimus, Confessarium Virgo, aut Femina Deo Devota reperire non potest, satius ei fuerit, ut sacrorum Librorum lectione, & meditatione contenta, nonnisi ter, aut quater in anno peccata confiteatur, sumatque Sacramentum Corporis Domini; quam ut frequenti Confessione de incontinentia, aut inordinatis affectibus suspecta fiat. Et licet inquietorum affectuum sibi conscia Virgo non foret, tamen ne aliis scandalo sit, etiam ab illis congressibus, & sermocinationibus cavere debet, quæ aliis male suspicandi materiam sufficere nata sunt.

Moram diuturniorem in frequentibus Devotarum Feminarum Confessionibus audiendis, & prolixiora cum ipsis sive in Confessione, sive extra sacrum Tribunal colloquia Directionis specie, tam ipsis mulierculis, quam Confessariis admodum periculosa censuerunt Venerabilis *Umbertus* Ordinis FF. Prædicatorum Generalis Magister, Libro de Officiis ejusdem Ordinis, & *S. Antoninus*, III. P. Tit. XVII. cap. XIX. *Audiendo mulieres* (inquiunt) *caveat, ne nisi in publico audiat, & nisi ab aliquo, vel aliquibus videatur, nec multum immoretur, nisi quantum necessitas Confessionis requirit. Et eis, quæ nimis frequenter confiteri volunt, assignet certum tempus, extra quod ipsas non audiat, nec aliis colloquiis se eis exponat. Et semper verbis duris, & rigidis circa illas utatur potius quam mollibus.* Hæc ex *B. Umberto* laudat *S. Antoninus*, subditque: *Et hoc est contra illos, qui quotidie audiunt mulierculas, & faciunt eis longas Prædicationes. Unde amittunt multum temporis, & scandalum communiter sequitur in ipsis, & in Populis.*

S. Hieron. in cap. 2. Epist. ad Titum.

Specie charitatis moram diuturniorem, aut frequentationem nimiam devotarum feminarum frustra excusarent imprudentes conscientiarum moderatores. Timendum enim, ne *sani* non sint *in charitate*. Timendum frigus charitatis, vento flante ab Aquilone, unde omne malum. *De hoc frigore charitatis, & Amon in sorore sua Thamar obriguerat. Timendum ergo, ne forte & nos hac infirmitate charitatis aliquando superemur. Nonnunquam enim evenit, ut primum a nobis in virginem sive in quamlibet fœminam sit sancta dilectio, & cum mollita mens fuerit in affectus, paulatim sanitas charitatis languore pallescat, & infirmari incipiat, & ad extremam mortem diligentem ferat. Unde Apostolus caute, & prudenter Timotheo præcipit, ut exhortetur adolescentulas in omni castitate. Omnis autem castitas in carne, & spiritu, & anima est: ne scandalizetur oculus: ne in pulchritudine vultus feminæ hærentes pendeamus: ne blanda nos audire verba delectet, ne ad simulatos sermones mens prius dura marcescat. Caveant ergo tam juvenes quam senes, tam adolescentulæ quam vetulæ, & omni diligentia custodiant cor suum: ne sanitatem dilectionis morbus charitatis introeat, & per amorem sanctum fiat non sancta dilectio, quæ illos pertrahat in gehennam* (inquit S. Hieronymus.)

RE-

REGULA XXII.

Confessiones, præsertim mulierum, in Ecclesia, in loco patenti, non in angulis, abditisve locis, aut Capellis minus late patentibus excipi debent.

SIc enim in plerisque Conciliis statutum est. Sic Odo Parisiensis Episcopus in Synodo anni MCXCVI. „ Ad audiendum Confessiones communiorem locum in Ecclesia sibi eligant Sacerdotes, ut communiter ab omnibus „ videri possint: & in locis abditis, aut extra Ecclesiam nullus recipiat Con„ fessiones, nisi in magna necessitate, vel infirmitate. Locus, ubi Confessiones excipiendæ.

Ita *Richardus* Episcopus Sarum in Constitutionibus anno 1217. editis, cap. XXV. „ Confessiones mulierum audiantur extra velum, & in propatulo quan„ tum ad visum, non quantum ad auditum.

Concilium Narbonense anni 1226. cap VII. „ Illi qui Confessiones audi„ verint, in loco patenti audiant, non occulto.

Synodus Coloniensis sub *Sifrido* Archiepiscopo, anno 1280. cap. VIII. *Ad Confessionem* (inquit) „ audiendam communem, & aptum locum in Eccle„ sia, ut ab omnibus videri possint, sibi eligant Sacerdotes. In locis au„ tem obscuris, & tenebrosis Confessiones non audiant: nec extra Eccle„ siam, nisi in magna necessitate, vel infirmitate. Contrarium facientes „ Sententiam Excommunicationis se noverint incursuros.

„ Item præcipimus, ut Sacerdotes ante solis ortum, & post solis occa„ sum, nullatenus ad Confessionem audiendam sedeant, nisi in magna ne„ cessitate, & in loco illuminato, & aliquibus præsentibus.

„ Item Sacerdos mulierem, quæ sola sit in Ecclesia, nullatenus audiat „ confitentem, sed in conspectu honestæ societatis. Contrarium facientes „ ipso facto Sententiam Excommunicationis se noverint incursuros, & in„ super tribus diebus in pane, & aqua jejunent.

Synodus Nemausensis anni 1284. Tit. De Pœnitentia: „ Districte vero „ præcipimus; quod illi, qui Confessiones audierint, in loco patenti au„ diant confitentes, non in occulto; & præcipue si fuerint mulieres.

Synodus Exoniensis anni 1287. Tit. v. De Pœnitentia: „ Mulieres in aper„ to, & extra velum confiteantur: non ut audiri valeant, sed videri.

Synodus Bajocensis anno 1300. cap. LXXXI. „ Ad audiendam Confessio„ nem eminentem locum sibi eligant Sacerdotes ut communiter possint videri: „ & in locis abditis extra Ecclesiam nullus recipiat Confessiones, nisi ne„ cessitate.

Concilium Lambethense anno 1330. cap. II. „ Sacerdos ad audiendum „ Confessiones communem eligat sibi locum, ubi communiter ab omnibus „ videri poterit in Ecclesia: & in locis absconditis non recipiat Sacerdos „ alicujus, & maxime mulieris Confessionem, nisi pro maxima necessita„ te, aut infirmitate Pœnitentis.

S. Carolus Borromæus in Instructionibus de Fabrica Ecclesiæ, Lib. I. „ A „ latere Ecclesiæ, extra Capellæ Majoris ambitum, loco aperto, patenti„ que Confessionalia constituantur: partim a Meridionali regione, partim „ a Septentrionali. In aliis etiam Ecclesiæ locis, pro ratione amplitudi„ nis, & situs Ecclesiæ, Episcopi concessu aliquando collocare licebit, ut in „ Capellis quibusdam ample patentibus, aut in earum aditu, vel limine: „ ita ut Confessarius intra clathris septa, Pœnitens vero extra sit: quo „ fiat ut clathris Capellæ arceantur, qui inordinate concurrentes ad sa„ cram Confessionem, nimisque prope alium, qui tunc peccata sua con„ fitetur, vel ipsum Pœnitentem, vel Confessarium facile interturbant.

Concilium Burdigalense anni 1624. cap. v. Num. 6. „ Sed etiam edicimus, „ ut quarumcumque Ecclesiarum locis patentibus, non in Capellis, aut angulis Confessionalia collocentur: numquam vero in Sacristiis Laicorum „ Confessiones audiantur. Provideat etiam Episcopus, Ecclesiarum habita „ ratione, ne audiendarum Confessionum tempora in noctem protrahant „ Confessarii, neve ante Auroram præveniant.

REGULA XXIII.

Conscios, sive complices criminum in Confessione declarare tenetur Pœnitens, tacito eorum nomine, cum id ad Confessionis integritatem necessarium est, scilicet cum peccatum ratione complicis speciem mutat, vel gravius evadit. Alias complicem Confessario revelare non licet, nisi forte servato fraternæ correctionis ordine, ut Sacerdos illum ad peccati Confessionem, & Pœnitentiam hortetur; vel a malo ipsi Pœnitenti, aut alteri cuipiam inferendo pro viribus deterreat, & prohibeat, arcani religione, prudentiæque legibus servatis; vel ut consilium necessarium quærat a Conscientiæ Moderatore.

HUjus Regulæ prima pars nititur Canone XLIII. Concilii Triburiensis. *Si quis* (inquit) *cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente filius ejus, vel frater ejusdem, & rei inscius, cum eadem se polluerit: & postquam se pollutum esse cognovit confessus fuerit, quia hoc pœnituit, & confessus fuit, post peractam congruam Pœnitentiam, legitimo utatur Matrimonio.*

Quando conscii sive complices peccatorum in Confessione declarandi?

Item Concilii Vvormatiensis Canone LXII. *Si quis*, (inquit) „ cum matre, & filia in adulterio mansit, nesciente matre, quod cum filia mansisset, similiter, & filia nescia, & postea ille vir si acceperit mulierem, „ dimittat eam, & usque in diem mortis suæ non habeat uxorem: & illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum. Et illa mater, & filia, cum „ quibus in adulterio mansit, ambabus nescientibus, quod cum matre, & „ filia mansisset, habeant viros. Nam in notitiam earum si venerit hoc „ scelus, dimittant maritos, & agant Pœnitentiam. Idem ibi decernitur de noverca, & filiastra, & duabus sororibus. Idem prope referunt *Burchardus*, Lib. XVII. cap. XII. & *Ivo Carnotensis*, P. IX. cap. LXXII. ex Canone IV. Concilii apud *Vermerias*, & *Gratianus*, Causa XXXV. Quæst. I. cap. IX. ex Concilio Triburiensi. Similia pleraque leguntur in Pœnitentiali Romano, Tit. III. cap. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIV. Neque vero de publicis tantum peccatis, sed etiam de occultis loquuntur illi Canones. Vix enim hujusmodi crimina publicantur, siquidem intra domesticos parietes perpetrantur, & sceleris occultandi, & perpetrandi facilitatem maximam præbet consanguinitatis, & affinitatis propinquitas. Deinde Canones non explicant an sæpius, aut cum scandalo hæc crimina commiserint illi, quibus Pœnitentia constituitur, an semel. At sane crimina illa omnia ex una, aut altera perpetratione aspergi suspicione vix possunt, nedum divulgari. Denique occultissima esse crimina ipsi Canones apertissime testantur, cum hypothesim statuant, duorum affinium, vel consanguineorum circa eamdem personam etiam ipsi affinem, vel consanguineam crimen perpetrantium, neutrum crimen alterius cognoscere. Confessarius porro Pœnitentiam in sacro Tribunali injungens, nosse non poterat gravitatem incestus, nisi Pœnitentium alicujus criminis conscios Confessarios declarasset. Eadem autem ratio nunc obligat Pœnitentes ad revelationem consciorum, sive complicum in Confessione Sacramentali: sæpe enim contingit, ut peccati species Sacerdoti aperiri non possit, vel gravitas innotescere, nisi criminum conscii declarentur. Cum igitur Con-

Quando peccatorum conscii declarandi.

fessio

ſeſſio jure divino integra eſse debeat, eodem quoque jure conſcios criminis Confeſſario declarare neceſſe eſt, quoties id poſtulat Confeſſionis integritas.

Neque vero famæ proximi detrahere cenſendus eſt, qui conſcium revelat Confeſſario, integræ Confeſſionis faciendæ neceſſitate compulſus; ſicut nec maledicus cenſetur reus, qui a ſæculari judice legitime interrogatus, criminis conſcios declarat; nec maledicentiæ rei ſunt, qui alterius crimen occultum Principi, Epiſcopo, patri, amico denuntiant, ut grave, imminenſque malum avertant ab Eccleſia, a Principe, a Republica, a familia, a Principis, ab amici, vel proximi capite, fama, fortunis; quod obviis exemplis explicari poteſt. Non enim maligno animo, non ex odio, aut invidia in proximum hæc fiunt, ſed ex officio juſtitiæ, charitatis, vel amicitiæ; & ſi quod malum inde redundet in reos, id per ſe non intenditur a denuntiatoribus, quibus publicum dumtaxat bonum, vel ſalus Principis, aut amici, vel proximi utilitas ſtudio eſt: & ſi quod reis malum eveniat, id ſibi tribuere debent, qui criminis perpetratione ſe in illud periculum conjecerunt. Quanto minus cenſendi ſunt detractores, & maledici, qui divina lege de Confeſſionis integritate compulſi conſcios criminis, ut ei pareant, in Confeſſione ſacramentali declarant Sacerdoti, vice Dei ſacrum Judicium exercenti, jus habenti Pœnitentem de omnibus, quæ ad ipſius peccatum pertinent, interrogandi, arcani religione obſtricto, prudenti; non ut noceat, ſed ut proſit ipſi Pœnitenti, imo & conſcio, ſi opportunitas detur, ut ipſos cum Deo reconciliet, ut ſalutem illis æternam procuret?

Pars utraque poſitæ Regulæ aſſeritur a *S. Thoma*, Opuſculo XII. ad *F. Gerardum*, Lectorem Biſuntinum, O. P. Quæſtione VI. *De expreſſione autem perſonæ, cum qua aliquis peccavit, videtur mihi, quod non ſit in Confeſſione facienda, quando poteſt vitari. Primo quidem, quia prodere crimen alterius, & lædere famam, eſt peccatum, quod maxime vitandum eſt in Confeſſione, per quam quis quærit præterita peccata delere. Secundo, quia a Domino, (Matth. XVIII.) eſt forma denuntiandi peccatum proximi deſcripta, contra quam agere non licet. Tertio, quia in Confeſſione eſt credendum peccatori confitenti, & pro ſe, & contra ſe, ſed contra alium nullo modo eſt ei credendum: alioquin daretur multis occaſio fictæ Confeſſionis, & fraudulentæ infamationis. Et ideo, ſi poteſt ſpeciem peccati confiteri non innoteſcendo perſonam cum qua peccavit, peccat eam exprimendo, niſi forte ſalvato correctionis ordine, quem Dominus ſtatuit. Si vero ſpeciem peccati exprimere non poſſit; niſi exprimendo perſonam cum qua peccavit, puta ſi cum ſorore concubuit, neceſſe eſt, ut exprimendo peccati ſpeciem, exprimat perſonam. Sed, ſi fieri poteſt, debere quærere talem Confeſſorem, qui perſonam ſororis pœnitus non cognoſcat.*

Idem docet *S. Raymundus*, Lib. III. §. 24. *Confeſſio* (inquit) *debet eſſe propria, ut ſe ipſum tantum accuſet; & non alium: alias ſi crimen alterius diceret, non eſſet erroris illius corrector, ſed proditor; vel detractor. Fallit hoc, ubi circumſtantia facti talis eſt, quod alias non poſſet confiteri peccatum; ut ſi cognovit matrem, vel filiam, vel ſimile: & tunc non eſt dicendus proditor, quia non dicit, ut alium prodat, vel gravet, ſed ut ſe liberet, quod alias facere non poſſet.* Sed nec proditor, aut detractor dicendus eſt, qui conſcium in Confeſſione ſacramentali declarat; ut ipſum a peccato liberet, ut nimirum Sacerdos ex ipſius Pœnitentis licentia conſcium criminis, cujus Confeſſionem mox excepturus eſt, ad peccati Confeſſionem, & Pœnitentiam adhortetur; vel ut ipſum adeat, & ſecreto moneat, arguat, obſecret, increpet, & ad meliorem frugem revocare conetur; ſi forte ſpes alicujus fructus ſpiritalis affulget.

Quando peccatorum conſcii declarandi in Confeſſione?

Idem confirmat *Sanctus Bonaventura* in IV. *Sententiarum*, Diſtinct. XXI. Quæſt. III. P. II. Art. I. *Aliena peccata* (inquit) „ aut ſunt impertinentia ad

„ peccati nostri accusationem, sed ex quadam associatione refert ea, & ad „ quamdam excusationem, ille, qui confitetur, quia solatium est miseris socios „ habere pœnarum: & sic dicendum quod male facit, qui sic confitetur, sicut „ multi simplices aliquando accusant omnes vicinos suos, ut ipsi minus confun- „ dantur, ut si dicant; Sumus latrones, usurarii, perjuri, & consimilia: & „ tales a Confessoribus corripiendi sunt, qui rectam formam Confessionis non „ servant. Aut peccata aliena sunt nostris conjuncta, & admixta, ita quod si- „ ne illis non potest bene culpa propria explicari: & tunc licitum est confiteri „ eatenus, quatenus non potest sine alieno peccato culpa propria explicari. „ Unde sufficit aliquando in generali; ut si mulier cognita est ab Episcopo (quod „ absit) sufficit dicere quod aliquis magnus Prælatus eam cognovit. Si a per- „ sona Religiosa, sufficit quod in generalitate sua stet, quia satis apparet ge- „ nus culpæ. Si vero descendat ad personam singularem, increpanda est perso- „ na confitens. Similiter nec debet Confessor curiose inquirere de persona. Sed „ si suspicatur, quod sit persona, cui possit prodesse, & competens, & utile „ sit illam scire, potest extra forum Confessionis illam inquirere. Nam talia „ frequenter sunt occasio frangendi sigillum Confessionis, ubi est maximum „ periculum. Si vero peccatum non potest explicari sine explicatione personæ „ determinatæ, utpote si mulier inordinate a viro cognita est, tunc si dicat de „ marito, non peccat, pro eo quod non potest aliter confiteri propriam cul- „ pam: & tunc non debet attendi accusatio aliena, sed accusatio propria: & „ sic generaliter verum est, quod peccata aliena non sunt dicenda in Confessio- „ ne, nisi eatenus quatenus sunt propria, nec Confessores debent inquirere. „ Unde illi Confessores, qui rumusculos in Confessionibus inquirunt, & au- „ diunt de aliis malum, & sustinent, vix, aut numquam a peccato detractio- „ nis excusari possunt, & nesciunt mederi animabus, dum patiuntur eos, qui „ veniunt ad medicinam, alios accusando sibi infligere vulnus grave.

Sanctus etiam *Antoninus* III. P. Tit. XIV. cap. XIX. §. II. censet, Non peccare Pœnitentem, sed mereri, si personam complicis revelet Confessario. *Cum bona intentione, non ut prodat, vel se excuset, sed ut Pœnitentiarius oret pro ea, vel cum secreta admonitione corrigat.*

REGULA XXIV.

Si ex complicis revelatione in Confessione sacramentali facta, grave damnum animæ, vel corporis, vel famæ probabiliter immineat sive Pœnitenti, sive Confessario, sive ipsi complici, aut aliis, Pœnitens facultatem petere debet alteri confitendi: quam si obtinere nequeat, reliqua peccata confiteri debet, circumstantiam vero si reticeat, ex qua persona complicis innotescere posset, cum proposito illam confitendi opportunitate data, nulla propterea Confessio censeri non debet.

Quando confcii criminum in Confessione declarandi?

HÆc Regula nititur auctoritate *S. Thomæ* in IV. *Sententiarum*, Dist. XVII. Quæst. III. Quæstiuncula IV. ad quintum. *In casibus illis* (inquit) *in quibus probabiliter timet Pœnitens periculum sibi, vel Sacerdoti ex Confessione ei facta, debet recurrere ad Superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi. Quod si licentiam habere non possit, idem est judicium quod de illo, qui non habet copiam Sacerdotis .... Nec in hoc transgreditur præceptum Ecclesiæ; quia præcepta juris positivi non se extendunt ultra intentionem præcipientis, quæ est finis præcepti: Hæc autem est charitas, secundum Apostolum. Nec iterum fit aliqua injuria Sacerdoti, quia* Privilegium *meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.*

REGULA XXV.

Quamvis absolute liceat Confessario conscium, cum Pœnitentis licentia, Superiori tanquam patri, non tanquam judici denuntiare, ut occulte, & prudenter occasionem peccandi complici auferat: ea tamen licentia nec a Pœnitente postulanda est, nec illa uti hodiernæ Disciplinæ convenit.

Denuntiatio complicis a Confessario, etiam cum licentia pœnitentis periculosa.

PRimam Propositionis partem probat communis pene Theologorum consensus, qui post *S. Thomam* docent, Confessarium, de licentia Pœnitentis, peccatum illius, quod sub sigillo Confessionis habet, alteri revelare posse, modo absit scandali periculum. Quidni ergo & peccatum Complicis, cum ejusdem Pœnitentis licentia, Superiori tamquam Patri, non tamquam Judici, revelare posset, remoto scandali periculo, si nimirum Superior vir sit singulari prudentia, & charitate præditus? Sic olim mulieres maritos suos adulteros Episcopo denuntiabant, qui prodesse posset, non obesse. Ille vero secreto corripiebat hominem, & ad Pęnitentiam adducere conabatur, sauciamque conscientiam curare, arcani religione servata. Sit Superior ea prudentia, & charitate præditus, qua *S. Augustinus*; spes affulgeat spiritualis utilitatis maxima, complicis nimium conversionem a Superiore procurandam; vel certe cohibendum a malo, & subtrahendas illi peccandi, & alias corrumpendi occasiones; quidni Pœnitens dare poterit licentiam Confessario, ut spe tanti boni complicem ad Superiorem ceu Patrem spiritualem deferat, sicut Pęnitens ipse deferre posset, sive in Confessione, sive extra Confessionem? *S. Augustini* verba subjicio, Serm. LXXXII. alias XVI. *De Verbis Domini*, cap. VIII. *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus, nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus illud negligimus: ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto, sauciamque gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum: quod aliquando qui committunt, nescio qua perversitate contemnunt.*

Partem Propositionis alteram probat frequens scandali periculum, quod ex denuntiatione complicis a Confessario facta Superiori, nempe Episcopo, aut Prælato Regulari, cum licentia Pęnitentis, immineret, & quod inde redderetur odiosa Confessio, palamque vulgaretur nullam sacri sigilli rationem haberi. Quapropter a Synodis plerisque prudenter, & juste vetitum est, ne Confessarii consciorum nomina, cognomina, vel loca mansionum a Pœnitentibus quærant.

Odo Parisiensis Episcopus in Synodo: *In Confessione* (inquit) *caveant sibi Confessores, ne inquirant nomina personarum, cum quibus peccaverunt confitentes, sed circumstantias tantum, & qualitates, & si confitens indicaverit, arguat eum Confessor, & secretum illud teneat, sicut confitentis peccatum.*

Synodus Bajocensis anno 1300. cap. LXXXII. *In Confessione sibi caveant Sacerdotes, ne inquirant nomina personarum, sed circumstantias tantum, quæ possunt aggravare peccatum.*

Synodus Lingonensis anno 1404. *Caveant Sacerdotes, ne in Confessione inquirant ab his, quorum audiunt Confessiones, ut nominent eis expresse personas, cum quibus ipsi confitentes peccaverint, nisi esset tale peccatum, quod oporteat exprimi aliquid de persona: puta, Peccavi cum filia mea naturali, vel spirituali, vel nepte: & hoc casu non debet dici nomen proprium, aut cognomen personæ.*

Hoc est unum præcipuum (inquit eadem Synodus) *quod in principio Confessionis Sacerdos exprefse prohibeat confitenti, ne ipse prodat in sua Confessione,*

ne, aut nominet peccata per alias personas commissa, neque ipsas personas nominare præsumat; quia eo ipso, quod confitentes produnt peccata aliena, quæ celare deberent, in hoc peccant.

Synodus Senonensis anno MDXXIV. *In audiendis Confessionibus caveant Sacerdotes, ne inquirant loca mansionum, & nomina personarum, cum quibus peccaverunt confitentes: sed de circumstantiis aggravantibus diligenter examinent, ut gravitatem, & quantitatem peccati melius discernere, & judicare, ac pro enormitate peccatorum congruam Pœnitentiam injungere possint.*

Synodus Carnotensis anno MDXXVI. *Pœnitentes audiant Parochiales Presbyteri pacifice ad longum, & caute interrogent de circumstantiis peccatorum: non tamen petant personas nominari, cum quibus peccatum est commissum.*

Synodus Parisiensis anno MDLVII. *Si forte de peccatis, quæ vocantur carnalia, Pœnitens confiteatur, ne sit nimis curiosus Confessarius, nec nisi generaliter de his inquirat; nec eorum, cum quibus peccatum patratum est, nomina, aut cognomina perscrutetur, sed generatim tantummodo petat, an sit adulterium, an sit sacrilegium, an simplex stuprum, idve cum Clerico, Sacerdote, vel Religioso, quæ circumstantiæ flagitii magnitudinem multo plus augent, ideo dicendæ sunt: nominatim tamen nulla exprimatur persona.*

Synodalia Statuta Ecclesiæ Trecensis: *Caveant Sacerdotes, ne a confitente quærant nomina personarum, cum quibus peccaverit: sed circumstantias, quæ quandoque tantum aggravationem peccati faciunt, quod sine hoc de peccati quantitate non potest bene judicari.*

Statuta Synodalia Siffridi Coloniensis Archiepiscopi: *Sub pœna Excommunicationis omnibus Sacerdotibus inhibemus, ne a confitentibus nomina eorum, cum quibus peccaverint, vel circumstantias, per quas possint nomina eorum sciri, inquirant: quod si fecerint, ab officio Confessionis audiendæ, & sacrorum Ministeriorum, ipso facto se noverint esse suspensos. Et in principio Confessionis Sacerdotes districte inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur, vel revelent, aut nomina eorum, cum quibus peccaverint, exprimant.*

REGULA XXVI.

Confessarius, qui ex Pœnitentis Confessione crimen Complicis cognovit, quod ille in Sacro Tribunali interrogatus renuit confiteri, hujusmodi Complici sacramentalem Absolutionem negare, eumque velut imparatum remittere potest, ac debet, inviolato Confessionis, ex qua peccatum illius notum habet, sigillo.

Quomodo se gerere debet Confessarius erga Complicem ad ipsum pro Confessione accedentem, & peccatum, quod ille novit ex alterius Confessione, confiteri renuentem.

HÆc Regula colligitur ex Concilio Vasensi I. can. VIII. cujus hæc sunt verba: *Quod si tantum Episcopus alieni sceleris se conscium novit, quandiu probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret.* Et ex Canone VII. Concilii Carthaginensis V. cujus hæc sunt verba: „ Placuit, ut si quando Episcopus „ dicit aliquem sibi soli proprium crimen esse confessum, atque ille neget, & pœnitere noluerit, non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non creditur; & si scrupulo propriæ conscientiæ „ se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam quod „ aliis documentis convincere non potest: Refertur a *Gratiano*, causa VI. quæst. II. can. *Placuit*. Eumdem Canonem refert *Burchardus*, Lib. XIX. cap. CXXVII. additque post hæc verba, *Neganti nolle communicare*, hanc pericopen, *Secrete tamen interdicat Communionem, donec obtemperet.*

Deni-

Denique *S. Augustinus*: Serm. LXXXII. alias XVI. *De Verbis Domini*, cap. VIII. explicans quomodo se gerere debeat Episcopus, qui secretum alicujus crimen, vel per se ipsum, vel forte ex alterius Pœnitentis arcana Confessione novit: *Sic agamus* (inquit) „ & sic agendum est, non solum „ quando in nos peccatur, sed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero „ nesciatur. In secreto debemus corripere, in secreto arguere ∴ Novit ne„ scio quem hominem Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo „ illum publice corripere: at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec „ negligo. Corripio in secreto: pono ante oculos Dei Judicium, terreo „ cruentam conscientiam, persuadeo Pœnitentiam, &c. Ex his autem omnibus colligitur, Sacerdotem, qui ex Pœnitentis Confessione crimen complicis cognovit, quod ille in Sacro Pęnitentiæ Tribunali interrogatus, confiteri renuit, non posse quidem hujusmodi complici palam Eucharistiæ Communionem sacram negare, sicut nec alteri cuilibet peccatori cujus crimen sit occultum: sed tamen posse, ac debere illum secreto corripere, & ad compunctionem, ac Pœnitentiam promovere; atque etiam illi Communione secreto interdicere, ut *Burchardus* Canonici Juris consultissimus Antistes interpretatur. Correptiones autem illæ molliores essent, palparique videretur homo in peccato pertinax, nisi negaretur illi Absolutio, remittereturque velut imparatus, ut conscientiam suam diligentius discutiat, ut serio meditetur quam gravia crimina sint sacrilega Confessio, & Communio; ut cogitet Deum falli non posse: peccata, quæ nunc abscondere peccator stultæ verecundiæ motu conatur, in die Judicii coram hominibus universis, Angelisque revelanda, &c. Sane si *Potest Sacerdos*, *qui est conscius criminis*, *occulto monere peccatorem occultum*, *vel etiam in publico generaliter omnes*, *ne ad Mensam Domini accedant*, *antequam de peccatis pœniteant*, *& Ecclesiæ reconcilientur*, (ut docet *S. Thomas*, III. p. q. LXXX. art. VI.) Potest etiam & illi, cujus crimen aut per se ipsum novit, aut ex Confessione complicis, Absolutionem negare.

ARTICULUS VIII.

De Ministro Confessionis, & Pœnitentiæ.

PROPOSITIO I.

Solus Sacerdos Minister est Confessionis, & Pœnitentiæ.

ILlustre hujus Ministerii testimonium præbent illa Christi Domini verba Joan. XX. *Accipite Spiritum Sanctum*: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Neque enim omnibus, sed Apostolis tantum hæc dicta fuisse constat, quibus in hac functione Sacerdotes succedunt. Idque etiam maxime consentaneum est. Nam cum omne gratiæ genus, quæ hoc Sacramento tribuitur, a Christo capite ad membra „ derivetur: merito debent Corpori Christi mystico, id est, Fidelibus illud „ administrare, qui soli verum ejusdem Corpus conficiendi potestatem ha„ bent: cum præsertim Fideles hoc ipso Pœnitentiæ Sacramento ad Sacram „ Eucharistiam sumendam apti, idoneique reddantur. Hanc rationem con„ venientiæ ex *S. Thoma* sumpsit Conc. Tridentini Catechismus, ut enim ait ille in IV. Sententiarum, & quæst. VIII. Supplementi, art. I. *Gratia, quæ in Sacramentis datur, a capite ad membra descendit*: *& ideo solus ille Minister est Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super Corpus Christi verum*; *quod solius Sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest*: *& ideo cum in Sacramento Pœnitentiæ gratia conferatur, solus Sacerdos Minister est*

De Pœnitentiæ, & Confessionis Ministro.

hujus Sacramenti; & ideo ei soli facienda est Sacramentalis Confessio, quæ Ministro Ecclesiæ fieri debet. Hanc doctrinam ab Apostolis ad nos usque continua Traditione traductam SS. Patres disertis confirmant testimoniis. *Jus* ligandi, & solvendi solis *Sacerdotibus concessum*, S. Ambrosius affirmat Lib. I. *De Pœnitentia*, cap. II. *S. Jo: Chrysostomus* Lib. III. *De Sacerdotio*, vel hoc nomine Sacerdotii dignitatem cuivis alteri anteponendam censet, quod terrestres dignitates habent quidem vinculi potestatem, sed in corpora tantum: at Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam attingit, atque ad cœlos usque pervadit; atque adeo ut quæcumque Sacerdotes in terra confecerint, ea Deus in cœlis recta habeat, ac servorum Sententiam Dominus confirmet. Non omnes, & singulos Christi Fideles (quod Hæretici posterioris sæculi impie asseruerunt) sed solos Sacerdotes hujus Sacramenti Ministros esse, testis est & *S. Augustinus* Epistola CCXXVIII. alias CLXXX. ad *Honoratum*, docens quandonam Episcopo, sive Clericis fugere liceat imminente obsidionis, aut excidii periculo: *An non cogitamus* (inquit) *cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus Fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blasphemia, de absentia Ministeriorum, & Ministrorum? ∴ Si autem Ministri adsint, pro viribus, quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur; alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis Communione fraudantur.* Denique *S. Leo* Epist. LXXXII. alias XCI. ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum, cap. II. scribit: *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui Regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent: sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri Satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam Reconciliationis admitterent.*

Solus Sacerdos Pœnitentiæ Minister.

Solus Sacerdos Penitentiæ Minister,

Hinc *Martinus V.* in Concilio Constantiensi, redeuntes ad Ecclesiam a *Wicklefi* hæresi interrogari jubet, *Utrum credant, quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti ex necessitate salutis confiteri teneatur, & non Laico, seu Laicis quantumcumque bonis, & devotis.* Hinc etiam *Eugenius IV.* in Decreto, Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ Sacerdotem esse declarat. Hinc tandem Sacra Synodus Tridentina, sess. XIV. cap. VI. declarat, *Falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, clavium Ministerium perniciose extendunt, putantes verba Domini*, Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo; & Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt; *ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscue, contra institutionem hujus Sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potest item habeat remittendi peccata; publica quidem per correptionem, si correptus aquieverit; secreta vero per spontaneam Confessionem cuicumque factam.*

Matth. 16. & 18.

Joan. 20.

ctam. Et canone x. Anathemate damnat eum, qui dixerit; *Non solos Sacerdotes esse Ministros Absolutionis*.

Objicitur, Lapsos olim absente Presbytero, apud *Diaconum Exomologesim facere delicti sui* potuisse; *ut manu eis in Pœnitentiam imposita, venirent ad Dominum cum Pace*, teste *S. Cypriano* Epistola XII. ad Presbyteros, & Diaconos Carthaginenses.

Respondetur, Exomologesis nomine, quam Lapsi apud Diaconos facere poterant, non designari Sacramentalem Confessionem, sed solemnis Pœnitentiæ Ritum, quo Lapsi humi prostrati crimina sua palam detestabantur, & ea se nunquam perpetraturos contestabantur, & peracta Pœnitentia, Ecclesiæ reconciliari, & Sacramentorum Communioni restitui supplices postulabant. Hæc autem restitutio, seu Absolutio a Censuris, & Pœnis Canonicis, erat Episcopo reservata, sed absente Episcopo, & imminente Pęnitentibus obitu, permittebatur Presbyteris: iis autem absentibus, Diaconi ex Ecclesiæ concessione Pœnitentes reconciliare poterant, illisque pacem dare. Sed Reconciliatio illa, quamvis ab Episcopis, & Presbyteris facta Absolutio Sacramentalis esset; a Diaconis tamen data, erat Absolutio duntaxat Canonica, quæ jus Communionis reddebat. Cum enim Absolutio Canonica spectet forum exterius, Diaconis, imo inferioribus etiam Ordinibus committi potest munus illam impartiendi. Quæ sunt nempe Jurisdictionis, committi possunt Clericis non initiatis Sacerdotio, v. g. Sententiam Excommunicationis ferre, ab Excommunicatione absolvere, Indulgentias dare. Quæ sunt vero Ordinis, demandari non possunt, nisi illis, qui sunt inaugurati. Absolutio porro Sacramentalis, quamquam Jurisdictionem postulet, Sacerdotalis tamen Ordinis Ministerium est. Unde *S. Cyprianus*, Lib. *De Lapsis*, ait: *Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quicquid pro talibus, & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes*. Et paulo superius: *Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est*. Et paulo ante: *Quanto fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo Sacrificii, aut Libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes Exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt!* Quamvis ergo susceptio Pęnitentium, quæ spectat Jurisdictionem exterioris fori, & Absolutionem Canonicam, necnon Eucharistiæ Administratio, non solum primis sęculis, sed adulta jam Ecclesia, Diaconis aliquando demandata sit, ubi absentes erant Sacerdotes, ut fidem faciunt hæc *Alcuini* * verba Lib. *De Divinis Officiis*, in Capite Jejunii: *Si autem necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens Diaconus suscipiat Pœnitentem, ac det Sanctam Communionem*: Sacramentalis tamen Absolutio conferri non poterat nisi a Sacerdotibus, quæcumque necessitas urgeret. Unde idem Auctor ait: *Claves Regni Cælestis solis Episcopis, vel Presbyteris traditas esse*.

Solus Sacerdos Pęnitentiæ Minister.

* Sive alterius Auctoris sub' Alcuini nomine.

Objicitur; Diaconis audiendi Confessiones, & Pęnitentias imponendi potestatem facere Concil. Eboracense anno millesimo centesimo nonagesimo quarto celebratum, Londoniense anno ducentesimo supra millesimum & *Odonem de Soliaco* Parisiensem Episcopum, qui post annos octo ad Dominum migravit.

Respondetur, Synodos Anglicanas, & *Odonem de Soliaco*, non permisisse Diaconis Administrationem Sacramenti Pęnitentiæ, sed cæremoniæ cujusdam ex earum numero, quas Theologi vocant *Sacramentalia*, executionem,

tionem, qua, deficiente vero Sacramento, Moribundi in impotentia illud sequendi, ob Sacerdotum absentiam constituti, Contritio excitaretur, & Charitas accenderetur: atque Deus interiori ejus dispositione, & precibus Ecclesiæ motus ipsi effectum Sacramenti tribueret. Nec mirum, cum ejusdem generis Confessionem a Laico fieri urgenti necessitate scripserit *S. Thomas*, quæ tamen non fit *Sacramentum perfectum*, *quia deest id*, *quod est ex parte Sacerdotis*, scilicet Absolutio. Quod & *Odo de Soliaco* in statutis Synodalibus, Statuto LVI. satis explicat. *Prohibetur districte* (inquit) *ne Diaconi ullo modo audiant Confessiones*, *nisi in arctissima necessitate*: *Claves enim non habent*, *nec possunt absolvere*.

Quæst. 1. Supplem. art. 2.

Solus Sacerdos Pœnitentiæ Minister.

Objicitur tertio, Pœnitentiam esse necessitatis Sacramentum, sicut & Baptismum: Baptismi porro, propter necessitatem Sacramenti, quilibet homo Minister est periculo mortis imminente: igitur & Pœnitentiæ, & Confessionis quilibet Christianus, urgente necessitate, Minister est.

Respondet *S. Thomas*, qu. VIII. Supplementi, art. 1. ad secundum, quod *Baptismus est magis Sacramentum necessitatis*, *quam Pœnitentia*, *quo ad Confessionem*, *& Absolutionem*; *quia quandoque Baptismus prætermitti non potest sine periculo salutis æternæ*, *ut patet in pueris*, *qui non habent usum rationis*: *sed non est ita de Confessione*, *& Absolutione*, *quæ tantum ad adultos pertinet*; *in quibus Contritio cum proposito confitendi*, *& desiderio Absolutionis sufficit ad liberandum a morte æterna*.

Objicitur tandem illud Jacobi V. *Confitemini alterutrum peccata vestra*: ex quibus verbis colligitur, Christianos Confessiones peccatorum suorum mutuo excipere posse, neque adeundum esse necessario Sacerdotem.

Resp. 1. *S. Jacobum* loqui de Confessione Sacerdotibus facienda, cum divinam institutionem Confessionis Sacerdotibus faciendæ supponeret, illisque collatam a Christo remittendi peccata potestatem, Joannis XX. Unde præmittit S. Jacobus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, *& orent super eum*, *ungentes oleo in nomine Domini*: *& oratio fidei salvabit infirmum*, *& alleviabit eum Dominus*: *& si in peccatis sit*, *remittetur ei*. Subditque continenter: *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*. Quibus verbis significari videtur Confessionis Ministerium ad Sacerdotes pertinere, non minus quam Unctionis Extremæ.

Resp. 2. *Sanctum Jacobum* de Confessione venialium explicari posse, quæ Christiano cuique fieri potest, ut humilitate, & mutua oratione remittantur; non de Confessione mortalium, quæ facienda est necessario Sacerdoti, ut eorum vinculis peccator ab ipso solvatur. Unde Dominus non quibuscumque, sed solis Discipulis præcepit, ut Lazarum solverent (*Joannis XI.*) & lepram ostendi Sacerdoti Lex jubebat, ut de illa judicium ferre posset. Hinc Venerabilis *Beda* Sancti Jacobi Sententiam sic explicat: *In hac sententia illa debet esse discretio ut quotidiana*, *leviaque peccata coæqualibus alterutrum confiteamur*: *porro gravioris lepræ immunditiam Sacerdoti pandamus*: *atque ad ejus arbitrium*, *qualiter*, *& quanto tempore jusserit*, *purificari curemus*.

PROPOSITIO II.

Ad Confessiones audiendas, & Ministerium Sacramenti Pœnitentiæ, non sufficit Potestas Ordinis Sacerdotalis sed necessaria est Potestas Jurisdictionis, ordinaria, vel delegata, sive a Superiore demandata.

Potestas Jurisdictionis Ordinaria, vel delegata, in Ministro Pœnitentiæ necessaria.

Absolutio enim Sacerdotis a Christo instituta est *Ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut a judice sententia pronuntiatur* (inquit Tridentina Synodus sess. XIV. cap. VI.) *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut Sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Jurisdictionem*: quod *verissimum esse* eadem Sacra Synodus confirmat cap. VII. idque antea declaraverat *Eugenius IV.* in Decreto; & ante *Eugenium IV.* Concilium Lateranense sub *Innoc. III.* Canone XXI. disertis verbis asserens, alienum Sacerdotem sine licentia proprii solvere, vel ligare non posse, defectu scilicet Jurisdictionis. *Si quis autem* (inquit) *alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote: cum aliter ipse illum non possit absolvere, vel ligare.*

Id confirmat *S. Thomas* hac ratione. Imperare alteri nemo potest, eumque ad pœnam satisfactoriam subeundam obligare, nisi in eum Jurisdictionem habeat: Minister autem Sacramenti Pœnitentiæ obligare potest Pœnitentem ad pœnam satisfactoriam subeundam: necessaria igitur est, ut eo ministerio fungatur, non solum potestas Ordinis, ut in aliis Sacramentis, sed etiam potestas Jurisdictionis. *Et ideo sicut ille, qui non est Sacerdos, non potest hoc Sacramentum conferre; ita nec ille, qui non habet Jurisdictionem. Et propter hoc oportet, sicut Sacerdoti, ita proprio Sacerdoti Confessionem fieri. Cum enim Sacerdos non absolvat, nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus potest absolvere, qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare.*

Quæst. 8. Supplem. Ar. 4.

Denique Concilii Tridentini Catechismus, P. II. De Sacramento Pœnitentiæ, §. LXXI. ubi docuit Confessionis Ministrum habere oportere *non solum Ordinis, verum etiam Jurisdictionis potestatem, ordinariam, aut delegatam*; subdit: *Quanta olim religione in antiquissima Ecclesia jus Ordinarii Sacerdotis conservatum fuerit, ex veteribus Patrum Decretis facile intelligitur: quibus cautum est, ne quis Episcopus, aut Sacerdos in alterius Parochia aliquid gerere auderet sine ejus auctoritate, qui illi præesset, aut nisi magna necessitas cogere videretur. Id vero ab Apostolo sancitum est, cum Tito præcepit, ut in singulis civitatibus Sacerdotes constitueret: qui scilicet doctrinæ, & Sacramentorum cœlesti pabulo Fideles alerent, & educarent.* Disciplinam illam, quam laudat Concilii Catechismus, antiquis Canonibus sancitam legimus, scilicet, Canone *Si quis Episcoporum*, Causa XVI. Quæstione II. & Canone *Nullus*, Causa IX. Quæstione II. Item Canone *Nullum*, ibidem, & Canone *Placuit*, Distin VI. *De Pœnitentia*, quo statuit Urbanus II. *Ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad Pœnitentiam suscipere sine ejus consensu, cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui prius confessus est. Qui vero contra statuta facere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit.*

Ad Tit. m. 1.

Quamvis autem potestatem Ordinis ad remittenda peccata Sacerdotes accipiant, cum inaugurantur, quod his verbis in ipso Ordinationis Ritu signi-

ſignificat, Epiſcopus Manus imponens *Accipe Spiritum Sanctum. Quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt*: non tamen accipiunt poteſtatem Juriſdictionis, niſi cum Paſtorale Beneficium accipiunt, aut ab Epiſcopo ad Confeſſiones audiendas approbantur. Ordinariam itaque Juriſdictionis poteſtatem habent, quicumque Animarum Regimini præficiuntur ab Eccleſia, ſcilicet Summus Pontifex in tota Eccleſia, Epiſcopus quilibet in ſua Diœceſi, Epiſcopi quoque Pœnitentiarius; Parochus in ſua Parochia, Prælatus Regularis in Regulares duntaxat perſonas ipſi ſubditas. Delegatam vero Juriſdictionis habent poteſtatem, quicumque ab Epiſcopis ad Confeſſiones audiendas admittuntur.

PROPOSITIO III.

Quilibet Fidelis tenetur ſemel in anno peccata ſua confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus licentia.

Annuæ Confeſſionis præceptum.

ITa decrevit Concilium *Lateranenſe* Quartum ſub *Innocentio III.* Canone XXI. „ Omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi Pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare Statutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote; cum aliter ille ipſe non poſſit ſolvere, vel ligare. *Quam Lateranenſis Concilii Conſtitutionem confirmat Sacra Synodus Tridentina Seſſione* XIV. *Cap.* V. *& Canone* VIII.

PROPOSITIO IV.

Proprii Sacerdotis nomine Parochum intellexit Lateranenſe Concilium.

Quis Proprius Sacerdos?

ITa Concilii Decretum explicant *Martinus Quartus*, Conſtitutione, quæ incipit, *Ad uberes*, data quarto Idus Januarii anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo primo, decernens, ut qui peccata ſua apud Fratres Minores depoſuerint, *ſuis Presbyteris Parochialibus confiteri, ſaltem ſemel in anno, prout Concilium generale ſtatuit, teneantur.*

Benedictus Undecimus, Conſtitutione, quæ incipit, *Inter cunctas*, proprii Sacerdotis nomine Parochum pariter intellexit: *Diſtricte* (inquit) *injungimus, ut Fratres ipſi, confitentes attente moneant, & in ſuis prædicationibus exhortentur, quod ſuis Sacerdotibus ſemel confiteantur in anno, aſſerendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere.*

Sixtus Quartus in Extravag. *Vices illius*, jubet ut *Religioſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quod Parochiani non ſunt obligati, ſaltem in Paſchate proprio Sacerdoti confiteri.*

Concilium Biterrenſe anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſexto celebratum a *Guillelmo* Narbonenſi Archiepiſcopo, & ejus Suffraganeis, Canone XLVI. *Qui vero proprio Sacerdoti ſemel in anno confeſſi non fuerint, vel alii de ejuſdem Capellani licentia ſpeciali, ad Sacramenta Eccleſiaſtica minime admittantur.*

Concilium Arelatenſe anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto celebra-

lebratum, Canone XIX. statuit, ut *Si contigerit; quod Religiosi, aut alii Confessiones audiant, præsertim in Quadragesima, de Parochia alicujus, nomina sibi confitentium, infra Octavam Paschæ, in scriptis tradant proprio Sacerdoti, ut sic Parochialis Sacerdos certitudinem habeat de Confessionibus subditorum, ad fraudulentas quorumdam Parochianorum versutias evitandas, & animarum pericula evitanda.*

Synodus Coloniensis anno millesimo ducentesimo octogesimo, C. VIII. *Si quis autem proprio Sacerdoti Parochiali ad minus semel in anno plene, & integre confessus non fuerit, præcipimus, quod Sacerdos in Pascha ei Sacramentum minime administret.*

Synodus Lingonensis anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, jubet singulis Ecclesiarum Rectoribus, ut Statutum Concilii Generalis Lateranensis suis Parochianis publicent, & exponant, videlicet: *Quod omnis utriusque sexus Fidelis semel in anno a suo proprio Curato Sacerdote Pœnitentiam debet recipere, & Sacramentum Eucharistiæ ad minimum in Paschate.*

Concilium Narbonense anno millesimo quingentesimo primo, Canone quinquagesimo; *Quia omnibus Christianis præceptum est, ut semel in anno Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum percipiant, & Parocho suo peccata confiteantur, voluit Concilium ut post hac nemo audeat sanctissimo die Paschæ peccata sua confiteri, aut Sanctificum Eucharistiæ Sacramentum ab alio accipere, quam ab eo ipso Parocho, vel in ejus locum suffecto, nisi exorata a Parocho venia.*

Synodus Cameracensis eodem anno celebrata, Tit. IV. De Pœnitentia: *Semel in anno confiteantur proprio Sacerdoti, id est, Presbytero Parochiali: qui ideo magis proprius dicitur Sacerdos, quia non solum Confessiones audit, & absolvit, sed etiam ministrat alia Ecclesiastica Sacramenta.*

Concilium Mediolanense I. sub S. *Carolo Borromæo*, P. II. Tit. VI. *Innocentii III. Constitutionem* (inquit) *in Generali Concilio editam, qua sancitum est, ut Fideles saltem semel in anno proprio Parocho peccata sua confiteantur, inviolate omnes servent.*

Eamdem tradunt proprii Sacerdotis notionem Concilium Rhemense anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio celebratum, Cap. *De Pœnitentia*, §. V. Aquense anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto; Burdigalense anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Canone III. & proprium Sacerdotem, cui semel in anno omnes, & singuli Fideles tenentur confiteri, *Proprium Parochum* esse declarant. Idipsum docet S. *Thomas* in IV. Sententiarum, sive in Supplemento, Quæstione VIII. Articulo V.

PROPOSITIO V.

Quamvis proprii Sacerdotis nomine in Canone Omnis utriusque sexus, *Parochus designetur, Summus tamen Pontifex, Episcopi, & ab iis Delegati pro ipso tempore Paschatis, vel absque ulla temporis, aut loci restrictione approbati, non excluduntur. Unde qui apud ipsos peccata deposuerunt, & absoluti sunt, ipsi Canoni paruisse sunt censendi.*

Ex ipso Lateranensi Concilio id facile probatur, quod Canone X. præcipit, *Tam in Cathedralibus, quam aliis Conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint Coadjutores, & Cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis Confessionibus, & Pœniten-*

Quis sensus Canonis Omnis utriusque sexus?

nitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. In eo; qui Coadjutores ad audiendas Confessiones, & Pœnitentias injungendas in Cathedralibus, & Conventualibus Ecclesiis instituere potest, residet Jurisdictio superior ea, quæ Parochis convenit in hoc audiendarum Confessionum officio: cum igitur Fidelium Confessiones audire possint Presbyteri alieni, cum licentia Parochorum, modo sint ab Episcopis approbati, idem possunt Summus Pontifex, & Episcopi, quovis tempore; & quos ipsi ad sacrum istud Munus obeundum destinaverint, & in Cathedralibus, sive Conventualibus Ecclesiis instituerint; quos denique absque ulla temporum restrictione approbaverint. Quæ enim inferiori conceditur potestas, multo magis Superiori concessa intelligenda est. Exemplum esto de potestate administrandi Extremæ-Unctionis Sacramentum, quam *Innocentius I.* Episcopis convenire colligit in Epistola ad *Decentium* Eugubinum Episcopum, quamvis Presbyterorum duntaxat meminerit S. *Jacobus*, illius Sacramenti divinam institutionem promulgans: quia nulla ratio permittit ut Episcopis concessum ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Exemplum sit alterum de Matrimonio, quod a *Proprio Sontraentium Parocho* celebrari debet: nec tamen excluditur Episcopus; qui & ipse Matrimonii benedictionem facere, & ad eam faciendam alii Sacerdoti licentiam concedere potest, ut ex Concilio Tridentino constat, Sessione XXIV. *De Reformatione Matrimonii.* Sic a pari, etsi nomine proprii Sacerdotis, cui semel in anno Confessio peccatorum facienda est, intelligatur Parochus juxta Lateranense Concilium, non excluduntur tamen Summus Pontifex, & Episcopi, & ab iis Delegati, atque ad audiendas Confessiones absque restrictione temporum approbati.

Accedit momentum alterum ex his verbis Canonis Lateranensis petitum: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipse solvere non possit, vel ligare.* Quis autem adeo desipiat, ut dicat, Summum Pontificem, Episcopos, eorum Pœnitentiarios, & Presbyteros quoslibet, ad Confessiones Fidelium audiendas absque restrictione ab Episcopo approbatos, non posse ipsos ligare, vel solvere? Cum præsertim Romanorum Pontificum Constitutionibus causa finita sit, contrariaque *Joannis de Poliaco* Sententia damnata tamquam *Falsa, erronea, & a doctrina sacra devia*, Constitutione, quæ incipit, *Vas electionis*, Lib. V. *Extravag. Commun.* Tit. *De Hereticis*, Et *Leo X.* Constitutione, quæ incipit, *Dum intra mentis arcana*, quæ a Concilio Lateranensi Quinto, Sessione XI. approbata est, declaraverit, Fideles, qui Sacerdotibus Regularibus ab Episcopis approbatis confessi fuerit, Constitutioni, quæ incipit, *Omnis utriusque Sexus*, quoad Confessionem satisfecisse.

Gallicanas Synodos præterire non possum, quibus Propositio nostra confirmatur. Synodus Diœcesana Nemausensis annno millesimo ducentesimo octogesimo quarto. Tit. *De Pœnitentia*, postquam proprium Sacerdotem cujus meminit Canon, *Omnis utriusque sexus*, Parochum esse declaravit, casus nonnullos exponit, in quibus *Sine licentia proprii Sacerdotis potest aliquis alieno Presbytero confiteri. Primus est, cum Episcopus hoc alicui specialiter delegavit.*

Diœcesana Synodus Lingonensis a *Philippo* Episcopo habita anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Constitutionem, *Omnis utriusque sexus*, singulis diebus Dominicis Quadragesimæ a Rectoribus Ecclesiarum publicari statuit, subditque: *Volumus, quod in fine publicationis Constitutionis prædictæ, subinferatur & publice, quod per hoc non intendimus præjudi-*

judi-

judicare Privilegiis Fratribus (id eſt , Regularibus Sacerdotibus) *conceſſis*, *ſubjungendo* , *quod Fratres nobis præſentati poſſunt audire Confeſſiones libere* , *& confitentibus* , *eiſdem Pœnitentias ſalutares impertiri de commiſſis. Item ne remaneat aliqua hæſitatio quis proprius dicatur Sacerdos* , *declaramus*, *prout Doctores*, *& Jura declarant*, *quod proprius Sacerdos eſt Papa*, *ejus Legatus*, *Epiſcopus*, *& Pœnitentiarius Diœceſanus*, *& ejus Vicarius Generalis*, *& ille cui cura Parochialis Eccleſiæ eſt commiſſa*, *ſive Rector* , *ſive Vicarius*. Quis ſenſus Canonis Omnis utriuſque ſexus?

Synodus Diœceſana Sueſſionenſis, anno milleſimo quingenteſimo ſecundo, neminem ad audiendum Confeſſiones recipi ſtatuit, ſine Parochorum aſſenſu, niſi a Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo licentiam habeat. *Nullus* (inquit) *ad audiendum Confeſſiones*, *præter voluntatem Rectorum Eccleſiarum Parochialium recipiatur: niſi ſuper hoc a Summo Pontifice* , *vel a Nobis*, *licentiam obtinuiſſe conſtiterit*.

Idem ſtatuit *Stephanus Poncherius*, Pariſienſis Epiſcopus, in Synodo anno milleſimo quingenteſimo decimo quinto celebrata.

Diœceſana Synodus Trecenſis ab *Odoardo Hennequino*, qui anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo Epiſcopatum iniit, habita de iis, apud quos ipſo Paſchatis tempore Confeſſio fieri poteſt, ſic loquitur: „ Sunt autem aliqui Presbyteri, qui in die Paſchæ inhibent Parochianis ſuis ſub pęna „ Excommunicationis, ne Corpus Chriſti recipiant, niſi fuerint ſibi, vel „ poteſtatem ab eis habentibus confeſſi: quæ quidem inhibitio temeraria „ videtur, quia quamplurimi Sacerdotes, & Religioſi habent poteſtatem a „ Domino noſtro Papa, ſeu Domino Epiſcopo Trecenſi audiendi Confeſſiones omnium, ſibi peccata ſua confiteri volentium, Pęnitentiaſque injungendi, & abſolvendi. Quare præcipimus omnibus Presbyteris , ut de cetero faciendo tales inhibitiones; adjungant iſta verba: Vel Alteri , Qui Super Hoc habeat Poteſtatem.

Diœceſana Synodus Toloſana, a *Ludovico Aurelianenſi*, Archipræſule, celebrata, anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo, proprii Sacerdotis notionem ad Summum Pontificem, Epiſcopum, & quoſvis poteſtatem ab ipſis habentes, extendit. *Injungimus* (inquit) *omnibus confiteri volentibus* , *ut proprio Sacerdoti confiteantur* . *Proprium Sacerdotem dicimus Summum Pontificem*, *Epiſcopum*, *Vicarios illius*, *Rectorem*, *& ejus Vicarium*, *& generaliter omnes alios Sacerdotes a prædictis legitime deputatos*. Idem repetit Claromontana Synodus anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo-octavo celebrata. Idem *Ludovicus* Carnotenſis Epiſcopus in Conſtitutionibus Synodicis anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo editis.

Diœceſana Synodus Sueſſionenſis a *Carolo* Epiſcopo habita anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo-Primo. *Neque* (inquit) *cuilibet Sacerdoti confitendum eſt*, *ſed proprio Curato*, *vel ab eo commiſſo*, *aut commiſſis Vicariis* , *vel Superioribus Curati*, *ut Epiſcopo*, *Papæ*, *aut per eos ad hoc commiſſis* . Eodem modo proprii Sacerdotis notionem explicant *Petrus* Lugdunenſis Archiepiſcopus in Synodo habita anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, Cap. 19.

Concilium Provinciale Rotomagenſe anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo primo, Cap. XXXVII. poteſtatem audiendi Confeſſiones ſæcularium, Paſchali etiam tempore, convenire agnoſcit Sacerdotibus Regularibus ab Epiſcopo approbatis. (*Nullus* (inquit) *Sacerdos* , *atque etiam Regularis* , *nequidem in ſuo Conventu* , *audeat* , *maxime per omne tempus Quadrageſimæ*, *& Octavas Paſchæ* , *audire Confeſſiones quorumcumque* , *& aliquem abſolvere* , *niſi de licentia Epiſcopi expreſſa* , *atque etiam in ſcriptis habita*. Quis ſenſus Canonis Omnis utriuſque ſexus?

Conci-

Concilium Aquense anno millesimo quingentesimo octogesimo-quinto; Cap. *De Pœnitentia*, Regulares ab Episcopo approbatos Confessiones, Paschali etiam tempore, legitime audire docet. *Confessarius* (inquit) „ Sacerdos, „ quicumque sit, etiam Regularis, ne auditæ sacræ Confessionis testimo„ nium scriptum, aut impressum, manu sua, suoque sigillo signatum, sibi „ peccata confessis dare recuset, tum in Paschate, ut Parochis, tum ægro„ tationis tempore, ut Medicis, quod debent, eos præstitisse plane constet. „ Confitentium præterea Paschæ tempore nomina, & cognomina, ut fraudi „ multiplici occurratur, in librum certum, notato etiam die, & mense refe„ rat; quem librum Episcopo petenti pro debito charitatis studio non modo non „ deneget, sed prompte ostendat, atque exhibeat, tradatque.

Cameracense Concilium Provinciale anno millesimo quingentesimo octogesimo-sexto, C. IX. Fideles, qui Regularibus Sacerdotibus ab Episcopo approbatis peccata confitentur, Canon *Omnis utriusque sexus*, satisfacere indicat. *Ne autem* (inquit) *negligatur præceptum Ecclesiæ de confitendo proprio Pastori, & communicando quotannis, juxta caput*, Omnis Utriusque Sexus, *scribantur omnium confitentium in Paschate nomina, & cognomina tam a Regularibus, quam Sæcularibus, qui ea Pastoribus tradant in Registrum conscribenda. Et post Pascha. Pastores eorum omnium, qui non communicaverunt, nomina ad Episcopum referant.*

Istud argumentum uberius tractatum habes Dissertatione IV. in Ecclesiasticam nostram Historiam Sæcul. XIII. & XIV.

PROPOSITIO VI.

Summus Pontifex, & Episcopi jus habent graviorum quorumdam criminum Absolutionem sibi reservandi.

Potestas reservandi sibi certos casus Summo Pontifici, & Episcopis competit.

QUamvis enim potestas Ordinis simplicibus Presbyteris in eorum Ordinatione collata se extendat ad omnia peccata remittenda; quia tamen ad usum istius potestatis necessaria Jurisdictio est, quæ a Majoribus ad inferiores descendit: ideo potest Superior sibi aliqua reservare, in quibus judicium inferiori non committat; (inquit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, sive Quæstione XX. Supplementi. Articulo II.) Harum autem Reservationum Decreta Jus Canonicum exhibet, Can. *Si quis suadente*, Causa XVII. Quæst. IV. Item C. *Conquesti*, Extra, *De Sententia Excommunicationis*, C. *Etsi Dominici*, in *Extravag. Com.* Tit. *de Pœnitentiis, & Remissionibus*, & Cap. *Quicumque* in Sexto, Tit. *De Sententia Excommunicationis*. Unde Sacra Synodus Tridentina Sessione XIV. C. VII. ait: „ Magnopere ad Christiani Populi disciplinam pertinere, „ Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora „ crimina non a quibusvis, sed a Summis dumtaxat Sacerdotibus absolveren„ tur. Unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia „ universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari „ judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, „ ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in æ„ dificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradi„ ta supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, „ quibus Excommunicationis Censura annexa est. Hanc autem delictorum „ reservationem, consonum est Divinæ Auctoritati, non tantum in externa „ politia; sed etiam coram Deo vim habere.

Et Canone XI. Anathemate ferit eos, qui dixerint, *Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam Politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat.*

Can.

Causa duplex reservationis Casuum.

Causa autem reservandi duplex est, prima, ut hominum propensio ad peccandum quodam verecundiæ freno coerceatur, dum Summus Pontifex, vel Episcopi sunt adeundi ad obtinendam Absolutionem. Secunda, ut morbi graviores Medicis peritioribus curandi serventur.

Discrimen inter Casum reservatum, & Censuram.

Id vero discriminis est inter Casum reservatum, & Censuram, quod Censura sit pœna quædam Ecclesiastica. Casus vero reservatus sit peccatum, sive adjunctam habeat Censuram, sive non. Sunt enim aliqui Casus Episcopis reservati, quibus nulla Censura annexa est. Sunt etiam Censuræ quædam illis reservatæ peccatis, ob quæ illæ feruntur, minime reservatis, ut Suspensiones, & quædam Irregularitates.

Reservationem duplicem esse, Tridentinum Concilium declarat, Episcopalem scilicet, ac Pontificiam.

Quod Episcopos attinet, jam pridem graviora crimina, pro quibus imponebatur antiquitus Pęnitentia publica, ipsis reservata erant; si quidem publice Pœnitentium reconciliatio penes solos Episcopos erat; neque secundi Ordinis Sacerdotibus fas erat Pęnitentes reconciliare, nisi vel Episcopo absente, vel urgente necessitate, vel ex speciali mandato Episcopi. Cum autem publica Pęnitentia in desuetudinem abiisset, Episcopi nihilominus graviorum quorumdam criminum absolutionem sibi reservarunt, ut populus majorem eorum horrorem conciperet, ac difficultas absolutionis minueret facilitatem peccandi; sicut e contrario facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. Ut autem hic reservationis finis facilius obtineretur, Episcopi raro admodum, & paucis secundi Ordinis Sacerdotibus facultatem a reservatis absolvendi indulgebant: sed volebant, ut graviorum illorum criminum rei ad se pro absolutione obtinenda accederent. Hinc Arelatense Concilium anno millesimo ducentesimo sexagesimo, Canone decimo-sexto ait, propter *imbecillium*, & *impotentium*, & *pauperum occupationem*, *& penuriam*, consuevisse aliquando Episcopos per villas, & oppida *Pęnitentiarios* suos in Quadragesima destinare, qui eos *a Casibus*, qui *Majoribus reservabantur*, absolverent: quod indicium manifestum est, inferioribus Confessariis per villas, & oppida constitutis facultatem a reservatis absolvendi non fuisse communicatam: neque Pęnitentiarios ab Episcopis destinatos potuisse quoslibet a casibus reservatis absolvere, sed illos duntaxat, qui ratione impotentiæ, aut penuriæ ad Episcopum accedere facile non valebant; quod Synodus ipsa in fide ejusdem Canonis clarissimis verbis expressit: *Nec Prælati*, inquit, *super casibus sibi reservatis, ad Parochianos suos Pęnitentiarios destinent, nisi eos, qui commode suos Prælatos adire non possunt*. Et Synodus altera ejusdem Provinciæ anno millesimo ducentesimo sexagesimo-quinto celebrata, prohibet Canone XIII. ne Sacerdotes, qui Confessiones audiunt, se intromittant de absolutionibus peccatorum reservatorum, *Nisi personæ, quæ in aliquos prædictorum casuum inciderint, fuerint adeo senes, vel valetudinariæ, quod ad Episcopos, vel eorum Pęnitentiarios venire non possint, vel nisi fuerint in mortis articulo constitutæ. Et tunc eis nihilominus injungatur, quod si recuperaverint sanitatem, pro prædictis se debeant Episcoporum aspectibus præsentare*.

Quod spectat reservationem Pontificiam Casuum, Summi Pontifices jure illo, quo per totam Ecclesiam possunt sibi reservare casus, decem sæculorum spatio non sunt usi. Plenam enim, & omnimodam auctoritatem absolvendi in foro Pęnitentiali cujuscumque quamvis atrocis criminis reos, Episcopis relinquebant. At sæculo undecimo cæperunt ipsi Episcopi nonnullos graviorum criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere, vel ut a Summo Pontifice reconciliarentur, vel ut ab ejus Sanctitate Pęnitentia ipsis

ipsis imponeretur; qua deinum peracta ab Episcopis suis absolverentur: Nec tantum in particulari aliquo casu pœnitentes ad Sedem Apostolicam mittebant; quod ex Concilio Lemovicensi secundo constat anno trigesimo-primo supra millesimum celebrato, ex Hildeberto Cenomanensi Episcopo Epistola 60. & ex Yvone Carnotensi Epistolis 98. & 160. Sed quandoque etiam generali Decreto criminis alicujus reos non ab Episcopis, sed a solo Pontifice Maximo absolvendos decernebant. Sic Episcopi Gallicani in Concilio Rhemensi anno millesimo centesimo trigesimo-primo Canone XIII. Innocentio II. Præside decreverunt, ut *Nullus Episcoporum* illum, qui violentas manus in Clericos, vel Monachos injecerit *præsumat absolvere, donec Apostolico conspectui præsentetur; & ejus mandatum suscipiat*. Simile Decretum edidit Concilium Londinense anno 1142. Sed & Concilium Avenionense quatuor Provinciarum, Arelatensis, Viennensis, Ebredunensis, & Aquensis anno millesimo ducentesimo nono celebratum, publici perjurii reos, & Censurarum Ecclesiasticarum contemptores, a solo Romano Pontifice absolvendos Canone 13. statuit: *Contra publice perjuros, seu convictos de perjurio, & eos, qui pertinaciter in excommunicatione per sex menses permanserint, pro eo quod faciles sunt homines ad perjuria, & ad censuram Ecclesiasticam contemnendam, specialem, & novum Canonem promulgamus, scilicet, ut nulli Episcoporum liceat hujusmodi anathematizatos absolvere, sed ad Sedem Apostolicam, sicut sacrilegi, & incendiarii absolvendi mittantur. Perjuri vero, præter aliam satisfactionem, dictam Sedem in præsentia visitare cogantur*. Secutis sæculis Romani Pontifices plures sibi Casus reservarunt, & absolvendi ab iis potestatem inferioribus Confessariis delegare cœperunt; ut charitatis, non minus quam potestatis plenitudinem exercerent.

ARTICULUS IX.

De Confessariorum Dotibus.

Sacerdotum, quibus Confessionum audiendarum sacra provincia demandatur, necessarias dotes Concilium Mediolanense I. a *S. Carolo Borromæo* celebratum, P. II. Tit. *Quæ pertinent ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem*, sic explicat: *In iis probandis hanc rationem habeant Episcopi, ut pii, bene morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute solliciti, & fideles custodes sint eorum, quæ in Confessione dicuntur; provecta etiam ætate, præsertim illi, quibus Confessiones mulierum erunt audiendæ*.

Pietas conscientiarum moderatoribus necessaria.

I. Necessaria inprimis est conscientiarum Moderatoribus pietas, de qua scribit Apostolus I. ad Timotheum IV. *Exerce te ipsum ad pietatem ∴ Pietas ad omnia utilis est*. Pietatis nomine cultus Dei, & misericordia intelliguntur; interprete *S. Thoma*. Utroque sensu pium esse Sacramenti Pœnitentiæ Ministrum necesse est; in cultu Dei fervente, in oratione, & meditatione rerum divinarum assiduum, in Librorum piorum lectione frequentem, ut quem imbiberit Spiritum pietatis, in animas eorum transfundat, quorum conscientias moderatur. Oportet nihilominus, ipsum peccatorum infirmitati compati, & divinæ erga illos misericordiæ, cujus Minister est, ingenium æmulari. Unde *S. Gregorius*, Pastoralis Curæ P. II. C. V. *Sit* (inquit) *Rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus: ut & per pietatis viscera in se infirmitatem ceterorum transferat, & per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat ∴ Hinc Moyses crebro Tabernaculum intrat, & exit: & qui intus in con-*

contemplationem rapitur, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad Tabernaculum recurrit, coram Testamenti Arca Dominum consulit: exemplum procuidubio Rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt, quid disponant, ad mentem semper quasi ad Tabernaculum redeant: & velut coram Testamenti Arca Dominum consulant, si de his, in quibus dubitant, apud semetipsos intus sacri Eloquii paginas requirant. Hinc ipsa Veritas per susceptionem nostræ humanitatis nobis ostensa; in Monte orationi inhæret, miracula in urbibus exercet: imitationis videlicet viam bonis Rectoribus sternens; ut etsi jam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misereantur.

Pietatem, quatenus commiseratio est erga Pœnitentes, necessariam esse Pœnitentiæ Ministro, confirmat Can. *Qui vult*, Dist. VI. *De Penitentia*, cujus hæc sunt verba: *Confessor habeat pietatem in alterius crimine; adjuvet confitentem orando, eleemosynam dando, & cetera bona pro eo faciendo: semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, & cum opus fuerit, etiam increpando: doceat loquendo, instruat operando: sit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudii; doceat perseverantiam, caveat ne corruat, ne juste perdat potestatem judiciariam.* Commiseratio erga Pœnitentes.

II. Secundo necessaria est Pœnitentiæ Ministris probitas morum, sive sanctitas vitæ, ut irreprehensibiles sint, & sint exemplo Fidelibus in fuga vitiorum, in bonorum operum exercitatione, in omni conversatione. Unde laudato Canone dicitur: *Sacerdos, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit judicandus, quæ in alio judicare est promptus.* Hinc *S. Gregorius*, Pastoralis Curæ P. II. C. III. *Sit Rector* (inquit) *operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denunciet, & grex, qui Pastoris vocem, moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat.* Morum probitas, & sanctimonia.

De ista Confessarii dote *S. Carolus* in Instructionibus Confessorum hæc habet: *Cum Sacramenti Minister peccet mortaliter, si in peccato mortali illud administraverit, hinc Confessores aliquem audire fugiant, si ipsi mortali peccato fuerint inquinati, aut aliqua innodati Censura Ecclesiastica. Verum Confessor animarum salutis cupidus, & earum in virtutibus instituendarum zelo flagrans, ut remedia assignet, quibus illæ a peccato liberentur, & salutis nostræ Inimici fraudes detegant; hominem denique veterem quomodo exuendum, & novum e contra induendum, sciant; in quo Christiana Perfectio consistit, non debet tantum sine peccato mortali hoc Sacramentum ministrare; sed cum ad prædictos effectus promovendos multum juvet, illud in se primum ostendere, quod in aliis positum desiderat; (plus enim movent exempla quam verba) nec alios valeat edocere virtutem, quam non in se habet, ad propriam perfectionem maxime attendat, & ad eam sibi conciliandam se in virtutibus necessariis exerceat.* Nam *Quanto magis omni virtute, præcipueque charitate paterna, zeloque salutis animarum præcellentior erit, tanto aptius erit instrumentum bonitatis Dei;* (inquit idem Sanctus Archipræsul in Instructionibus. *De Sacramento Pœnitentiæ.*) Habere tamen potestatem ligandi, & solvendi Sacerdotes in peccato mortali existentes, Dogma Fidei est, Canone X. Sessionis XIV. Concilii Tridentini declaratum. Matth. 15. 14

III. Tertio necessaria est Scientia Penitentiæ Ministro. *Cæcus* enim *si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Confessarius Judex est, Medicus est: Judicis autem, & Medici munere fungi, ut par est, non valet, Scientia moderatoribus conscientiarum necessaria.

qui ſcientia fuerit deſtitutus eorum, quæ ad Cauſarum cognitionem, rectamque ſententiam ferendam, & ad morborum cognitionem, ſalutariumque remediorum applicationem ſunt neceſſaria. Hinc Can. *Qui vult*, Diſt. VI. *De Pœnitentia*, dicitur, *Caveat ſpiritualis Judex, ut ſicut non commiſit crimen nequitiæ, ita non careat munere Scientiæ. Oportet enim, ut ſciat cognoſcere, quicquid debet judicare; judiciaria enim poteſtas hoc expoſtulat, ut quod debet judicare, diſcernat*. Hinc *S. Gregorius*, Paſtoralis Curæ P. I. C. I. *Nulla ars* (inquit) *doceri præſumitur, niſi intenta prius meditatione diſcatur. Ab imperitis ergo Paſtorale Magiſterium, qua temeritate ſuſcipitur, quando Ars eſt artium Regimen animarum? Quis autem cogitationum vulnera occultiora eſſe neſciat vulneribus viſcerum? Et tamen ſæpe, qui nequaquam ſpiritualia præcepta cognoverunt, cordis ſe Medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim neſciunt, videri Medici carnis erubeſcunt*.

Et Concilii Tridentini Catechiſmus P. II. De Sacramento Pœnitentiæ, §. LXXIII. *Præter Ordinis* (inquit) *& Juriſdictionis poteſtatem, quæ prorſus neceſſaria ſunt: inprimis opus eſt, ut hujus Sacramenti Miniſter tum ſcientia, & eruditione, tum prudentia præditus ſit: Judicis enim, & Medici ſimul perſonam gerit. Ac quod ad primum attinet, ſatis conſtat, non vulgarem ſcientiam neceſſariam eſſe, qua, & peccata inveſtigare, & ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ levia ſint, pro cujuſque hominis ordine, & genere judicare poſſit*. Et infra. *Ex quo poterunt Fideles intelligere, cuivis maximo ſtudio curandum eſſe, ut eum ſibi Sacerdotem deligat, quem vitæ integritas, doctrina, prudens judicium commendet: qui & quantum in eo officio, cui præeſt, ponderis, ac momenti ſit; & quæ cuique ſceleri pœna conveniat, & qui ſolvendi, vel ligandi ſint, optime noverit*.

Scientia Confeſſariorum ex Scriptura Sacra, & Canonibus derivare debet.

Ex Scripturis Sacris, & Canonibus derivatam eſſe neceſſe eſt ſcientiam Sacerdotum, qui Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando præficiuntur, ut docet Canon *Ignorantia*, ex Concilio Toletano IV. ſumptus, Diſt. XXXVIII. *Ignorantia* (inquit) *mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda eſt. Sciant igitur Sacerdotes, Scripturas Sanctas, & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione, & doctrina conſiſtat; atque ædificent cunctos tam fidei ſcientia, quam operum diſciplina*. Et Canon *Nulli*, eadem Diſtinctione: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod poſſit Patrum Regulis obviare*. Debet autem Sacerdos Pœnitentiæ adminiſtrandæ præfectus, ſcientia præditus eſſe *convenienti*, licet non *eminenti*, quemadmodum de Epiſcopis ſtatuit *Innocentius III*. C. *Cum nobis*, Extra. *De Electione, & electi poteſtate*. Quæ ſit porro ſcientia eminens, quæ mediocris, & conveniens, explicat *Innocentius Quartus*, in C. *Cum in cunctis*, De Electione, & electi poteſtate: *Scientiam* (inquit) *reputamus eminentem, quæ ſubtiles Quæſtiones diſcutere, & definire novit, & in promptu reſponſiones habet: Ille habet mediocrem, qui ſcit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia neſciat reſpondere: & qui in Libris veritatem eorum, quæ ſcire tenetur, ſcit quærere, etſi in promptu omnia non habeat*. Cui conſonat *S. Thomas* in IV. Sententiarum Diſt. XVII. explicans Textum Magiſtri: *Hæc ſcientia* (inquit) *etſi non ſit major, tamen tanta debet eſſe, ut ſciat diſtinguere inter peccatum, & non peccatum, vel etiam inter peccatum mortale, & peccatum veniale: quod ſi in aliquo eſſet dubitatio, poſſet ad diſcretiores recurrere*.

Quanta debeat eſſe Confeſſarii peritia, explicat *S. Carolus*, in inſtructionibus De Sacramento Pœnitentiæ: Quoniam: (*inquit*) Confeſſionis Mi-
„ niſter, Judicis & Medici ſimul perſonam gerit: ut & quod ad Judicem
„ attinet, ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ levia ſint,
„ quove

„ quove modo corrigenda, pro cujusque hominis ordine, & genere judicare
„ possit; & tanquam Medicus ea remedia ægroto adhibeat, quæ ad illius
„ animam sanandam, & inposterum contra vim morbi muniendam aptio-
„ ra videantur; opus est, ut is tum scientiam atque eruditionem, tum pru-
„ dentiam studeat sibi, quantam potest, comparare; tum ex divina gra-
„ tia, quam assidua precatione supplex a Deo petat; tum ex Auctoribus
„ probatis, qui eam materiam pie, pleneque tractarunt. Inprimis bene co-
„ gnita habeat, quæ Monitis, seu Instructionibus in hac Ecclesia editis ad
„ Confessariorum usum continentur. Sacramenti igitur hujus doctrinam om-
„ nem recte nosse studebit: ita ut, quæ illius ratio, qui effectus, quæ il-
„ lius partes, quæ illarum partium vis, & natura, perite intelligat. Quæ
„ peccata mortalia, & quæ venialia cognoscat. Peccati circumstantias
„ sciat, quæ præsertim mutant speciem peccati, & quæ in Confessione
„ explicandæ sunt, quæ restituendi onus inducant. Censurarum rationem,
„ & vim recte intelliget, & quibus criminibus annexæ illæ sint. Casus re-
„ servatos in promptu habebit; ita ut recte sciat, qui jure Canonum Sum-
„ mo Pontifici, qui rursus Episcopo, qui præterea in Bulla Cœnæ Domi-
„ ni, quique pro varietate temporum Episcopo reservati sint. Differentiam
„ satisfactionum Pœnitentialium etiam probe noscet, ac præterea Canones
„ Pœnitentiales, ut infra ordine Decalogi explicatos. Memoria tenebit ca-
„ sus, quibus Confessio sit iteranda. Cognitum etiam habere Confessarius
„ omnis debet, ac præterea animadvertere antequam ad audiendas Con-
„ fessiones accedat, quanta sit auctoritas, potestasque Jurisdictionis suæ:
„ ita ut cum norit, & quos, & a quibus peccatis, Censurisque absolvere
„ possit; tum etiam caveat, ne facultatis suæ fines prætergrediatur. Quan-
ti sit periculi in salutis æternæ negotio conscientiam suam imperitis, aut semidoctis Confessariis dirigendam credere, testis est Sancta *Theresia*, C. v. Vitæ suæ, & in *Via perfectionis*, C. v.

IV. Necessaria est præterea Pœnitentiæ Ministro prudentia singularis, tum ad opinionum delectum, Casuumque difficilium, qui passim occurrunt, solutionem; tum ad salutarium consiliorum suggestionem, convenientiumque remediorum applicationem, sive Pœnitentiarum injunctionem, tum denique ad examen Pœnitentis, illiusque affectus explorandos, ut noverit an absolvere ipsum debeat, vel Absolutionis beneficium ipsi differre. Hanc Ministri Pœnitentiæ dotem explicat Concilium Lateranense Quartum Canone XXI. *Sacerdos* (inquit) *sit discretus, & cautus, ut more periti Medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati; quibus prudenter intelligat, quale debeat ei consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum.* Prudentia singularis moderatoribus conscientiarum necessaria.

Qua vero prudentia gerere se debeat Sacerdos in examine Pœnitentis, docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XIX. Magistri Textum expo-
„ nens: Sacerdos (*inquit*) debet perscrutari conscientiam peccatoris in
„ Confessione, quasi Medicus vulnus, & Judex causam: quia frequenter,
„ que præ confusione confitens taceret, interrogatus revelat. Sed tamen
„ in interrogationibus faciendis tria sunt attendenda. Primo, ut quilibet
„ peccator interrogetur de peccatis, quæ consueverunt in hominibus illius
„ conditionis abundare: non enim oportet, quod a Milite quæratur de
„ peccato Clericorum, aut Religiosorum, & e converso. Secundo, ut non
„ fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis, quæ omnibus mani-
„ festa sunt: de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet a lon-
„ ginquo fieri interrogatio, ut si commisit, dicat; & si non commisit,

Qua prudentia gerere se debeat Confessarius in examine Pœnitentium?

„ non addiſcat. Tertio, ut de peccatis, præcipue carnalibus, non deſcen-
„ dat nimis ad particulares circumſtantias; quia hujuſmodi delectabilia quan-
„ to magis in ſpeciali conſiderantur, magis concupiſcentiam nata ſunt mo-
„ vere. Et ideo poteſt contingere, ut Confeſſor talia quærens, & ſibi, &
„ confitenti noceat, & ſic quandoque deficiant in ſuo ſcrutinio iniquitates
„ ſcrutantes.

„ Idem *S. Carolus*, in Inſtructionibus de Sacramento Pęnitentiæ: Pru-
„ dens (*inquit*) cautuſque erit in interrogationibus; ne rudibus præſer-
„ tim, atque utriuſque ſexus junioribus, ad novum, & nunquam antea
„ attentatum ſcelus occaſionem aperiat, atque det: hi tamen de peccatis,
„ quorum nullam in Confeſſione mentionem fecerunt, & in quibus proba-
„ biliter exiſtimari poſſunt deliquiſſe, prudenti cautione interrogandi erunt;
„ ne aut pudore, aut ignorantia celent peccata.

„ Et in Inſtructionibus Confeſſorum: Cum ordine (*inquit*) interrogando
„ procedat, & a præceptis dominicis incipiat, & ad quæ licet omnia poſ-
„ ſint revocari, ii tamen, qui rarius ad Confeſſionem accedunt, ſuper ſe-
„ ptem peccatis capitalibus, quinque ſenſuum uſibus, Eccleſiæ præceptis,
„ & miſericordiæ operibus ſunt examinandi. Confeſſor prudens eſſe debet,
„ non interrogando niſi de peccatis Pęnitentium ſtatui communibus. Quod
„ ſpectat ad carnis peccata, ſummam adhibeat cautelam in eorum interro-
„ gatione, ut cum peccati ſpeciem, & circumſtantias graviores audierit,
„ a ceteris abſtineat.... Summa prudentia mulieres, aut adoleſcentes in-
„ terroget, ne eos, quod ignorant, doceat? iiſque utatur verbis pudorem
„ minime lædentibus, nec ex geſtu, aut ſigno, de non ordinario, aut gra-
„ viori peccato Pęnitentem confeſſum fuiſſe aliquis ſuſpicetur, nec verbis
„ eum deterreat, ut in cauſa ſit, cur aliud peccatum graviſſimum præter-
„ mittat: immo eum ad graviora quæcumque ſint, detegenda inducat.
Idem docet *S. Franciſcus Saleſius*, in Monitis ad Confeſſarios, primumque de ſermonum obſcænorum auditu, tum de cogitationibus impudicis, poſtea de pravis deſideriis, tandem de operibus interrogandos eſſe Pęnitentes, & ad Confeſſionem carnalium peccatorum ſenſim perducendos.

Patientia, & benignitas neceſſariæ Confeſſariis.

V. Summa etiam patientia, & benignitate præditos eſſe oportet Sacramenti Pęnitentiæ Miniſtros, ut Pęnitentium ruſticitatem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, alioſque defectus patienter ferant, eos pro virili juvent, paterna charitate ſuſcipiant, filii prodigi pium, ac miſericordem Patrem imitentur, qui porcorum ſordibus ſquallidum, fętentem, diſſipati patrimonii reum, meretriciis amoribus inquinatum, amanter amplexus eſt, & ſuper eum flevit. De iſta dote *S. Carolus* in Inſtructionibus Confeſſorum hæc habet: *Confeſſiones æquo animo audiant, nec Pęnitentes inconfeſſos dimittant, ex labore quem fugiant, nec ægre eos audire quoquo modo ſignificent, ſed e contra efficiant, ut Pęnitentibus innoteſcat, ſibi gratiſſimos eſſe pro eorum ſalute labores*. Debet etiam Sacerdos Pęnitentibus compati: quam gratiam a Deo rogabat *S. Ambroſius*, Libro II. *De Pęnitentia*, Cap. VIII. *Sum* (inquit) *minimus omnium Epiſcoporum, & infimus merito. Tamen quia & ego laborem aliquem pro ſancta Eccleſia tua ſuſcepi, hunc fructum tuere, ne quem perditum vocaſti ad Sacerdotium, cum Sacerdotem perire patiaris: ac primum ut condolere norim peccantibus affectu intimo. Hæc enim ſumma virtus, quia ſcriptum eſt*: Et non gaudebis ſuper filiis Juda in die perditionis eorum*: ſed quotieſcumque peccatum alicujus lapſi exponitur, compatiar: nec ſuperbe increpem, ſed lugeam, & defleam: ut dum alium fleo, me ipſum defleam, dicens*: Juſtificata eſt magis Thamar, quam ego, *Fortaſſe adoleſcentula lapſa ſit, occaſionibus, quæ delictorum fomites ſunt, decepta*,

Abdiæ 12.

Gen. 38. 26.

pta, nc præcipitata fit: peccamus, & seniores. Repugnat in nobis lex hujus carnis legi mentis nostræ, & captivos nos trahit in peccato, ut faciamus, quod nolumus. Illi de ætate suppetit excusatio, mihi jam nulla. Illa enim debet discere, nos docere. Ergo justificata est magis Thamar, quam ego. Incusamus alicujus avaritiam, recordemur si nihil ipsi avare fecimus: & si fecimus, quoniam radix malorum est avaritia, & tamquam sub terra occulte in nostro serpit corpore, dicamus singulis: Justificata est magis Thamar, quam ego. Si commoti fuerimus in quemquam graviter, leviorem causam Laicus habet, quam Episcopus, eo quod commotus egerit aliquid, retractemus nobiscum, & dicamus: Justificatus est magis iste, qui commotionis arguitur, quam ego.

„ Et Lib. 1. cap. 1. Quemadmodum (*inquit*) se tibi curandum præbeat, „ quem fastidio habes, qui contemptui se, non compassioni, Medico suo „ putet esse futurum; Ideo Dominus Jesus compassus nobis est, ut ad se „ vocaret, non deterreret. Mitis venit, venit humilis. Denique ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam.* Reficit ergo Dominus Jesus, non excludit, neque abjicit: meritoque tales „ Discipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent. Unde liquet eos inter Christi Discipulos non „ esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur: & cum ipsi quærant Domini misericordiam, aliis denegant. „ *Hanc Regulam sequebatur* S. Odilo *Cluniacensis Abbas, de quo* B. Petrus „ Damiani, *in ejus Vita, scribit*: In promulgandis porro Judiciis, ac modis „ Pœnitentiæ præfigendis tam pius erat, & tanta merentibus humanitate „ compatiens, ut nequaquam districtum patris imperium, sed maternum „ potius exhiberet affectum. Unde se reprehendentibus, hujusmodi verbis „ solebat eleganter alludere; Etiamsi damnandus sim (inquit) malo tamen de misericordia, quam ex duritia, vel crudelitate damnari.

Matth. 11.

Prætermittere non possum egregium ea de re locum *Petri Blesensis*, in „ Tractatu *De satisfactione*, scribentis: Sicut confitenti necessaria est humilis, & sincera devotio, sic Pœnitentiali, id est, Sacerdoti, necessaria est „ diligens, & circumspecta discretio, ut discernat inter lepram, & lepram, „ & habeat in se tria, bonitatem, scientiam, & disciplinam; bonitatem „ in sanctitate; scientiam in eruditione; disciplinam in correctione. Sit „ Samaritanus infundens oleum misericordiæ, vinumque justitiæ. Habeat „ conscientia ejus quasi Arca fœderis manna, & virgam, ut sciat compati, „ & ignoscere, arguere, & monere. Gaudeat de primitivis fructibus Pœnitentis, sicut bonus agricola; compatiatur infirmo, dubiumque confortet, recolens illud Apostoli: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Et „ audiens tentationes ejus, suam infirmitatem cogitans, apud se dicat: Si „ in tanta tentatione fuissem, gravius cecidissem. Nihil dicatur, aut fiat „ cum indignatione, & ira: *Ira enim viri justitiam Dei non operatur*: medium autem teneat, ne nimia remissio, vel nimia austeritas sit in eo, certumque Penitentiæ modum juxta Sanctorum Patrum Instituta præscribat.

1.Cor.11.29.

Jacob 1.20.

VI. Necessaria est insuper Confessario solicitudo salutis animarum, qua placere non quærat hominibus, sed prodesse ad æternam eorum salutem procurandam. Quamobrem mollis, & remissus esse non debet, nec *Pulvillos sub omni cubito manus* ponere, ut ait Propheta, & facere *cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas*; ut Penitentium, præsertim nobilium, & divitum frequentior fiat ad ipsius Confessionale concursus. *Pulvillos quippe sub omni cubito manus ponere, est cadentes a sua rectitudine animas, atque in hujus mundi se delectatione reclinantes, blanda adulatione refovere. Quasi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis*

Solicitudo salutis Animarum Pœnitentiæ Ministris necessaria.

Ezech.13.18.

excipitur, cum correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis palpat, Verba sunt *S. Gregorii*, P. II. *Pastoralis Curæ* cap. IX. Nec tamen adeo morosi, & severi esse debent Confessarii, ut Penitentes a Confessione absterreant. Medicorum imitentur industriam necesse est, qui amaris potionibus nonnihil mellis, aut succi suavioris instillant, ut facilius ab ægris sorbeantur, ut docet *S. Gregorius*, III. P. *Pastoralis*, Admonitione XVIII. *Inferenda* (inquit) *illis sunt, aut alia bona, quæ in ipsis sunt, aut dicendum certe, quæ poterant esse, si non sunt: & tunc demum resecanda sunt, mala, quæ nobis displicent, cum prius ad audiendum eorum placabilem mentem fecerint præmissa bona, quæ placent. Nam amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adjungitur, ne ea, quæ saluti profutura est, in ipso gestu aspera amaritudo sentiatur: dum vero gustus per dulcedinem fallitur, humor mortiferus per amaritudinem vacuatur. Ipsa ergo in elatis invectionis exordia permixta sunt laude temperanda, ut dum admittunt favores, quos diligunt, etiam correptiones recipiant, quas oderunt.* Verum quemadmodum Medici ferrum, & ignem vulneribus adhibent, cum id postulat medicinæ ratio, nec aliter procurari potest ægroti sanitas: ita Penitentiæ Ministri zelo salutis animarum succensi, severiora debent adhibere remedia, cum aliter curari non possunt vulnera peccatorum. *Nam cum scriptum sit*. Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant: *qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat: nec comprimit delicta illa, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul, atque instruit fratrem, promovet ad salutem.* Quos diligo (*inquit Dominus*) redarguo, & castigo. *Sic oportet, & Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.* Verba sunt *S. Cypriani* in Tractatu *De Lapsis*. Denique vitiis non parcendum multitudinis conciliandæ causa, *S. Augustinus* Apostoli exemplo ostendit, qui cum summo in honore esset apud Corinthios, & ab illis, ut Angelus Dei susceptus, accessit tamen ad ovem languidam, ad ovem putridam, secare vulnus, non parcere putredini. Non „ enim sua quærebat, sed quæ Jesu Christi. Absit ergo, ut dicamus vobis „ (*inquit S. Doctor*) Vivite ut vultis, securi estote, Deus neminem perdet, „ tantummodo fidem Christianam tenete; non perdet ille, quos redemit, „ non perdet, pro quibus Sanguinem fudit. Et si Spectaculis volueritis oble„ ctare animos vestros, ite; quid mali est? Et festa ista, quæ celebrantur per „ universas civitates in lætitia convivantium, & publicis mensis se ipsos, ut „ putant, jucundantium, revera magis perdentium, ite, celebrate: Magna „ est Dei misericordia, quæ totum ignoscat.... Hæc si dixerimus, forte „ congregabimus turbas ampliores: & si sunt quidam, qui nos sentiant hæc „ dicentes non recte sapere, paucos offendimus, sed multitudinem conciliamus. „ Quod si fecerimus, non verba Dei, non verba Christi dicentes, sed „ nostra, erimus Pastores nosmetipsos pascentes, non oves. Hæc *S. Augustinus*, Serm. XLV. alias *De Tempore* CLXV. sive Libro *De Pastoribus*, cap. III.

Isai. 3. 12.

De hac Ministri Penitentiæ dote *S. Carolus* in Instructionibus Confessorum „ ita scribit: Confessor ita debet intentionem in hoc ministrando Sacramento „ dirigere, ut illud ex humano motivo non exerceat, sed ad Dei tantum „ gloriam, animarumque salutem: quare quoties ad Confessiones audiendas „ vocatus fuerit, ad Deum mentem erigat, & sibi ob oculos proponat suo

„ Mi-

,, Miniſterio mundandos eſſe Pęnitentes, & in Chriſti Domini pretioſiſſimo
,, Sanguine lavandos.

VII. Sit præterea Confeſſarius fidelis cuſtos eorum, quæ in Confeſſione dicuntur, ſive ſecreti tenax, ita ut omnia, & ſingula peccata in Confeſſione Sacramentali, vel in ordine ad ipſam ſibi patefacta, omneſque circumſtantias peccatorum, tum ſpeciem mutantes, tum aggravantes, tum alia accidentia adjuncta, antecedentia, conſequentia; quibus patefieri poteſt peccatum Pęnitentis, aut alterius delictum in Confeſſione declaratum, ſacro ſigillo clauſa, & perpetuo, ac religioſo ſilentio compreſſa tenere debeat; mortemque potius oppetere, quam ea cuiquam homini revelet. Cujus quidem ſigilli obligatio triplici jure nititur, Naturali, Divino poſitivo, & Eccleſiaſtico; ut declarat Concilium Senonenſe anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto: Naturali, quo arcanum fidei ſuæ commiſſum quiſque reticere tenetur: & quo unum membrum aliis membris ejuſdem corporis infirmioribus compatitur. Nos enim ſumus *Corpus Chriſti*, *& membra de membro*. Unde ſicut inhoneſtis, & ignobilioribus corporis noſtri membris *honorem abundatiorem circumdamus*, ut Apoſtolus loquitur; ita non ſolum peccatoribus compati debemus, ſed eorum peccata Sacramentali Confeſſione nobis patefacta ſilentii velo contegere, & ſacramentali ſigillo obſignare. Divino jure poſitivo nititur idem ſigillum, ſicut & ipſa Confeſſio Sacramentalis, quæ ſine ipſo conſiſtere non poſſet, eoque ſublato veniret in odium hominum. Unde iſtius ſigilli violatio, ſeu Confeſſionis revelatio, ſacrilegium eſt, utpote in gravem Sacramenti redundans injuriam. Nam, ut ratiocinatur *S. Thomas*, in IV. Sententiarum, ſive Sup-

Sigillum Confeſſionis.

Concilii Catechiſmus P. II. §. 74.

Sigillum Confeſſionis.

I. Cor. 12.

,, plementi Q. XI. A. I. In Sacramentis ea, quæ exterius geruntur, ſunt ſi-
,, gna rerum, quæ interius contingunt: & ideo Confeſſio, qua quis Sacerdo-
,, ti ſe ſubjicit, ſignum eſt interioris ſubjectionis, qua quis Deo ſubjicitur.
,, Deus autem peccatum illius, qui ſe ſubjicit per Pœnitentiam, tegit: un-
,, de & hoc oportet in Sacramento Pęnitentiæ ſignificari: & ideo de neſſitate
,, Sacramenti eſt, quod quis Confeſſionem celet: & tanquam violator Sa-
,, cramenti peccat, qui Confeſſionem revelat. Et præter hoc ſunt aliæ utili-
,, tates hujus celationis, quia per hoc homines magis ad Confeſſionem attra-
,, huntur, & ſimplicius peccata confitentur. *Et in Reſponſione ad ſecundum*:
,, Præceptum (*inquit*) de Confeſſione celanda conſequitur ipſum Sacramen-
,, tum: & ideo ſicut præceptum de Confeſſione Sacramentali facienda eſt de
,, jure divino, & non poteſt aliqua diſpenſatione, vel juſſione humana homo
,, abſolvi ab eo; ita nullus ad revelationem Confeſſionis poteſt ab homine co-
,, gi, vel licentiari. *Jure tandem Eccleſiaſtico nititur ſigillum Confeſſionis*. *Nam*
,, *&* S. Leo *Epiſt.* CXXXVI. *alias* LXXX. Illam contra Apoſtolicam Regulam
,, præſumptionem, modis omnibus ſubmoveri *conſtituit*, ne de ſingulorum
,, peccatorum genere, libello ſcripta profeſſio publicetur: cum reatus con-
,, ſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari Confeſſione ſecreta. *Et Concilium Lateranenſe* IV. Can. XXI. *ſacramentalis ſigilli violationem prohibet*, *gra-*
,, *viſſimis pœnis in ejus infractores conſtitutis*. Caveat autem omnino (*inquit*)
,, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.
,, Sed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ
,, caute requirat. Quoniam qui peccatum in Pœnitentiali Judicio ſibi dete-
,, ctum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali Officio deponendum
,, decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam Pęnitentiam in arctum
,, Monaſterium detrudendum. *Gravior pœna Sacerdoti Confeſſionem revelanti ante Concilium Lateranenſe irrogabatur, ut conſtat ex Canone* Sacerdos, Diſt. VI.
,, *De Pænitentia*: Sacerdos (*inquit*) ante omnia caveat, ne de his, qui ei
,, confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, nec

Sigillum Confeſſionis.

,, quod

„ (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & om-
„ nibus diebus vitæ suæ ignominiose peregrinando pergat.

Religionis, qua sacrum sigillum Confessionis inviolatum custodire Confessarius debet, præclarum exemplum dedit *S. Ambrosius*, teste *Paulino* Presbytero in ejus Vita. Quotiescumque (*inquit*) illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret: videbatur etiam sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines. Nam & secundum Apostolum circa hujusmodi hominem confirmanda charitas est, quia ipse sui accusator est, nec exspectat accusatorem, sed prævenit, ut confitendo suum allevet ipse delictum, nec habeat, quod adversarius criminetur.

„ Confessarius itaque inprimis caveat, ne verbis, aut quibuscumque signis peccatorem prodat, aut peccatum patefaciat, aliudque, unde persona, cum qua peccatum commissum est, cognoscatur; nec denique quidquam loquatur, unde vel minimum peccatum ex Confessione innotescat. Et si quando necessitas occurrat consilii postulandi, ut difficultatis alicujus ad Confessionem pertinentis solutionem noverit, eo modo se gerat, ut in eorum, quorum sententiam rogat, notitiam nullatenus veniat persona Pœnitentis. Cum aliis igitur de auditis in Confessione nunquam loquatur. Quod si loqui cum Pœnitente necessum sit petita ab ipso licentia, tum eadem secreti religione, ac in Confessione teneri se noverit. Ita monet *S. Carolus* in Instructionibus Confessorum.

Juniores Sacerdotes Confessionibus mulierum audiendis, non præficiendi.

VIII. Conveniens tandem est, ut Pœnitentiæ Minister provecta sit ætate, maxime ut mulierum Confessiones audiat, ex Concilio Mediolanensi I. Qui triginta annos nondum attigerit, nec Pastor fuerit, mulieres non audiat, nisi probitatis, & pietatis tot argumenta dederit, ut ad eas audiendas capacem Superiores eum arbitrentur; ut monet *S. Carolus* in Instructionibus.

De Officiis Confessarii legi potest *Guillelmus Parisiensis*, Tractatu *De Sacramento Pœnitentiæ*, cap. XXI.

ARTICULUS X.

REGULÆ MINISTROS

Sacramenti Pœnitentiæ spectantes.

REGULA I.

Nulla est Confessio, quæ fit Sacerdoti Potestatem Jurisdictionis non habenti, aut qui legitimam formam non adhibuerit; aut quæ ad Pœnitentiæ Sacramenti Administrationem omnino necessaria sunt penitus ignoraverit.

HAnc Regulam tradit *S. Carolus* in Instructionibus Confessorum. *Debet* (inquit) *interrogare de actis antea Confessionibus, in quantum ei necessarium fuerit, ut resciat, num in aliquem casum inciderit, ex quo, cum nullæ hæ fuerint, iterandæ sint: puta, num confessus fuerit Sacerdoti absolvendi potestatem non habenti; aut qui legitimam in Absolutione formam non adhibuerit; aut quæ sunt ad hoc Sacramentum ministrandum necessaria, penitus ignoraverit; aut si Pœnitens ipse sciens, & ex animo peccatum omiserit; aut Confessionem ita diviserit, ut Confessori peccatorum partem, & alteri partem aliam deposuerit; aut sine ullo peccatorum dolore, & emendandi proposito accesserit; aut pro excutiendis, inveniendisque peccatis debitam diligentiam non adhibuerit.*

„ Et

„ Et quia negligentia in Confessionibus solet multa committi, ab iis potissimum, qui nullum, vel levem de Deo timorem habent, aut curam de anima; ita ut potius ex usu, quam ex peccatorum horrore, & emendandi desiderio, confiteantur: & pro utilitate maxima, quæ ex Confessionibus generalibus semper oritur, maxime conversionis, meliorisque frugis initio; debent Confessores loco, & tempore, juxta personarum qualitatem, ad Confessionem generalem Pœnitens exhortari, ut ejus ope, vitæ suæ affectionibus ita propositis, ardentius ad Deum convertantur, & pro omnibus peccatis, & defectibus, quos noverint, satisfaciant.

R E G U L A II.

Nullus Sacerdos, etiam Regularis, Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire potest, nisi Parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopo fuerit approbatus.

HAnc Regulam statuit Sacra Synodus Tridentina, Sess. XXIII. cap. XV. *Quamvis* (inquit) *Presbyteri in sua Ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem, Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, posse audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

Quamobrem vetera Privilegia Regularium, quibus eis, ab Episcopo approbatis, aut injuste recusatis, licebat Confessiones audire, hoc Tridentini Concilii Decreto pœnitus abrogata sunt: scilicet *Bonifacii VIII.* Decretalis, *Super Cathedram*, quæ habetur Tit. *De Sepulturis*, Lib. III. *Extravag. Commun.* Constitutio *Benedicti XI.* quæ incipit, *Inter cunctas*, eodem Lib. Tit. *De Privilegiis*, Clementina *Dudum*, Tit. *De Sepulturis*, & Constitutio *Leonis X.* quæ incipit, *Dum intra mentis arcana*: hæ (inquam) Constitutiones quatenus Regularibus permittebant Administrationem Sacramenti Pœnitentiæ absque Episcoporum approbatione, nullam amplius vim habent; nec possunt Regulares Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nisi Episcopi illos approbaverint, quantumvis injuste se fuisse recusatos causentur.

Approbatio Episcopi necessaria Sacerdotibus curam Animarum non habentibus ad Confessiones audiendas.

Hanc Disciplinam confirmarunt *S. Pius V.* Constitutione, quæ incipit, *Romani Pontificis*, Lectores etiam, aut in Theologia Graduatos, huic legi subditos esse declarans; *Gregorius XV.* Constitutione, quæ incipit, *Inscrutabili*, aliique Pontifices, & *S. Carolus* in Concilio Mediolanensi I. & in Instructionibus; necnon Concilium Rothomagense anno 1581. Burdigalense anno 1582. Turonense 1583. Bituricense 1584. Aquense 1585. quod Excommunicatione ferit Sacerdotes, qui absque Episcopi approbatione Confessiones audierint. Eamdem ipsis pœnam irrogat Concilium Mediolanense I. *Alexander VII.* inter plures alias Propositiones erroneas die 14. Septembris 1665. damnatas hanc confixit 13. *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, & ab eo injuste reprobato.*

Propositiones damnatæ.

Et in Brevi Apostolico, dato die 26. Februarii, anno 1659. in causa Andegavensis Episcopi, & Regularium ejusdem Urbis, hanc Propositionem damnat: *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut Confessiones sæcularium audire possint; neque ex illius Concilii auctoritate Privilegia Regularium restringi possunt, cum in Galliis receptum non sit, præter quam in decisionibus fidei, neque etiam Bulla Pii*

la Pii

la Pii IV. pro Confirmatione illius Concilii promulgata. Hanc (inquam) Propositionem Summus Pontifex damnat his verbis: *Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim, & schisma inducens, sacro Concilio Tridentino, & Sedi Apostolicæ injuriosa*.

REGULA III.

Caput Concilii Tridentini, Quamvis Presbyteri, *intelligendum est tam de Episcopo loci, quam de Episcopo Pœnitentis. Adeoque invalida est Confessio illorum, qui ad Sacerdotem in aliena Diœcesi commorantem, & ibi duntaxat approbatum, dedita opera se conferunt, ut apud eum peccata deponant.*

PErtinet enim ad unumquemque Episcopum designare Ministros idoneos suis ovibus: & fieri potest, ut judicatus idoneus ad Confessiones excipiendas pro una Diœcesi, non habeat scientiam, & experientiam sufficientem pro alia, in qua difficiliores Quæstiones, & Casus magis intricati occurrunt.

Præterea *S. Carolus Borromæus*, & ejus Provincialia Concilia, Sedis Apostolicæ Auctoritate confirmata, Tridentini Concilii Caput citatum interpretati sunt tam de Episcopo loci, quam de Episcopo Pęnitentis. Concilium Mediolanense III. Tit. De iis, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent: *Qui ad Confessarium etiam Regularem, in aliena Diœcesi commorantem dedita opera se conferens, peccata sua sit confessus; nisi Confessarius ille, & ab Episcopo loci, & a confitentis Ordinario ad Confessiones audiendas probatus erit; ei tanquam inconfesso Parochus Eucharistiæ Sacramentum ne præbeat: illius præterea Ordinarius, cujus Confessionem ille Sacerdos Confessarius non probatus audierit, ne eum patiatur in sua Diœcesi Confessiones per biennium audire, neque itidem concionari.* Alia est ratio viatorum, & peregrinorum, quia dedita opera ad Confessarium in alia Diœcesi commorantem, & a suo Ordinario non approbatum sese non conferunt: & dum, sine fraude extra suam Diœcesim versantur, subjiciuntur tantisper Episcopis locorum ubi sunt, quantum ad Sacramenta.

REGULA IV.

Ne venialium quidem peccatorum Confessiones excipere, & ab illis absolvere potest Sacerdos, sive sæcularis, sive Regularis, ab Episcopo non approbatus.

QUamvis enim peccata venialia confiteri necessarium non sit, ex quo tamen Ecclesiæ Clavibus subjiciuntur, necessaria est ad eorum sacramentalem Confessionem excipiendam potestas Jurisdictionis. Unde Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, Decreto edito die 12. Februarii anno 1679. approbante *Innocentio XI.* Pontifice Maximo, prohibuit, *Ne venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo se rationem reddituros esse; neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, & rigorosam animadversionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa. Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum Relatione, Sanctitas sua probavit, ac præsens Decretum typis mandari, ac publicari voluit.*

RE-

REGULA V.

Sacerdotes Regulares a ſuis Superioribus approbati, poſſunt abſque approbatione Epiſcopi excipere Confeſſiones Virorum Regularium ſui Ordinis, imo & ſæcularium ad familiam vere pertinentium.

SYnodus enim Tridentina id unum ſtatuit, ac declarat, *Nullum etiam Regularem poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, niſi, aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis approbationem obtineat*. De Regularium Confeſſione nihil ſtatuit, adeoque ſupponit, ipſos poſſe cum ſola Superiorum ſuorum approbatione Confeſſiones Religioſorum ejuſdem Ordinis hominum excipere. Dubitationem omnem ſuſtulit *Clemens X.* Pontifex Maximus, Conſtitutione, quæ incipit, *Superna*, edita undecimo Kalendas Julii, anno 1670. *Ceterum* (inquit) *in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia Inſtituta vivitur, poſſe tam Prælatos Regulares, quam Confeſſores Regularium eorumdem Monaſteriorum, ſeu Collegiorum audire Confeſſiones illorum ſæcularium, qui inibi ſunt vere de familia, & continui commenſales; non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt.* Idem ante *Clementem X.* declaraverat *Gregorius XV.* Conſtitutione, quæ incipit, *Inſcrutabili*, edita 9. Febr. anno 1622.

REGULA VI.

Sacerdotes tum Sæculares, cum Regulares generatim in aliqua Diœceſi ad audiendas Confeſſiones ab Epiſcopo approbati, ad audiendas Monialium Confeſſiones propterea non cenſentur approbati, ſed approbatione ſingulari indigent. Qui ſunt etiam approbati ad audiendas Monialium unius Monaſterii Confeſſiones, nova indigent approbatione, ut in alio Monaſterio Confeſſiones excipiant. Extraordinarii denique Confeſſores pro una vice ab Epiſcopo deputati, nova indigent approbatione, ut eamdem functionem alia vice exerceant.

ITa declaravit Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Decretum legitur apud *Barboſam*, P. 11. *De Officio, & Poteſtate Epiſcopi*, Allegatione xxv. §. 71.

Ita declaravit, & *Clemens X.* Conſtitutione mox laudata: *Et generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium Confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis Confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minime poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe expleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi illarum Confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.*

REGULA VII.

Regulares Sacerdotes Confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, excipere non poſſunt abſque approbatione Epiſcopi.

ITa ſtatuit *Gregorius XV.* Conſtitutione, quæ incipit, *Inſcrutabili*, ſuperius laudata, §. 5. *Confeſſores vero, ſive Sæculares, ſive Regulares quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad Confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis conceda-*

datur, obtineant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut hujusmodi Confessores amoveant, iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores amovendi, quoties, & quando opus esse judicaverit. Non tenentur autem Episcopi Superioribus Regularibus ejusmodi causam significare, sed hoc relinqui prudentiæ, & arbitrio Episcoporum, declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Declarationem refert *Barbosa*, loco supra laudato.

Propositio damnata. Clerus etiam Gallicanus in generali Conventu anni 1700. hanc Propositionem damnavit: *Religiosæ exemptæ possunt absolvi a Sacerdote non approbato ab Episcopo, sive Sacerdos ille sit Sæcularis, sive Regularis.* Hanc, inquam, Propositionem damnavit, *ut falsam, temerariam, a Concilii Tridentini mente alienam, Jurisdictioni Episcoporum, & Ecclesiasticæ Disciplinæ contrariam.*

REGULA VIII.

Sacerdos tum Sæcularis, cum Regularis, in una Diœcesi generatim approbatus, Confessiones in altera Diœcesi audire non potest sine approbatione Episcopi Diœcesani.

ID constat ex Clementina *Dudum*, Tit. *De Sepulturis*, quoad hoc caput non revocata, imo potius ab Apostolica Sede confirmata: „ Magistri, „ (*inquit*) Priores, Provinciales, & Ministri Ordinum prædictorum, eligere studeant personas sufficientes, idoneas, vita probatas, discretas, modestas, atque peritas, ad tam salubre Ministerium, & Officium exequendum: quas sic ab ipsis electas repræsentent, vel faciant præsentari Prælatis, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Civitatibus, & Diœcesibus eorumdem hujusmodi personæ sic electæ Confessiones confiteri sibi volentium audiant, imponant Pœnitentias salutares, & beneficium Absolutionis impendant: extra Civitates, & Diœceses, in quibus fuerint deputatæ, Confessiones nullatenus audituræ.

Præterea, Congregatio Concilii, die sexta Junii anno 1608. declaravit, *Tam Sæcularem, quam Regularem in una Diœcesi approbatos ad audiendas personarum sæcularium Confessiones, non posse in alia easdem Confessiones audire absque Episcopi Diœcesis approbatione.* Refert *Barbosa*, P. 11. *De Officio, & potestate Episcopi*, Allegatione xxv. §. 32.

Id confirmavit *Clemens X.* Constitutione superius laudata. *Ad hæc* (inquit) *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis Pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.*

REGULA IX.

Parochi subditorum suorum Confessiones in alienæ Parochiæ territorio, & in aliena etiam Diœcesi audire possunt.

ORdinariam enim in illos auctoritatem habent, quam exercere possunt ubique, quoad ea, quæ fiunt sine strepitu Judicii, qualis est Confessio. Et certe Concilium Lateranense Can. xxi. statuit, ut Fideles semel in anno confiteantur *Proprio Sacerdoti*, nulla facta mentione loci, in quo Confessiones illorum excipere debet, vel potest.

RE-

REGULA X.

Sacerdotum, sive Sæcularium, sive Regularium approbationes certis limitibus circumscribere possunt Episcopi, & ad certas personas, loca, vel tempora restringere.

ID constat ex *S. Carolo* in Instructionibus Confessorum: *Porro* (inquit) *Sacerdotes, qui quidem a Nobis licentiam Confessiones audiendi, sed non nisi ad certum tempus, aut locum, aut quasdam personas limitatam obtinuerunt, caveant, ne facultatis formam, & limites excedant.*

Idem confirmatur ex Decreto Congregationis Concilii Tridentini Interpretis dato die 2. Julii, anno 1587. Regulares (*inquit*) qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorumve Examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indistincte, absque aliqua limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis personarum, admittantur in Diœcesi propria. De ceteris vero, qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos, cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere.

Alexander VIII. in Causa Andegavensis Episcopi, & Regularium, hanc Propositionem, ut *Falsam, temerariam, scandalosam, & erroneam* damnavit anno 1659. *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere Approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.*

Idem confirmat *Clemens X.* Constitutione, quæ incipit, *Superna magni Patrisfamilias*, §. 4. cujus hæc sunt verba: Illos autem Religiosos, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistincte absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos: quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere.

Idem constat ex Ecclesiæ Gallicanæ Declarationibus, & Censuris in Comitiis Generalibus Cleri, annis 1625. 1635. 1645. & 1700.

REGULA XI.

EPiscopus singulos, sive Sæculares, sive Regulares Sacerdotes, simpliciter, & absolute a se approbatos, ab audiendis Confessionibus suspendere potest ex nova causa, ad Confessiones pertinente.

REGULA XII.

Confessarios omnes, & singulos, sive Sæculares, sive Regulares, a Vicario suo Generali, aut a Decessore suo approbatos, Episcopus ad Examen revocare potest.

PRiorem Regulam quoad primam partem tradit Concilium Mediolanense V. sub *S. Carolo*, Tit. Quæ ad Sacramentum Penitentiæ pertinent: *Episcopus* (inquit) *a Confessionibus audiendis suspendat, aut omnino amoveat Confessarios etiam Regulares jam approbatos, quos pro suæ timoratæ conscientiæ Religione viderit in eo munere non ita sincere, integreque, & cum ædificatione se*

ſe gerere, quemadmodum & tanti Miniſterii illis commiſſi ſanctitas poſtulat, & animarum ſalus depoſcit, quæ ſuæ fidei concredita ſunt.

Poſteriorem Regulam ſtatuit *S. Pius V.* Pontifex Sanctiſſimus, Conſtitutione, quæ incipit, *Romani Pontificis providentia*, cujus hæc ſunt verba: *Volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopo in Civitate & Diœceſibus ſuis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari, ab Epiſcopo autem Succeſſore pro majori conſcientiæ ſuæ quiete examinari de novo poterunt.*

Hanc, & ſuperiorem Regulam tradit *Urbanus VIII.* in Brevi dato die 30. Januarii 1639. in Cauſa Cardinalis *De Sandoval*, Giennenſis Epiſcopi, & „ Regularium ejuſdem Diœceſeos. De venerabilium Fratrum noſtrorum S. „ R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, ac Regu- „ larium præpoſitorum conſilio, partibus auditis, reque mature diſcuſſa, „ Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus, & declaramus, ut „ Regulares quidem in Civitate, & Diœceſi Giennenſi a Prædeceſſoribus „ Epiſcopis examinati, & approbati ad Confeſſiones perſonarum ſæcularium „ audiendas, a præſente Epiſcopo Succeſſore pro majori conſcientiæ ſuæ „ quiete poſſint iterum examinari, ac ſi minus idonei reperti fuerint, re- „ probari ad præſcriptum Conſtitutionis ſanctæ memoriæ Pii Papæ V. Præ- „ deceſſoris noſtri hac de re editæ: ſed illi quos idemmet Epiſcopus appro- „ bavit, ſi quidem hujuſmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, „ eo elapſo non poſſint Confeſſiones audire abſque nova ipſius Epiſcopi li- „ centia, & approbatione, prævio etiam, ſi eidem libuerit, novo exami- „ ne. Illi autem quos ipſemet Epiſcopus ad Confeſſiones hujuſmodi audien- „ das ſemel admiſit ſimpliciter, ac ſine ulla temporis præfinitione, nullate- „ nus poſſint ab eodem reprobari ſine nova cauſa, eaque Confeſſiones ipſas „ concernente. Ceterum an eadem cauſa ſubſit, necne, Epiſcopum non te- „ neri ipſis Regularibus edicere, ſed Sedi Apoſtolicæ duntaxat, ubi eam ſi- „ bi aperiri poſtularint.

Utramque Regulam *Clemens X.* confirmat Conſtitutione, quæ incipit, „ *Superna magni Patrisfamilias*, §. v. cujus hæc ſunt verba: Regulares ve- „ ro ad ejuſmodi Confeſſiones audiendas prævio examine ſimpliciter, & „ abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo: ſecus autem ab „ ejus Vicario, aut Anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe ab eo- „ dem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab eiſdem Confeſſionibus „ audiendis ſuſpendi, ſeu licentias illis conceſſas revocari, niſi nova ſuper- „ veniente cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat. De qua tamen haud „ neceſſarium eſſe, ut in Actis conſtet; nec eam teneri Epiſcopum ipſis Re- „ gularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ duntaxat, ubi eam ſibi aperiri „ poſtulaverint. Porro ſi Regulares cum ſcandalo, aut alias inhoneſte vi- „ vant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi „ judicio videantur a Confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi con- „ ſcientiam oneratam eſſe volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti Pœ- „ nitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas; utique eam cau- „ ſam ad Confeſſionis Miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quo „ minus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares a ſemetipſo approbatos ſuſpen- „ dere, aut repellere a Confeſſionibus audiendis.

REGULA XIII.

Parochi non possunt eligere sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem, sive Secularem, sive Regularem, ab Episcopo non approbatum.

SImplex enim Sacerdos, absque approbatione Episcopi Jurisdictionem nullam habet, adeoque nullam Confessiones excipiendi, & absolvendi potestatem. Unde *Alexander VII.* Pontifex Maximus inter plurimas alias Propositiones die 14. Septembris 1665. hanc ordine decimam sextam damnavit: *Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Et Conventus generalis Cleri Gallicani anno 1700. pronuntiavit, ac declaravit hanc Propositionem esse *Falsam, temerariam, Concilio Tridentino contrariam.*

Concil Trident. ses. 23. de Reform. cap. 15.

Propositio damnata.

REGULA XIV.

Parochi possunt eligere sibi, quem voluerint, Confessarium ab Episcopo approbatum.

ID constat ex cap. *Ne pro dilatione*, Extra. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*; cujus hæc sunt verba: *Ne pro dilatione Pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum, & discretum sibi possint eligere Confessorem.* Hac voce, *& aliis Superioribus*, Parochos etiam significari, viris doctissimis videtur, tum quia *Beneficia Principum sunt interpretanda largissime*, ut habetur cap. *Olim*, *De Regulis Juris*, & *Favores convenit ampliari*: tum quia Parochos maxime spectat ratio Canonis, *Ne* scilicet *periculum immineat animarum*. Cum enim frequens Sacrosancti Sacrificii celebratio, & quotidiana Sacramentorum administratio illis incumbat, in magno salutis periculo versarentur, nisi, quem vellent, eligere sibi possent Confessarium ex approbatis ab Episcopo.

Accedit, quod Superiorum nomine Parochos etiam intelligere conveniens sit, qui Christianæ plebi præsunt, qui *Prælationis Officio funguntur*, ut ait *Clemens III.* cap. *Tua nos*, Extra. *De Clerico ægrotante*, & quos *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Q. CLXXXVIII. Art. IV. & V. *Prælatos inferiores*, & III. P. Quæst. LXVII. Art. II. ad secundum, *Ecclesiarum minores Principes* vocat. Unde & ad ipsos videtur pertinere, quod idem Angelicus Doctor scribit Q. VIII. Supplem. Art. IV. *Quia Prælatis incumbit Sacramenta dispensare, quæ nonnisi mundi tractare debent: ideo concessum est eis a Jure, quod possint sibi eligere proprios Sacerdotes Confessores, qui quantum ad hoc sunt eis superiores; sicut etiam unus Medicus ab alio curatur, non in quantum Medicus, sed in quantum infirmus.*

Antiqua etiam consuetudine id Juris habent Parochi: quæ consuetudo, cum sit *Rationabilis, & legitime sit præscripta*, in Ecclesia vim legis habet, ex cap. *Cum tanto*, Extra. *De Consuetudine*. Quam consuetudinem convellere, aut immutare non expedit, secundum præclaram illam *S. Augustini* Regulam Epist. LIV. alias CXVIII. ad *Januarium*, cap. V. *His enim causis, id est, aut propter fidem aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel institui, quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter, quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.*

REGULA XV.

Sacerdos Regularis, ab Episcopo approbatus, peccat quidem, si Confessiones audiat Superiore suo prohibente: valide tamen absolvit.

PEccat (inquam) ob violationem obedientiæ, quam vovit: sed valide absolvit, quia Judrisdictionem habet ab Episcopo, non a suo Superiore Regulari.

REGULA XVI.

Parochus, qui Beneficium Parochiale dimisit, Confessiones excipere non potest absque nova Episcopi approbatione.

DUplici enim duntaxat nomine Sacerdos secundi Ordinis Confessiones audire potest, secundum Tridentini Concilii Decretum, vel quia Parochiale Beneficium obtinet, vel quia ab Episcopo est approbatus: cum igitur ille Beneficium Parochiale amplius non habeat, ejus Jurisdictio desiisse censenda est, si alio titulo approbatus non fuit, adeoque nova indiget approbatione. Hinc Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum interrogata, *An Sacerdos, qui aliquando approbatus, & idoneus judicatus sit, atque ideo in Parochum assumptus fuerit, dimissa postea Parochiali, haberi etiam nihilominus debeat adhuc idoneus ad Confessiones valide audiendas, ita ut hæc particula Decreti Concilii*, Beneficium obtineat, *extendatur etiam, &c. vel obtinuerit.* Respondit, *Non haberi.* Ita refert *Barbosa*, P. II. *De Officio, & Potestate Episcopi*, Allegatione XXV. §. 16.

REGULA XVII.

Invalida Confessio est, quæ fit Sacerdotibus Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, Suspensis, Irregularibus, Degradatis.

NUllam quippe Jurisdictionem habent, cum Ecclesia subditos illis subtraxerit, ut docet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, sive Quæst. XIX. Supplementi, Articulo VI. idem colligitur ex *S. Augustini* verbis, Tract. CXXI. in Joannem: *Ecclesiæ charitas* (inquit) *quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit, eorum autem, qui non sunt ejus participes, retinet. Ideo postquam dixerit*, Accipite Spiritum Sanctum, *continuo de peccatorum remissione, ac eorum retentione subjecit.* Cum igitur Hæretici, Schismatici, Excommunicati, sint ab Ecclesiæ charitate, sive unitate divisi, Clavium usum non habent in remittendis peccatis.

Tertio, qui ab hujusmodi Sacerdotibus Sacramentum petit absque necessitate, lethaliter peccat, utpote violans Ecclesiæ præceptum in re gravi, adeoque a peccatis non absolvitur.

Si tamen Excommunicatio sit occulta, neque nota Pœnitenti, nec ille aliunde ullum ponat obicem, validum videtur Sacramentum. Jurisdictionis enim usum in illis tolerat Ecclesia, qui non sunt denunciati, ut constat ex Extravag. *Ad evitanda scandala*: si ergo Minister occulto Excommunicationis, aut alterius Censuræ vinculo ligatus Sacramentum conferat, nihilque ex parte materiæ, formæ, vel intentionis Ministri desit, & nullus a suscipiente ponatur obex, Confessio, & Absolutio validæ sunt.

RE-

REGULA XVIII.

Parochi licentiam dare non possunt audiendi Confessiones in Parochia sua aliis Sacerdotibus ab Episcopo non approbatis.

ID olim ex consuetudine recepta potuisse Parochos, quidam colligunt ex S. *Thoma* in IV. *Sententiarum*, seu Supplementi Q. VIII. Art. v. sed si viguit olim ista consuetudo, nunc certe abrogata est cap. xv. Sess. XXIII. Concilii Tridentini, quod incipit, *Quamvis Presbyteri*, quo sancitum est, neminem Sacerdotem posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad hoc idoneum censeri, nisi aut Parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopo fuerit approbatus, *Privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

Idem confirmatur ex *S. Raymundo*, Lib. III. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, §. 15. scribente: *Proprius Sacerdos non potuit dare Jurisdictionem, sive potestatem talem: sed Episcopus solus potest illis, qui sunt in suo Episcopatu, non tamen aliis, qui sunt in aliis Episcopatibus.*

REGULA XIX.

Parochi extra suarum Parochiarum fines Confessiones audire non possunt eorum, qui Parochiali suæ Curæ non sunt subditi, nisi Episcopus hanc ipsis potestatem per totam Diœcesim concesserit, aut ita se habeat consuetudo ab Episcopo approbata.

PArochialis enim Beneficii titulus nullam ipsis nisi in Parochianos suos Jurisdictionem tribuit: adeoque alios absolvere non possunt, nisi ab Episcopo fuerint ad hunc finem approbati. Id confirmat *S. Carolus Borromæus*, qui in Synodo sua Diœcesana XI. in Monitis, quæ ad Sacramenta pertinent, ita statuit: *Ne quis Parochus Confessionem audiat hominum alienæ Parochiæ, nisi a Nobis, Vicariove Generali nostro scriptam hujus rei facultatem generatim, aut sigillatim habeat.*

Quod in nostris Sacramenti Pœnitentiæ Instructionum Additionibus cautum est, ut tempore Paschali Parochi aliorum Parochorum Ministerio ad Confessiones Parochialium suorum audiendas uti possint, id de Parochis tantummodo intelligi declaramus, quibus extra Parochiæ propriæ fines ad audiendas Confessiones probatis, scripta facultas data est.

Idem antea declaraverat Concilium Senonense anno 1529. *Interrogent* (inquit) *Sacerdotes Pœnitentes ad Confessionem accedentes, an sint Parochiani, maxime si de ipsis dubitant: quia non debent absolvere, nec audire in Confessione nisi suos Parochianos.*

REGULA XX.

Quamvis satisfaciant Canoni, Omnis utriusque sexus, *quicumque peccata sua tempore Paschali Pœnitentiario Episcopi, aut alteri Sacerdoti ab Episcopo generatim approbato confitentur; nihilominus convenit, ut pœnitentes hortetur tunc temporis Confessarius quisque tam Sæcularis quam Regularis, ut ad Parochi pedes se sistant, eique Confessionem faciant.*

PRimam partem Regulæ satis superque probavimus, eamque confirmat *Clementis X.* Pontificis Maximi Constitutio, quæ incipit, *Superna Magni Patris familias*, declarans, *Semel simpliciter approbatos posse in Diœcesi E-*

piscopi approbantis quovis anni tempore , etiam Paschali , Confessiones audire Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis tempore Paschalis confessi fuerint , Constitutioni, quæ incipit , Omnis utriusque sexus , *quoad Confessionem duntaxat, satisfecisse censendos.* Non tamen satisfaciunt Canoni, qui absque Parochi licentia confitentur Sacerdotibus Sæcularibus , aut Regularibus approbatis ab Episcopo cum hac clausula, *De consensu Parochorum* : aut, *Excepta Quindena Paschali* : & qui apud illos peccata deposuerunt, tenentur eadem iterum confiteri Parocho, aut Sacerdoti approbato, cum ejus licentia.

Hanc partem simul , & alteram *S. Th.* auctoritate confirmamus, in IV. *Sentent.* sive *Supplementi* Q. VIII. A. V. ad quartum , *Nullus* (inquit) „ tenetur confiteri peccata, quæ non habet: & ideo si aliquis pœnitentiario „ Episcopi , vel alteri ab Episcopo commissionem habenti confessus fuerit, „ cum sint sibi dimissa peccata , & quoad Deum, & quoad Ecclesiam, non tenetur „ ea confiteri proprio Sacerdoti, quamtumcumque petat. Sed propter statutum Ecclesiæ de Confessione facienda proprio Sacerdoti semel in anno , eodem modo se debet habere , sicut ille, qui habet solum venialia . Talis „ enim solum venialia confiteri debet, ut quidam dicunt , vel profiteri se „ a peccato mortali immunem esse ; & Sacerdos ei in foro conscientiæ credere debet , & tenetur. Si tamen iterum confiteri teneretur , non „ frustra primo confessus fuisset , quia quanto pluribus Sacerdotibus confitetur quis, tanto ei plus de pœna remittitur: tum ex erubescentia Confessionis, quæ in pœnam satisfactoriam computatur, tum ex vi Clavium. Unde Bonum est, quod ille qui Auctoritate Episcopi Confessionem audit, inducat Confitentem ad hoc , quod confiteatur Proprio Sacerdoti : *quod si noluerit, nihilominus eum absolvere debet.*

Ad reverentiam erga proprium Sacerdotem , ad fiduciam in Pastorem Animarum suarum adhortari fideles, nostro certe Ministerio dignum fuerit.

R E G U L A XXI.

Quicumque Sacerdoti Sæculari , vel Regulari ab Episcopo approbato peccata sua confitentur , ac deinde Parocho Confessionem faciunt , magis tenentur obedire Parocho suo, quam aliis Confessariis, si forte contraria jubeant.

HAnc Regulam statuit *S. Thomas* loco citato ad tertium . *Super eandem plebem* (inquit) „ immediate sunt & Sacerdos Parochialis, & Episcopus, & Papa: & quilibet eorum potest ea, quæ sunt Jurisdictionis ad ipsum pertinentia alteri committere. Sed si Superior committat, qui & principalior est, dupliciter potest committere: aut ita, quod eum vice sui constituat, sicut Papa, & Episcopus suos Pœnitentiarios constituunt; & tunc „ talis est principalior quam inferior Prelatus; sicut Pœnitentiarius Papæ, „ quam Episcopus; & Pœnitentiarius Episcopi, quam Sacerdos Parochialis: „ & magis tenetur ei confitens obedire. Alio modo, ut eum coadjutorem illius Sacerdotis constituat; & quia coadjutor odinatur ad eum, cui adjutor „ datur , ideo coadjutor est minus principalis: & ideo pœnitens non tantum obedire tenetur ei, quantum proprio Sacerdoti.

RE-

REGULA XXII.

Quamvis Parochus minus peritus, minus probus, minus prudens esset, non posset tamen Parochianus alteri confiteri, nisi cum Episcopi licentia.

UT enim ait *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, sive quæstione VIII. Supplementi Articulo. IV. ad tertium: *Electio discreti Sacerdotis non est nobis commissa ex nostro arbitrio facienda, sed de licentia Superioris, si forte proprius Sacerdos esset minus idoneus ad opponendum peccatis salutare remedium.*

REGULA XXIII.

Parochi faciles esse debent ad præbendam licentiam alteri confitendi tempore Paschali.

ITa *S. Thomas*, Articulo proxime citato, ad sextum. „ In hoc (*inquit*) „ quod oportet proprio Sacerdoti confiteri, non arctatur via salutis; sed „ sufficiens ad salutem via statuitur. Peccaret autem Sacerdos, si non esset „ facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine Confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi, qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per „ Confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt; & per consequens sibi ipsis.

Eamdem Regulam confirmat *S. Carolus Borromæus* in Synodo Diœcesana XI. in Monitis, quæ ad Sacramenta pertinent. „ Parochus unusquisque (*inquit*) in Urbe Parochiales suos generatim ineunte Quadragesima hoc moneat, ut cum ipse multis occupationibus eo tempore distineatur, quicumque „ aliis Confessariis Sacerdotibus approbatis, quos maluerint, confiteri velint, eos ad confitendum adeant, & Confessionis testimonium scriptum ante Hebdomadam Sanctam ipsi Parocho tradant. In Diœcesi autem & generatim, & sigillatim Parochus se facilem præbeat, in consentiendo Parochialibus suis, de quibus nulla sit suspicio, eos medicinæ vitandæ causa Parochi „ judicium subterfugere, ut ad alios Confessarios a nobis testimonio scripto probatos se conferant, qui peccatorum suorum Confessionem audiant. Imo vero eam facultatem sponte sigillatim offerre debet iis, qui lites, controversias, dissensionesve secum exercuerint, exercentve, de iis præsertim rebus, „ quæ ad munus spirituale Parochialis Curæ non attinent. Qua in re si Parochus defuerit, tunc Vicarius foraneus facultatem concedat licet, ut alios „ Confessarios adire possint. Verum ne idem Vicarius foraneus, & Parochus „ generatim consentiat, eos a quo maluerint Confessario audiri, sed ab eo „ quem ipse, vel Parochus, vel Vicarius maluerit, vel ab illo, quem ex pluribus piis, & peritis ab eodem Parocho, & Vicario propositis, pœnitens ipse „ sibi delegerit.

Diœcesana Synodus Lingonensis anno 1404. Idem decreverat. *Quia* (inquit) *tam de Jure, quam per Doctores, sunt causæ, propter quas aliquis Parochianus juste posset refutare confiteri Curato, vel Vicario suæ Parochiæ, quas non posset faciliter coram Superiore proponere: idcirco statuimus, quod cum aliquis Parochianus de cetero a Curato, vel Vicario petet sibi dari licentiam alteri confitendi, Curatus concedat faciliter absque magna inquisitione causæ. Quod si Curatus recusaret; Nos tenore præsentis Statuti, petita prius a Curato, & non concessa, eidem de gratia concedimus, salvo in aliis jure Curati.*

REGULA XXIV.

Advenæ, peregrini, vagi, & qui plura domicilia in diversis Parochiis habent, Confessionis annuæ præcepto satisfaciunt, si Parocho, seu Coadjutoribus illius Parochi confiteantur, in cujus Parochiæ territorio Paschali tempore commorantur.

ITa *S. Carolus* in Concilio Diœcesano XI. *Advenas* (inquit) *& peregrinos, quos intra Parochiæ suæ fines brevi tempore in Diœcesi morari contigerit, audire liceat etiam tempore Paschali, nisi fortasse de industria eo accesserint, ne in Parochiali Ecclesia Sacramenta sumant.*

Idem statuit Synodus Nemausensis Diœcesana a *Bertrando* Episcopo anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto celebrata, Tit. *De Penitentia*. Inter casus enim, in quibus sine licentia proprii Sacerdotis potest aliquis alieno Presbytero confiteri, hos recenset: *Si causa domicilii se duxerit ad aliam Parochiam transferendum .... Cum vagabundus circumit .... Cum imminet sibi mortis periculum, & non potest habere proprium Sacerdotem .... Cum Episcopus hoc alicui specialiter delegavit*, &c. Eadem habet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXI. in Expositione textus. Eadem habet *S. Raymundus* Libro III. Tit *De Pœnitentiis, & Remissionibus*. Addunt, Parochum audire posse Confessionem alterius Parochiani, cum ille extraneus peccavit in Parochia sua. Sed Glossa *Joannis de Friburgo* in Summam *S. Raymundi*, recte notat hunc casum generatim recipiendum non esse.
„ Quia si quis fornicatus sit vel adulteratus occulte, vel aliud crimen commisit
„ in Parochia aliena, propter quod crimen non sit excommunicatus a Prælato
„ illius loci, debet de illo peccato confiteri proprio Sacerdoti: si autem sit ex-
„ communicatus propter illud peccatum, sicut consuevit fieri de furtis, & ra-
„ pinis, & hujusmodi, in quibus ignorantur auctores, mittendus est talis ad
„ Excommunicatorem absolvendus ab excommunicatione hujusmodi, quia
„ non potest ab illa absolvi per proprium Sacerdotem: & quod dicit Jus, quod
„ sortitur quis forum ratione delicti, intelligendum est quoad illa, quæ perti-
„ nent ad forum contentiosum, quia potest ibi conveniri, judicari, & puniri
„ de crimine ibi commisso.

REGULA XXV.

Regulares, ab Episcopo generatim, & absque ulla prorsus exceptione, & restrictione approbati, Confessiones sæcularium infirmorum audire possunt: tenentur tamen Parochum de hujusmodi Confessionibus certiorem facere. Expedit etiam, ut Parochum adeant; antequam Confessionem excipiant, & cum illo de statu infirmi conferant, si id fieri possit. Diœcesana denique Statuta, & Mandata Episcoporum observanda sunt.

Confessiones infirmorum.

PRima, & altera pars Regulæ nititur Jure communi, & Sacri Concilii Tridentini Decretis, quibus Sacerdotes ab Episcopis approbati, ad Fidelium Confessiones audiendas admittuntur. Itaque si generatim absque ulla prorsus exceptione personarum, locorum, & temporum, absque ulla conditione sint approbati ab Episcopo, Confessiones infirmorum audire possunt, non minus quam optime valentium. Aliter se res haberet, si approbati essent ab Episcopo ad audiendas Confessiones, *Exceptis Confessionibus infirmorum* aut *Cum licentia Parochi*, &c. In illa enim hypothesi Confessiones infirmorum vel audire omnino non possent, vel nonnisi cum Parochi licentia.

Idem confirmat *Clementis X.* Constitutio, quæ incipit, *Superna magni Patris familias*, extra Tom V. Bullarii Romani, pag. 494 qua declarat Summus Pontifex, *Semel simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni*

anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque etiam infirmorum Confessiones audire absque ulla Parochorum licentia. De qua tamen Confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna Suspensionis a facultate audiendi Confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Postremam Regulæ partem tradit *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Confessariorum: „ Regulares (*inquit*) ad infirmos audiendos convocati, si ex „ temporis angustia aliud non potuerint, hujus infirmi Pastorem adeant, quæ „ spectant ad hujus statum sciscitaturi, ut diligentius illum examinent, utpote „ in hoc vitæ termino constitutum, a quo salus, aut æterna damnatio pendet: „ quod si ante Confessionem Pastorem convenire tempus non fuerit, saltem „ post eam quamprimum Confessor adeat, ut ambo de infirmi necessitatibus, eo„ que specialiter adjuvando statuant. Denique Statuta Diœcesana, & Mandata Episcoporum servanda sunt, siquidem jus habent statuendi, quod suarum Diœcesum spirituali bono expedire judicaverint, Sedis Apostolicæ Auctoritate in omnibus, & per omnia semper salva.

REGULA XXVI.

Parochos inter, & Regulares Confessores, concordia maxima esse debet ad Animarum salutem promovendam, & Fidelium ædificationem.

HAnc Regulam Venerabilis *Gersonius* Parisiensis Ecclesiæ, & Accademiæ Cancellarius tradit Lib. *De Statibus Ecclesiasticis*. De Statu enim Curatorum agens, Consideratione xv. hæc habet: „ Status Curatorum debet cum bo„ na gratia suscipere statum Privilegiatorum tanquam coadjutores missos, ha„ bentes a Superioribus licentiam prædicandi, & Confessiones audiendi, si non „ appareat rationabilis causa aliquem talem repellendi, utpote si detractor, si „ cullusor, si corruptor, si quæstuosus, si seductor appareat: aut Parochiano„ rum multi inde veniunt in contemptum Curatorum: aut si tunc Curatus per se „ ipsum id agere circa Parochianos suos, quod agendum sit, satis potuerit; quia „ videretur præferendus, nisi legitima fieret exceptio contra eum.

Tum de Statu Privilegiatorum, Consideratione 11. „ Status Privilegiatorum „ (*inquit*) debet cum bona charitate licentia sua uti, non ad quæstum, non ad „ æmulationem, non ad ambitionem, non denique in præjudicium temporale, „ vel spirituale Curatorum; sed instando clam, & palam apud Parochianos, „ quatenus honorem debitum, ac sustentationem suis reddant Curatis, alioquin „ faciunt, quod sibi fieri nollent: meritoque repelluntur hi, de quibus aliter „ constiterit, & Excommunicationem a Canone nonnunquam incurrunt.

Et Consideratione 11. de utroque Statu: „ Status uterque (*inquit*) studeat alter alterius onera portare sine contentione, & æmulatione de rebus prædicatis, vel aliis, ne si invicem more cornicum se mordeant, consumantur: ne præterea surgat fœda opinio Ecclesiasticorum apud Laicos, & vituperetur ministerium verbi Dei. Nonne Deus, quæso, abunde dives est pro omnibus? Nonne „ pacis est Deus, non divisionis? Denique quid prodest Pharisaica contentio de „ Status præeminentia? Quid sanctius est dare operam, ut quis perfectus inve„ niatur, quam si jacens in imis de perfectione status glorietur?

Servanda Parochos inter, & Regulares Confessarios concordia,

Eamdem concordiam stabilire cupiens *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Confessorum hæc habet: „ Confessores Regulares, qui potissimum extra Ur„ bem degunt, cum locorum Parochis, ubi aut habent Monasteria, aut con„ cionantur, aut quacumque ex causa ibi Confessiones audiunt, ita conve„ niant; ut Pœnitentes non absolvant, qui viventes cum scandalo in peccato

„ perseverant, aut Pœnitentiis publicis ipso facto subjiciuntur, aut ad legatorum, similiumque rerum restitutionem tenentur, qui propterea a Parochis non „ absolverentur, nisi prius his obligationibus satisfecerint. Ideo Regularium „ Superiores Confessarios suos sæpius moneant, & ad hanc animorum unionem, in Fidelium ædificationem adhortentur: curentque imprimis, ut dum „ in casuum resolutione diversa inter eos, & Parochos sententia fuerit, „ prudenter in eo se gerant, & ad Laicorum notitiam id non veniat, sed „ ad nos pro decisione recurrant.

REGULA XXVII.

Confessarii Regulares ab Episcopo approbati, absolvere non possunt a Casibus Summo Pontifici, aut ipsi Episcopo reservatis, nisi specialem ab ipsis acceperint potestatem: nullaque illis Privilegia quoad hoc suffragantur.

De Absolutione a Casibus reservatis.

HAnc illis potestatem jamdudum ademit *Clemens V.* in Concilio Viennensi, ut constat ex Clementina *Dudum*, Tit. *De Sepulturis*, qua declarat, se Regularibus ad Pœnitentiæ Sacramentum administrandum deputatis potestatem non impendere ampliorem, quam in eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est a Jure concessa: *Nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam specialiter duxerint faciendam*. Et in Clementina, *Religiosi*, Tit. *De Privilegiis, & Privilegiatorum excessibus*, Regularibus vetat sub interminatione maledictionis æternæ, *Ne in Casibus Sedi Apostolicæ, aut locorum Ordinariis reservatis quemquam absolvere præsumant*. Concilium etiam Tridentinum Sessione XIV. cap. VII. declarat *In Ecclesia Dei custoditum semper fuisse, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes a quibusvis Censuris, & peccatis absolvere posse: extra quem articulum, Sacerdotes, cum nihil possint in Casibus reservatis, id unum Pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores, & legitimos Judices pro beneficio Absolutionis accedant*.

Idem sanxit Concilium Mediolanense III. Præside *S. Carolo Borromæo*, Tit. *De iis, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent*; prohibet (inquam) *Ne Confessarii Regulares, eorum peccatorum, quorum absolutio Episcopo reservata est, vinculis irretitos Pœnitentes absolvant, quemadmodum a Sede Apostolica declaratum est, id eis non licere, quavis Privilegiorum suorum auctoritate*.

Et Concilium Mediolanense V. sub eodem Archipræsule Sanctissimo: *Ne facultatum* (inquit) *Privilegiorumve jure, quæ cuicumque etiam Rosarii, & Cruce signatorum Scholæ, Confratriæ, Collegiove etiam Laicorum, quæve Collegis, Confratribusve in eo adscriptis ante, vel post Concilii Tridentini confirmationem concessa sunt; Confessarius, cujusvis Ordinis sit, ab iis casibus, quos sibi Episcopus in sua Diœcesi reservaverit, Pœnitentes sine illius facultate absolvat. Si contra fecerit, Suspensionem a divinis ipso facto incurrat*.

Ibidem: *Ab iis casibus proxime promulgatis, si quis Confessarius cujusvis Ordinis, sine facultate scripto ab Episcopo data, aliquem absolvere attentarit, Excommunicationis pœnam ipso facto subeat*.

Idem sanxere Concilia Provincialia post Tridentinum in Galliis celebrata, Rothomagense anno millesimo quingentesimo octogesimo primo, Tit. *De Curatorum, & aliorum Presbyterorum, ac Parœcianorum officiis*; Burdigalensis anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio, cap. XII. *De Pœnitentia*; Bituricense anno millesimo octogesimo quarto, Tit. XXI. *De Pœnitentia*; Aquense anno millesimo quingentesimo quinto, Tit. *Quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent*; Tolosanum anno millesimo quingentesimo nonagesimo, cap. IV. *De Pœnitentia, & Confessione*. Narbonense anno millesimo sexcentesimo nono, cap. XVII. *De Casibus reservatis*.

Abso-

Absolutionem a Casibus Sedi Apostolicæ, aut Ordinariis locorum reservatis illicitam esse Regularibus pariter, & Sæcularibus Sacerdotibus: nulla illis ad hoc suffragari Privilegia; Absolutiones, si quas ab his Casibus sine speciali facultate concesserint, nullas, & irritas esse: ab his absolventes, *Excommunicationis*, *Privationis Officiorum*, *& Dignitatum*, *aut Beneficiorum*, *inhabilitatis*; *item audiendi Confessiones*, *& ad quæcumque Officia*, *Prælaturas*, *Beneficia inposterum obtinendi*, *pœnas ipso facto absque ulla alia declaratione*; incursuros: *super quibus a nemine nisi a Romano Pontifice habilitatio*, *dispensatio*, *aut Absolutio possit impartiri*, declararunt Summi Pontifices *Clemens VIII.* Decreto edito die nona Januarii anno millesimo sexcentesimo primo; *Paulus V.* Decreto edito septimo Januarii anno millesimo sexcentesimo decimo septimo; *Urbanus VIII.* Decreto edito die decima septima Novembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo; *Innocentius X.* in Litteris ad Archiepiscopum Neapolitanum per Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium negotiis præpositam scriptis die nona Decembris anno millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo. Quæ Decreta, & Litteræ legi possunt apud *Barbosam*, P. III. *De Officio*, *& Potestate Episcopi*. Allegatione LII. *Alexander VII.* plurimas inter Propositiones, quas minimum tamquam scandalosas damnavit, & publice, vel privatim propugnari, aut doceri prohibuit sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda. & ad praxim deduci sub interminatione divini Judicii, die XXIV. Septembris, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, hanc ordine duodecimam Apostolica Censura confixit: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis*, *non obtenta ad id Episcoporum facultate*. Et rursus die XVIII. Martii, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, hanc inter alias Propositionem damnavit, pariterque prohibuit ordine trigesimam sextam: *Regulares possunt in foro conscientiæ ut Privilegiis suis*, *quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum*.

De Absolutione a Casibus reservatis.

Denique *Clemens X* Constitutione, quæ incipit, *Superna magni Patrisfamilias*, declarat, „ Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave Privilegia Re„ gularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam *Jesu*, con„ cessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo „ sibi reservatis. Et per Confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Re„ gulares a Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinue„ runt, nequaquam revixisse Privilegia, prius ab eodem Concilio, aut de„ inde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, „ absolvendi a casibus Episcopo reservatis.

REGULA XXVIII.

Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, *non ideo a casibus Episcopo reservatis possunt absolvere*.

HAnc Regulam iisdem verbis tradit *Clemens X.* in Constitutione mox laudata. Cuique enim Episcopo suam Jurisdictionem integram servare Summi Pontifices volunt, juxta illud S. Gregorii Magni: *Si sua unicuique Episcopo Jurisdictio non servatur*, *quid aliud agitur*, *nisi ut per Nos*, *per quos Ecclesiasticus custodiri debuit Ordo*, *confundatur*?

REGULA XXIX.

Confessarius tum Sæcularis, tum Regularis Pœnitentes ex alia Diœcesi ad se confluentes absolvere potest a casibus in illa Diœcesi, non autem in Diœcesi ipsius Confessarii reservatis, modo dedita opera, & in fraudem reservationis ad alienæ Diœceseos Confessarium sese non contulerint.

ITa *Clemens X.* in Constitutione mox laudata declarans, *Posse Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro Absolutione obtinenda migrasse.* Præterea, reus judicari solet juxta Leges, & Consuetudines loci, in quo reperitur: iter itaque agentes, sive peregrini, Casus habentes reservatos Episcopo proprii domicilii, non autem Episcopo loci, in quo reperiuntur, ab iis absolvi possunt a quocumque Confessario approbato in ea Diœcesi, in qua negotiorum causa versantur, aut per quam transeunt. Siquidem reservatio non afficit Confessarium, sed Pœnitentem, qui sortitur forum Pœnitentiale, ubi moram trahit: quod ab *Eugenio IV.* declaratum observat *Cajetanus* in Summa, verbo *Absolutio*.

De Absolutione a Casibus reservatis.

REGULA XXX.

Confessarius, qui potestatem obtinuit absolvendi a casibus Episcopo reservatis, non ideo potest absolvere a Censuris.

CUm enim aliud sit Casus reservatus, aliud Censura, & Episcopus soleat aliquando reservare Casus cum Censuris, aliquando sine illis; potestatem ab utrisque absolvendi concedat necesse est: nec facultas circa unum concessa potest ad aliud extendi.

REGULA XXXI.

Qui facultatem habent absolvendi a Casibus Summo Pontifici reservatis, possunt etiam absolvere a Censuris.

CUm enim nulli Casus Summo Pontifici reservati sint absque Censura, concessa facultate absolvendi a Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, concessa censetur & facultas absolvendi a Censuris.

REGULA XXXII.

Si periculum mortis immineat, desitque Confessarius approbatus, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque peccatis, & Censuris absolvere.

In articulo mortis nullus Casus est reservatus.

HÆc Regula iisdem verbis traditur in Rituali Romano *Pauli V.* jussu edito, & nititur Concilii Tridentini declaratione Sess. XIV. *De Pœnitentia*, cap. VII. *Pie admodum* (inquit) *ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes a quibusvis peccatis, & Censuris absolvere possunt.* Quoslibet Sacerdotes in articulo mortis a quibusvis peccatis, & censuris absolvere posse, cum declarat Sacra Synodus, suspensos, excommunicatos, degradatos, schismaticos, hæreticos non excludit, facta hypothesi, quod nullus præsto sit Sacerdos Catholicus, vel a Censuris liber. Censet tamen *S. Raymundus*, neminem teneri in ea hypothesi confiteri peccata Sacerdoti Hæretico, Schismatico, vel Excommunicato: imo Confessio-

fessionem hujusmodi hominibus, etiam in mortis articulo dissuadet ob subversionis periculum. (Lib. III. §. 16.) Cum etiam in mortis articulo nullam esse reservationem Concilium ait, de mortis periculo idem intelligendum est, ut explicat Rituale Romanum. Accedit, quod Canones absolvendi potestatem concedentes non distinguunt inter articulum, & periculum mortis, ut constat ex cap. *Eos qui*, Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in sexto. Et ex Can. *Si quis*, Causa XVII. Q. IV. & ex cap. *Ea noscitur*, Extra, *De Sententia Excommunicationis*. Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, seu Qu. VIII. Supplementi, Art. VI.

REGULA XXXIII.

Qui ob mortis periculum fuerint absoluti a Censuris Superiori reservatis, sistere se tenentur ei cui reservatæ sunt, quamprimum convaluerint, non quidem ut rursus absolvantur, sed ut Mandatis ejus pareant: idque nisi præstiterint, in easdem Censuras incurrunt.

HÆc Regula nititur cap. *Eos qui*, Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in sexto, cujus hæc sunt verba: „ Eos, quia sententia Canonis, vel hominis (cum ad illum, a quo alias de jure fuerunt absolvendi, nequeunt „ propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro Absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur: „ si cessante postea periculo, vel impedimento hujusmodi, se illi, a quo his „ cessantibus absolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempserint præsentare, Mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & satisfacturi prout justitia suadebit: decernimus (ne sic Censuræ illudant Ecclesiasticæ) in eamdem Sententiam „ recidere ipso jure. De Casibus reservatis.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Quæst. & Articulo supra citatis, in Responsione ad secundum: *Non oportet* (inquit) *eum recurrere ad proprium Sacerdotem, ut iterum a peccatis absolvatur, a quibus in articulo mortis absolutus est: sed ut innotescat ei, quod sit absolutus. Nec similiter oportet, quod absolutus ab Excommunicatione ad Judicem vadat, qui alias absolvere potuisset, Absolutionem petens, sed Satisfactionem offerens.*

REGULA XXXIV.

Qui facultatem ab Episcopo obtinuit absolvendi a Casibus illi reservatis, mortuo Episcopo ab illis absolvere non potest, nisi novam potestatem obtinuerit a Successore, aut a Capitulo Sede vacante.

DElegatio enim morte delegantis extinguitur; ut habetur l. *Et quia*, ff *De Jurisdictione omnium Judicum*.

REGULA XXXV.

In Casuum reservatione summa prudentia Episcopis opus est.

„ NOn enim passim, sed cum id videtur communi bono expedire; atrociorum tantum, & graviorum criminum absolutionem sibi reservare debent, quorum reservatio ad Christianam Disciplinam retinendam conferat, & in ædificationem, non autem in destructionem cedit: „ ne alioqui Sacramenti Pœnitentia, Ministrorum coarctata potestate, Sanctæ Matris Ecclesiæ piæ menti contrarius subsequatur effectus; ut declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum,

„ dia-

„ die 26. Novembris anno 16‒1. Peccata etiam occulta non sunt facile reservanda, nisi plures ab eis deterreat reservatio, quam ab eorum Confessione Superioribus facienda prohibeat pudor, quod in peccatis carnis, ut plurimum, contingit, iis præsertim, quæ a sexu muliebri, & a pueris committuntur, bestialitate ex epta, ut ait *Gerso*, in Opusculo *Super absolvendi potestate, & qualiter expedi a fieri Reservationem peccatorum*.

De Casibus reservatis. Piissimus idem Cancellarius in Epistola ad quemdam Episcopum, *De Moderatione Casuum reservandorum*, ita scribit: „ Pastoralis Auctoritas in Casibus reservandis, sicut & alia quælibet potestas, data est Prælatis in ædificationem Ecclesiæ, non in destructionem, sicut dicit Apostolus, & in favorem Populi Christiani pro salute, non pro quæstu, aut simili commodo consequendo. Constat autem certissime per plures expertos in Confessionibus audiendis tempore isto, quod reservatio stricta quorundam casuum, præsertim in gravioribus, & occultis speciebus peccati carnalis, retrahit innumeros a Confessione talium peccatorum, sicut sunt pueri, & puellæ, & mulieres verecundissimæ, & rurales idiotæ, a quibus vix potest extrahi Confessio talium peccatorum, quantumcumque Confessor sit solicitus, humilis, morosus, & discretus. Quod si remittantur ad Prælatum, vel Pœnitentiarium de longinquo, vel in publico, refugiunt, & horrent. Expertumque est millies, quod non vadunt: sed nec ducenti, nec trecenti sufficerent aliquando in una Diœcesi ad tales casus plane audiendos, absolvendosque. Denique quid prodest, & certe obest plurimum, addere verecundiam super verecundiam, onera gravia super onera, & difficultatem confitendi talia peccata super difficultatem, quæ tanta est, ut vix credi posset? Et hoc præcipue, quando peccatum secretum est. Si diceres. Talis si non revelabit, damnabitur: fatemur quidem, sed obviandum esset huic damnationi modis omnibus, potius quam addenda sit occasio. Numquid requiritur sanguinis locus, id est, damnatio ab illis, qui occasionem dederunt, præcipue Prælatis Majoribus? Sic certe & isti satisfacient pro isto usque ad ultimum quadrantem, euntes in eamdem damnationem, cum sint Prælati ad salvandum gregem Domini positi, & pascendum, non occidendum, aut scandalizandum. Expertum est itaque, quod hic terror reservationis nullos, aut paucissimos cohibet sic peccare, innumeros autem sic retrahit confiteri propter dictas causas, & etiam alias, quoniam mulieres præcipue tali modo retrahuntur: primo timentes notari a maritis; cum tales Confessores adeant; qui cum zelotypi sint, statim sinistram contra uxores suas sumerent occasionem, unde surgerent jurgia, lites, discordiæ, & amoris interruptio, & cetera, quæ pejora procurarent mala, utinam non sæpius mortem! &c...... Postremo si non placet casus omnes occultos relinquere passim cuilibet Confessori, ut pro omni ætate confitentium, saltem hoc expedire videretur, primo, quod nullus casus judicaretur esse reservatus quoad confitentes minores, scilicet, qui non compleverunt decimumquartum annum, quia non habent perfectum usum rationis, nec faciliter resistunt tentationibus suis, vel malitiis alienis, nec leviter audent coram personis authenticis, & extraneis comparere, quanto minus audent de tam pudendis confiteri? Consulendum est insuper verecundiæ etiam parentum, si crebro, vel publice, vel de longinquo ad Pœnitentiarios mitterentur. Et expedit denique faciliter, & cito relinquere potestatem super occultis casibus Curatis, & Ordinariis, & generaliter omnibus, qui bona fide voluerint, & sciverint proficere animabus, non ad quæstum, vel subversionem: imo tales diligenter inquirendi essent, & inducendi, & rogandi ad laudem Dei, & salu-

„ tem

„ tem populi Confessores, & Prædicatores, per condescensionem bonitatis „ in hoc tempore pessimo, quando nimis experimur, heu! illud Genes. vi. „ *Corruperat omnis caro viam suam*. Hinc horrendum est ubique flagitiorum nau- „ fragium, in quo salvat arca Pœnitentiæ: cujus arcæ introitum ideo plus „ expedit ampliare, quam nimia arctitudo suo prohibeat eos, qui ad ingre- „ diendum allici, imo juxta Parabolam Evangelicam quasi compelli debue- „ runt.

Secundum hanc *Gersonis* Doctrinam Synodus Senonensis anno 1524. ita statuit: *Ne contingat ex supradictorum Casuum reservatione delinquentem prodere, & periculum famæ, & scandalum inducere: omnibus, & singulis nostræ Diœcesis Parochialibus Curatis, & eorum Vicariis impartimur, & concedimus auctoritatem, & potestatem absolvendi mulieres Parochianas suas, non notorias peccatrices, sed occultas, ab incestu, & omnibus aliis luxuriæ peccatis, etiam sodomiticis occultis, si qua talia se confiteantur commisisse: maxime si cognoscent prædicti Curati dictas confitentes ad Nos, aut Pœnitentiarium nostrum pro Absolutione supra præmissis habenda, absque scandalo, & famæ periculo accedere non posse*. Idem statuit Diœcesana Synodus Carnotensis anno 1526. Idem Synodus Parisiensis anno 1557 *Parochos* (inquit) *& Vicarios non impedimus, quo minus famæ, pudorique muliebri consulant; & a libidinis sordibus absolvant, ea tamen lege, ut occultæ sint, & de his dolor animi, Confessioque fuerit*. De Casibus reservatis.

REGULA XXXVI.

Casus Summo Pontifici, & Episcopis reservatos singuli Confessarii nosse debent, eosque apud se descriptos, aut ipsis Confessionalibus intus affixos habere decet.

Ita statuit *Sanctus Carolus* in Conciliis plerisque suis, & in Instructionibus.

CASUS ROMANO PONTIFICI RESERVATI.

In corpore Juris Canonici, in Concilio Tridentino, & in plerisque Summorum Pontificum Constitutionibus, quam plurimæ habentur Excommunicationes Summo Pontifici reservatæ, sed non omnes ubique receptæ sunt, aut vigent; plurimas enim abrogavit contraria consuetudo, quam Sacri Canones vim legis habere decernunt, ut constat ex Can. *Consuetudo*, Dist. I. & Cap. *Cum olim*, Extra, *De Consuetudine*. Et quemadmodum Leges Divinæ natura constant, ita leges humanæ moribus, ut habetur Can. *Omnes leges*, Distinct. I. Ipsaque consuetudo Jurisdictionem confert, ut patet ex Can. *Conquestus*, Causa IX. Quæst. III. & Cap. *Cum contingat*, Extra, *De foro competenti*. Unde Ordinariorum Jurisdictio consuetudine præscripta ampliatur, eademque Superiorum Reservationes restringuntur.

Inter Summorum Constitutiones Pontificum, quibus Casus Romano Pontifici reservati continentur, celeberrima est *Bulla Cœnæ Domini*, ita nuncupata, quod die Cœnæ Domini quotannis Romæ solemni Ritu promulgetur. Verum Bullam istam in nonnullis Provinciis, & Regnis non esse receptam, notum est. Recepta est alibi. Disciplinæ res est, quam Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum optima Mater, & Magistra variam in variis Ecclesiis tolerat, tum in hac specie, cum in aliis. Hinc *Alexander III.* in Matrimonii causa rescripsit olim: *Licet Ecclesia Romana propter maleficium legitime conjunctos dividere non consueverit: si tamen Consuetudo generalis Ecclesiæ Gallicanæ habet, ut hujusmodi Matrimonium dissolvatur, Nos patienter toleramus.* Bulla in Cœna Domini.

Eustachius Du Bellay Parisiensis Episcopus, qui Tridentino Concilio interfuit,

Casus Summo Pontifici reservati. terfuit, in Statutis suis Synodalibus hos dumtaxat Casus adscribit Romano Pontifici reservatos, seu quod aliorum quorumdam reservatio Ecclesiæ Gallicanæ Moribus recepta non sit, seu quod infrequentius occurrant.

1. *Omnis Hæreticus, fautor, receptator, ac Hæreticorum defensor.*
2. *Qui patrem, vel matrem vulneravit, aut occidit.*
3. *Qui Clericum atrociter percussit.*
4. *Qui Virginem per vim defloravit, & constupravit.*
5. *Qui Monialem in loco sacro cognoverit, vitiarit.*
6. *Qui Templorum tectis faces ad incendium immisit.*
7. *Qui Litteras Apostolicas adulteravit.*
8. *Qui nova vectigalia, tributa, & exactiones excogitarit.*

Quod tamen supremos Principes, & eorum Ministros, vel Respublicas non spectat: quibus jus est imponendi vectigalia, & tributa ex causa communis boni.

9. *Qui Simonismo, id est, malis artibus, Sacerdotia Ecclesiastica adeptus fuerit.*

Synodi Gallicanæ atrociorum quorumdam criminum absolutionem Romano Pontifici olim reservarunt. Inconcussa tamen veritas est, eaque ad fidem pertinens, Romanum Pontificem in tota Ecclesia posse reservare sibi Casus. Quædam crimina Ecclesia Gallicana agnoscit Summo Pontifici reservata, a quibus ne absolvant Confessarii potestatem absolvendi a Sede Apostolica non habentes, diligenter cavet. Atque ab antiquis temporibus hæc in nostrorum Præsulum pectoribus viguit religio, & in Romanum Pontificem observantia, ut atrociorum quorumdam criminum Judicium Sedi Apostolicæ sponte etiam reservarent, ut constat ex Concilio Bituricensis Provinciæ Lemovicis celebrato, anno millesimo trigesimo-primo. *Hoc* (inquiunt) *ab ipsis Apostolicis Romanis, & ceteris Patribus cautum tenemus: ut Parochiano suo Episcopus, si Pœnitentiam imponit, eumque Papæ dirigit, ut judicet utrum sit an non Pœnitentia digna pro tali reatu, potest eam confirmare Auctoritas Papæ, aut levigare, aut super adjicere. Judicium enim totius Ecclesiæ maxime in Apostolica Romana Sede constat. Item si Episcopus Parochianum suum cum testibus, vel litteris Apostolicis ad Pœnitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro gravissimis reatibus fieri solet, in quibus Episcopi ad dignam hæsitant Pœnitentiam imponendam: hic talis licenter a Papa remedium sumere potest.*

CASUS EPISCOPIS RESERVATI.

Casus Episcopis reservati. Sex casus a Jure Episcopis reservatos Auctores aliqui recensent, freti Extravaganti *Benedicti Undecimi*, quæ incipit, *Inter cunctas*, Lib. v. *Extravag. Commun.* Tit. *De Privilegiis*. 1. Peccata illa, quibus a Jure imponitur publica Pœnitentia. 2. Peccata quibus major Excommunicatio annexa est. 3. Quæ Irregularitatem ex delicto inducunt. 4. Incendium. 5. Publica blasphemia. 6. Homicidium voluntarium, aut mutilatio. Verum casus istos aliquibus Episcopis non Jure scripto, sed sola Consuetudine reservatos; istamque consuetudinem universalem non fuisse, sed aliquarum dumtaxat Diœcesum, colligitur ex verbis istius Constitutionis: *Quod ea rationabilis consuetudo præscripta canonice in Episcopatibus aliquibus reservavit Episcopis*. Deinde hæc *Benedicti XI.* Constitutio posteriore *Clementis V.* Constitutione, quæ incipit, *Dudum*, Tit. *De Sepulturis*, abrogata est.

Casus Episcopis partim Jure scripto, partim Jure consuetudinis in Gallia reservati sunt.

1. *Hæresis*. Hinc casum Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIV. *De Reformatione*, Cap. VI. solis locorum Episcopis reservat. Quo Tridentini Concilii Jure Gallicana utitur Ecclesia. Attamen hæresim mentalem, nec ex-

terius

terius manifestatam, & assertam, casum reservatum non esse, certum est, cum Ecclesia in actus mere internos Jurisdictionem suam non exerceat. Id autem ita Episcopis concessum est a Sacra Synodo, ut eorum Vicariis non sit permissum. In Gallia tamen Episcopi hanc Absolutionem committunt; indulto Sedis Apostolicæ, aut consuetudine, Romanorum Pontificum expresso, vel tacito consensu approbata.

2. *Incendium ex deliberata malitia*, antequam incendiarius sit publice denunciatus.

3. *Rapina rerum Ecclesiæ cum effractione, modo hujus criminis rei non fuerint publice denunciati.*

4. *Gravis percussio Clerici, vel Monachi*. Hic casus Jure scripto est Episcopis reservatus; Cap. *Pervenit*, Extra, *De Sententia Excomm.* Gravem percussionem dicimus, quæ cum peccato mortali conjuncta est, quam tamen *Clemens III.* Cap. *Pervenit*, vocat *Modicam*, *& levem injuriam*, comparate scilicet ad *enormem*, ut constat ex contextu Capitis: *De his* (inquit) *absolvendis*, *qui Clericis non enormem*, *sed modicam*, *& levem injuriam irrogarunt*, *tuæ Fraternitatis arbitrio duximus committendum*. Levis percussio est, *Quæ non odio, vel invidia*, *vel indignatione fit*, *sed levitate jocosa*, & hæc non est casus reservatus, nec Excommunicationi obnoxius, ut constat ex Cap. *Super eo*, Extra, *De Sententia Excomm.* Idem ferendum est judicium de percussione, quæ fit a parentibus, Superioribus, & Magistris *Intuitu disciplinæ*, *vel correctionis*, *quia non potest in ipsis injectio manuum violenta notari*. Percussio enormis, seu atrox censetur, *Si ad mutilationem membri*, *vel effusionem sanguinis est processum*, *aut in Episcopum*, *aut Abbatem violenta manus injecta*; ut habetur Cap. *Cum illorum*, Extra, *De Sententia Excomm.* De sanguinis effusione copiosa *Innocentium III.* esse intelligendum, Glossa observat, quia facile sanguis per nares effluit. Quamquam, & sine sanguinis effusione percussio enormis esse possit. In gravi autem, modica, aut levi percussione Clerici dijudicanda, gradus personæ, & circumstantia loci spectanda est, necnon contumeliæ ratio habenda. Si enim alapa impingatur Clerico ad Sacrum Altaris ministerium stanti, aut concionanti: si pugno percutiatur, vel calcibus impetatur in sacris Officiis, in Choro, in solemni Supplicatione: si vestis ejus injurioso, & contumelioso animo dilaceretur, si facies ejus, aut caput luto, attramento, stercore, urina, sputis fœdetur, levem hanc, vel modicam percussionem esse nemo dixerit, sed gravem, forte & atrocem, sive enormem injuriam.

Quos percussores Clericorum vel Monachorum absolvere possit Episcopus quos non possit?

Violenta, & enormis manuum injectio in Clericum vel Monachum, Casus est cum Excommunicatione Summo Pontifici reservatus, ut declaravit Concilium Lateranense sub *Innocentius II.* Canone v. & refertur Can. *Si quis suadente*, Causa XVII. Quæst. IV. cujus hæc sunt verba: *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit*, *quod in Clericum*, *vel in Monachum violentas manus injecerit*, *Anathematis vinculo subjaceat*. *Et nullus Episcopus illum præsumat absolvere*, *nisi mortis urgente periculo*, *donec Apostolico conspectui præsentetur*, *& ejus suscipiat Mandatum*. De percussione enormi alii Canones explicant. Eamdem in Censuram Summo pariter Pontifici reservatam incurrunt, qui Clericum ex odio, invidia, vel indignatione in custodia publica, vel privata detinent, aut in vincula detrudunt: *Quamvis per eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta*, *citra quam violentia sæpius circa Clericos nequiter perpetratur*; (Cap. *Nuper*, Extra, *De Sententia Excomm.*) Idem ferendum judicium est de iis, *Qui non per seipsos*, *sed eorum auctoritate*, *vel mandato alii violenter injiciunt manus in Clericos*: *cum is committat vere*, *cujus auctoritate*, *vel mandato delictum committi probatur*;

(Cap.

(Cap. *Mulieres*, eodem Titulo.) Idem esto judicium de his, qui suo nomine factam approbant, & ratam habent: (Cap. *Cum quis*, sub eodem tit. in Sexto. Item, qui eisdem consenserunt, aut quomodolibet faverunt, aut cum facile, commodeque possent, non impediverunt; Cap. *Quantæ*, Extra, *De Sententia Excommun.*) Nam *Eos delinquentibus favere* Canones interpretantur, *qui cum possint, manifesto facinori desinunt obviare*.

Absolvere tamen potest Episcopus Ostiarium Principis, Prælati, aut alterius Potestatis, *Qui sub prætextu sui officii malignatus Clericum læserit, nisi forte eumdem Clericum graviter vulneraverit*, idest, enormiter, ut explicat *Innoc. III.* Cap. *Cum illorum*. Ita respondet *Alexander III.* Cap. *Super eo*, Extra, *De Sententia Excomm.*

Ab Excommunicatione contracta propter injectionem manuum in socium absolvere potest Episcopus Clericos simul viventes in Collegio, Seminario, vel Ecclesiastica Communitate, *Nisi forte atrocitas facti pœnam graviorem expectet*; (Cap. *Quoniam*, Extra, *De vita, & honestate Clericorum*.)

Clerici impuberes, idest, qui decimum quartum ætatis annum non attigerunt, si se invicem, aut unus alterum percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, cum eos ætas quodam modo excuset, sed ab Episcopis suis possunt absolvi: etsi sit enormis percussio; (Cap. *Super eo*, Extra, *De Sententia Excommun.*) Sive ante; sive post pubertatis annos Absolutionem postulent: *Cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus*; (Cap. *Pueris*, ultimo sub eodem Titulo.)

Servos Clericorum percussores absolvere pariter potest Episcopus, *Si hoc fecerint in fraudem, ut subtrahant se ab obsequio dominorum*: aut *Si ipsi domini propter hoc sine culpa sua grave damnum incurrant*. Quod de mancipiis, non de servis conductitiis intelligendum est, *Si tamen sit tam gravis, & enormis excessus, ut propter vitandum scandalum, & tollendum exemplum*, ad Sedem Apostolicam mittendi videantur, illos Episcopus non absolvat (Cap. *Relatum*, sub eodem Titulo.)

Mulieres, quæ in istud delictum, ac Censuram quovis modo inciderunt, absolvere etiam potest Episcopus: necnon personas magnæ potentiæ, & ita delicatas, ut Romani laborem itineris sustinere nequeant: sed *Status personæ, & veritas negotii* prius debent significari Summo Pontifici, ut *secundum consilium ejus* ipsis imponatur Pœnitentia; ut statuit *Alexander III.* Cap. *Mulieres*, sub eodem Titulo.

Absolvere pariter potest Episcopus qualemcumque Clerici percussorem, si *sine periculo* Romanum Pontificem adire non possit, ut si habeat *Capitales inimicitias, vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur*: sed in illa hypothesi reo *sub juramenti debito* est injungendum, *ut quam citius opportunitatem habuerit, Romanum Pontificem adeat, Mandatum Apostolicum suscepturus*; (Cap. *De cetero*, sub eodem Titulo) Potest absolvere & *Senes, & valetudinarios, & membrorum destitutionibus impeditos*; nempe cæcos, claudos, aliosque similiter impotentes ad iter; (Cap. *Ea noscitur*, sub eodem Titulo.) Item *Pauperes*, qui suo labore victum sibi comparant, nec Romam ire possent, nisi mendicando. (Cap. *Quod de his*, ibidem.)

Moniales denique, si vel in se invicem, vel in Conversos, aut Conversas suas, aut Clericos etiam manus injiecerint temere violentas, Episcopus Diœcesanus absolvere potest; (Cap. *De Monialibus*, ibidem.

In his autem Casibus, in quibus potest Episcopus absolvere, potest absolvere, & Pœnitentiarius Episcopi, & quilibet ab Episcopo potestatem habens absolvendi a Casibus ipsi reservatis.

In

In hunc Casum, & Censuram Canonis, *Si quis suadente*, non incurrit, qui Clericum vim sibi inferentem, quam citius vi repellit, vel cædit, *Cum vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant*. Licitum est, (inquam) se defendere servato moderamine inculpatæ tutelæ; (Cap. *Si vero*, I. Extra, *De Sententia Excom.*) Ab Excommunicatione pariter tutus est; *Qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum* manus injecerit *violentas*; (eodem cap.) Ab Excommunicatione quoque immunis est mulier, quæ Clericum percutit ipsi stuprum inferre tentantem, aut osculis, vel tactibus inhonestis ipsi furtim, aut vi, seu etiam importunis conatibus illudentem, aut illudere conantem.

Nec illum attigit Excommunicatio, qui manus violentas injicit in hominem, quem Clericum esse ignorabat, utpote, qui comam nutriret, aut relicto habitu Clericali arma deferret; (Cap. *Si vero*, 2. & cap. *In audientia*, Extra, *De Sententia Excomm.*) Nec etiam excommunicatus est, qui Clericum degradatum percussit, hic enim excidit Privilegiis Cleri; (cap. *Degradatio*, Tit. *De Pœnis*, in Sexto.) Iisdem Privilegiis excidunt Clerici, qui negotiationibus prohibitis se immiscent & ter a Prælato admoniti, ab iis non abstinent; (cap. *Ex litteris*, Extra, *De vita, & honestate Clericorum.*) Item, qui Clericalem habitum, & tonsuram dimiserunt, si tamen tertio moniti seipsos emendare contempserint: Nam *Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate: ac frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem*. (cap. *Contingit interdum*, Extra, *De Sententia Excomm.*) Quamobrem, qui in hujusmodi homines manus violentas immittit, crimen Summo Pontifici, aut Episcopo reservatum non committit, nec ulli Censuræ obnoxius est.

Qui violentas manus in Conversos cujuscumque Religionis injiciunt, in eamdem Excommunicationem incidunt, in quam percussores Clericorum; (cap. *Non dubium est*, Extra, *De Sententia Excomm.*) Idem esto judicium de eis, qui violentas manus in Novitios non Professos injecerint; cap. *Religioso*, sub eodem Titulo, in *Sexto*, §. *Quamvis*.

Qui manus violentas injicit in Clericum, etiam volentem, seque verberibus sponte supponentem in satisfactionem præcedentis injuriæ, nihilominus in Excommunicationem incurrit: Quia *Hujusmodi manus injectio, etsi non violenta, tamen injuriosa videtur: cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus*. Excommunicatur & Clericus, qui se verberibus sponte subjecerit; (cap. *Contingit*, I. Extra, *De Sententia*, *Excomm.*

5. Quintus Casus Episcopis reservatus, est *duellum*. Duello certantes, & eorum (ut vocant) patrinos, spectatores, & omnes, qui consilium tam in jure quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione id cuiquam suaserint, *Excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo*, Concilium Tridentinum ligat, sess. xxv. c. xix. Absolutionem ab hac Censura editis Constitutionibus sibi reservarunt Summi Pontifices *Gregor. XIII. Clemens VIII. & Urbanus VIII.* Consuetudo tamen in Gallia invaluit, ut duelli crimen, & provocatio ipsa ad duellum, singulari certamine non sequuto, sint casus solis Episcopis reservati. Duellum Casus reservatus.

Sextus Casus Episcopis in Gallia reservatus, est *Violatio Clausuræ Regularis*, sive per egressum Monialium extra septa, sive per ingressum, aut admissionem externarum cujuscumque sexus personarum intra septa Monialium, sive etiam per fœminarum ingressum, ac admissionem intra clausuram Religiosorum Virorum. Perpetuam Monialium cujuscumque Ordinis clausuram sanxit, ac præcepit *Bonifacius VIII.* Constitutione, quæ incipit, Violatio clausuræ regularis Casus reservatus.

Periculoso, Tit. *De Statu Regularium*, in Sexto: ita ut nulli concedi valeat facultas e Monasterio exeundi, *Nisi forte tanto, & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari*: Nullique, absque *rationabili & manifesta causa, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia, ingressus, vel accessus pateat ad easdem*. Atque ut hæc Constitutio executioni mandetur, universis præcipit Episcopis *In virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ*, ut eorum quilibet in Monasteriis, sibi ordinario jure subjectis sua, in iis vero, quæ ad Romanam Ecclesiam immediate spectant, Sedis Apostolicæ Auctoritate; Abbates vero, & alii tam exempti quam non exempti Prælati Ecclesiarum, Monasteriorum, & Ordinum quorumcumque in Monasteriis hujusmodi sibi subjectis, *De clausura convenienti, ubi non est*, ipsorum Monasteriorum expensis & fidelium eleemosynis, *& de ipsis Monialibus includendis, quam primum commode poterunt, providere procurent* .·. *Contradictores, atque rebelles per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo; invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis*. Nulla Censura contra violantes clausuram regularem hac *Bonifacii VIII.* Constitutione decreta est.

Concilium Tridentinum sess. xxv. Tit. *De Regularibus* cap. v. Bonifacianam Constitutionem renovat, & confirmat, adjecta Excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, sed absque ulla reservatione. N*emini autem* (inquit) *Sanctimonialium liceat post Professionem exire e Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda: indultis quibuscumque & Privilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub Excommunicationis pęna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis.*

S. Pius V. Constitutione, quæ incipit, *Circa Pastoralis*, edita quarto Kalendas Junii anno MDLXVI. *Bonifacii VIII.* Constitutionem, *Periculoso*, confirmat, & executioni mandari præcipit, in quibusvis Monasteriis Monialium perpetuam ab illis clausuram servari, *Etiamsi ex institutis, vel fundationibus earum Regulæ ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum Monasteriis, seu domibus etiam ab immemorabili tempore servata fuerit. Quod si aliquæ Moniales forsan reperiantur, quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione Regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistant, Ordinarii, una cum Superioribus earum, omnibus Juris, & facti remediis compellant easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles ad præcise subeundum dictam clausuram, & perpetuo observandum.*

Altera vero Constitutione, quæ incipit, *Decori, & honestati*, edita Kalendis Februarii anni MDLXX. Conc. Trid. Decretum de clausura Monialium confirmans, nulli Monialium cujuscumque sit Ordinis, & dignitatis licere „ declarate Monasteriis exire quacumque occasione, & prætextu, nisi ex „ causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidimiæ; quæ tamen „ infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum „ incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi „ prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum Jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expresse in scriptis approbata sit: sed nec „ in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere. A„ liter autem exeuntes, seu licentiam exeundi quomodocumque conceden„ tes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas, „ aut sæculares, vel Ecclesiasticas, consanguineos, vel non, Excommuni-

„ catio-

„ cationis majoris latæ ſententiæ vinculo ſtatim eo ipſo abſque aliqua decla-
„ ratione ſubjacere, a quo præter quam a Romano Pontifice, niſi in mor-
„ tis articulo, abſolvi nequeant.

Non tamen ob ſolas cauſas in *S. Pii V.* Conſtitutione expreſſas Moniales exire poſſunt e Monaſteriis cum Superiorum, & Epiſcoporum licentia; ſed ob alias æque graves, ſcilicet ob aquarum eluvionem, incurſionem hoſtium, ædificiorum ruinam imminentem, imo & ob quemlibet morbum, ex quo moritura ſit Monialis, niſi in locum ſalubriorem transferatur; vel inutilis, & ſemper oneri futura ſit Monaſterio, utpote nunquam curanda, niſi ad Aquas Medicinales mittatur. Atque id conceſſiſſe *Gregorium XIII.* modo duorum Medicorum conſilium accedat, referunt *Navarrus* in cap. *Statuimus* 44. *ver.* 3. cauſa XIX. qu. III. & *Zerola* in Praxi Epiſcopali, verbo, *Moniales*, In hoc tamen caſu periculoſæ infirmitatis, ſpectandum eſt, quid per Conſtitutiones Ordinis, & Statuta, vel conſuetudinem domorum liceat, aut prohibeatur. E Monaſteriis ſuis exire Moniales non poſſunt, ut Monaſterii cauſas, & lites perſequantur, aliave negotia peragant, quæ per Procuratores, & Advocatos agere poſſunt.

Altera Conſtitutione, quæ incipit, *Regularium Perſonarum*, edita 24. Octobris 1566. mulieribus cujuſcumque ſint dignitatis, etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis prohibet *S. Pius V.* ſub pena Excommunicationis latæ ſententiæ, & Summo Pontifici reſervatæ, ne domos, & Monaſteria quorumcumque Regularium Ordinum, etiam Mendicantium, ingrediantur.

Verum hæc in Galliis invaluit conſuetudo, ut qui violatæ clauſuræ Regularis rei ſunt, non ad Summum Pontificem, ſed ad Epiſcopos confugiant, ab iiſque abſolvantur, non ſolum quando delictum occultum, ſed etiam quando publicum, & ad forum contentioſum deductum eſt.

Septimus caſus Epiſcopis ex Gallicanæ Eccleſiæ diſciplina in Gallia reſervatus, eſt procuratio abortus fœtus animati: cenſetur autem ſecundum opinionem vulgi animatus ex die conceptus quadrageſimo fetus maſculinus, ex die octogeſimo femininus. Excommunicationis Apoſtolicæ Sedi reſervatæ Sententiæ contra procurantes abortum fetus tam animati, quam inanimis ejuſque ſceleris participes, & adjutores, necnon contra eos, qui mulierum fecunditatem impedirent, & ſterilitatis potiones, ſeu venena præberent, tulerat *Sixtus V.* Conſtitutione, quæ incipit, *Effrænatam*, data IV. Kal. Novembris, Pontificatus ſui anno tertio: ſed Abſolutionem ab hoc delicto, & excommunicatione contra perſonas in Sixtina Conſtitutione expreſſa *Gregorius XIV.* permiſit Epiſcopis, & omnibus Sacerdotibus ad Confeſſiones audiendas ab ipſis approbatis, & ad hos caſus ſpecialiter deputatis, in foro conſcientiæ tantum, Conſtitutione, quæ incipit, *Sedes Apoſtolica*, edita pridie Kal. Junii MDXCI. Penas vero procurantium abortum fetus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel ſumentium venena ſterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel conſilium eis dantium, in dicta Conſtitutione *Sixti V.* contentas, reduxit ad terminos Juris communis, ac Sacrorum Canonum, & Conc. Tridentini diſpoſitionem.

Procuratio abortus fœtus animati, Caſus reſervati.

Hi ſunt Caſus Jure Conſuetudinis Epiſcopis in tota Gallia reſervati, quorum etiam Abſolutionem inferioribus Sacerdotibus committere poſſunt. Præter hæc autem delicta, ſunt alia in ſingulis Diœceſibus ſpeciatim Epiſcopis reſervata; quorum numerum Epiſcopus quilibet augere, vel minuere poteſt, prout Animarum ſaluti conveniens judicaverit. Illa porro noſſe debent, quicumque in Diœceſi ad excipiendas Confeſſiones ſunt approbati.

REGULA XXXVII.

Episcopi absolvere possunt ab omnibus Casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, & in omnibus Irregularitatibus, & Suspensionibus ex delicto occulto provenientibus dispensare, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, aliisque ad forum contentiosum deductis.

Absolutio a Casibus reservatis.

ID (inquam) possunt in sua Diœcesi, non in aliena; suosque duntaxat subditos in foro conscientiæ, per seipsos, aut Vicarium ad id speciatim deputandum, in foro conscientiæ, absolvere, aut dispensare possunt, gratis, & imposita Pœnitentia salutari, ut declarat Sacra Synodus Tridentina sess. XXIV. cap. VI. Quod incipit, *Liceat Episcopis*. A publicis etiam criminibus Apostolicæ Sedi reservatis absolvere possunt Episcopi, si Pœnitentes ita pauperes sint, ut Romam ire, aut mittere, vel sumptus Expeditionum solvere non valeant. Ab his autem Casibus absolvere non possunt quicumque generalem habent ab Episcopo Diœcesano potestatem absolvendi a Casibus illi reservatis; sed illi tantum quibus vices suas speciatim committit, ut ab his Casibus absolvant.

REGULA XXXVIII.

Superiores Regularium certos duntaxat Casus sibi reservare possunt.

Superiorum Regularium potestas in reservatione Casuum.

HAnc Regulam statuit *Clemens VIII.* Pontifex Maximus Decreto edito anno MDXCIII. quo sanxit, ne subditorum Absolutiones sibi reservarent, nisi in Casibus sequentibus: cum hæc scilicet crimina, aut aliquod ex illis commiserunt:

1. *Veneficia, incantationes, sortilegia.*
2. *Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo deveniret, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio, etiam non animo apostatandi facta.*
3. *Proprietas contra votum paupertatis*, quæ sit *Peccatum mortale*; qualis est receptio, detentio, vel donatio rei notabilis absque Superiorum licentia.
4. *Juramentum falsum in Judicio Regulari, seu legitimo.*
5. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum animati fœtus, etiam effectu non sequuto.*
6. *Falsificatio manus, aut sigilli Officialium, Monasterii, aut Conventus.*
7. *Furtum de rebus Monasterii, seu Conventus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*
8. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus*; quo nomine non sola copula, sed voluntariæ etiam, & solitariæ pollutiones intelliguntur.
9. *Occisio, seu vulneratio, aut gravis percussio cujuscumque personæ.*
10. *Malitiosum impedimentum, seu retardatio, aut apertio litterarum a Superiori ad inferiores, aut ab inferioribus ad Superiores.*

Si quid aliud Superioribus reservandum videbitur, *Pro Religionis conservatione, aut conscientiæ puritate*, id fieri Pontifex non permittit nisi ex deliberatione, & consensu Generalis Capituli in Ordine; aut Provincialis in Provincia.

RE-

REGULA XXXIX.

Superiores Regularium possunt ipsos a gravi Sociorum percussione absolvere; ab enormi vero solus Pontifex Maximus potest.

HÆc Regula nititur Rescripto *Alexandri III.* cap. *Monachi*, Extra, *De Sententia Excomm.* cujus hæc sunt verba: *Monachi vero, & Canonici Regulares, quocumque modo se in claustro percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi: sed secundum providentiam sui Abbatis disciplinæ subdantur: & si discretio Abbatis non sufficit ad eorum correctionem, est providentia Diœcesani Episcopi adhibenda.*

Et *Innocentii III.* cap. *Cum illorum*, sub eodem Titulo, quo *Alexandri III.* Decretalem moderatur. *Licet* (inquit) *ab Alexandro III. fuerit constitutum, quod Monachi, & Canonici Regulares, quocumque modo se in claustro percusserint, non sint ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundum providentiam sui Abbatis disciplinæ subdantur; & si Abbatis discretio ad eorum correctionem non sufficit, providentia est Diœcesani Episcopi adhibenda; & alibi dicatur, quod de sæculo fugientes, qui Religionis habitum in Monasterio receperunt, & inter cætera postmodum confitentur se tale commisisse delictum, per quod ipso actu Excommunicationis Sententiam incurrerunt, sine licentia Romani Pontificis Abbas non potest, nec debet eos absolvere, quamvis præsumptionem delinquentium debita possit animadversione punire. Nos tamen in Religionis favorem, ut evagandi materia subtrahatur, majorem eis gratiam exhibere volentes, eorum Prælatis, quod etiam talibus Absolutionis Beneficium impertiri valeant, indulgemus: nisi excessus ipsorum extiterit difficilis, & enormis: utpote si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis est processum: aut in Episcopum, aut Abbatem violenta manus injecta: cum excessus tales, & similes nequeant sine scandalo præteriri.* Si autem Monachus Abbatem non habeat, sed Priorem, aut alterius nominis Prælatum Regularem, injectio manuum violentarum in illum enormis pariter censetur.

De Absolutione a Casibus reservatis.

REGULA XL.

Regularis, qui percussit alterius Claustri Regularem, a suo, & ejus, quem percussit, Superiore absolvi debet. Si vero Clericum Sæcularem enormiter percusserit, ejus Absolutio Summo Pontifici; si graviter, Episcopo reservata est.

ITa statuit *Innocentius III.* cap. *Cum illorum*; mox citato: *Si vero Claustralis aliquis in Religiosam Personam alterius Claustri manus injecerit violentas, per Abbatem proprium, & ejus, qui passus est injuriam, absolvatur. Quod si Clericum percusserit Sæcularem, nonnisi per Apostolicam Sedem (ut scandalum evitetur) Absolutionis gratiam poterit promereri.*

Et cap. *Religioso*, Tit. *De Sententia Excomm.* in Sexto, *Bonifacius VIII.* sic decernit: *Religioso, qui manus violentas in Clericum Sæcularem injecit, (ne hoc prætextu habeat materiam evagandi) poterit ab Episcopo eo Casu Absolutionis beneficium exhiberi, quo Sæculari Clerico posset, si alium Clericum percussisset.*

R E G U L A XLI.

Confessarius, qui legitima potestate destitutus Pœnitentem a Casibus reservatis absolvit, illum ad Sac. Tribunal, si fieri potest, revocare tenetur, & obtenta facultate absolvere, aut monere de errore, ut Superiorem adeat, si vero non potest, Pœnitentiam agere ipse debet.

SIc respondet S. *Antoninus*, III. p. tit. XVII. cap. XII. *Quicumque* (inquit) *absolvit aliquem ab aliquo peccato in casu, in quo non potest, sive quia reservatus est Episcopo, sive quia nullam habet potestatem, vel auctoritatem, quamvis graviter peccet, quando absolvit scienter, vel etiam quando ignorantia Juris crassa; non tamen Censuram aliquam, seu Excommunicationem ex hoc incurrit, sive sit Clericus Sæcularis, sive Religiosus dictus absolvens.* Nullam quidem S. *Antonini* tempore sic absolventes: sed nunc Excommunicationem ipso facto incurrunt, qui absolvere audent, vel præsumunt a Casibus Sedi Apostolicæ, aut Ordinariis locorum reservatis, ut constat ex Decretis Sacræ Congregationis Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum a *Clemente VIII. Paulo V. & Urbano VIII.* confirmatis. Audent autem, & præsumunt, qui scientes absolvunt, vel ex ignorantia Juris crassa, aut affectata. Pergit S. Antoninus: *Sed tenetur illum, quem sic absolvit, admonere de errore suo, si cognoscit, vel potest invenire. Ille tamen* (scilicet Pœnitens) *quoad Deum excusatur, dum ignorat. Et quod dictum est, quod Confessor debet illum admonere, quem absolvit, cum non posset, intelligitur, quando fieri potest sine scandalo notabili. Unde in Concilio Basileensi quidam Periti habita super hoc collatione dixerunt, Quod talis Confessor petat auctoritatem a Superiore super hoc casu, a quo non potuit absolvere, & tamen absolvit: qua habita, vocet illum, quem absolverat, cum non posset, & per aliquem modum coopertum interroget de aliquibus, quæ sibi confessus est, quasi melius volens informari, ac si non plene intellexisset, & si qua alia commisit crimina postea: & sic absolvat ab omnibus iterum, & tunc, & prius alias auditis. Vel si magnum scandalum ex hoc timeretur, quia prædictus modus servari non posset, absolvat absentem, si ab ultima Confessione adhuc creditur perseverare in gratia.* Consilium illud, quod refert S. *Antoninus*, minime probandum est, quod spectat Absolutionem absentis. Quamvis enim absens absolvi possit a Censuris, ut Canonici Juris Interpretes, & Theologi asserunt, non tamen a peccatis. *Aut, ut aliis placet, cum ex hoc timeretur notabile scandalum evenire, committat Summo Sacerdoti, scilicet Christo, præsertim quando multitudo est sic neglecta, vel multum distans a loco, ubi est Confessor.*

R E G U L A XLII.

Monialibus, quæ Regularibus sunt subditæ, & nulla ratione possunt adduci, ut peccata sua Confessariis Regularibus confiteantur, & quibus Superiores Regulares Confessarium extraordinarium ter in anno non concedunt, aut quoties id earum postulat infirmitas, Episcopus Confessarium deputare potest.

Quando potestatem habeant Episcopi dandi Confessarios Monialibus, quæ Regularibus sunt subditæ.

CUm enim Sacra Synodus Tridentina Sanctimoniales saltem singulis mensibus Confessionem peccatorum facere, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipere jubeat: ac præter ordinarium Confessarium illis *Alium extraordinarium ab Episcopo, & aliis Superioribus, aut ter in anno offerri*; (sess. XXV. *De Regularibus*, cap. X.) Cum insuper teneantur Superiores omni modo saluti subditorum consulere, parcere pudori, infirmitatibus compati, non viam salu-

salutis arctare: si Superiores Regulares Monialibus in eo statu positis facultatem non concedant alteri confitendi; potest Episcopus, qui omnium Diœcesanorum suorum Pastor est, illis Confessarium cognita causa designare. Sæpe contingit, ut Confessarius unicus sit Monasterio a Superioribus Regularibus deputatus, vel ab ipso Episcopo in Monasteriis illius Jurisdictioni subditis: Confessarius ille Abbatissæ, aut Priorissæ gratus est, & singulari familiaritate conjunctus: Moniales plures, quæ alienum a se Abbatissæ, aut Priorissæ animum experiuntur (ut est mulierum sexus ad suspiciones pronus, quas auget ut plurimum æmulatio) suspicantur Confessarium hujus abalienationis auctorem esse; si quid durum in ipsas agit, aut loquitur Abbatissa, Confessarii suggestionibus tribuunt: ipsum Confessiones suas Abbatissæ, ne revelet, metuunt, id facere conjiciunt, pene etiam persuasum habent ex modo regiminis. Non patitur Abbatissa, ut apud alium Sacerdotem Exomologesim faciant: Regularis Superior infelicium Virginum querelis insuperhabitis, Abbatissæ, aut Priorissæ favet, alium ipsis Confessarium quamvis importune rogantibus, & ad Sacramenta interim non accedentibus, non concedit. Nonne in his angustiis positas consolari potest, ac debet Episcopus earum spirituali necessitati, ac saluti consulere, Confessariumque illis designare, cui peccata sua cum fiducia confiteri, & conscientias suas exponere libere, ac secure possint? Hinc Sacra Congregatio Cardinalium Conc. Tridentini interpretum declaravit, ex facultate Decreti Concilii cap. x. sess. xxv. *De Regularibus*, Episcopum dare posse Confessarium Monialibus subjectis Regularibus, quæ nulla ratione induci possunt, ut suis Regularibus peccata confiteantur. Refert *Barbosa*, p. 11. *De Officio, & Potestate Episcopi*, Allegatione xxv. *§. 63.*

REGULA XLIII.

Confessarius Ordinarius sine causa mutari non debet.

Hanc Regulam tradit *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Confessorum: *Si aliqui sine causa Confessorem Ordinarium, ipsis ad animæ salutem admodum utilem cognitum reliquerint; quo poterit modo, ad eumdem remittantur; & eorum negligentiam Confessor insectabitur, qui pro Confessore virum spiritualem, & peritum non solent eligere, aut qui damno suo frequenter adeo mutant. Nam sicut Medici, qui naturam, & infirmorum temperamentum ex praxi norunt, utpote remediorum ad infirmitatem curandam magis utilium peritiores, facile non mutantur; sic etiam, nec Pœnitentes suum debent dimittere spiritualem Medicum, qui eorum animæ necessitatum peritus, opportuniora, magisque utilia remedia potest eis assignare. Si tamen aliqua ex causa admittat aliquem alteri probo Confessori confiteri solitum, cum hujus participatione id fieri juvat, vel cum Pœnitens ab eo licentiam prius habuerit.* Confessarius Ordinarius sine causa non mutandus.

REGULA XLIV.

Neminem juramento, vel voto devincire potest Sacerdos, ut alium Confessarium non eligat: & hujusmodi promissio, etiam juramento, aut voto firmata, irrita est.

Has enim promissiones periculi plenas esse, & multis sacrilegiis viam aperire, certum est. Quamobrem Conc. Mechliniense anno MDCVII. celebratum, & a *Paulo V.* Pontifice Maximo confirmatum ita statuit: *Nemo aliquem ad sibi soli perpetuo confitendum obliget, & ejusmodi promissionem etiam juratam, tanquam irrationabilem, & indiscretam, hæc Synodus irritam esse declarat, & quatenus opus est, irritat.* Promissio plena periculi.

REGULA XLV.

Sacerdos ad Confessionem admittere non debet imparatos.

Imparati ad Confessionem non admittendi.

ITa statuit *S. Carolus* in Instructionibus Confessorum. *Monemus* (inquit) *ne ad Confessiones admittant, quos sine debita interiori, aut exteriori præparatione accedentes viderint: eos ideo verbis quidem lenioribus pro cujusque capacitate præparandos dimittant.*

Nullus Confessor mulieres excipiat, quæ ad eum accedunt cum pigmentis, fuco, inauribus, variis ornamentis, & ex auro phrygio vestibus, alioque vano simili apparatu, sed quæ nonnisi habitu modesto, & simplici induantur, & velato capite, ita ut velum non sit subtilius, sed pannum sit ex lino, aut lana, aut sericum colore obscuro tinctum: cum ea denique, quæ ad tantum Sacramentum, & ad compunctionem, seu contritionem cum qua ad Dei tremendi Tribunal, & Judicium, misericordiam, & veniam imploratura peccatrix sisti debet, reverentia requiretur.

Idem cum viris observetur, nec ad Confessionem ii admittantur, qui variis ornamentis, auro, aut argento, aut pileorum ornatibus exculti, aut cum armis, & hujusmodi rebus, ad Sacramentum audent accedere.

Sed inprimis attendant ad animi præparationem ad hoc Sacramentum accedentibus necessariam; quæ in peccatorum discussione consistit, in dolore de peccatis, & pro iis satisfaciendi, & imposterum emendandi proposito. Qui ergo sine tali præparatione inventi fuerint, eos Confessor moneat, & instruat, ut alia vice cum præparatione debita revertantur.

Argumenta autem, unde cognosci possit, num imparati Pœnitentes accedant, sunt: si ab aliquo temporali exercitio ad Confessionem transeant, non interposito debito pro oratione temporis spatio; aut si peccatorum commissorum non recordari dignoscantur; aut si Confessor aliunde noverit eos adhuc in illicitis exercitiis, aut in peccato, aut in occasione ad illud inducente, quam vitare non sincere polliceantur, versari; aut si, cum potuerint, bona aliena non restituerint.

REGULA XLVI.

Violatio sigilli Confessionis mortale semper peccatum est, seu mortalia, seu venialia dumtaxat peccata Pœnitentis revelet Confessarius.

Sacrum Confessionis arcanum.

FIt enim gravis injuria Sacramento, & Confessio redditur odiosa, & onerosa, etiamsi peccatum dumtaxat veniale in Confessione auditum speciatim reveletur. Dixi speciatim, quia sigilli non censetur infractor, qui Pœnitentem venialia sibi confessum esse ait, cum nemo ad Confessionem accedat, nisi peccata saltem venialia deponere velit apud Sacerdotem: quæ autem venialia sit confessus, non aperit. Si tamen plurium Confessiones exceperit, & dicat; Talis sola venialia mihi confessus est, sigillum violat, siquidem tacite innuit, alios sibi peccata lethalia fuisse confessos.

REGULA XLVII.

Periculo violandi sigillum Confessionis exponit se Sacerdos, qui de rebus in Confessione auditis, vel a se factis imprudenter loquitur.

PEriculum enim est, ne personam Pœnitentis manifestet; aut ne audientes in illius cognitionem, aut suspicionem veniant. Exemplis rem illustro. Confessarius loquax, & imprudens ait: Titius mihi gravia peccata, vel Casum reservatum confessus est. Hunc ad Pœnitentiarium remisi. Hunc in-

injunxi Pœnitentiam Petro: & ante, vel postea dixit: Hanc impono Pœnitentiam illis, qui ita deliquerunt. Alius de loco angusto, in quo Confessiones excepit, multos ait esse fures, fornicatores, adulteros: aut in quopiam Monasterio plures esse proprietarios, aut impudicos. Alius ait: Utinam omnes mulieres, quarum Confessiones excipio, æque castæ essent, ac Susanna! vel, ex omnibus, quas audivi, puellis paucæ sunt virgines. Alter dicit: Aliquis ex isto Collegio, vel ex ista Communitate tale delictum admisit. Alter Patri-familias, aut Superiori alicujus Religiosæ Domus, aut Ecclesiasticæ, vel Laicæ Societatis ait: Attende, vigila, observa, Unus e tua familia, domo, societate fur est; aut mortem tibi machinatur; aut filiæ tuæ pudicitia in domo tua tuta non est. Alius ait: Prima mulier, cujus Confessionem audivi, fidem fefellerat marito. Alius alicui ex suis Pęnitentibus in jurgio ait: Novi qualis sit: vel, Probe nosti me scire unde pudore suffundi deberes. His omnibus modis sigillum Confessionis violatur; quia vel manifestatur persona peccatoris, vel audientibus aperitur via, ut in illius cognitionem, aut suspicionem veniant. Qui autem jocando referunt peccata in Confessione audita, etsi nullum esse videatur periculum infamiæ in Pœnitentem derivandæ; graviter tamen peccant contra Religionem Sacramento debitam.

Inviolabile Confessionis arcanum.

REGULA XLVIII.

Qui per Confessionem novit peccatum vergens in magnum Ecclesiæ, vel Reipublicæ damnum, illius reos detegere, absque sacrilegio non potest. Monere tamen potest, & debet Prælatos, Principem, sive eos, qui Reipublicæ præsunt, de malo imminenti, & criminis attentati genus revelare, ut periculum avertatur, modo reus, vel complices, quorum crimen ex sola Confessione notum est, nominatim, & in individuo, directe, vel indirecte non indicentur, non prodantur.

ITa docet *S. Thomas*, Quodlibeto XII. q. X. art. I. *Nec verbo* (inquit) *nec facto, nec nutu, nec aliquo signo licet in aliquo casu revelare Confessionem, quia est sacrilegium. Nam ita est in Sacramentis Novæ Legis, quod efficiunt, quod figurant: effectus autem Pœnitentiæ est occultatio peccatorum ab oculis Dei viventis; & hæc occultatio significatur per Sacramentum Confessionis; & ideo sicut profanaret Sacramentum, qui conficeret Corpus, & Sanguinem Christi de alio, quam de pane, & vino, ita esset revelans sacrilegus. Nec tamen* (inquit idem Sanctus Doctor in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi qu. XI. art. I. ad primum.) *Sigillum Confessionis contra charitatem militat, quia charitas non requirit, quod apponatur remedium peccato, quod homo nescit. Illud autem, quod Confessione scitur, est quasi nescitum, cum illud nesciat aliquis ut homo, sed ut Deus. * Tamen aliquod remedium adhibere debet in prædictis Casibus, quantum potest sine revelatione Confessionis, sicut monendo eos, qui confitentur; & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere Prælato, quod diligentius vigilet super gregem suum: ita tamen, ut non dicat aliquid, per quod verbo, vel nutu confitentem prodat.* Potest etiam, & debet Sacerdos monere Principem, vel eos, qui Reipublicæ præsunt de periculo imminente, speciemque criminis attentati revelare, modo reum ex cujus tantum Confessione illud novit, nominatim, & in individuo non indicet, non prodat, non revelet.

* Sive, ut Dei Minister.

RE-

REGULA XLIX.

Nec Parochus, nec Seminarii Superior, sive Moderator ac Director Ordinandorum, Clerico, ob crimen in Confessione auditum, & ex sola Confessione notum, denegare testimonium de vita, & moribus, aut de spiritualibus Exercitiis rite peractis potest: nec Parochus a Matrimonio repellere Pœnitentem ob impedimentum occultum, ex sola Confessione sibi cognitum.

VIolarent enim sigillum Confessionis, ipsam redderent odiosam, & injuriam facerent Sacramento. Unde sicut occulto peccatori Eucharistiam publice petenti Sacerdos negare non potest, nec debet; sed privatim tantum monere tenetur, ne ad Eucharistiam accedat, ante quam se probaverit, & conscientiam expurgaverit, fueritque sacramentaliter absolutus; (ut docet *S. Thomas* III. p. q. LXXX. art. VI.) Ita Seminarii Superior, aut Doctor Ordinandorum, & Parochus, monere quidem debent, & divini Judicii metu a Sacris Ordinationibus, aut a Matrimonio detterrere eos, quorum crimina, vel impedimenta occulta ex sola Confessione noverunt, quibus indigni, vel inhabiles, (ut ita loquar) facti sunt ad Ordinem suscipiendum, aut Matrimonium contrahendum: debent illis in foro Pœnitentiæ Dei Omnipotentis nomine prohibere, ne se sistant Ordinandos, aut Matrimonium contrahant impedimentis manentibus: sed nec Episcopus Ordines, nec Seminarii Superior, aut Ordinandorum Director testimonium; nec Prælatus Regularis licentiam; nec Parochus Nuptialem Benedictionem, negare debent eis, quorum crimen, vel impedimentum ex sola Confessione noverunt: nisi alia ratio legitima, & sufficiens, & extra Confessionem cognita, sufficiat ad hæc illis deneganda.

Inviolabile Confessionis arcanum.

REGULA L.

Qui crimen ab aliquo perpetratum ex sola illius Confessione novit, nulla Ecclesiæ Censura, nullo Superiorum præcepto ad illud revelandum cogi potest.

HÆc Regula traditur ab *Honorio III.* Pontifice Maximo, cap. *Dilectus*, Extra. *De excessibus Prælatorum*, cuidam Cardinali sic scribente: *Dilectus filius Jo: Presbyter exposuit conquerendo, quod Rectores Fraternitatis Urbis ipsum ad revelandum fures, & quod super quodam furto sibi tanquam Sacerdoti fuerat revelatum, vel ad satisfaciendum exinde damnum passo arctare nitentes, in eum (nisi alterum præmissorum efficeret) tulerunt Sententiam Interdicti. Quia igitur perniciosum esset prædictum Presbyterum sibi taliter credita revelare, ac cogi ad id, quod non rapuit exsolvendum: discretioni tuæ mandamus, quatenus præfatos Rectores coram te conveniens, injungas eisdem, ut a memorati Presbyteri gravamine penitus conquiescant.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. Sententiarum, sive Supplementi qu. XI. art. I. ad secundum. *Præceptum (inquit) de Confessione celanda consequitur ipsum Sacramentum: & ideo sicut præceptum de Confessione Sacramentali facienda est de Jure divino, & non potest aliqua dispensatione, vel jussione humana homo absolvi ab eo; ita nullus ad revelationem Confessionis potest ab homine cogi, vel licentiari: unde si præcipiatur sub pœna Excommunicationis jam latæ, quod dicat si aliquid scit de tali peccato, non debet dicere, quia debet existimare, quod intentio præcipientis est, si sciat, ut homo. Hoc autem non scit, ut homo. Et si etiam exprimeret de Confessione interrogatus, non deberet dicere; nec Excommunicationem incurreret, quia non est subjectus Superiori suo, nisi ut homo: hoc autem non scit ut homo, sed ut Deus*; idest, ut Dei vices gerens in Administratione Sacramenti Pœnitentiæ.

RE-

REGULA LI.

Si quis Confessarius in Jus vocetur ad dicendum testimonium, & interrogetur a Judice de crimine, quod ex sola Confessione novit, illud revelare non tenetur, nec potest, sed tuta conscientia respondebit, Se nescire.

NAm, (ut ait *S. Thomas* in Responsione ad tertium.) *Homo non adducitur in testimonium, nisi ut homo; & ideo sine læsione conscientiæ potest jurare se nescire, quod scit tantum ut Deus.* Si autem interrogetur, utrum Confessionem *Titii* audiverit, respondere debet se audivisse. At si Judex urgeat, quæratque num tale peccatum confessus fuerit, respondere debet, Hanc impiam esse quæstionem, se ad respondendum huic interrogationi non teneri, se penitus nescire. Si rursus quærat, an ipsum absolverit: respondere debet, Se partes suas implevisse. Cum enim ex Absolutionis negatione colligi possit hominem gravis alicujus peccati reum esse, quod dimittere nolit; sacrum sigillum violat, qui Absolutionis Beneficium se negasse ait tali homini, cujus Confessionem excepit. Inviolabile Confessionis arcanum.

REGULA LII.

Sigillum Confessionis non frangit, qui schedulam Confessionis testimonium continentem in foro Pœnitentiæ negat illis, quos Absolutione judicat indignos, ubi schedularum hujusmodi mos, & usus receptus est.

HAnc enim schedulam negans, nihil facit, ex quo alter directe, vel indirecte possit cognoscere delicta Pœnitentis, neque ipsa magis prodit, quam cum Absolutionem negat. Deinde via alioquin fraudibus aperiretur; nam multo plures improbi, & impœnitentes tempore Paschatis Parochos deciperent, & ad Sacram Mensam sacrilege obreperent, exhibito Confessionis testimonio. De cujus quidem testimonii forma *S. Carolus* ita statuit in Instructionibus Confessorum: *Cum Pœnitens a Sacerdote; quod ei confessus fuerit, attestationem Parocho exhibendam, ut in Paschate fieri solet, petierit, eam sub infrascripta formula tradet: ideo cuilibet Confessori plurimas excusas trademus, quas cum alicui concesserit, singulas suo sigillo muniet. Anno ∴ Die ∴ Mensis ∴ administravi Sacramentum Pœnitentiæ in ∴ Parochia ∴ habitanti.* In „ primo spatio dies, in secundo mensis, in tertio Pœnitentis nomen, & „ cognomen, in quarto ejus Parochia inscribetur, quibus Sacerdos nomen, „ & cognomen, titulum Beneficii, aut Officii, quo vulgo distinguitur, ut „ Rectores, Canonici, Capellani Ecclesiæ, aut Regularis Monasterii N. „ apponet: quæ omnia ipsa Confessoris manu scribentur, aut saltem dies, „ mensis, & subscriptio.

Qua porro fide Confessarius testari posset se Pœnitentiæ Sacramentum, quod Absolutione Sacramentali perficitur, illi administrasse, quem non absolvit, imo Absolutione prorsus indignum judicavit?

Verum (inquies) si neget aliquibus testimonium, quod ceteris concedit, id observabunt qui Sacrum Tribunal circumstant, & conjicient illos absolutos non fuisse.

Respondetur, Satagendum esse, ne propius ad Tribunal, seu Confessionalem Sedem accedant Pœnitentes, monendos, ut aures, oculosque avertant omnino, & a Confessario dum Sacrum Ministerium exercet, & ab eo, qui peccata sua confitetur; ne observent ullatenus, quid agatur Confessarium inter, & Pœnitentem: hæc enim ad Confessionis arcanum pertinere, quod explorare sine gravi peccato, revelare si quo modo cognoverint, sine sacrilegio non possunt. Præterea, si id observent, qui Sacrum Tribunal circumstant,

stant, hoc incommodum prohibere Sacerdotem non debet, ne suo fungatur officio, cum illius non sit causa. Pari enim modo observare potest, cum aliquos absque Absolutione dimittit, nec tamen indignos, & impœnitentes absolvere tenetur.

Inviolabile Confessionis arcanum.

Quid vero si homo Sacerdotem, qui ejus Confessionem excepit, conveniat coram Judice, ut det ipsi Confessionis testimonium. Si sæcularis sit Judex, ipsi significet, hujusmodi causam ejus Tribunal, ac Jurisdictionem non spectare, & ea de re moneat Episcopum, ejusque consilium, & mandatum sequatur. Si vero sit Judex Ecclesiasticus, dicat se officio suo functum esse, & nemini homini rationem reddere debere eorum, quæ ipsum inter, & Pœnitentem in Sacro Confessionis Tribunali acta sunt, sed soli Deo cujus vice judicat.

R E G U L A LIII.

Prælatus punire subditum non potest ob peccatum, quod ex sola Confessione novit.

ITa *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi Q. XI. A. I. ad tertium. *Potest* (inquit) *Prælatus sine læsione conscientiæ dimittere peccatum impunitum, quod scit tantum ut Deus, vel sine aliquo remedio; quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo, quo ad ipsum deferuntur. Unde in his, quæ ad ipsum deferuntur in foro Pœnitentiæ, debet in eodem foro, quantum potest, adhibere remedium.*

Confirmatur hæc Regula ex Cap. *Si Sacerdos*, Extra, *De Officio Judicis Ordinarii*, quo *Eugenius* Papa sic respondet: *Si Sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicujus criminis: vel si confessus fuerit, & emendare noluerit: nisi judiciario ordine quis probare possit, non debet eum arguere nominatim, seu indeterminate: sicut dixit Christus*, Unus vestrum me traditurus est. *Sed si ille, cui damnum illatum est, petierit justitiam, potest excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confessus sit: sed tamen non nominatim potest eum removere a Communione, licet sciat eum esse reum: quia non ut Judex scit, sed ut Deus: sed debet eum admonere, ne se ingerat: quia nec Christus Judam a Communione removit.*

Matt. 16. 22.

R E G U L A LIV.

Prælatus ab Administratione, vel Officio removere non potest subditum propter crimen, quod ex sola Confessione novit, si sit probabile periculum pravæ suspicionis de Pœnitente ingenerandæ.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXI. Q. III. A. I. Quæstiuncula I. ad tertium, & prolixius Quodlibeto V. „ Q. VII. A. I. Nihil (*inquit*) est faciendum in præjudicium Confessio„ nis: esset autem præjudicium Confessionis, si subditus ab Administratio„ ne removeretur propter crimen, quod suo Prælato confessus est; quia per „ hoc alii retraherentur a confitendo, non ergo debet Prælatus subditum ab „ Administratione removere propter peccatum, quod ei confessus est. *Et in* „ *corpore Articuli: Id* (*inquit*) quod per Confessionem auditur, nullo modo „ est manifestandum, nec verbo, nec signo, nec nutu, nec etiam aliquid est „ faciendum, unde in suspicionem peccati aliquis possit devenire. Si ergo „ amotio subditi ab Administratione possit inducere ad manifestandum pec„ catum in Confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspicionem ha„ bendam de ipso, nullo modo Prælatus deberet subditum ab Administratio„ ne removere: puta, si in aliquo Monasterio esset consuetum, quod Prio-

Inviolabile Confessionis arcanum.

„ res

„ res non amoverentur de suis Prioratibus, nisi propter culpam, manifestaretur peccatum Pœnitentis per remotionem ab Administratione: unde si „ Abbas hoc faceret, graviter peccaret, tanquam Confessionem revelans. „ Posset tamen eum secreto charitative admonere, ut cum instantia peteret „ cessionem, si hoc videret saluti ejus expedire. Si vero per amotionem ab „ Administratione peccatum nullatenus manifestaretur, puta si in aliquo Monasterio esset consuetum, quod Abbas pro suo libitu de facili aliquos ab „ Administratione removeret; tunc alia occasione accepta posset subditum sibi confessum ab Administratione removere, & deberet hoc facere, cum „ debita tamen cautela, si talis Administratio esset subdito periculosa inposterum: quamvis etiam & in hoc casu melius esset, quod eum induceret „ ad cessionem petendam. Si vero periculum inposterum non timeretur, „ non oporteret, quod pro peccato præterito per Pęnitentiam deleto, eum „ ab Administratione removeret: sicut etiam Augustinus dicit Lib De Adulterinis Conjugiis, *Cur adhuc deputamus adulteros, quos credimus Pœnitentia esse sanatos*? Qandoque enim Pœnitentes innocentibus meliores sunt.

R E G U L A LV.

Quantumvis re absolute spectata licitum videatur Prælato subditum ab Officio removere propter crimen, quod ex sola Confessione novit, ubi revelandæ Confessionis periculum abest: Ecclesiastica tamen Lege id omnino prohibetur.

NAm *Clemens VIII.* Pontifex Maximus Decreto edito die 16. Maii anno 1594. Regularium Superioribus vetuit, ne notitia per Confessionem parta ad exteriorem gubernationem quovis modo uterentur. *Tam Superiores* (inquit) *pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, fieri mandavit. *Unde* (inquit *Suarez* Societatis Jesu Theologus Doctissimus Tom. IV. in III. P. Disp. XXXIII. Sect. VII.) *Cum indistincte loquatur, non est, quod a nobis limitetur, sed simpliciter observetur*. Et *P. Claudius Aquaviva* Societatis ejusdem Religiosissimæ Præpositus Generalis prohibuit, ne contrarium publice, vel privatim ab ejus Professoribus doceatur.

R E G U L A LVI.

Sacerdos, qui ex sola Confessione novit aliquem indignum esse Ecclesiastica Dignitate, vel Præfectura, suffragium illi negare potest, & illius electioni contradicere.

MUltis enim aliis rationibus moveri aliquis potest ad suffragium alteri negandum, quam ex peccato cognito, nempe ex defectu ætatis, scientiæ, industriæ, &c. & quia novit alios digniores. *Ex multis aliis causis* (inquit S. Thomas) *redditur quis indignus ad Prælationis Officium, quam ex peccato: sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, vel alicujus hujusmodi · & ideo qui contradicit, nec suspicionem de crimine inducit, nec Confessionem revelat.*

Idem docet *S. Antoninus* III. P. Tit. XVI. cap. XXII. *Qui liberam electionem habet* (inquit) *licet per solam Confessionem sciat aliquem indignum ad Prælaturam, ad quam eligitur, quem alias putabat dignum, non debet eligere ex conscientia sibi sic dictante: quia eligendo scienter dignum, vel indignum, negotium geritur inter ipsum, & Deum: unde potest etiam ex his, quæ scit ut Deus, judicare in proposito.*

RE-

REGULA LVII.

Qui publici peccatoris Confessionem excepit, negare illi Eucharistiam publice etiam petenti potest, ac debet, si ad Sacram Mensam accedat antequam scandalum palam removerit, & manifesta Conversionis dederit argumenta.

Inviolabile Confessionis arcanum.

PUblico enim peccatori ante Pœnitentiam neganda est Eucharistia, ne *Sanctum detur canibus*: at quantumvis confessus fuerit, publicus peccator est, nisi scandalum tollat, verbi gratia, nisi concubinam ejiciat concubinarius, fœnus exercere desinat, usurasque restituat usurarius, theatrum dimittat histrio, &c. Removendus est igitur ab Altari. Nec propterea sacrum Confessionis sigillum violatur, modo Confessarius non dicat, Se illum non absolvisse, aut ex ejus Confessione compertum, & exploratum habere, quod Pœnitentiam non egerit; sed ita se gerat, ac si Confessionem illius non excepisset, dicatque: Iste hactenus publicus concubinarius fuit, vel publicus usurarius, vel histrio, vel publicas inimicitias exercuit, & in eodem peccato manere videtur. Publico autem peccatori Communionem publice præbere non licet, donec publice constet, ipsum peccatum dimisisse: propterea illi Corpus Christi non præbeo.

REGULA LVIII.

Confessio quælibet Sacramentalis, quæ scilicet fit Sacerdoti, aut qui Sacerdos esse creditur, animo se accusandi, & peccata sua Clavibus Ecclesiæ subjiciendi, quamvis sit invalida, sacri sigilli necessitatem inducit.

HÆc Regula nititur cap. *Quod quidam*, Extra, *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, ubi *Alexander III.* Bellovacensi Episcopo hunc in modum respondet: *Quod quidam ad Confessionem de criminibus veniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse: consultationi tuæ taliter respondemus, quod eorum Confessionem recipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere: quia licet non sit vera hujusmodi Pœnitentia, admittenda est tamen eorum Confessio, & crebris, & salubribus monitis Pœnitentia indicenda.* Si quis igitur bona fide accedat ad pedes Sacerdotis, sine contritione quidem, sine melioris vitæ proposito, sed tamen eo animo, ut se accuset coram illo, ceu Dei Ministro, ut aliquo modo Ecclesiæ satisfaciat, ut Confessarii consiliis juvetur, hujusmodi Confessio Sacramentalis est, & peccata in ea declarata sigillo celanda sunt: alioqui fidelibus fiducia omnis tolleretur, & Confessio odiosa redderetur. At vero si peccator specie Confessionis ad Sacerdotis pedes provolvatur, non tamen, ut se de peccatis accuset, ut conscientiæ suæ pondus exponat, sed solo animo irridendi, decipiendi, corrumpendi Confessarium, sive ipsum in consortium sui peccati, verbi gratia hæresis, schismatis, conjurationis, libidinis pertrahendi, Confessio illa non est Sacramentalis, nec sigilli religionem inducit. Quo pertinet Casus a *Dominico Soto* relatus in IV. *Sententiarum*, Dist. XVIII. Q. IV. A. V. his verbis: *Cardinalis quidam, qui conspirationem in Pontificem moliebatur, confessus est alteri ejusdem Ordinis Domino, & quidem sacramentaliter, sed tamen ea intentione, ut eum in suam conjurationem traheret. Postea vero per aliam viam re comperta, Cardinalis, qui Confessionem audierat, de hoc accusatus fuit, quod rem non protinus detexisset: imo ob id fuit pecunia mulctatus, & nisi ignorantiam sibi obtendisset, acrius fuisset punitus.* Illam scilicet Confessionem Summus Pontifex Sacramentalem non fuisse judicavit.

Inviolabile Confessionis arcanum.

Huc etiam pertinet Casus singularis relatus a *Cæsario* Cisterciensis Ordinis Mo-

Monacho Lib. III. *Historiarum Memorabilium*, cap. XXXI. & XXXII. his verbis: *In Domo quadam Cisterciensis Ordinis Monachus quidam sine Ordine celebravit. Hoc cum die quadam Abbati suo retulisset in Confessione, nec tamen cessare vellet a tanta præsumptione, Abbas dolens, & lachrymans, ut a blasphemia tam magna desisteret, miserum rogavit, monuit, præcepit, sed non profecit. Ille vero timens notari, si cessaret, celebravit ut prius. In sequenti Capitulo Generali Abbas idem proposuit Casum eumdem, interrogans quid faciendum foret Confessori, si forte tale quid in aliqua domo emergeret. Cumque Dominus Cisterciensis, & cæteri Abbates super hoc nihil auderent definire. Casum scripserunt Innocentio Papæ, qui convocans Cardinales, virosque litteratos, casum eis proposuit, & quid de hoc sentirent a singulis requisivit. Omnibus pene in hoc sentientibus, quod Confessio non esset prodenda, respondit: Ego dico in tali articulo esse prodendam, quia talis Confessio non est Confessio, sed blasphemia: nec debet Confessor blasphemiam talem, ac insaniam celare, per quam periculum incumbere poterit toti Ecclesiæ. Et placuit Sententia omnibus, scripsitque sequenti anno Capitulo, quod a se fuerat determinatum, & Cardinalibus approbatum.* Facinus suum Abbati proculdubio detexerat sacrilegus ille Monachus, non animo se accusandi coram Deo, & subjiciendi se clavibus Ecclesiæ, sed animo irridendi, aut pertrahendi Abbatem in criminis sui patrocinium, aut illum impediendi a puniendo scelere, quod aliunde forte noverat, aut in illud inquirendi, quod vehementibus indiciis impulsus suspicabatur. Nam si animo se accusandi, & peccata sua clavibus Ecclesiæ subjiciendi suum illud sacrilegium confessus fuisset, *Innocent. III.* sigillo celandam qualemcumque illam Confessionem respondisset. De illius enim mente dubitari non sinit Canon *Omnis utriusque sexus*, eo auctore in Concilio Lateranensi IV. conditus. Quamobrem, vel sic intelligendum est factum illud a *Cæsario* memoriæ commendatum, litterisque proditum, vel illius narrationi fides deroganda.

R E G U L A LIX.

Peccata consciorum, vel aliorum a Pęnitente in Sacramentali Confessione Sacerdoti declarata, eodem sigillo celanda sunt, quo peccata ipsius Pęnitentis.

HÆc enim, vel ad Confessionis integritatem spectant; vel propriorum peccatorum expositioni a Pœnitente rudi, & imperito conjuncta sunt. Deinde ex peccato complicis plerumque agnosci potest peccatum Pœnitentis. Tandem Confessio alioquin odiosa, & onerosa fieret. Confessionis arcanum.

R E G U L A LX.

Sigillo Confessionis ea omnia claudi debent, quæ in Confessione audita sunt, sive ut famæ, ac pudori Pęnitentis consulatur, sive ut scandalum vitetur.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi Q. XI. A. II. *Sigillum* (inquit) *Confessionis directe non se extendit nisi ad illa, de quibus est Sacramentalis Confessio, sed indirecte, id, quod cadit sub Sacramentali Confessione, etiam ad sigillum Confessionis pertinet, sicut illa, per quæ posset peccator, vel peccatum deprehendi: nihilominus etiam illa summo studio sunt celanda, tum propter scandalum, tum propter pronitatem, quæ ex consuetudine accidere posset.* Sacrilegii ergo reus esset Confessarius, qui vel natalium defectum, vel aliquem alium defectum naturalem, aut infamiæ notam Pęnitenti, vel ejus familiæ inustam, & in Confessione Sacramentali ab illo sibi declaratam, nec aliunde notam, aut quidvis aliud in ipsa Confessio-

ne

ne auditum, (quamvis ad ipsam non pertinens) ex quo pudor, dedecus; aut quodvis damnum inferri, vel accidere posset Pœnitenti, aut mala de ipso suspicio generari, quovis modo revelaret.

REGULA LXI.

Non solus Sacerdos Pœnitentiæ Minister, sed omnes, & singuli, qui peccata Pœnitentis ex Confessione, aut cum ordine ad illam, sive immediate, sive mediate noverunt, eadem sacri sigilli lege tenentur.

ILli scilicet, qui vel maligno animo, vel casu, & sine culpa, aliquid ad Confessionem pertinens audiverunt; ille, qui cum Sacerdos non sit, tanquam Sacerdotem se gerens, aut furtim in Sacrum Tribunal irrepens, Confessionem excipere præsumit, aut divinum illud Ministerium sibi palam arrogat, sicut olim Abbatissæ quædam Monialium sibi subditarum Confessiones audiebant, quarum absurdam audaciam coercet *Clemens III.* cap. *Nova quædam*, Extra, *De Pœnitentiis, & Remissionibus*: item illi, quibus peregrinæ linguæ homines Confessionum suarum interpretibus utuntur. Item illi, quibus Confessarius vel ex deliberata malitia, vel imprudenter, consilium petendo, aut aliis de rebus intemperanter loquendo, peccata in Confessione audita revelat. Item qui chartam, in qua peccata Confessario exposita descripta sunt, invenit, legit, vel ejus lectionem audivit. Hi, inquam, omnis sacrilegii rei sunt, si peccatum Pœnitentis, etsi veniale duntaxat, vel aliquid ad Confessionem pertinens, & unde peccatum, & persona, quæ illud commisit, innotescere potest, revelent; quamvis longe gravius sit Sacerdotis, qui Confessionem excepit, quam aliorum sacrilegium. Unde & pœnæ canonicæ in Confessarium duntaxat sacrum sigillum violantem decretæ sunt. Nam, *Sigillum Confessionis competit Sacerdoti in quantum est Minister hujus Sacramenti; quod nihil aliud est, quam debitum Confessionem celandi, sicut clavis est potestas absolvendi* (inquit *S. Thomas* in IV. Sententiarum sive Supplementi Qu. XI. A. III.) *Tamen sicut aliquis, qui non est Sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clavis, dum Confessionem audit propter necessitatem; ita etiam participat aliquid de actu sigilli Confessionis, & tenetur celare, quamvis proprie loquendo sigillum Confessionis non habeat.*

REGULA LXII.

Ille, cujus fidei creditur aliquod arcanum, illudque excipit quasi sub sigillo Confessionis, illud jure naturæ celare tenetur, illudque revelando peccat contra fidelitatem, sed sigillum Confessionis non frangit.

Confessionis arcanum.

SAcri enim sigilli obligatio ex sola Confessione Sacramentali oritur, nec ex hominum institutione, aut voluntate originem ducit. Sicut enim ex hominum arbitrio non pendet Sacramenti natura, efficientia, Minister; ita nec in eorum potestate est, ut arcanum aliquod extra Sacramentalem Confessionem alterius fidei commissum, obliget ut sigillum Confessionis, ita ut prodi non possit absque sacrilegio. Quamobrem, si hujusmodi arcanum vergeret in damnum Ecclesiæ, Reipublicæ, Principis, alicujus tertii, illud revelare non solum posset, sed deberet, qui illud excepit quasi sub Confessionis sigillo, etiamsi flexis genibus, signo crucis se muniens, & præmisso, *Confiteor*, id apud ipsum aliquis deposuerit: quia nec animo se accusandi quis arcanum suum in amici sinum effundit, aut Ecclesiæ Clavibus illud subiicit, quæ ad peccati remissionem institutæ sunt: & arcana hujusmodi non solum profanis hominibus, sed & mulieribus, quasi sub sigillo Confessionis creduntur.

Ea

Ea *S. Thomæ* mens est in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi quæst. XI. art. II. ad II. *Aliquis*, (inquit) *non debet de facili aliquid recipere hoc modo: si tamen recipiat, tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in Confessione haberet; quamvis sub sigillo Confessionis non habeat.*

REGULA LXIII.

Sacerdos, cum licentia Pœnitentis, peccatum, quod ex illius Confessione novit, aut alia, quæ apud ipsum in Sacro Tribunali deposuit, alteri revelare potest.

CUm enim id possit Pœnitens per seipsum, quidni & eo auctore Sacerdos possit? *Duo sunt* enim vero *propter quæ tenetur Sacerdos peccatum occultare:* (inquit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi quæst. XI. art. IV.) *Primo, & principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia Sacramenti, in quantum scit illud ut Deus, cujus vicem gerit in Confessione. Alio modo propter scandalum vitandum. Potest autem confitens facere, ut illud, quod Sacerdos sciebat tantum ut Deus, sciat etiam ut homo, quod facit, dum licentiat eum ad dicendum. Et ideo, si dicat, non frangit sigillum Confessionis, tamen debet cavere scandalum, dicendo, ne fractor sigilli reputetur.* Neque vero *ex hoc datur aliqua impunitas malis Sacerdotibus; quia imminet eis probatio (si accusantur) quod de licentia confitentis revelaverint.*

Secundum hanc Regulam Sacerdos quidam *Innocent. IV.* Pontifici Maximo conjurationem in ipsum factam aperuit ac Militem ad ejus cædem subornatum denunciavit, cum id omne ex complicis cujusdam moribundi Sacramentali Confessione didicisset: quod volente, & permittente (ut par erat) Pœnitente factum, nullus dubitat, quamvis id non exprimat *Matthæus Parisius* ad annum MCCXLVII. pag. 486. hanc referens Historiam. Confessionis arcanum.

Secundum eamdem Regulam, Confessarius potest cum licentia Pœnitentis hæredes admonere de restitutione rei alicujus facienda.

Ceterum hæc licentia expressa esse debet, nec sufficit implicita, aut interpretativa. Præterea necesse est, ut sponte libereque concessa sit. Tertio, concessam esse oportet ex causa legitima, & in commodum Pœnitentis. Unde si uxor a marito coacta, potestatem faceret Confessario peccatum suum revelandi; aut si reus sponte concederet licentiam detegendi crimen, propter quod capite plectendus est; aut si Confessarius ipse molestus sit Pœnitenti, ut ei peccatum suum, aut complicis personam extra Confessionem aperiat, & revelandi licentiam concedat, hac licentia uti non potest inviolata sigilli Religione. Et si Prælatus præcipiat Confessario, ut peccatum alicujus omnino occultum revelet, illud revelare non debet, etiam cum licentia expressa ipsius Pœnitentis, quia Prælatus non est Judex occultorum, & forum contentiosum, ac Pœnitentiale non sunt miscenda. Tandem licentia, quam dat Pœnitens Confessario revelandi Confessionem, quantumcumque generalis, non intelligitur nisi in bonum confitentis. Ita docet *S. Antoninus*, III. p. tit. XVI. cap. XXII. §. I.

REGULA LXIV.

Confessario cum Pœnitente loqui non licet, citra ejus consensum, de peccatis, aliisque in ejus Confessione auditis.

VIx enim hujusmodi colloquium fieri potest, nisi Pœnitens pudore suffundatur, adeoque nisi grave fiat, odiosumque Confessionis jugum. Unde *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus Confessorum ait: *Si loqui cum Pœnitente necesse sit petita ab ipso licentia, tum eadem secreti Religione, ac in Confessione se teneri noverit.*

REGULA LXV.

Qui ex Confessione sacramentali ita aliquid novit, ut alio etiam modo noverit, illud revelare potest, nulla Confessionis mentione facta, si necessitas urgeat.

NUllam enim injuriam Sacramento facit, aut Pęnitenti; cum vi sacri Sigilli non obligetur nisi ad celandum peccata, quatenus in Confessione audita sunt. Et certe gravissimum Sacrorum Auriculariorum onus esset, si propter Confessionem peccatoris jus amitterent illis de rebus loquendi, quæ, vel ante, vel post Confessionem ipsi viderunt, vel audiverunt. Præterea, ita sibi consociatæ sunt virtutes, ut una alteram non impediat; Religio, v.g. justitiam: impediretur autem justitia, si quis revelare non posset, quod humano modo novit, etsi illud etiam per Confessionem noverit. Subditi enim Superioribus suis gravissima quæque peccata confiterentur, ne propter illa corripi ab eis, vel plecti possent. Hinc *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi quæst. XI. art. V. scribit: *Opinio est communior, quod illud, quod homo alias scit, sive ante Confessionem, sive post, non tenetur celare quantum ad id, quod scit ut homo: potest enim dicere; Scio illud, quia vidi. Tenetur tamen celare illud in quantum scit, ut Deus: non enim potest dicere, Ego hoc audivi in Confessione. tamen propter scandalum vitandum, debet abstinere, ne de hoc loquatur, nisi immineat necessitas*; imminens scilicet Ecclesiæ, vel Reipublicæ periculum, vel grave damnum proximi; aut mandatum Judicis testimonium ferre jubentis; vel Superioris Ecclesiastici præceptum excommunicantis omnes, qui talis facinoris auctores, sive conscios noverint, & non revelaverint; aut denique necessaria propter commune bonum correptio. Nec refert, quod inde scandalum in infirmi animi hominibus forte oriatur, quia (ut ait *S. Thomas* ibidem in Responsione ad IV.) *Non debet ita vitari scandalum ex una parte, quod ex alia justitia relinquatur: veritas enim non est propter scandalum dimittenda. Et ideo quando imminet periculum justitiæ, & veritatis, non debet dimitti revelatio ejus, quod quis in Confessione audivit, si aliter sciat, propter scandalum: verumtamen scandalum, quantum in se est, vitare tenetur.*

Confessionis arcanum.

REGULA LXVI.

Conveniens esset, ut Sacerdotibus omnibus, & singulis cujuscumque criminis sociis interdiceretur, ne sociorum, & participum ejusdem criminis Confessiones audirent; omnique quoad hoc Jurisdictione privarentur.

Confessio fieri non debet Sacerdo-

VIx enim contingit, ut peccatores, qui apud ipsos hujusmodi crimen deponunt, sinceram illius Pęnitentiam agant; vix contingit, ut criminosi illi Sacerdotes salutaria dent consilia, & convenientem Satisfactionis

nis modum præscribant: & si peccata sint impudicitiæ, periculum est, ne nova cum Pœnitenti tum Sacerdoti in ipsa Confessione peccati nascatur occasio. Quamobrem *Sanctus Carolus Borromæus* in Synodo Mediolanensi Diœcesana XI. ita statuit: *Confessario, qui cujuscumque criminis, etiam minimi, socius, particepsve ullo modo fuit, Munere interdictum sit Confessionis eorum audiendæ, quos illius socios habuerit. Idem de illis item absolvendis sancitum sit. Si quam vero auctoritatem, jurisdictionemque habet, ea ne abutatur, illum privamus, quod ad hanc causam, culpamque attinet: nec vero Absolutio, si quam impartiverit, ullius roboris sit, sed irrita plane, ac rescissa, nullaque omnino, tanquam ab eo impartita, qui jurisdictionis, & facultatis expers est. Et vero si quis Confessarius culpæ socius, particepsve aliquid contra ausus fuerit, Excommunicationis Sententiam statim subeat: cujus vinculo irretitus, ab alio Sacerdote nisi a Nobis absolvi non possit.*

ti criminis conscio, quod in Confessione aperiendum est.

CAPUT VI.

DE SATISFACTIONE

ARTICULUS I.

Quid sit Satisfactio, & quotuplex Satisfactionis Gradus?

I. Satisfactio generatim sumpta est *Rei debitæ integra solutio*. Speciatim sumpta, cum scilicet de gratiæ reconciliatione agitur. *Satisfactio est injuriæ alteri illatæ compensatio.* Quod autem ad hunc locum pertinet, Satisfactionis nomen divinarum rerum Doctores usurparunt, ad eam compensationem significandam, qua homo pro peccatis commissis Deo aliquid persolvit.

Satisfactionis definitio.

S. Anselmus Lib. I. *Cur Deus homo*, cap. XI. Satisfactionem sic definit: *Satisfacere, est Deo debitum honorem impendere*; ratione scilicet culpæ commissæ, qua homo Deo debitum honorem violavit. Hunc enim per Pœni„ tentiam restitui, justitiæ ratio postulat: Peccare quippe nihil aliud est, „ quam Deo non reddere debitum. Debitum porro est, ut omnis volun„ tas rationalis creaturæ subjecta sit voluntati Dei. Hunc honorem debi„ tum qui Deo non reddit, aufert Deo, quod suum est, & Deum exho„ norat. Quamdiu autem non solvit, quod rapuit, manet in culpa: nec „ sufficit solummodo reddere, quod ablatum est; sed pro contumelia illa„ ta plus debet reddere, quam abstulit. Sicut enim, qui lædit salutem al„ terius, non sufficit, si salutem restituit; nisi pro illata doloris injuria re„ compenset aliquid: ita qui honorem alicujus violat, non sufficit honorem „ reddere; si non secundum exhonorationis factam molestiam, aliquid, „ quod placeat illi, quem exhonoravit, restituat. Hoc quoque attenden„ dum, quod cum aliquis, quod injuste abstulit, solvit; hoc debet dare, „ quod ab illo non posset exigi, si alienum non rapuisset. *Sic ergo debet omnis, qui peccat, honorem, quem rapuit Deo, solvere; & hæc est Satisfactio, quam omnis peccator debet Deo facere.* Alii sic definierunt: *Satisfactio est injuriæ illatæ compensatio secundum justitiæ æqualitatem*. Alii accuratius: *Satisfactio est voluntaria sui ipsius punitio ad compensandum injuriam Deo per peccatum illatam, ipsumque placandum.*

Aliter definitur a *Gennadio* Lib. *De Ecclesiasticis Dogmatibus*, sub nomine *S. Augustini* olim edito, cap. LIV. *Satisfactio est peccatorum causas excidere, & earum suggestionibus aditum non indulgere.* Et a *S. Isidoro* Lib. VI. *Originum* Tit.

de Officiis: *Satisfactio eſt cauſas peccatorum, & ſuggeſtiones excludere, ac peccatum ultra non iterare*, Satisfactio enim vero, quæ eſt actus juſtitiæ pœnam inferentis, eſt *Medicina curans peccata præterita, & præſervans a futuris*. Primam rationem ſpectat *S. Anſelmi*, alteram *Gennadii* definitio. Cauſæ autem peccati actualis ſunt duplices; ſcilicet interiores, ut *Libido ex conſuetudine, vel actu peccati relicta*; & quæ dicuntur *reliquiæ peccati*: quædam exteriores, ut *Occaſiones ad peccandum, ſcilicet locus, mala ſocietas, & hujuſmodi: & tales cauſæ in hac vita per Satisfactionem tolluntur; quamvis fomes, qui eſt cauſa remota peccati actualis, non tollatur totaliter in hac vita per Satisfactionem, etſi debilitetur*, (inquit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, ſive Supplementi quæſt. XII. art. III.) Sicut ergo præſervatio a morbo corporali fit per remotionem cauſarum, ex quibus morbus conſequi poteſt; ita & præſervatio a morbo ſpirituali. Sed tamen cum ex cauſis mox recenſitis peccatum neceſſario non ſequatur, quia *Liberum arbitrium non cogitur*: ideo *Gennadii*, & *S. Iſidori* definitio complectitur exciſionem cauſarum, ſive occaſionum peccati, & liberi arbitrii ſuggeſtiones propulſantis propoſitum.

Aliis denique, *Satisfactio eſt purgatio, qua eluitur quicquid ſordium propter peccati maculam in anima reſedit, atque a pœnis tempore definitis, quibus tenebamur, abſolvimur*; ut habet Concilii Trident. Catechiſmus par. II. §. XC. Satisfactio quippe exhibetur, non ad culpam, vel pœnam æternam expiandam, (hæc enim Satisfactio ſoli Chriſto tribuenda eſt, qui ſolus actus eſt *Pro-*
1. Joan. 2. *pitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, verum & totius Mundi*.) Sed perſolvitur a nobis Satisfactio ad excidendum peccatorum cauſas, ad medendum peccati reliquiis, ad temporalem pœnam vel tollendam, vel mitigandam: cujus luendæ in hoc, vel in futuro ſæculo debitum remanere poſt remiſſionem culpæ, ac æternæ pœnæ condonationem, Dogma fidei eſt.

Multiplex gradus Satisfactionis. II. Multiplex eſt Satisfactionis gradus. Prima, & præſtantiſſima eſt Satisfactio Chriſti, qua miſericors Dominus & Redemptor plene, & cumulate Deo perſolvit quicquid pro ſcelerum noſtrorum ratione illius juſtitiæ debetur, etiamſi ſummo jure nobiſcum agere velit. Hujus Satisfactionis, ſcelerum omnium rationi, & gravitati, quæ in hoc ſæculo commiſſa ſunt, pariter, æqualiterque reſpondentis, pondere hominum actiones apud Deum plurimum valent, & ſine eo nullæ prorſus æſtimatione dignæ haberentur; (inquit Concilii Trident. Catechiſmus) atque huc *Davidis* verba videntur ſpectare, *Pſal.* CXV. ubi poſtquam illud protuliſſet: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Nihil præter hanc Satisfactionem, quam calicis nomine expreſſit, dignum tot, tantiſque beneficiis invenire potuit; quare ſubjecit: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Quem locum *S. Auguſtinus* ſic explicat: *Quæ præceſſerant hominis, ut omnium donorum Dei non attributio, ſed retributio vocari poſſit? Quæ præceſſerant hominis, niſi peccata? Retribuit ergo Deus bona pro malis: cui homines retribuunt mala pro bonis.*
Matth. 21. *Hæc enim retribuerunt, qui dixerunt*, Hic eſt hæres, venite, occidamus eum. *Sed quærit iſte, quid retribuat Domino, & non invenit, niſi ex eis, quæ ipſe Dominus retribuit*. Calicem, *inquit*, ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. *O homo, peccato tuo mendax, dono Dei verax, & ideo jam non homo, quis tibi dedit Calicem ſalutaris, quem accipiens, & invocans nomen Domini, retribues*
Matth. 20. „ *ei pro omnibus, quæ retribuit tibi? Quis niſi ille, qui ait:* Poteſtis bibere cali-
„ cem, quem ego bibiturus ſum? *Quis dedit tibi imitari paſſiones ſuas, niſi qui pro te paſſus eſt prior?*

Alterum Satisfactionis genus, eſt illa quæ Canonica appellatur, quod Sacris Canonibus præſcripta, & conſtituta ſit: & certo temporis ſpatio definita perficitur. Quare antiquiſſimo Eccleſiæ uſu receptum eſt, ut cum Pœni-

tentes

tentes a peccatis solvuntur, pœna aliqua eis irrogetur, cujus pœnæ solutionem Satisfactionem vocamus.

Tertium Satisfactionis genus est pęna quælibet, non quidem a Sacerdote constituta, sed sponte suscepta, & tolerata. Verum hæc ad Pęnitentiam, ut Sacramentum est, minime pertinet.

Sacramentalis itaque *Satisfactio est voluntaria pœnæ a Sacerdote in Pœnitentiæ Tribunali impositæ perpessio, ad compensandam injuriam Deo illatam, ipsumque placandum, cum firmo proposito peccata inposterum omni studio vitandi.*

ARTICULUS II.

De Satisfactionis Necessitate.

PROPOSITIO I.

Necessaria est Satisfactio Pœnitentibus ad Deum placandum, & pœnam temporariam redimendam, cujus debitum post remissionem culpæ sæpe manet.

DUo quippe sunt, quæ peccatum consequuntur, macula, & pœna, & quamvis semper culpa dimissa, simul etiam mortis æternæ supplicium apud inferos constitutum condonetur: tamen non semper contingit, ut Dominus pœnam temporariam, quæ peccatis debetur, remittat. Cujus rei perspicua sunt exempla in Sacris Litteris: sed illud *Davidis* præ ceteris illustre, cui etsi Nathan Propheta dixerat II. *Reg.* XII. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*: gravissimas tamen pœnas ultro subiit, Dei misericordiam his verbis dies, noctesque implorans: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*. Quibus verbis illud petebat a Domino, ut non solum crimen, sed etiam pœnam peccato debitam condonaret, atque a criminum reliquiis purgatum in pristinum decoris, & integritatis statum restitueret. Atque hæc cum summis precibus peteret, eum tamen Dominus tum filii ex adulterio suscepti morte, tum *Absalonis* defectione, aliisque pœnis, & calamitatibus domesticis, & publicis mulctavit, quarum minas illis antea intentaverat. In Exodo etiam, etsi Dominus *Moysis* precibus exoratus, populo idololatræ pepercerat, tamen minatus est, se tanti flagitii pœnas repetiturum esse: ipseque *Moyses* testatus est fore, ut illud Dominus severissime in tertiam, & quartam usque generationem ulcisceretur.

Necessitas Satisfactionis.

Psalm. 50.

Cur autem pœna omnis Pœnitentiæ Sacramento, æque, ac Baptismo non condonetur, præclare Sacra Synodus Tridentina explicat his verbis: *Sane & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla Satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ*. Ex his colligitur, Pœnitentem Deo satisfacere oportere, ut injuriam ipsi per peccatum illatam pro modulo suo compenset, ipsum placare satagat, pœnamque temporariam, imo & æternam, quæ in temporarias Dei misericordia commutata est, redimat. Hæc vero doctrina semper a Patribus in Ecclesia Catholica tradita est.

Ita enim *Tertullianus*, Libro *De Pœnitentia*, cap. VIII. & IX. „ Confessio „ Satisfactionis consilium est , dissimulatio contumaciæ. Hujus igitur Pœ- „ nitentiæ secundæ, & unius, quantum in arcto negotium est, tanto opero- „ sior probatio est; ut non sola conscientia proferatur, sed aliquo etiam a- „ ctu administretur.∴ Satisfactio Confessione disponitur, Confessione Pœni- „ tentia nascitur, Pœnitentia Deus mitigatur. Itaque Exomologesis proster- „ nendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens „ misericordiæ illicem, de ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco, „ & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animam mæroribus dejice- „ re, illa, quæ peccavit tristi tractatione mutare.∴ Plerumque vero jejuniis „ preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire noctes, diesque ad Do- „ minum Deum suum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, om- „ nibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia Exo- „ mologesis, ut Pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum „ honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione funga- „ tur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed ex- „ pungat.∴ In quantum non peperceris tibi; in tantum tibi Deus , crede , „ parcet.

Necessitas Satisfactionis.

Et cap. XI. Deliqui dicito in Deum, & periclitor in æternum perire: ita- „ que nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, „ quem delinquendo læsi. Sed enim illos , qui ambitus obeunt capessendi „ Magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis, „ nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus eniti in causa vo- „ torum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non atria „ nocturnis, & crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursum majo- „ ris cujusque personæ decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis comes- „ sationibus congreges, sed exules a libertatis, & lætitiæ felicitate : idque „ totum propter unius anni volaticum gaudium . Nos quod securium , vir- „ garumve petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? Et „ castigationem victus, atque cultus offenso Domino præstare cessabimus , „ quæ Gentiles nemine omnino læso sibi irrogant?

S. Cyprianus Tractatu de Lapsis : „ Quam magna deliquimus, tam grandi- „ ter defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non desit . Pœ- „ nitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito posse placari, „ quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti , cujus „ templum sacrilega contagione violasti ? Putas facile eum misereri tui , „ quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius , & rogare , diem „ luctu transigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere, tempus omne lacry- „ mosis lamentationibus occupare; stratos solo, adhærere cineri; in cilicio, „ & sordibus volutari ; post indumentum Christi perditum , nullum hic „ jam velle vestitum; post diaboli cibum, malle jejunium ; justis operibus „ incumbere, quibus peccata purgantur; eleemosynis frequenter insistere , „ quibus animæ a morte liberentur.

S. Pacianus Barcinonensis Episcopus in *Parænesi* ad *Pœnitentiam* verbis non minus luculentis Satisfactionis necessitatem adstruit, cum Pœnitentibus hæc verba suggerit, quibus respondeant eis, a quibus ad voluptates alliciuntur: *Si quis ad balneum vocet, recusare delicias; si quis ad convivium roget, dicere: Ista felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quid mihi epulæ, qui Dominum læsi? Tenere præterea pauperum manus. Viduas obsecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia prius tentare, ne pereas.*

S. Ambrosius Lib. II. *De Pœnitentia*, cap. X. *Facilius inveni , qui innocentiam*

tiam servaverint, quam qui congruam egerint Pœnitentiam. An quisquam illam Pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus? Renunciandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis; sequestrandus orationibus, vivendum ita ut vitali huic moriamur usui, seipsum homo abneget, & totus immutetur.

Et in Psalm. CXVIII. Serm. VIII. illum Versum explicans: *Miserere mei secundum eloquium tuum*; ait: *In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma justitiæ; ne quis a Communionis consortio abstentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus Communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi.*

S. Augustinus, Serm. XX. alias III. ex editis a Sirmondo: *Impunitum* (inquit) „ non potest esse peccatum; impunitum esse non decet, non oportet, non est justum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo. Peccatum tuum judicem te habeat, non patronum. In tribunal mentis tuæ ascende contra te, & reum constitue te ante te. Noli ponere te post te, ne Deus ponat te ante se. Ideo dicit in eodem Psalmo, unde facillimam impetret veniam: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum ante me est semper*. Tamquam dicens, Quoniam ante me est, ne sit ante te; & quia ego agnosco, tu ignosce. Ergo peccatum aut a te punitur, aut a Deo: sed a te sine te, a Deo tecum. Te ergo habeat punitorem, ut tu Deum habeas defensorem. Necessitas Satisfactionis. Psalm. 50.

Et Serm. CCCLI. alias I. inter Homilias 50. ubi opera carnis recensuit, quæ qui agunt, Regnum Dei non possidebunt, ut ait Apostolus ad *Gal.* v. subdit: „ Judicet ergo seipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores convertat in melius: ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur. Et cum ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a Præpositis Sacramentorum accipiat Satisfactionis suæ modum: ut in offerendo Sacrificio cordis contribulati devotus, & supplex, id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus, non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere Pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Cap. 4.

Et infra: *Non sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere; nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Cap. 5.

S. Innocentius I. Pontifex Maximus Epist. I. *Ceterum* (inquit) *de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem Pœnitentis, & ad fletus, atque lachrymas corrigentis; ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam Satisfactionem.*

S. Cæsarius, Hom. VIII. ubi peccatorum venialium, & mortalium discrimen exposuit, explicat, quæ Satisfactio pro venialibus, quæ pro lethalibus Deo sit exhibenda. *Quoties* (inquit) *infirmos visitamus, in carcere positos requirimus, discordes ad concordiam revocamus, indicto in Ecclesia jejunio* Cap. 7.

jejunamus, hospitibus pedes abluimus, ad vigilias frequentius convenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus; inimicis nostris, quoties petierint, indulgemus: istis operibus, & his similibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus vero criminibus non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lachrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata, & longo tempore procrastinata jejunia, largiores eleemosynæ, etiam plusquam nos ipsi valere possumus, erogandæ; ultro nos ipsos a communione Ecclesiæ removentes, in luctu, & tristitia multo tempore permanentes, & Pœnitentiam etiam publice agentes.

Et Hom. 1. *Mortificatione præsenti* (inquit) „ futuræ mortis sententia prævenitur; & dum culpæ auctor humiliatur, culpa consumitur, dumque exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi Judicis offensa sedatur; & ingentia debita labor solvit exiguus, quæ vix consumpturus erat ardor æternus. Tractantes ergo causam salutis nostræ, faciamus intra nos, quod circa nos Medici facere solent. Si læsura aliqua, vel querela in prima corporis cute sentitur, curatio medicamenti blandioris apponitur: si vero in ossibus vulnus absconditum, aut in viscerum profunda demersum est, austeriorem, ac violentiorem poscit vis occulta medicinam. Similis ratio in ægritudine interioris hominis adhibenda est. Si levia sunt fortasse delicta, v. gr. si homo, vel in sermone, vel aliqua reprehensibili voluntate, si oculo peccavit, aut corde; verborum, & cogitationum maculæ quotidiana oratione curandæ, & privata compunctione tergendæ sunt. Si vero quisque conscientiam suam interrogans, facinus aliquod capitale commisit, ut si fidem suam falso testimonio expugnavit, ac prodidit, aut sacrum Veritatis nomen perjurii temeritate violavit; si veram Baptismi tunicam, & pretiosam virginitatis holosericam cæno immaculati pudoris infecit, si in semetipso novum hominem nece hominis occidit: si per Augures, & Divinos, atque Incantatores captivum se Diabolo tradidit: hæc & ejusmodi commissa expiari penitus communi, & mediocri, vel secreta Satisfactione non possunt; sed graves causæ graviores, & acriores publicas curas requirunt: ut qui cum plurimorum destructione se perdidit, simili modo cum plurimorum ædificatione se redimat.

Necessitas Satisfactionis.

Lutherani, & Calviniani refelluntur.

Imperite porro Lutherani, & Calviniani respondent, Satisfactiones illas mera fuisse spectacula instituta tum exempli causa, tum ad probandos ho , qui recipi petebant ab Ecclesia: disciplinam fuisse, & rem prorsus politicam, finxisseque Scholasticos, eas non ad disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum Deum valere. Quod enim spectacula mera non fuerint, exempli causa instituta, & ad probandos eos, qui in Ecclesiam recipi postulabant; sed vel maxime ad Deum placandum, ad expiandas, & curandas peccatorum reliquias, ad pęnas temporarias, quarum sæpe debitores sumus post remissionem peccatorum, redimendas, non solum allata probant testimonia Patrum, sed duo confirmant argumenta luculentissima, quibus demonstratur quibusdam peccatoribus vel occultis, vel ab Ecclesia non præcisis, Satisfactionem secretam olim imponi ab Ecclesia consuevisse.

Primum argumentum petitur ex *S. Basilio*, qui mulieribus adulterium secreto confessis Pęnitentiam Canonicam impositam fuisse, quam secreto quoque peragerent, ab Eucharistiæ communione separatæ certo, ac definito tempore, Epist. 111. ad *Amphilochium*, can. XXXIX. testatur.

Alterum petitur ex *S. Leone*, Epistola ad *Rusticum* Narbonensem Episcopum asserente, alienum esse a consuetudine Ecclesiastica, ut Presbyteri, & Diaconi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi. *Unde* (inquit) *hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata*

ta

ta est expetenda secessio, ubi illis Satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. Quod & *Juliani Pomerii* testimonio Lib. II. *De Vita Contemplativa*, c. VII. & Ilerdensis Concilii can. I. & can. *Presbyter*, apud *Gratianum* dist. LXXXII. confirmatur.

Sed & Traditionis fonti propinquior *S. Cyprianus*, Lib. *De Lapsis*, diserte asserit, Pœnitentiæ operibus non Ecclesiæ solum, sed Deo satisfieri, ejusque iram placari: *Potest ille* (inquit) *indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes: vel si quis plus eum suis Satisfactionibus moverit, si ejus iram, si indignantis offensam justa deprecatione placaverit, dat ille, & arma rursum quibus victus armetur, reparat, & corroborat vires quibus fides instaurata vegetetur.* Necessitas Satisfactionis.

PROPOSITIO II.

Satisfactionis necessitas Dei præcepto peccatoribus imposita est.

ID probat *S. Joannis* sententia, Lucæ III. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*: Quid enim aliud sibi volunt digni fructus Pœnitentiæ, quam Satisfactionem per opera justitiæ? *Pœnitentiam dico* (inquit) *S. Jo Chrysostomus*. Hom. x. in Matthæum, *non solum ut a malis prioribus desistamus, verum etiam ut bonorum operum fructibus impleamur*. Facite, *inquit*, fructus dignos Pænitentiæ. „Quo autem modo fructificare poterimus? Si utique peccatis adversa „faciamus. Aliena rapuisti? Incipe donare jam propria. Longo es tempo„re fornicatus? A legitimo quoque usu suspendere conjugii, ac perpetuam „continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Injuriam vel „opere cuiquam, vel sermone fecisti? Refer benedictionis verba conviciis, „& percutientes te nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare conten„de. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de cor„pore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis ante, & te„mulentia diffluebas? Jejunio, & aquæ potu utrumque compensa, ut famem „superes imminentem. Vidisti impudicis alienum decorem oculis? Fæminam „jam omnino non videas, majore tactus cautione post vulnera.

Eandem *S. Joannis* sententiam expendens, *S. Gregorius* Hom. xx. in Evangelia ait, „Sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure „conceditur, ut licitis utatur, sicque pietatis opera faciat, ut tamen si nolu„erit, ea, quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis cul„pam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tanto a se „licita debet abscindere, quanto se meminit, & illicita perpetrasse. Neque „enim par fructus boni operis esse debet ejus, qui minus, & ejus, qui amplius „deliquit: aut ejus, qui in nullis, & ejus, qui in quibusdam facinoribus „cecidit, & ejus, qui in multis est lapsus. Per hoc ergo, quod dicitur. *Fa„cite fructus dignos Pœnitentiæ*; uniuscujusque conscientia convenitur: ut tan„to majora quærat bonorum operum lucra per Pænitentiam, quanto graviora „sibi intulit damna per culpam.

Idem, sive alius Auctor Lib. VI. Commentarii in Lib. I. *Regum* inter ejus Opera editi: *Vindicta* (inquit) *peccati quasi medicina necessaria est, ut apostema reatus, quod conversione compungitur, confitendo purgetur, afflictionisque medicina sanetur. Signum ergo veræ conversionis non est in oris Confessione, sed in afflictione Pœnitentiæ. Tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde Jo: Baptista male conversos Judæos ad se con-*

flu-

„ *fluentes increpans, ait*: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a
„ ventura ira? Facite ergo dignos fructus Pœnitentiæ. *In fructu ergo, non in foliis, aut ramis Pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda sunt: quia idcirco omnis Confessio peccatorum expetitur, ut fructus Pœnitentiæ subsequatur. Unde & Dominus arborem foliis decoram fructu sterilem maledixit, quia Confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.*

Necessitas Satisfactionis.

His etiam *Joelis* Prophetæ, & *S. Pauli* verbis Satisfactionis præceptum expressum est, quibus peccatores ad Pœnitentiam adhortantur. Joel. II. „ Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu. II. Corinthio. VII. Hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, „ sed vindictam. *Et ad Rom.* VI. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire „ immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita & nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *Hunc verborum illorum sensum esse, constat ex* S. Basilio, *Versum illum Ps.* XXXII. In Psalterio decachordo psallite illi, *explicante*: Quoniam (*inquit*) in corpore peccavimus, quando membra nostra serva peccati ad iniquitatem præbuimus, corpore item „ confiteamur, eodem in peccati dissolutionem usi instrumento. Maledixisti? Benedicas. Circumvenisti proximum in negotio? Redde. In ebrietatem incidisti? Jejuna. Arroganter, & superbe egisti? Humiliare. Invidisti? Consolare. Occidisti? Martyrium subito, aut certe, quod Martyrio „ æquivalere queat, per Exomologesim proprium corpus affliges. Tunc demum post Confessionem dignus fueris, qui Deo psallas in decachordo Psalterio. *Et Homilia contra Ebriosos*: Medicina (*inquit*) magna delicta sanet. „ Jejunium ebrietatem curet, Psalmus turpes cantus, lachrymæ risum. Pro „ saltatione genu Deo flectatur, pro manuum plausu pectus pulsetur. Pro vestium sumptu, atque ornatu succedat humilitas. In omnibus vero eleemosyna peccata diluat. Redemptio animæ viri divitiæ ipsius. *Quid autem est aliud satisfacere Deo, quam quod his verbis exprimitur*? Hinc S. Augustinus, *Epist.* CLIII. *alias* LIV. „ Nihil aliud agit, (*inquit*) quem veraciter pœnitet, nisi ut id, „ quod mali fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cujus altum, justumque judicium nullus contemptor evadit.

Prov. 5.

PROPOSITIO III.

Ut Satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ a Sacerdotibus imponatur, non humana potestate usurpatum, sed divina auctoritate institutum est.

CHristus enim Apostolis suis, eorumque Successoribus ligandi, & solvendi potestatem tradidit, *Matth.* XVIII. quod non solum ad remissionem, & retentionem peccatorum pertinet, sed etiam ad Satisfactionum impositionem. Id evidentissime *S. Leo* testatur Epist. LXXXII. alias XCI. ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum. *Mediator*, (inquit) *Dei, & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam Reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quæ Ministris suis exequenda commisit dicens*, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: *ut si quid per servitutem nostram bono ordine, & gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum Sanctum fuisse donatum.*

Matth. 28.

Obi-

Objicitur, Deum *Ezech.* XVIII. conteſtari: *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis*, &c. *omnium iniquitatum ejus*, *quas operatus eſt*, *non recordabor*. At recordaretur iniquitatum, quas Pœnitentibus condonavit, ſi poſt illarum remiſſionem pœnam aliquam, ſive ſactisfactionem exigeret.

Reſpondetur, Non recordari Deum iniquitatum, quas vere Pœnitentibus dimiſit, ita ut propter illas hominem odio habeat, ipſique pœnas æternas infligat, quæ cum amicitia Dei cohærere non poſſunt: ipſarum vero ita memorem eſſe, ut pœnas exigat temporarias, atque Satisfactiones, non tam ſeveritate Judicis, quam miſericordia Patris, quia a peccatorum reliquiis filios his Satisfactionibus expiat, & tanquam medicinis ſaluberrimis adverſus futuras peccatorum ægritudines præmunit, ac præterea Filii ſui paſſionis, & mortis pœnis illos conformes facit. Eodem certe ſenſu intelligi debent hæc verba Dei apud Ezechielem, *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*, quo iſta, quæ ibidem leguntur de Juſtis in lethale peccatum prolapſis, & a juſtitia ſua averſis: *Omnes juſtitiæ ejus*, *quas fecerat*, *non recordabuntur*: Porro & Patres docent, & experientia ſuadet, Deum non ita oblivioni tradere bona juſtorum opera, cum a gratiæ ſtatu deficiunt, quin ob illa præmiis ipſos temporalibus donet. Non ſic igitur oblivioni tradit impiorum crimina, cum Pœnitentiam agunt, quin ob ipſa pœnis temporalibus obnoxios ipſos eſſe velit, vel in hoc ſæculo ſatisfactione, vel in Purgatorio ſatiſpaſſione luendis.

Objectiones contra Satisfactionis neceſſitatem ſolvuntur.

Objicitur ſecundo: Ficta, & fraudulenta eſſet hominis cum inimico ſuo reconciliatio, ſi poſt injuriæ condonationem, & ſponſionem amicitiæ, aliquod damnum, aut malum ipſum pati vellet. Qua igitur ratione Deus a Pœnitentibus pœnas exigit, ſi vere ipſis peccata dimiſit, illoſque in ſuam recipit amicitiam?

Reſpondetur; & in hominum reconciliatione non alia lege amicitiam redintegrari, niſi ut violatus reparetur honor, ut injuria illata convenienti modo compenſetur, ut pro damnis illatis congrua ſatisfactio fiat. Qui læſo ſatisfacere nolit amico, amicitia indignum cenſeri. Sed magnum præterea diſcrimen eſt inter hominis reconciliationem cum inimico, & Dei cum Pœnitente. Illa enim externis tantum ſignis innoteſcere poteſt, ac probari: proindeque merito veniret in ſuſpicionem fraudis, ſi grave aliquod malum inferret inimico qui cum eo in gratiam rediiſſet. Præterea, malum illud, quo afficeretur inimicus ad prioris expiationem injuriæ, aut confirmationem amicitiæ nihil conferret. Dei vero cum Pœnitente reconciliatio interior eſt, & externa pœnæ prorſus omnis remiſſione non indiget, ut probetur. Ac præterea pœnæ, quas hic a ſe peccator Penitens repetit ex mandato Sacerdotum, vel ſponte aſſumit, aut patitur; plurimum valent ad reſarciendum honorem Deo ablatum, & violata divinæ juſtitiæ pariter, & miſericordiæ jura quodammodo reparanda. Suum quippe jus exercet Miſericordia, cum peccata condonat; ſuum Juſtitia, cum pęnas ſatisfactorias exigit. Nec enim Deus inſtar privati cujuſdam cogitandus eſt, qui non ſolum injuriam, ſed & pœnam omnem injuriæ debitam remittere debet inimico, ut ipſum in amicitiam ſuam ſincere recepiſſe cenſeatur: ſed inſtar Judicis, qui leges, ordinemque juris ſervare debet. Sic juſtitia, & pax ſe ſe mutuo oſculantur. Unde *S. Auguſtinus*, Enarratione in Pſalmum 50. explicans hæc Davidis pœnitentis ad Deum verba: *Ecce enim veritatem dilexiſti*; ait: *Veritatem dilexiſti*; *ideſt*, *impunita peccata etiam eorum quibus ignoſcis*, *non reliquiſti*. *Sic miſericordiam prærogaſti*, *ut ſervares*, *& veritatem*. *Ignoſcis confitenti*, *ignoſcis*, *ſed ſe ipſum punienti*; *ita ſervatur miſericordia*, *& veritas*, *miſericordia*, *quia homo liberatur*; *veritas*, *quia peccatum punitur*.

Neceſſitas Satisfactionis.

Objicitur tertio; Poſt remiſſionem peccatorum in Baptiſmo nulli pęnæ obnoxii manent baptizati, quia Baptiſmus omnia peccata delet, ac remittit: igitur

tur

tur nullius etiam pęnæ manent debitores, quibus peccata omnia per Pęnitentiam dimissa sunt.

Respondetur: Id minime sequi, magnumque discrimen Baptismum inter, & Pęnitentiam in hoc etiam intercedere. Baptismus enim regenerationis, & innovationis Sacramentum est, quod ideo culpam pariter, & pęnæ debitum omne abolet, & expungit: Pęnitentia vero Sacramentum est sanationis, in quo majores ex parte hominis Pęnitentis dispositiones postulantur: quia gravius peccatum est, quod post Baptismum perpetratur, illo, quod ante Baptismum committitur: ac propterea majores ad Deum placandum labores subeundi sunt. *Nam lavari quidem cito possumus* (inquit *S. Bernardus* Sermone in Cęna Domini) *ad sanandum vero opus est curatione multa*. Et, ut docet Sacra Synodus Tridentina sessione XIV. cap. II. *Alius est Baptismi, & alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus; ut merito Pœnitentia Laboriosus quidam Baptismus dictus fuerit.*

Apoc. 1. 5. 1. Joan. 2. 2. Objicitur quarto; Christus *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; & Propitiatio est pro peccatis nostris*: Ejusque Satisfactio pro delictis nostris, & non solum pro nostris, sed & totius mundi, non modo sufficiens est, sed superabundans: quamobrem ejus Passioni, & Morti infertur injuria, si præter illius satisfactionem humanæ etiam satisfactiones ad Deum placandum necessariæ asserantur. Unde *S. Ambrosius*, nullam *S. Petrum* pro negatione Christi, quod gravissimum certe crimen fuit, obtulisse Deo satisfactionem, affirmare non dubitat Lib. X. in Lucam: *Lachrymas Petri lego* (inquit) *Satisfactionem non lego*.

Christi Satisfactioni non derogat Pœnitentialis Satisfactionis, necessitas.

Respondetur; Christi satisfactionem sufficientissimam esse pro nostris, & totius mundi peccatis, in modum causæ, & remedii universalis, quod nihilominus tum per Sacramenta, tum per Satisfactiones nostras nobis applicari debeat, ut efficaciter in nobis operetur. Unde sicut nulla fit injuria dolori, quo Christus pro peccatis nostris afflictus est, & lacrymis, quas pro illorum remissione fudit, tametsi contritio, & lacrymæ Pęnitentium ad expianda delicta necessariæ asserantur: nec ulla fit injuria orationibus Christi, licet orationibus nostris sit opus ad remissionem peccatorum, divinaque beneficia impetranda: ita nulla fit injuria Satisfactioni Christi, etsi Satisfactio nostra necessaria sit divino jure ad Deum placandum. Et quemadmodum in observatione mandatorum Dei semper conjungenda sunt gratia, & liberum hominis arbitrium: ita in remissione peccatorum simul concurrere debent Christi Satisfactio, & nostra. Sicut enim liberum arbitrium sine gratia nihil prorsus boni operari potest: ita omnis nostra quantacumque videatur Pęnitentia, & Satisfactio, nihil prodest ad remissionem peccatorum, nisi Deus Filii sui Passionem respiciat, quæ potiores partes in remissione peccatorum semper obtinet; sicut gratia in bonis operibus semper habet principatum. Verumtamen sicut bona opera non ita gratiæ tribuimus, ut liberum hominis arbitrium excludamus; ita neque Passioni Christi sic remissionem peccatorum adscribimus, ut nostram etiam Satisfactionem esse necessariam negemus. Utrum-
1. Joan. 1. que enim Catholicæ Fidei dogma, utrumque Spiritus Sancti oraculum est.
2. Cor. 7. Et *Sanguis Jesu emundat nos ab omni peccato*: &, *Quæ secundum Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Hæc Ecclesiæ doctrina est a Sacra Synodo Tridentina explicata, sess. XIV. cap. VIII. *Neque vero* (inquit) *ita nostra est Satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus,*

ut

ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre. Satisfactio igitur nostra Passionem Christi non obscurat, sed illustrat. *Eo enim copiosior Christi gratia videtur esse, quod non solum ea nobiscum communicantur, quæ ipse solus; sed illa etiam, quæ tanquam caput in membra suis Sanctis, & justis hominibus promeruerit, ac persolvit: qua ratione fieri perspicuum est, ut justæ, & honestæ piorum actiones tantum ponderis, & dignitatis habeant*; (inquit Conc. Catechismus.)

Cum porro *S. Ambrosius* asserit se *Petri* Satisfactionem non legere, nomen satisfactionis non usurpat eo sensu, quo de illa agimus, prout Penitentiæ pars est; sed populari significatione, pro excusatione, quæ verbis fieri solet. Nam satisfacere alicui vulgo dicitur, qui apud illum verbis se excusat. *Ambrosius* itaque *S. Petrum* laudat, quod ingenue confessus fuerit peccatum, non excusaverit, ac defenderit. Sed Satisfactionem proprie dictam in *S. Petri* Penitentia non negat. *Nos* (inquit) *excusamus, ipse non excusavit* ∴ *Maluit enim ipse suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando:* Justus enim in principio accusator est sui; *& ideo flevit* ∴ *Petrus doluit, & flevit; quia erravit, ut homo. Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit: lacrymas ejus lego, Satisfactionem non lego: & quod defendi non potest, ablui potest.* Ceterum Lib. II. *De Pænitentia*, cap. V. peccatorum reliquias non dilui, nec penas condonari docet, nisi Satisfactione, quæ fit Deo per opera justitiæ. *Utrumque* (inquit) *beatum dixit David & cui remissæ sunt iniquitates, & cujus peccatum tegitur bonis operibus* ∴ *Qui enim agit Pœnitentiam, non solum diluere lachrymis debet peccatum, sed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum.* Prov. 18.

Quam isto Articulo explicuimus doctrinam, velut Fidei Catholicæ dogma Sacra Synodus Tridentina quatuor Canonibus confirmavit sess. XIV. *De Pœnitentia*, scilicet. Trid. Conc. Canones de Satisfactione.

Canone XII. *Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, Satisfactionemque Pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse; Anathema sit.*

Canone XIII. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis; sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam Pœnitentiam esse tantum novam vitam; Anathema sit.*

Canone XIV. *Si quis dixerit, Satisfactiones, quibus Pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque beneficium mortis Christi obscurantes, Anathema sit.*

Canone XV. *Si quis dixerit, Claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium, & contra institutionem Christi; & fictionem esse, quod virtute Clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; Anathema sit.*

A R-

ARTICULUS III.

De Satisfactionis utilitate.

I. SAtisfactionis utilitates, ac fructus, non aliis quam Tridentini Concilii verbis declarabo, sess. XIV. cap. VIII. *Proculdubio* (inquit) *magnopere a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ; cautioresque, & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiunt. Medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendum imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfacit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur.* Eosdem Satisfactionis fructus percenset Conc. Trid. Catechismus p. II. duosque superaddit, scilicet quod satisfactoriæ pœnæ testes sint doloris, quem de peccatis commissis concipimus, & quod Pœnitentiæ nostræ exempla alios a peccatis deterreant.

Pœnis Satisfactoriis Pœnitentes cautiores & vigilantiores efficiuntur.

II. Prima igitur Satisfactionis utilitas ea est, quod satisfactoriis pœnis homines quasi fræno quodam coerceantur, cautioresque, & vigilantiores efficiantur. Nam *si cito rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem* (inquit *S. Augustinus* Serm. CCLXXVII. alias XXXIV. *De Diversis*.) Sane cautior est homo in tuenda sanitate, cum ex gravi, diuturnaque ægritudine summa cum difficultate evasit, ne iterum secetur, exuratur, amarasque potiones haurire cogatur. Unde *S. Pacianus*, Epist. III ad *Sympronianum*, Novatianis objicientibus, quod Deus permittere hominibus videretur, ut sæpius peccarent, si sæpius eos pœnitere juberet; respondet id minime sequi. Nec enim Medicus, cum curat; assidue vulnerari docet: nec qui ab incendio liberat, incendium monstrat: nec qui naufragum e scopulis eripit, in saxa compellit. *Aliud est de periculo liberari, aliud ad periculum cogi. Et fortasse* (inquit) *paterer hoc credi, si Pœnitentia deliciæ putarentur, cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus impetratur, cui juges lacrymæ, cui gemitus sempiterni. Volet ergo ille sanatus iterum se secari, rursus exuri? Volet peccare iterum, & iterum pœnitere, cum scriptum sit:* Noli *adjicere peccatum, ne quid tibi deterius contingat*?

Eccli. 5. 5.

Et antiquior S. Paciano *Tertullianus*, Lib. „ De Pœnitentia, *cap.* VII. „ Absit (*inquit*) ut aliquis ita interpretetur, quasi via sibi etiam nunc pateat „ ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: & redundantia clementiæ „ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, „ quia Deus melior est, toties delinquendo quoties ignoscitur ∴ Plerique nau- „ fragio liberati, exinde repudium & navi, & mari dicunt; & Dei benefi- „ cium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, „ diligo verecundiam: nolunt iterum divinæ misericordiæ oneri esse; formi- „ dant videri inculcare, quod consecuti sunt: bona certe sollicitudine ite- „ rum experiri vitant, quod semel didicerunt timere. Ita modus temerita- „ tis, testatio est timoris. Timor autem hominis, Dei honor est.

Pœnæ Satisfactoriæ testes sunt doloris de peccatis concepti.

III. Secundo, pœnæ sactisfactoriæ testificationes quædam sunt doloris, quem ex peccatis commissis capimus: qua ratione & Ecclesiæ fit satis, quæ nostris sceleribus graviter offensa est. Unde *S. Augustinus*, Enchiridii cap. LXV. ait: *Neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in Sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est agentibus Pœnitentiam secundum*

mo-

modum sui cujusque peccati . In actione autem Pœnitentiæ , ubi tale commissum est , ut is, qui commisit a Christi etiam Corpore separetur, non tam considerandа est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum, & humiliatum Deus non spernit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba , aut quæcumque signa procedit: cum sit coram illo, cui dicitur. Gemitus meus a te non est absconditus; *Recte constituuntur ab iis , qui Ecclesiis præsunt , tempora Pœnitentiæ , ut fiat satis etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur.* Psalm. 97.

„ IV. Præterea (inquit Conc. Tridentini Chatechismus) Pęnitentiæ nostræ „ exempla alios docent, quo modo ipsi vitam instituere , & pietatem sequi de„ beant : cum enim pęnas nobis pro peccatis irrogatas ceteri homines intuen„ tur, summam cautionem sibi in omni vita adhibendam , & mores pristinos „ corrigendos intelligunt. Quare sapientissime illud ab Ecclesia observatum est, „ ut cum ab aliquo publice flagitium commissum esset , publica etiam Pœniten„ tia ei indiceretur , ut ceteri timore perterriti deinceps peccata diligentius vi„ tarent , Quod , etiam in occultis criminibus , quæ graviora essent, interdum fieri solitum erat , ut colligitur ex antiquis Canonibus , qui graviorum criminum reis Pęnitentiam publicam imponunt , nec distinguunt uspiam inter crimina publica, & occulta : item ex *S. Ambrosio*, Libro I. *De Pœnitentia*, cap. XVI. & *S. Augustino*, Serm. CCCLI. alias L. inter Homilias quinquaginta , cap. IV. Sed (ut diximus) id in more Ecclesiæ fuit, ut qui ea commiserant, antequam publicam Pęnitentiam suscepissent, non absolverentur, nisi vita eorum interim explorata, & discussa, ut certum esset , an peccata ex animo detestarentur : an vitam veterem odissent, novamque agere cæpissent; & ne in ipso Pęnitentiæ decursu facerent , quod postea Pœnitentia indigeret , ut loquitur *S. Ambrosius*.

Satisfactiones ad aliorum exemplum etiam impositæ.

V. Quarto, hujusmodi perpessione pœnarum consequimur , ut Capitis nostri Jesu Christi similitudinem , & imaginem geramus. Nam, teste Apostolo, sumus *Cohæredes Christi : si tamen compatimur , ut & conglorificemur*. Et, *Si commortui sumus, & convivemus : si sustinebimus, & conregnabimus*. Exemplum dedit nobis, ut sequamur vestigia ejus : ut sicut ipse tulit crucem suam, carnem nostram indutus, verum ab omni prorsus peccato immunis; ita & nos peccatis contaminati, tollamus & ipsi crucem nostram. Hoc est, quod nos admonet, dicens: *Si quis vult venire post me , abneget semetipsum , & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hinc *S. Leo*, Serm. XIV. *De Passione Domini*, ait oportere, *ut corpus regenerati fiat caro Crucifixi.*

Pęnis Satisfactoriis Pęnitentes Christo conformantur. Rom 8. 17. 2. Tim. 2. 11. Matth. 16. 24.

VI. Ad purgandas quoque peccatorum reliquias, & vitiosos habitus eradicandos pœnæ satisfactoriæ plurimum prosunt. Non satis est (inquit *S. Jo: Chrysostomus*) sagittam e corpore extrahi , sed plaga quoque a sagitta inflicta curanda est: sic etiam in anima post acceptam peccati veniam Pęnitentia curanda est plaga relicta. Hinc David post remissionem peccati orabat : *Amplius lava me ab injustitia mea , & a delicto meo munda me.* Quæ verba *S. Chrysostomus* expendens Homilia II. in Psal. 50. ait: *Non satis habet curatum esse vulnus, etiam cicatricem sanari , pristinum etiam decorem restitui petit.* Quod igitur fieri videmus in Baptismo, ut remisso peccati originalis reatu , reliquiæ tamen ejus maneant, fomes ille concupiscentiæ , quem tota vita piis exercitiis mortificare oporteat: id & in Pœnitentiæ Sacramento evenit. Manent quasi fomes quidam, reliquiæ quædam peccati, quas purgare salubri Satisfactione necesse est: cum præsertim præteritum peccatum in consuetudinem abiit , quod quanto fixerat altius radices, tanto majore, & diuturniore purgatione opus habet. Has peccati reliquias præclare describit *S. Jo: Chrysostomus*. Homilia XL. in Acta Apostolorum: „ Sicut enim, qui febre laborat, non in hoc solum læditur,

Penæ Satisfactorie ad purgando peccatorum reliqua & pravos habitus eradicandos maxime possunt. Psal. 50.

„ quod

„ quod ægrotat, sed etiam, quod post morbum infirmior sit, licet a mor-
„ bo diuturno ad bonam valetudinem redeat: ita sane & de peccato dicen-
„ dum; licet sanemur, adhuc tamen egemus magna fortitudine. Vide enim
„ oro quendam, qui contumelia affecit, & non supplicio affectum: non
„ propter hoc solum debet lacrymari, quia non contumelia dat pœnam;
„ sed etiam propter aliam causam, ut lugeat dignum. Et qualis hæc? Quia
„ impudentior facta est anima. Nam unumquodque peccatum, ubi patra-
„ tum fuerit, & ad finem pervenerit, relinquit in anima venenum. Non
„ audis quosdam dicentes, quando a morbo confirmati fuerint: Non ausim
„ aquam bibere? quamvis sanus sit, sed ita morbus læsit.

De his etiam reliquiis antiquior *Origenes* Hom. VIII. in *Leviticum* ita scribit: „ In vulneribus corporum, postquam curata fuerint, remanet interdum ipsius „ vulneris signum, quod cicatrix appellatur. Vix enim est, qui ita curetur, „ ut nullum suscepti vulneris residere videatur indicium. Transi nunc ab ista „ Legis umbra ad veritatem ejus, & intuere, quomodo anima, quæ peccati vul- „ nus acceperit, etiamsi curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vul- „ neris residentem. Quæ cicatrix non solum a Deo videtur, sed & ab eis, „ qui acceperunt ab eo gratiam, qua prævidere possint animæ languores, & dis- „ cernere, quæ sit anima ita curata, ut omni genere vestigium illati vulneris ab- „ jecerit: & quæ curata sit quidem, sed ferat adhuc veteris morbi in ipso vesti- „ gio cicatricis indicia.

Pœnæ Satisfactoriæ Dei animadversionem avertunt.

VII. Denique Pœnitentiæ pœna a nobis suscepta Dei animadversionem, suppliciaque in nos constituta antevertit. Sic Achab III. *Reg.* cap. XXI. Manasses II: *Paralip.* cap. XXIII. Ninivitæ *Jonæ II.* Pœnitentiæ operibus imminentem sibi a Domino pœnam depulerunt. Id confirmat Apost. I. ad Cor. XI. 31. 32. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc Mundo damnemur.* Omnia ergo præterita conversis dimittuntur (inquit S. Augustinus.) *Cæterum hujus vitæ sunt quædam gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritus, & tribulationis Pœnitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per Claves Ecclesiæ. Si enim, tu te cœperis judicare, si tibi cœperis displicere; Deus veniet, ut misereatur. Si tu te punire volueris, parcet ille. Qui autem agit bene Pœnitentiam, suus ipse punitor est. Sit oportet ipse severus in se, ut* Psalm. 50. *in eum sit misericors Deus; quomodo dicit David,* „ Averte faciem tuam a pecca- „ tis meis, & omnes iniquitates meas dele. *Sed quo merito? ait in ipso Psalmo,* Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum ante me est semper. *Si ergo tu agnoscis, ille ignoscit.* Hæc ille Ser. CCLXXVII. alias *De Diversis*, XXXIV.

S. Augustino concinit *S. Bernardus*, Serm. LV. in Cantica. *Verendum valde* (inquit) *cum ad hoc ventum fuerit ne sub tam subtili examine multæ nostræ justitiæ (ut* 1. Cor. 11. *putantur) peccata appareant. Unum est tamen,* Si nosmetipsos dijudicaverimus, non utique judicabimur. *Bonum judicium, quod me illi dist icto, divinoque judicio subducit, & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis: volo vultui* 1. Cor. 2. *iræ judicatus præsentari, non judicandus.* Spiritualis homo omnia dijudicat, & „ ipse a nemine judicatur. *Judicabo proinde mala mea, judicabo & bona: mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire jejuniis, cæterisque sanctæ laboribus disciplinæ: in bonis de me humiliter sentiam, & juxta præceptum Domini servum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantum feci; dabo ope-* Luc. 17. *ram nec lolia pro granis, nec paleas cum granis, offerre; scrutabor ego vias meas, & studia mea: quo is, qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, sive indiscussum inveniat: neque enim judicaturus est bis in idipsum.*

AT-

ARTICULUS IV.

De his, quæ ad veram Satisfactionem requiruntur.

PROPOSITIO I.

Necesse est ut is, qui satisfacit, justus sit, ac Dei amicus.

ITa docet Conc. Tridentini Catechismus p. II. §. CIII. idque ex eo probat, quod opera, quæ sine fide, & charitate fiunt, nullo modo Deo grata esse possint. Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi qu. XIV. art. II. *Oportet* (inquit) *quod opera satisfactoria sint Deo accepta: quod dat eis charitas; & ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.*

Præterea, *Universa delicta operit charitas*, ut dicitur *Prov. X.* Cum igitur Satisfactionis virtus sit abolere delicta; nullius virtutis est absque charitate.

Tertio, Inter opera Satisfactoria præcipuum est eleemosyna: hæc autem sine charitate nihil prodest, Apostolo dicente I. ad Cor. XIII. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas ∴ Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Conditiones Satisfactionis.

Quæ tamen Sacræ Scripturæ Sententia, & *S. Thomæ* assertio, non sunt intelligendæ de sola charitate, quæ diffusa in cordibus nostris per Sp. Sanctum, qui datus est nobis, propria est Justorum, in iisque habitu permanet: sed etiam de illo affectu, quo Deus ita sincere diligitur, ut aliis omnibus præponatur; qualis dominatur in vere Pęnitentium animis: nam alioqui non recte diceretur, *Nihil mihi prodest*: cum Pęnitentium oratio, gemitus, jejunia, eleemosynæ multum eis prosint, etiamsi nondum sint justificati; prosint (inquam) ut congruæ dispositiones ad gratiam sanctificantem, qua filii Dei nominamur, & sumus. Unde Satisfactio secundum veteris Ecclesiæ Disciplinam Absolutioni præmittebatur: quem usum non instituisset Ecclesia, si Satisfactiones Pœnitentibus nondum cum Deo penitus reconciliatis inutiles fuissent. Cum ergo Tridentini Conc. Catechismus asserit, *Necesse esse, ut is, qui Deo satisfacit, justus sit, & Dei amicus*, loquitur de justitia inchoata, & de amore actuali, quo quis gratia Spiritus Sancti, *Nondum quidem inhabitantis, sed moventis* adjutus ad Deum animo Pęnitente convertitur, eum amore dominante diligit, ejusque amicitiam pia solicitudine quærit.

Id clarius ut explicent Theologi, observant, Esse in peccato variis modis intelligi, vel actu, cum peccatum committitur: vel affectu, cum peccatum voluntati placet, etiamsi actu transierit: vel reatu, & macula, dum voluntas quidem odio sincero adversus peccatum movetur, illudque pœnitens animus detestatur, nondum tamen abolita macula est, nondum solutus damnationis æternæ reatus. Hominem igitur in actu, vel affectu lethalis alicujus peccati perseverantem, Deo satisfacere nullatenus posse asserunt. Quam doctrinam ex Sacris Litteris, & Patribus hausere. Eo enim pertinet illud Proverbior. XVIII. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Item illud Eccl. XXXIV. *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? Sic homo, qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficiet humiliando se? Orationem enim illius quis exaudiet?* Quo spectat etiam illud Isa. LVIII. *Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie*, &c. Id *S. Augustinus* confirmat *Enchiridii* cap. LXX. LXXV. LXXVI. & LXXVII. docetque infanda illa crimina, qualia qui agunt, Regnum Dei non possidebunt, eleemosynis non redimi, nisi vita mutetur.

Luc. 11. 41. *In melius quippe est vita mutanda* (inquit) *& per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus*; *non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat im-*
Eccl. 15.21. *pune committere.* Nemini *enim* dedit laxamentum peccandi: *Quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non Satisfactio congrua negligatur.* Frustra ergo sibi blandiri sceleratos, & inter ipsa flagitia sua eleemosynas frequentantes, quod Dominus dixerit, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Qui enim vult ordinate dare eleemosynam, a seipso debet incipere, & eam sibi primum dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ; verissimeque di-
Eccl. 30.24. ctum est, *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Non autem miserentur animæ suæ, qui eleemosynis *Impunitatem se emere existimant in facinorum immunitate, ac flagitiorum nequitia permanendi: non solum enim hæc faciunt, sed ita diligunt, ut in*
Psalm. 10.6. *iis semper optent, tantum si possint impune versari.* Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam: *Et qui odit animam suam, non est in eam misericors, sed crudelis.*

Conditiones Satisfactionis.

Idem confirmat rursus *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi qu. XIV. art. I. *Cum* (inquit) *per Satisfactionem tolli debeat offensa præcedens, oportet, quod talis sit modus Satisfactionis, qui competat ad tollendam offensam: offensæ autem ablatio est amicitiæ restitutio. Et ideo si aliquid sit, quod amicitiæ restitutionem impediat, etiam apud homines Satisfactio esse non potest. Cum ergo quodlibet peccatum amicitiam charitatis impediat, quæ est hominis ad Deum; impossibile est, ut homo de uno peccato satisfaciat, alio retento; sicut nec homini satisfaceret, qui pro alapa ei data se ei prosterneret, & aliam similem daret.*

Ex his compertum est, Opera satisfactoria *extra charitatem*, sive *sine charitate* facta nullius esse momenti ad placandum Deum, & ad remissionem pœnæ peccato debitæ promerendam, quia Deo grata, & accepta non sunt, quamdiu homo permanet in affectu peccati. Verum cum affectum peccati penitus deposuit, cum ab amore creaturæ, cujus in fruitione sibi finem ultimum constituerat, voluntatem suam expedivit, & ad Deum amore pœnitente, & pravis cupiditatibus dominante conversus est, opera ejus Deo grata sunt, & probata, quamvis homo ipse pænitens nondum forte sit plene Deo gratus, utpote nondum cum ipso reconciliatus, sed peccati macula adhuc inquinatus, & damnationis æternæ reatu obstrictus. Unde Satisfactionem illam, ut Deus acceptam ratamque habeat, illiusque intuitu pœnam temporalem peccato debitam minuat, vel condonet, statim atque peccator justificatus fuerit, divinam bonitatem maxime decet: quamvis id non sit debitum Pęnitenti adhuc in statu; quamvis id non amplius in affectu peccati perseveranti, sed de sua cum Deo reconciliatione sollicito, *Pœnitenti, operanti, roganti*, ut sibi Deus ignoscat. Hinc *S. Thomas* art. III. ejusdem Quæstionis in Responsione ad primum, ait: Satisfactionis, & bonæ conversationis fructus homini computari *A tempore, quo peccare cessavit* (idest, affectum peccati deposuit:) *vel intelligitur, quando statim post peccatum contritus fuit, & fecit multa bona, antequam confiteretur. Vel dicendum, quod quanto est major contritio, tanto magis diminuit de pœna; & quanto aliquis plura bona facit in peccato existens*, (idest, in statu, non in affectu peccati) *magis se ad gratiam Contritionis* (utique perfectæ) *disponit. Et ideo probabile est, quod minoris pœnæ sit debitor: & propter hoc deberet a Sacerdote discrete computari, ut ei minorem pœnam injungat, in quantum invenit eum melius dispositum.*

PRO-

PROPOSITIO I.

Ad Satisfactionem requiritur, ut ejusmodi opera suscipiantur, quæ natura sua dolorem, & molestiam homini afferant.

ITa docet Conc Trid. Catechismus p. II. §. CIII. hac ratione fretus, quod opera satisfactoria præteritorum scelerum compensationes sint, ut S. Martyr *Cyprianus* ait, *Redemptrices peccatorum*; adeoque omnino necesse sit, ut aliquid acerbitatis habeant. Id paulo uberius explicat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi quæst. XV. art. I. Satisfactio, inquit, respicit & præteritam offensam, ut compensetur, & futuram culpam, ut caveatur. Utroque autem nomine fieri debet per opera, quæ natura sua dolorem, & molestiam homini afferant. Justum quippe est, ut qui plus sibi tribuit auferendo aliquid alteri, eidem aliquid reddat subtrahendo sibi. *Quamvis autem Deo, quantum est ex ejus parte, nihil subtrahi possit; tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando. Unde oportet ad hoc, quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per Satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quod est hujusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit: & ideo ad hoc, quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit; & pœnale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur. Similiter etiam pœna a culpa futura præservat, quia non facile homo ad peccata redit, ex quo pœnam expertus est.* Rationes Satisfactionis.

Hinc *S. Ambrosius* Lib. II. *De Pœnitentia*, cap. X. ait: *Usus doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita dum dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ.*

Hinc *S. Hieronymus*, Commentario in *Michææ* c. VII. scribit: *Sentiens igitur anima se peccasse, & habere vulnera peccatorum, & in mortuis carnibus vivere, & indigere cauterio, constanter dicit ad Medicum: Ure carnes meas, reseca vulnera, humores omnes, ῥεῦμα noxium adure, ellebori potione constringe. Mei vitii fuit, ut vulnerarer: mei doloris sit, ut tot tormenta sustineam & postea sanitatem recipiam.*

Hinc *S. Gregorius*, p. III. *Pastoralis*, Admonitione XXXI. *Admonendi sunt* (inquit) „ qui admissa deserunt, nec tamen plangunt; ne jam relaxatas „ æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus „ mundant. Neque enim scriptor, si a scriptione cessaverit, quia alia non „ addidit, etiam illa, quæ scripserat delevit: nec qui contumelias irrogat, „ si solummodo tacuerit, satisfecit, cum profecto necesse sit, ut verba præmissæ superbiæ verbis subjunctæ humilitatis impugnet: nec debitor absolutus „ est, quia alia non multiplicat, nisi & illa, quæ ligaverat, solvat. Ita & „ cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus si ab iniquitate cessamus, „ nisi voluptates quoque, quas dileximus, e contrario appositis lamentis insequamur. Si enim nulla nos in hac vita operum culpa maculasset, nequaquam nobis „ hic adhuc degentibus ipsa ad securitatem innocentia nostra sufficeret: quia illicita animum multa pulsarent. Qua ergo mente securus est, qui perpetratis iniquitatibus ipse sibi testis est, quia innocens non est? Neque enim Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum morbos medicamentis contrariis medetur: ut qui voluptatibus delectati discessimus, fletibus amaricati redeamus: „ & qui per illicita diffluendo cecidimus, etiam a licitis nosmetipsos restringendo surgamus: & cor, quod insana lætitia infuderat, salubris tristitia exurat: & quod vulneraverat elatio superbiæ, curet abjectio humilis vitæ.

Hinc *S. Isidorus* Lib. *Sententiarum*, cap. XIII. *Ille* (inquit) *Pœnitentiam digne*

Conditiones Satisfactionis.

agit, qui reatum suum Satisfactione legitima plangit, condemnando scilicet, ac deflendo, quæ gessit, tanto in deplorando profusius, quanto extitit in peccando proclivius. Hinc *Venerabilis Beda* in Psal. IV. explicans hunc Versum, *Sacrificate sacrificium justitiæ*, ait: *Ita dico, ut irascamini præteritis peccatis, ut sacrificetis sacrificium: idest, mortificetis propria vitia vestra, faciendo dignos fructus Pœnitentiæ, tantum scilicet pro singulis vos affligentes, quantum digna expetit Pœnitentia, quod erit sacrificium justitiæ; idest, justum sacrificium.*

Opus bonum eatenus satisfactorium est, quatenus aliquid molestiæ adjunctum habet.

Ex his colligitur, Opus bonum eatenus esse satisfactorium, quatenus aliquid molestiæ conjunctum habet. Id autem non solum *Jejuniis*, *orationibus*, *eleemosynis*, sed *aliis etiam pietatis operibus* convenire pronunciat Sacra Synodus Tridentina sess. XIV. can. XIII. Et certe homini carnali, & terrenis assueto molestiam affert omne opus, quo Deo servitur, & mens ad cœlestia erigitur: adeo ut sicut eleemosyna homini subtrahit bonum utile, sic jejunium, & oratio bonum delectabile subtrahant: Nam, ut ait *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi qu. XV. art. III. ad primum, *Quælibet oratio habet rationem satisfactionis, quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis*: Quia, *ut dicit S. Gregorius Homilia* XIV. *in Ezechielem*, „ Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur pro„ culdubio fortitudo carnis. *Unde & nervus femoris Jacob ex lucta Angeli emarcuisse legitur*. Non igitur externa dumtaxat, sed & interna pietatis opera, scilicet piæ meditationes, & actus interni virtutum, offerri Deo in satisfactionem possunt, quia & ipsi sunt grata, & aliquid molestiæ homi„ ni inferunt. Quamquam non semper illud consequitur (inquit Conc. „ Tridentini Catechismus) ut qui se in illis molestis actionibus exercent „ doloris sensum habeant. Sæpe enim vel patiendi consuetudo, vel accen„ sa in Deum charitas efficit, ut quæ perpessu gravissima sunt, ne sentian„ tur quidem. Neque tamen idcirco fit, quo minus ea ipsa opera satisfa„ ciendi vim habeant: siquidem hoc proprium est filiorum Dei, ita ejus „ amore, & pietate inflammari, ut acerbissimis doloribus cruciati, aut nihil fere incommodi sentiant, aut omnia lætissimo animo perferant. Unde *S. Augustinus*, Lib. *De Bono Viduitatis*, cap. XXI. ait: *Jejunia quoque, ac vigiliæ, in quantum valetudinem non perturbant, si orando, psallendo, legendo, & in lege Dei meditando insumantur, in delicias spiritales etiam ipsa, quæ videntur, laboriosa vertuntur. Nullo modo enim sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium, vindemiantium negotiantium, ludo aliquo se oblectantium. Interest ergo quid ametur. Nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur.*

Ex his colligitur, Bona opera, sive ex voto, sive ex præcepto alias debita, satisfactoria esse posse, cum & Deo grata, & homini molesta sint. Sic Ecclesiæ jejunia satisfactoria esse nemo negaverit. Ideo enim ab Ecclesia instituta sunt, ut Christiani pœnas peccatis suis debitas per ea redimant. Sic macerationes carnis, aliaque bona opera Viris Religiosis in Regula, vel Constitutionibus Ordinis sui præcepta utilia esse ad satisfaciendum Deo pro peccatis, si ea intentione tolerentur, certum est. Per Martyrium quoque maxime satisfacere hominem pro suis peccatis constat, siquidem, ut *Tertullianus* ait, *Omnia huic operi delicta donantur*.

PROPOSITIO III.

Præcipua Satisfactionis sunt, oratio, jejunium, & eleemosyna.

Supplem. Q. 15. a. 3.

POst *S. Thomam* ita docet Concilii Tridentini Catechismus. P. II. §. 104. Ratio Propositionis est, quod satisfactio talis esse debeat, per quam nobis ali-

aliquid ad honorem Dei ſubtrahamus. Non habemus autem niſi tria bona; quorum ſumus domini, bona animi, bona corporis, & bona exteriora, quæ fortunæ vulgo vocantur. Ex bonis porro fortunæ ſubtrahimus nobis aliquid per eleemoſynam, quam in ſinu pauperis abſcondimus: ex bonis corporis ſubtrahimus nobis aliquid per jejunium, quo carnem maceramus: ex bonis animæ non oportet, ut aliquid nobis ſubtrahamus, quia per ea efficimur Deo accepti; ſed ea omnino Deo ſubmittimus per orationem.

His præterea operibus nihil aptius, & convenientius ad extirpandas omnium peccatorum radices eſſe poteſt. Nam cum *Omne, quod eſt in mundo,* 1. Joan. 2. ſit *concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*: nemo non videt, hiſce tribus morborum ſpiritualium cauſis totidem medicinarum genera reſpondere; priori ſcilicet jejunium, alteri eleemoſynam, tertiæ orationem.

Denique, ſi eos etiam, qui peccatis noſtris offenduntur, ſpectemus, facile erit intelligere, cur ad hæc tria potiſſimum omnis Satisfactio referatur. Hi vero ſunt, Deus, proximus, nos ipſi. Quare Deum oratione placamus, proximo eleemoſyna ſatisfacimus: nos ipſos vero jejunio caſtigamus. Hinc *Tobiæ* XII. 8. dicitur: *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna magis quam theſauros auri recondere: quoniam eleemoſyna a morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* Hinc *S. Ambroſius*, Lib. *De Elia, & Jejunio*, cap. XX. *Habemus* (inquit) *plurima ſubſidia, quibus peccata noſtra redimamus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis eſt Dominus, ſed tu ipſe venalis es. Peccatis tuis venundatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Vilis pecunia, ſed pretioſa eſt miſericordia.*

Et Lib. II. *De Pœnitentia*, cap. VIII. *Plura* (inquit) *ſolvendi habet ſubſidia, qui Deo, quam qui homini debet. Homo pecuniam pro pecunia repoſcit, quæ non ſemper debitori præſto eſt: Deus affectum exigit, qui in tua poteſtate eſt. Nemo pauper eſt, qui Deo debet, niſi qui ſe ipſum pauperem fecerit. Et ſi non habet, quæ vendat, habet, quæ ſolvat. Oratio, lacrymæ, jejunia debitoris boni cenſus eſt, multoque uberior quam ſi quis ex pretiis fundorum pecuniam ſine fide deferat.*

Hinc *S. Leo*, Serm. I. *De Jejunio decimi Menſis*, ait: *Tria ſunt, quæ maxime ad religioſas pertinent actiones. Oratio ſcilicet, Jejunium, & Eleemoſyna.... Oratione enim propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiſcentia carnis extinguitur, eleemoſynis peccata redimuntur: ſimulque per omnia Dei in nobis imago renovatur, ſi & in laudem ejus ſemper parati, & ad purificationem noſtram ſine ceſſatione ſoliciti, & ad ſuſtentationem proximi indeſinenter ſimus intenti. Hæc triplex obſervantia omnium virtutum comprehendit effectus. Hæc ad imaginem, & ſimilitudinem Dei pervenit, & a Spiritu Sancto inſeparabiles facit. Quia in orationibus permanet fides recta, in jejunio innocens vita, in eleemoſynis mens benigna.*

Quamvis autem ſingula ex quadam convenientia ſingulis peccatorum generibus reſpondeant, *Quia congruum eſt, ut in quo quis peccavit, in hoc puniatur, & quod peccati commiſſi radix per ſatisfactionem abſcindatur: tamen quodlibet horum pro quolibet peccato ſatisfacere poteſt*: (inquit *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* ſive Supplementi Quæſt. XV. Art. III. ad tertium) *Unde ei, qui non poteſt unum ex his perficere, injungitur aliud, & præcipue eleemoſyna, quæ aliorum vices ſupplere poteſt, in quantum alia ſatisfactionis opera per eleemoſynam quiſque ſibi mercatur, quodammodo in illis, quibus eleemoſynam tribuit. Unde non oportet, quod ſi eleemoſyna mundet omnia peccata, propter hoc aliæ ſatisfactiones ſuperfluant.* Satisfactionis opera.

Ad hæc tria ſatisfactionum genera omnia opera ſatisfactoria revocantur. Ad orationem ſcilicet, quæcumque Deo proxime exhibentur, ut ſacrificium,

laus, gratiarum actio, meditatio, & contemplatio, piorum librorum lectio ad meditationem, & orationem ordinata. Ad jejunium omnia quibus caro macerari, & castigari solet, nempe asperitas victus, & vestitus, vigiliæ, humi cubationes, genuflexiones, terræ deosculationes, solitudo, silentium, abstinentia a vino, ab equitatione, a ludis, piæ peregrinationes, flagellationes, &c. Ad eleemosynam omnia misericordiæ opera.

PROPOSITIO IV.

Temporalibus etiam flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, Deo pro peccatis nostris satisfacere possumus.

Pœnæ Satisfactoriæ.

QUamvis enim præsentis vitæ flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen aliquo modo nostra fiunt, cum ad purgationem peccatorum ea suscipimus, eaque Christiana patientia tolerantes, Deo sacrificium justitiæ offerimus, ut docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, seu Qu. XV. Supplementi, Art. II. Hinc David II. *Regum* XVI. de Semei ajebat: ***Dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & redeat mihi bonum pro maledictione hac, die hodierna.*** Hinc idem Rex Pœnitens Psal. XXXVI. ait: ***Ego in flagella paratus sum.*** Quem locum expendens *S. Ambrosius*, ait: „ Ad omnia pulchrum remedium, quod in flagella paratus est, „ & offert se Domino, ut quæ placuerint Deo, flagella sustineat. Elegisse quidem „ lego Sanctum David flagelli genus, quod æquanimiter sustineret: sed elegit, „ quia de tribus conditionibus eligendæ unius necessitas mandabatur. Ubi autem „ non mandatur, ad omnia paratus est Dei servulus, seu corporalem ægritu„ dinem subeat, seu fugam a facie inimici, sive obitum filiorum, quos non timet „ præmittere; quia recipere potest imperterritus. Nam & sciens, quod si hic fue„ rit punitus supplicio temporali, levare in futurum perpetuæ possit pœnam „ ærumnæ: rogat ergo, ut recipiatur petitio sua, & castigetur ipse, ut recipiatur; „ Castigat enim Dominus omnem filium, quem recipit.

Et infra: „ ipsi nos committamus, parati ad curandum, quo velit curari „ medicamento. Nemo dicit Medico corporis sui quemadmodum sit curandus. „ Novit medicus, quæ singulis vulneribus medicamenta conveniant, cujus „ ulceris putredo ferro sit amputanda, ne in totius corporis serpat exitium. „ Si dixerit Medicus medicinæ genus, quo curari æger debeat, & ille fasti„ diat, discedit Medicus, & ægrum derelinquit. Vide eum, qui curari ve„ lit, omni genere Medico acquiescentem. Aperit primo vulnera suo Medi„ co, & dicit: Cura me, sed rogo ne in ira tua; quia non sustinent duram me„ dicinam infirmitates meæ. Medicina Christi, correptio est; corripit enim „ Dominus, quem vult convertere .... Non ergo recusat curari, qui petit „ argui; sed levari vult pœnam, ne si in iracundia arguatur, impetu iræ cor„ ripiatur .... Et si differt Medicus, æger offerre se debet, ut citius secetur; „ sicut offerebat se David in flagella Domini. *Hinc. S. Paul.* I. *ad Cor.* XI. 32. *ait*: „ Cum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

Pœnæ satisfactoriæ.

Idem confirmat Sacra Synodus Tridentina Seff. XIV. cap. IX. docetque ***Tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis; sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Jesum Christum satisfacere valeamus.*** Idemque fidei dogma esse declarat Canone XIII.

Tribus modis Deo satisfacimus.

Primum itaque Deo satisfacimus pœnis, & operibus a Sacerdote injunctis; de quibus *S. Leo* scribit Epist. 82. alias 91. ***Mediator Dei, & hominum homo***

mo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pęnitentiæ darent, & eosdem salubri Satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.

Et *S. Gregorius* sive alius Auctor Commentarii in Librum I. *Regum* sub ejus nomine editi, Lib. III. *Dum mens* (inquit) *flendo compungitur, necesse est, ut etiam caro, quæ delectationibus subjacuit, affligatur .... Quæ tamen afflictio Pęnitentiæ ad delenda peccata tum demum idonea est, cum Sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.*

Secundo, Deo satisfacimus pęnis sponte susceptis, cum videlicet ultro eleemosynas damus, jejunamus, oramus, aliisque bonis operibus Deum placare, & peccata redimere satagimus, Christi mandatum secuti, Lucæ XVI. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Illustrium Pœnitentium in Scripturis Sacris exempla hunc satisfaciendi modum satis confirmant, scilicet Davidis, Magdalenæ, Petri, &c. Unde *S. Augustinus*, Enarratione in Psalmum quinquagesimum, hæc Davidis verba, *Et a delicto meo munda me*, explicans: *Quo merito*? (inquit) „ Medicus est, „ offer mercedem: Deus est, offer Sacrificium. Quid dabis, ut munderis? Vi- „ de enim, quem invoces; Justum invocas: Odit peccata, si justus est; vindi- „ cat in peccata, si justus est: non poteris auferre a Domino Deo justitiam ejus: „ implora misericordiam, sed attende justitiam: misericordia est, ut ignoscat „ peccanti, justitia est, ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericor- „ diam, peccatum impunitum remanebit? Responderit David, responderint „ lapsi, responderint cum David, ut misericordiam mereantur sicut David, & „ dicant: Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum: novi justitiam „ ejus, cujus quæro misericordiam: non impunitum erit, sed ideo nolo, ut tu „ me punias, quia ego peccatum meum punio; ideo peto, ut ignoscas, quia „ ego agnosco.

Tertio denique Deo satisfacimus temporalibus pęnis ab illo inflictis, sive ærumnis hujus vitæ, & calamitatibus; si eas patienti animo feramus, morbos, jacturam bonorum, persecutiones, infamiam, calumnias, pestem, famem, hostium incursiones, orbitates, mortesque parentum, conjugis, filiorum, propinquorum, amicorum, aeris intemperiem, egestatem. Si autem inviti, & repugnantes hujusmodi pœnas sustinemus, omni satisfactionis fructu privamur; sed Dei tantum, peccata justo judicio ulciscentis, animadversionem, & supplicium perferimus, (inquit Concilii Tridentini Catechismus P. II. §. 107.) Patimur, ut malefici, & scelerati, non ut Pęnitentes, non ut Christiani. Adeo, (inquit *S. Augustinus*, Lib. I. *De Civitate Dei*, cap. VIII.) „ Manet dissimilitudo passo- „ rum, etiam in similitudine passionum; & licet sub eodem tormento, non est „ idem virtus, & vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; „ & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo „ cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur: ita una „ eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, va- „ stat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur, atque „ blasphemant; boni autem precantur, & laudant. Tantum interest, non qua- „ lia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat hor- „ ribiliter cenum, & suaviter fragrat unguentum.

Pœnæ satisfactoriæ.

ARTICULUS V.

Utrum unus pro altero satisfacere possit?

PROPOSITIO UNICA.

Unus pro alio satisfacere potest.

De Satisfactione.

EX Fidei Symbolo, quo *Sanctorum Communionem* profitemur, Propositionem istam probat Concilii Tridentini Catechismus P. II. §. cx. Nam „ (inquit) cum omnes eodem Baptismo abluti Christo renascamur, eorumdem Sacramentorum participes simus; inprimis vero ejusdem Corporis, „ & Sanguinis Christi Domini cibo, & potu recreamur, hoc apertissime „ demonstrat, nos omnes ejusdem esse corporis membra. Unde Apostolus I. ad Corinthios XII. scribit: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus .... & omnes in uno Spiritu potati sumus.... Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii .... Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.* Et ad Ephesios IV. *Unum Corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ .... Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Quemadmodum igitur neque pes suæ „ tantum, sed etiam oculorum utilitatis causa munere suo fungitur: neque „ rursus quod oculi videant, ad illorum propriam, sed ad communem omnium membrorum utilitatem referendum est: ita communia inter nos „ Satisfactionis officia existimari debent. Hinc Apostolus II. ad *Corinth.* „ VIII. adhortatur illos, qui terrenis opibus divites erant ad eleemosynam Macedoniæ Christianis inopibus tribuendam, ut cum illi sua beneficentia corporalem istorum paupertatem sublevaverint; hi vicissim interiorem eorum tenuitatem spiritualibus divitiis sublevent, bonorumque operum communicatione Deum illis propitium reddant. *In præsenti tempore* (inquit) *vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas.* Quo etiam spectat illud ad Galatas VI. *Alter alterius onera portate*: cui non repugnat subjuncta paulo post ab eodem Apostolo sententia. *Unusquisque onus suum portabit.* Nam, ut explicat *S. Augustinus*, Lib. II. *De Consensu Evangelistarum*, cap. XXX. *Alia sunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris: illa cum fratribus sustentanda communicantur, hæc propria ab unoquoque portantur.*

Unus pro alio satisfacere potest.

Hinc *S. Ambrosius* Lib. I. in *Lucam*, Num. 92. *Et si grave* (inquit) „ peccatum est, quod Pœnitentiæ tuæ lacrymis ipse lavare non possis, fleat „ pro te Mater Ecclesia, quæ pro singulis tanquam pro unicis filiis vidua „ mater intervenit; compatitur enim quodam spiritali dolore naturæ, cum „ suos liberos lethalibus vitiis ad mortem cernit urgeri. Viscera sumus de „ visceribus ejus; sunt enim & spiritalia viscera, quæ habet Paulus dicens: „ *Ita, frater, ego te fruar in Domino, refice viscera mea in Christo.* Nos ergo „ viscera sumus Ecclesiæ; quoniam membra sumus corporis ejus, de car-

Ad Phil. 1. 8.

„ ne

„ ne ejus, & offibus ejus. Doleat igitur pia Mater, adfiftat & turba: non „ folum turba, fed etiam multa compatiatur bonæ Parenti. Jam refurges „ a funere, jam liberaberis a fepulcro.

Et Libro II. *De Pœnitentia*, cap. x. *An testes* (inquit) „ precationis, & „ confcios refugis, cum fi homini fatisfaciendum fit, multos neceffe eft am- „ bias, obfecres, ut dignentur intervenire, ad genua te ipfe profternas, „ ofculeris veftigia, filios offeras culpæ adhuc ignaros, paternæ veniæ pre- „ catores? Hoc ergo in Ecclefia facere faftidis, ut Deo fupplices, ut pa- „ trocinium tibi ad Deum obfecrandum fanctæ plebis requiras.... Fleat pro „ te Sancta Mater Ecclefia, & culpam tuam lacrymis lavet, videat te „ Chriftus merentem.... Amat ut pro uno multi rogent. Denique in E- „ vangelio motus Viduæ lacrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus „ refufcitavit. Ideo citius exaudivit Jefus Petrum, ut Dorcas refurgeret, „ quia pauperes mortem mulieris ingemifcebant.

Neque tamen fine exceptione verum eft, quod unus pro alio fatisfaciat, fi commoda omnia fpectemus, quæ ex fatisfactione capiuntur. Nam pœna fatisfactoria, & debiti folutio eft, & medicina, quæ Pœnitenti ad fanandos pravos animi affectus præfcribitur. Si fpectetur quatenus folutio debiti eft, nullus eft dubitandi locus, quin unus pro alio fatisfacere poffit, dummodo fit in charitate, ut opera ejus fatisfactoria effe poffint. Charitas enim magis poteft apud Deum, quam apud homines: cum igitur apud homines unus alterius amore debitum illius folvere poffit; multo magis id in divino judicio fieri poteft. Sed quatenus opera fatisfactoria medicinæ quædam, & curationes funt, fatisfactio unius non prodeft alteri; quia ex jejunio unius caro alterius non domatur; nec ex actibus unius, alius bene agere confuevit.

Id autem hujus partis Pœnitentiæ maxime proprium eft, ut ab uno pro altero perfolvi poffit. Quod enim ad Contritionem, & Confeffionem attinet, unus pro altero dolere, aut confiteri non poteft, quia (ut ait *S. Thomas* in IV. Sententiarum, five Supplementi quæft. XIII. art. II. ad fecundum) *Contritio ordinatur contra culpam, quæ ad difpofitionem bonitatis, vel malitiæ hominis pertinet; & ideo per contritionem unius, alius a culpa non liberatur. Similiter per Confeffionem homo fe Sacramentis Ecclefiæ fubjicit; non tamen poteft unus Sacramentum pro alio accipere, quia in Sacramento gratia fufcipienti datur, non alii.... Sed quantum ad pœnæ remiffionem, unus alteri poteft mereri, quia actus unius efficitur alterius mediante charitate, per quam omnes unum fumus in Chrifto*; (inquit idem S. Doctor in Refponfione ad primum.)

ARTICULUS VI.

Quo Regulæ Morum, ac Difciplinæ circa Satisfactionem exponuntur.

REGULA I.

Sacerdos Satisfactionem Pœnitentibus injungere tenetur.

PRo viribus enim agere debet, ut fit integrum Pœnitentiæ Sacramentum: at fine Satisfactione integrum non effet. Præterea, cum vice Chrifti fit Judex, æquitatis leges fervare tenetur, & obligare Pœnitentem, ut Deo, cujus offendit Majeftatem, fatisfaciat. Id enim poteft, fiquidem habet ligandi, non minus quam folvendi poteftatem, ad quam fatisfactoriæ pœnæ impofitio pertinet, ut declarat Sacra Synodus Tridentina, Sefs. XIV. Can. XV. Quamobrem fi id non præftet, id eft, fi nullam Satisfactionem De Satisfactione.

nem

nem imponat Pœnitenti, ministerii sui prævaricator est, & lethalis criminis reus. Medicus etiam est animarum, seu divinæ medicinæ Minister: Pœnitentium itaque vulnera curare debet, pravosque affectus pœnis satisfactoriis sanare. Unde Tridentina Synodus, Sess. XIV. cap. VIII. docet, *Debere Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, salutares, & convenientes Satisfactiones injungere.* Tum subdit: *Habeant autem præ oculis, ut Satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Merito itaque rejicienda, & damnanda hæc Propositio est: *Absolvi potest Pœnitens nulla Satisfactione imposita, sed in Purgatorium dilata.*

REGULA II.

Satisfactionem ante Absolutionem imponere convenientius est.

De Satisfactionis impositione.

HUnc enim ordinem præscribunt Rituales Libri plerique omnes, & Sacramentaria in Ecclesia recepta, & *S. Carolus* in Instructionibus Confessorum: *Si opus fuerit* (inquit) *efficiet, ut rerum, aut famæ, aut honoris in quo proximum læsit, restitutio fiat: & indicta salubri Pœnitentia eum absolvet.* Deinde cum Satisfactio sit *quasi materia* Sacramenti Pœnitentiæ, sicut Contritio, & Confessio, conveniens est, ut ejus impositio præmittatur Absolutioni, ut Pęnitentes tum voto, tum spontanea indictæ pęnæ susceptione satisfacere incipiant, & satisfaciendi votum, susceptioque Satisfactionis Absolutione sacramentali confirmetur. Tertio, fieri potest, ut Pęnitens congruam, ac legitimam Satisfactionem suscipere nolit, ac Sacerdotis in Sacro Tribunali vice Christi Judicis parere Sententiæ; eaque inobedientia se Absolutione indignum prodat: prius itaque imponi Satisfactionem conveniens est, ut exploretur animus Pęnitentis, & innotescat Sacerdoti, num dignos Pęnitentiæ fructus facere velit. Si tamen post Absolutionem imponatur; perinde est ad Sacramenti perfectionem, sufficit enim, ut ceteris partibus Sacramenti Satisfactionis impositio, & susceptio moraliter conjungatur. Hinc *S. Antoninus* III. P. Tit. XVI. cap. XX. *Apud multos* (inquit) *est consuetudo, quod prius absolvatur, & Pœnitentia injungatur. Quomodocumque fiat, vel ante, vel post, sufficit. Præsupponit enim Confessor, illum habere propositum faciendi, quod sibi injunget, cum ipsum pœniteat.*

REGULA III.

Non est necesse, ut imposita Satisfactio ante Absolutionem Sacramentalem impleatur.

De tempore Satisfactionis adimplendæ.

EX veteris quidem Ecclesiæ Disciplina Pęnitentes, non prius olim absolvi soliti erant, quam Pęnitentiæ functi essent laboribus, & Satisfactionem Canonicam implevissent, nisi mortis, aut imminentis persecutionis periculum aliud postularet, ut constat ex variis *S. Cypriani* locis, ex *Innocentio I.* Epist. I. *S. Leone* Epist. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, *S. Eligio* Homilia IV. in Cęna Domini, *S. Gregorio Magno*, Homilia XXVI. in Evangelia, & veterum Conciliorum Canonibus, Librisque Pęnitentialibus. Hæc tamen disciplina sensim sine sensu remissa, & mutata est, Ecclesia pia matre indulgente, & tacito quodam consensu approbante. Hodiernaque disciplina est, ut vere Pęnitentibus impendatur Absolutio, antequam Satisfactionem expleverint. Totum id disciplinæ negotium est, quæ *Lege fidei manente*, (ut loquitur *Tertullianus*) varias mutationes patitur. Suas habuit

vetus

vetus disciplina rationes. Cogebantur enim Pęnitentes implere Satisfactionem Canonicam, prius quam Reconciliationis gratia donarentur: Primo, ut ex Pęnitentiæ fructibus innotesceret conversionis eorum sinceritas. Secundo, ut diuturnis, molestisque Pęnitentiæ laboribus, & difficultate veniæ a peccatis magis deterrerentur. Tertio, ut salubri Satisfactione purgarentur amplius, expiarentur, probarentur, ad Eucharistiam digne percipiendam. Suas habet etiam rationes nova disciplina. Absolutio namque sincere Pęnitentibus tribuitur, antequam Satisfactionem impleverint, ut Deo citius reconciliati, in gratia, & meritis proficere, efficaciusque satisfacere valeant in statu charitatis existentes. Secundo, sic magis ostenditur, Absolutionem sacramentalem valere ad solutionem pęnæ, non solum æternæ, sed etiam (ex parte) temporalis. Sicut ergo ad Baptismi essentiam, & efficaciam minime necesse est, ut trina conferatur immersione, quod olim usurpatum est: neque ad Eucharisticæ Communionis integritatem, aut fructum, ut sub utraque specie sumatur Eucharistia, quamvis id olim usitatum fuerit: quia hæc ad disciplinam pertinent, quæ & antiquitus varia fuit, & mutari potuit ab Ecclesia justis de causis: ita minime necesse est ad essentiam Pœnitentiæ, vel etiam ad ejus integritatem, & fructum, aut ad Absolutionis valorem, ut Satisfactio ante Sacramentalem Absolutionem impleatur. Unde *Sixtus IV.* Pontifex Maximus Concilium Complutense confirmans, hunc *Petri Oxomensis* errorem merito damnavit anno millesimo quadragesimo septuagesimo octavo: *Non sunt Absolvendi Pœnitentes, nisi peracta prius Pœnitentia eis injuncta*. Et Sacra Facultas Parisiensis similes Propositiones, asserentes *Executionem Pœnitentiæ, seu Satisfactionis impositæ, necessario, & ex Institutione Christi, ac invariabili Sacramenti natura, ita prærequiri Absolutioni, ut alioqui Absolutio non sit valida; nisi ejusmodi Satisfactio prius completa fuerit*; damnavit, ut *Temerarias, & Hæreticas, & a Sixto IV. contra Petrum de Osma, illiusque sequaces, prædamnatas*.

Veteris, & novæ Disciplinæ rationes.

Error ab Ecclesia damnatus.

Præterea & veteris Ecclesiæ Disciplina probat, ipsam omnino necessarium non existimasse, ut Satisfactio ante Sacramentalem Absolutionem impleretur: siquidem iis etiam, *Qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus dediti in extremo fine vitæ suæ Pœnitentiam simul, & Reconciliationem Communionis*, exposcebant, idest, Absolutionem. *Innocentius I.* antiquioris moris severitatem temperans, Absolutionem concedi statuit, *Ut homines ejusmodi, vel in supremis suis permittente Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur*; (ut constat ex illius Epist. III. ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum data.) Sanctus etiam Leo Epistola ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum. *His, qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium Pœnitentiæ, & mox Reconciliationis implorant, nec actionem Pœnitentiæ, nec Communionem denegandam* statuit, *si eam etiam amisso vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobentur*. Concilium Carthaginense quartum, Canone LXXVI. ei, qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos venit, oppressus infirmitate fuerit, vel phrenesi correptus, suffragante eorum, qui ipsum audierunt testimonio, Pœnitentiam imponi decernit: ita ut, *Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia*: ea tamen lege, ut *Si supervixerit, subdatur statutis Pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui Pœnitentiam dedit, probaverit*. Concilium Arausicanum I. Canone III. Pęnitentes in extremis reconciliatos, si incolumitati pristinæ restituerentur, *In ordine Pœnitentium* stare jubet, *ut ostensis necessariis Pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum reconciliatoria Manus Impositione*, (idest, Absolutione cæremoniali a pęnis Canonicis) *accipiant*.

Ecclesia vetus non nino necessarium non censuit, ut Satisfactio ante absolutionem impleretur.

Quo

Quo autem spectabat illa Satisfactio, quæ ab ægrotis, postquam convaluerant, persolvebatur in Ecclesia Africana, & Gallicana, eodem pertinet illa, quæ nunc & ab eis, qui ad Penitentiæ Sacramentum sani accedunt, post Absolutionem Sacramentalem frequentius expletur. Itaque etsi pro conditione temporum, vel pro languore Christianorum, vel alia quapiam non prætereunda ratione mutatio quædam acciderit in hac Satisfactoriæ Disciplinæ observatione; doctrina tamen, & fides, ratioque satisfaciendi una, atque eadem perseverat: quemadmodum una est disciplina, & ars Medicinæ, quamvis nec eadem omnibus, neque pari prædita virtute, neque eodem tempore medicamenta præbeantur. Et cum unius, ejusdemque Ecclesiæ Christi sit utraque Consuetudo, non debet improbari posterior, quod diversa prior extiterit: quemadmodum nec in Medico reprehendi uno debet, si ingravescente cujuspiam ætate alia velit medicamenta præscribere, quam antea solitus sit, ægri corpore valentiore. Nec eidem homini vitio verti debet, si parcius cœnet, aut aliis exercitiis utatur senior, quam junior consueverat. Atque similem in modum in hac de Satisfactione causa, sic illa prior consuetudo laudanda est, ut ista non vituperetur. Est enim unius, ejusdemque Ecclesiæ, & Sponsæ Christi consuetudo diversa. Tenendum proinde in utraque consuetudine illud Apostoli: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

1. Cor. 11.

Quamvis autem Satisfactio sit pars ad integritatem Sacramenti Penitentiæ requisita, non ideo necesse est, ut ante Absolutionem impleatur. Nam & capilli, & ungues partes hominis sunt, nec tamen simul cum homine nascuntur. Accusatio quoque, testimonia, Sententia Judicis, & solutio pœnæ, cum non sint simul, sunt tamen de integritate Judicii. Quia ergo Satisfactio jam est in intentione Penitentis, qui ad ipsam obligatus est propter spiritualis Judicis Sententiam, quique illam suscepit, Ecclesiæ Clavibus se subjiciens, antequam re ipsa impleatur, integrum Sacramentum est, & paulatim ad perfectam integritatem perducitur, cum illa persolvitur. Unde *S. Thomas*, III. P. quæst. xc. art. II. ad secundum ait, quod *Satisfactio confert gratiam, prout est in proposito, & auget eam prout est in executione.* Illæ ergo Propositiones merito rejiciuntur, ac damnantur.

Propositiones damnatæ.

Ordinem præmittendi Satisfactionem Absolutioni induxit non politica, aut justitia Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

Per illam praxim mox absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus:

Consuetudo moderna quoad Administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.

REGULA IV.

Confessarius Pœnitentem obligare potest ad Satisfactionem vel ex toto, vel ex parte implendam ante Absolutionem, si id ejus emendationi, & saluti expedire judicaverit.

De Penitentiæ impositione.

CUm enim Christus de modo, & tempore implendæ Satisfactionis nihil præceperit, sed Ecclesiæ arbitrio reliquerit, ipsa vero non jubeat Satisfactionem adimpleri ante Absolutionem in Penitentia privata, sed nec Absolutionem differri prohibeat, donec adimpleta fuerit Satisfactio, in potestate Sacerdotis est, Absolutionem Penitentis differre, donec Satisfactionem impleverit, si id tanquam Judex, & Medicus ejus curationi spiri-

tuali

tuali judicaverit expedire. Id autem peritus, ac prudens Medicus opportunum proculdubio saluti Pęnitentis judicabit, cum in eadem sæpe relapsus peccata est. Tunc enim satisfactoriis operibus secundum modum criminum impositis, magis sollicitus fiet, ac vigilans ad vitanda peccata. Nam percipiendæ Communionis difficultas major Pęnitentem humiliorem efficit, & cautiorem. At humilitate virtutes comparantur, & infiguntur altius; cautione peccata vitantur diligentius: Deinde id ipsi Sacerdoti videbitur interdum conducibile, ut satisfactoriis operibus peccandi consuetudo, & pravi habitus eradicentur, & bonis operibus paulatim Pęnitens assuescat, ut purior accedat ad Sacram Eucharistiam. Necessarium denique videbitur aliquando, ut exploret Contritionem Pęnitentis, & sinceram conversionem; cujus sufficientia forte indicia non habet ex Confessione. *Confessionis verba, quid sunt aliud, nisi folia?* Non autem ex foliis, sed ex fructibus bonitas, & fęcunditas arboris cognoscitur: adeoque & conversio peccatoris ex fructibus Pęnitentiæ. Cum ita se geret Sacerdos in Administratione Sacramenti Pęnitentiæ, antiquos Mores sequetur. Faciet, quod faciendum præscripsit *S. Innocentius* Pontifex hujus nominis primus, Epist. I. *De pondere* (inquit) *æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem Pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam Satisfactionem.* Faciet, quod *S. Leo* suo tempore fieri consuevisse testatur, & probat Epistola ad *Theodorum* Forojuliensem Episcopum sæpe laudata. Faciet, quod *S. Gregorius Magnus* faciendum esse docuit Homilia XXVI. in Evangelia: *Videndum est* (inquit) *quæ culpa præcessit, aut quæ sit Pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Sententia Pastoris absolvat. Tunc enim vera est Absolutio Præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur Judicis.* Quamquam vero ita se gerere Sacerdotem aliquando conveniens sit, veterem tamen Disciplinam universim instaurare, non est privatorum hominum, sed Summorum Pontificum, vel Conciliorum Generalium.

R E G U L A V.

Sacerdotes tenentur imponere Pœnitentibus Satisfactiones gravitati criminum, & Pœnitentium facultati respondentes: alioqui alienorum participes fiunt peccatorum.

HAnc Regulam tradit *S. Cyprianus* Tractatu De Lapsis. *Quam magna* (inquit) *deliquimus, tam granditer defleamus; alto vulneri diligens, & longa medicina non desit, Pœnitentia crimine minor non sit.* Congrue Satisfactionis impositio.

Ibidem: *Qui peccantem* (inquit) „ blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta, sed nutrit. At qui „ consiliis fortioribus redarguit simul, atque instruit fratrem, promovet ad „ salutem. *Quos diligo*, inquit Dominus, *redarguo, & castigo*. Sic oportet, „ & Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus virus inclusum dum „ servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licet „ æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem. Emersit enim, Fratres dilectissimi, novum genus cladis; & quasi „ parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei Legem, temeritate quorumdam laxatur in-

„ cautis

„ cautis communicatio: irrita, & falsa pax; periculosa dantibus, & nihil „ accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram „ de Satisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excussa est, gra- „ vissimi, extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium „ vulnera: & plaga lethalis altis, & profundis visceribus infixa, dissimulato „ dolore contegitur.

Eamdem Regulam tradit *S. Ambrosius*, Lib. I. *De Pœnitentia*, cap. II. Deus „ distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus; & re- „ laxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. Sed qui „ culpam exaggeravit, exaggeret etiam Pœnitentiam. Majora enim crimi- „ na majoribus abluuntur fletibus.

Congruæ Satisfactionis impositio.

Eamdem Regulam confirmat Concilium Moguntinum sub *Rabano*, Can. XXXI. *Modus* (inquit) „ tempusque Pœnitentiæ peccata sua confitentibus, „ aut per antiquorum Canonum institutionem, aut per Sanctarum Scriptu- „ rarum Auctoritatem, aut per Ecclesiasticam Consuetudinem imponi debet „ a Sacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam, & inusi- „ tatos imponunt Pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum Pro- „ pheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub „ capite universæ ætatis ad capiendas animas. Quem Canonem repetit Con- „ cilium Cabilonense II. Can. XXXVIII. Libellosque Pœnitentiales, *Quorum* „ *sunt certi errores, incerti Auctores*, eliminari jubet.

Et Concilium Turonense III. Can. XXII. „ Episcopis, & Presbyteris dili- „ genti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confiten- „ tibus tempus abstinendi adscribant, & juxta modum peccati Pœnitentibus ab- „ stinentia indicatur: quoniam varie ab aliquibus Sacerdotibus, & indiscre- „ te hæc Judicia proferuntur. Ideo necessarium nobis videbatur, cum omnes „ Episcopi ad sacrum Palatium congregati fuerint, ab eis edoceri cujus Antiquo- „ rum Liber Pęnitentialis potissimum sit sequendus.

Eamdem Regulam confirmat Concilium Romanum V. sub *Gregorio VII.* Can. V. *Falsas* (inquit) *Pœnitentias dicimus, quæ non secundum Auctoritatem Sancto- rum Patrum pro qualitate criminum imponuntur.*

Ita Concilium Tridentinum, Sess. XIV. cap. VIII. „ Debent ergo Sacerdotes „ Domini, quantum Spiritus, & prudentia suggesserint, pro qualitate criminum, „ & Pęnitentium facultate, salutares, & convenientes Satisfactiones injungere: „ ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum Pęnitentibus agant, le- „ vissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum pecca- „ torum participes efficiantur.

Ita denique *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Pęnitentiæ: *Cum hæc Parochus pro prudentia, charitateque sua spectabit, tum vero maxime videbit, ut ne pro peccatis gravibus levissimas Pœnitentias imponat: id quod & Confessoribus, & Pœnitentibus periculosum est: cum id a Sacris Litteris, & a Conciliorum Decretis, & a Sanctorum Patrum Sententia alienum sit. Nam Divinæ Litteræ, ab iis, qui Pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, Ut fructus dignos Pœnitentiæ faciant, utque ad Dominum convertantur in jejunio, & planctu. Et vero, qui peccatis gravibus leves quosdam Pœnitentiæ modos imponunt, hi* consuunt pulvillos, *secundum* „ *Propheticum sermonem*, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub „ capite universæ ætatis ad capiendas animas. *Imo Concilium Tridentinum* „ *docet, Alienorum peccatorum participes fieri eos Confessores, qui dum cum Pœnitentibus indulgentius agunt, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungunt.*

Ezech. 13. 18.

RE-

REGULA VI.

Satisfactionum impositio non ita est in arbitrio Sacerdotis posita, ut in iis imponendis delictorum gravitatem, & personarum conditionem, statumque spectare non teneatur.

HAnc Regulam, quæ major est præcedentis explicatio, tradit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi quæst. XVIII. art. III. ubi quærit, Utrum Sacerdos possit ligare, & solvere secundum proprium arbitrium. *Sacerdos* (inquit) *operatur in usu Clavium, sicut instrumentum, & Minister Dei; nullum autem instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod movetur a principali agente, & ideo dicit Dionysius in fine Ecclesiasticæ Hierarchiæ*, quod Sacerdotibus utendum est virtutibus hierarchicis, quomodo Divinitas eos moverit. *In cujus signum* (Matth. XVI.) *ante potestatem Clavium Petro traditam fit mentio de revelatione Divinitatis ei facta; & in Joan.* XX. *præmittitur potestati Remissionis Apostolis datæ; Spiritus Sancti donum, quo filii Dei aguntur. Unde* Si quis præter illum motum divinum uti sua Potestate præsumeret, non consequeretur effectum, *ut Dionysius dicit. Et præter hoc a divino Ordine averteretur, & sic culpam incurreret. Et quia pœnæ satisfactoriæ infligendæ medicinæ sunt; sicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundum arbitrium Medici, non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam Medicinæ: ita pœnæ satisfactoriæ in Canonibus determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium Sacerdotis divino instinctu regulatum..... Sicut ergo Medicus aliquando prudenter non dat Medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; ita Sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & a Pœnitentia totaliter recedat.* Congrua Satisfactionis impositio.

Sancto Thomæ concinit *S. Antoninus*, III. P. Tit. XVII. cap. XX. *Pro quolibet* (inquit) *peccato mortali esset regulariter septennis Pœnitentia imponenda, ut habetur* XXII. *Quæst.* I. *Can.* Prædicandum, *in Glossa*, & XXXIII. *Quæst.* I. *Can.* Hoc ipsum §. sequenti, *quod servabatur antiquitus. Et ista septennis Pœnitentia magis, vel minus aspera secundum majoritatem, & minoritatem criminum, & circumstantiarum, & compunctionem erat. Sed hodie omnes Pœnitentiæ sunt Confessoris arbitrio taxandæ, consideratis circumstantiis personarum, & criminum, & hujusmodi.* (Extra. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, cap. *Deus qui.*)

Idem ante *S. Antoninum* docuit *S. Raymundus*, in Summa, Lib. III. §. XLI. & sequentibus, ubi *Satisfactionem pro diversis* criminibus, secundum *Pœnitentiales Canones imponendam* esse ait; *Nec debere Sacerdotem a forma prædicta recedere, nisi propter causam, & in hoc*, inquit, *consistit ejus arbitrium, scilicet pro qua, vel pro quibus circumstantiis, & quantum, & quando, possit augeri, vel minui pœna canonica.* Et hæc opinio *est tutior, licet difficilior.*

Id confirmatur ex Synodo Lingonensi anno 1404. *Licet* (inquit) *pro quolibet peccato mortali esset regulariter septennis Pœnitentia injungenda, quæ deberet imponi magis, vel minus aspera, prout majoritas, vel minoritas, & circumstantiæ eorum exposcunt: tamen hodie omnes Pœnitentiæ Sacerdotis arbitrio sunt taxandæ, sive in quantitate temporis, aut rei, vel modi, seu conditionis, considerando gravitatem peccati, & circumstantias temporis, loci, personarum, conditionis, & status earum.* Addit, satisfactoria opera peccatis commissis contraria Sacerdotem semper imponere debere. *Sacerdotes*, inquit,

inquit, *debent semper injungere Pœnitentiam per contrarium peccatori, putà superbo humilem orationem; avaro eleemosynarum largitionem; acedioso peregrinationem, & Ecclesiarum frequentationem; guloso abstinentiam a cibis, & potibus; luxurioso carnis macerationem, & quandoque loci mutationem; iracundo mansuetudinem, & quod in corde reprimat fortiter primum motum iræ, & sic de similibus.*

Congruæ Satisfactionis impositio.

Item ex Synodo Senonensi anno 1524. *In injungendis*, inquit, *Pœnitentiis considerent Confessores peccatum, modum peccandi, tempus, locum, qualiter, & quando personam, qualitatem, & quantitatem culpæ, & Contritionem confitentis.*

Item ex Concilio Bituricensi anno 1584. Tit. *De Pœnitentia, & ejus Partibus*, Canone XII. *Pœnitentiam*, inquit, *& Satisfactionem injungant Sacerdotes, non pro suo arbitratu, sed pro gravitate peccatorum: habeant tamen rationem Contritionis, dum Pœnitentem absolvunt.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus Sacramenti Pęnitentiæ. *Injunget*, inquit, *Pœnitentiam pro culpæ, & personæ ratione: ita ut superbis humilitatis opera: carnis voluptatem sectantibus, jejunia, abstinentiam, ciliciigestationem, aliamque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat: in oratione negligentibus, ut singulis diebus mane saltem, & vespere orationi vacent, feria secunda, & aliis certis feriis pro Defunctis orent; certis item definitisque diebus devote visitent Stationales, & præcipuas devotionis Ecclesias, & Altaria, præsertim in Quadragesima, & in Adventu. Mundi pompas, choræas, aliaque opera Satanæ consectantibus, eam Pœnitentiam imponet, ut in hebdomada mane certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissime Beatus Chrysostomus monet) sancta meditatione sibi proposita, solemnem illam sponsionem, quam per compatres in Baptismo sancte fecerunt, redintegrent, intime Deum precando; in qua precatione firmo, stabilique animi proposito statuant, se Christo Domino adhærere, renunciareque iterum, atque iterum sæculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo inprimis, cui se adversarios esse & professi sunt, & profitentur perpetuo.*

Atque hæc quidem Pœnitentiæ genera a Sanctis Viris accepta Ecclesiasticæque Disciplinæ Interpretibus, pro peccatorum ratione adhiberi poterunt.

Ut Pœnitens vestium sericarum usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione, aliquo certo tempore abstineat.

Ut egentibus hominibus cibum suppeditet, ac ministret; pedes item lavet.

Ut peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat.

Ut in publica domo hospitali, locove pio aliquot dies operam navet.

Ut visitet, qui in carcere sunt, eosdem consoletur, & cum per facultates potest, alat certo præstituto tempore.

Ut se per aliquot dies in Monasterium aliquod, aliumve semotum locum abdat, ubi Pœnitens vivat.

Ut aliquot diebus carne, aut vino item abstineat.

Ut certis diebus, præsertim feria quarta, sexta, & Sabbato jejunet: vel etiam vescatur solum pane, & aquæ potu utatur.

Ut certo aliquo tempore non equitet.

Ut, si facultates suppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemosynam pauperibus Christi conferat.

Congruæ Satisfactionis impositio.

Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extentis in modum crucis, certo tempore, & hora præfinita, ante Crucem, aliamve Sacram Imaginem in Ecclesia oret.

Ut humi aliquandiu jaceat, cubetve.

Ut flagella certis præscriptis diebus sibi adhibeat.

Ut cilicium aliquot dies induat.

Ut

Ut religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, sancteque conficiat.

Ut statutos Psalmos Pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces pie recitet aliquot dierum spatio.

Ut certas Ecclesias, puta Stationales, vel præcipuæ devotionis visitet.

Monet insuper *S. Carolus*, ut Sacerdos in peccati gravitate perpendat, quoties commissum sit: *Nam si quis in eodem peccati genere sæpius offenderit, dignus est, qui graviori pœna afficiatur.*

„ Et in Instructionibus Confessorum : Faciat (*inquit*) ut imposita Pœni- „ tentia peccatis respondeat. Ita pro peccatis luxuriæ injungantur jejunia, „ vigiliæ, peregrinationes, cilicii usus, aliaque hujusmodi corpori maceran- „ do propria. Pro avaritiæ peccato, præter debitas restitutiones, eleemosy- „ næ pro cujusque facultatibus imponantur. Sanandæ superbiæ, aliisque pec- „ catis spiritualibus oratio adhibeatur, qua coram Deo vires, & vigor acqui- „ runtur, quibus his peccatis obsistatur. Pro negligentia rerum Christiana- „ rum quas ignorant, Conciones audiant, & per aliquod tempus Doctrinæ „ Christianæ Scholas frequentent. Indevotis, & tepidis juvabit imponere, „ ut Ecclesias, Divinaque Officia, oraturi sæpius adeant.

REGULA VII.

Confessarius Canones Pœnitentiales nosse debet, & juxta eos Pœnitentiam imponere, servatis prudentiæ regulis, habitaque ratione conditionis, & diversitatis personarum, aliisque circumstantiis, & maxime contritionis Pœnitentium.

Canonum Pœnitentialium scientia.

HÆc Regula traditur a *S. Celestino* I. Pontifice Maximo Epist. II. *Nulli* (inquit) *Sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit Regulis obviare.*

„ A Concilio Parisiensi VI. Lib. I. cap. XXXII. Quoniam (*inquit*) multi „ Sacerdotum partim incuria, partim ignorantia, modum Pœnitentiæ reatum „ suum confitentibus, secus quam Jura Canonica decernant, imponunt, u- „ tentes scilicet quibusdam Codicillis contra Canonicam Auctoritatem scri- „ ptis, quos Pœnitentiales vocant : & ob id non vulnera peccatorum cu- „ rant, sed potius foventes palpant, incidentes in illud Propheticum : *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ad deci-* „ *piendas animas* : omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unus- „ quisque Episcoporum in sua Parochia eosdem erroneos Codicillos diligen- „ ter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulterius Sacerdotes im- „ periti homines decipiant. Sacerdotes porro, qui aut muneris, aut amo- „ ris, aut timoris, aut certe favoris causa, tempora, modumque Pœniten- „ tiæ ad libitum Pœnitentium inducunt, audiant, quid Dominus per Eze- „ chielem Prophetam terribiliter dicat : Hæc dicit Dominus Deus, Quia lo- „ cuti estis vana, & vidistis mendacium : ecce ego ad vos, ait Dominus „ Deus: Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, & divinant „ mendacium: in concilio Populi mei non erunt, & in scriptura domus Is- „ rael non scribentur, nec in Israel ingredientur, & scietis, quia ego Do- „ minus Deus. Eo quod deceperint Populum meum dicentes: Pax, pax, & „ non est pax. *Et post non multa* : Cum caperent animas Populi mei, vivifica- „ bant animas eorum, & violabant me, ac populum meum propter pugil- „ lum hordei, & fragmentum panis, ut interficerent animas, quæ non mo- „ riuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo „ credenti mendaciis. Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis „ suis instruendi sunt, qualiter & confitentium peccata discrete inquirere, „ eisque congruum modum secundum Canonicam Auctoritatem Pœnitentiæ „ nove-

Ezech. 13.

Ibidem.

Canonum Pœnitentialium scientia.

„ noverint imponere. Quoniam hactenus eorum incuria, & ignorantia multorum flagitia remanserunt impunita : & hoc ad Animarum ruinam pertinere, dubium non est.

Eamdem Regulam tradit *Isaac* Lingonensis Episcopus, Canonum suorum Pęnitentialium Tit. I. cap. XXXIX. hunc in modum concludens: *Quibus vero peccatis adhibenda sit medicina, secundum Canonum authenticorum, & Sanctorum Patrum esse debet institutionem, & non secundum placitum hominum, sed secundum Dei voluntatem. Nec in hac parte voluntas, aut gratia hominis sectanda est, sed voluntas Dei in omnibus exquirenda, quatenus dignis precibus, & pęnitudine digna placare possit omnipotentis Dei vindictam, quam suo vitio provocavit.*

Quod autem habenda sit ratio conditionis, & diversitatis personarum, aliarumque circumstantiarum, & maxime contritionis, idem Præsul docet cap. XXIX. *Tempora* (inquit) *pęnitudinis, habita moderatione, & arbitrio sunt constituenda, prout conversorum animos Sacerdotes viderint esse devotos. Pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quorumcumque, aut ægritudinum respicientes necessitates.* Quod sumptum est ex Epistola *S. Leonis* ad *Nicetam*, & refertur etiam in Collectione Gratiani, Causa XXVI. qu. VII. Can. *Tempora*.

Eamdem Regulam tradit *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus Pœnitentiæ : Pęnitentis (*inquit*) culpas graves perpendenti sibi ob mentis oculos proponet Canones Pœnitentiales, qui lumen & sibi, & Pęnitenti quoque afferant; quo videant quemadmodum pro peccati ratione, Pęnitentia imponenda, & suscipienda sit. Eorum Canonum tamen Pęnitentias, ut tempora ferunt, pro charitate, & prudentia sua minuet, prout peccati, & peccatoris circumstantiæ requirent: in quibus rationem etiam habebit contritionis ejus, qui peccavit. Demonstrabit tamen iis, qui gravius peccarint (quo magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant) quanta ipsis Pęnitentia ex Canonum Regulis imponenda esset : nec vero putent sua peccata levia esse, quia parva illis Pęnitentia data est: sed hoc factum esse, ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, deserant cum periculo salutis suæ. Proinde Pęnitentes ideo hortandi erunt, ut præter Pęnitentiæ opera imposita, plura etiam alia præstare conentur.

Canonum Pęnitentialium scientia.

„ Idem in Instructionibus Confessorum : Sacerdos (*inquit*) Canones Pœnitentiales consulet, quibus licet cum prudentia, discretione, & modo, pro Pęnitentis contritione, qualitate, statu, aliisque circumstantiis uti debeat, observandi tamen sunt, ita ut juxta eos, quasi traditam sibi Regulam Sacerdos se gerat, prout expedire ei visum fuerit. Et quando Pœnitentiam Canonibus antiquis præscriptam non imponet, eam tamen Pęnitenti significabit, ut ad contritionem eum moveat, & leviorem injunctam Pœnitentiam ipse ardentius exequatur; motus scilicet ex hodiernæ Ecclesiæ benignitate, qua antiquioris Disciplinæ rigor mitigatur.

His consonum est Concilii Bituricensis Decretum anno 1584. Tit. *De Pęnitentia, & ejus partibus*, Can. IX. *Sacerdotes* (inquit) *Canones Pœnitentiales discant, ut modum, & rationem Pęnitentiæ injungendæ melius intelligant.*

Id confirmat *Guillelmus Parisiensis*, Tractatu *De Sacramento Pœnitentiæ*, cap. XX. Cum (*inquit*) in arbitrio Confessoris, & voluntate Pęnitentialem satisfactionem positam esse dicamus; dicimus consequenter, quod in bona fide ipsius hoc positum est. Hoc autem exigit bona fides, ut consulantur periti Juris cęlestis, atque divini, vel Scripta Sanctorum, atque prudentium de Pęnitentiæ injunctione, ubi Confessori propria peritia non sufficit: & quod debita deliberatione, atque consilio Pęnitenti injun-

„ xit,

„ **xit**, hoc misericors Deus, tanquam gratam Satisfactionem, & sacrificium „ reconciliationis, seu propitiationis a Pęnitente suscipit. Si enim ne erretur in judicio, quo de agro vel fundo, vel de alia re temporali agitur, „ tantopere consuluntur Libri Legum, ac Judiciorum sæcularium, atque sollicite examinatur factum, de quo, vel per quod judicandum est, tanta „ circumspectione cogitatur, deputatur, circumspicitur, atque pronunciatur „ etiam in scriptis Sententia: quanto magis similia omnia facienda sunt in „ hoc judicio spirituali? Et qui minori diligentia uteretur in isto judicio, „ quam in judicio sæculari, manifeste negligens esset, & iniquus, atque infidelis Judex.

„ Id confirmat *S. Antoninus*, III. P. Tit. XVII. cap. XXI. Quamvis (*inquit*) Pœnitentiæ injungendæ a Confessore Pęnitentibus hodie sint arbitrariæ, & ad arbitrium Judicis, id est, Confessoris imponendæ, ut habetur XXVI. *Quæst.* VII. *Can.* Tempora, & De Pęnitentia *Dist.* I. *Can.* Mensuram. Et hanc opinionem approbat consuetudo, & generaliter hoc servatur, ut dicit Hostiensis in Summa, Tit. De Pęnit. & Remiss. Tamen, „ ut Sacerdos circa hujusmodi dispensationem cautius arbitretur, notandi „ sunt casus, in quibus per Canones certæ Pęnitentiæ imponuntur. Nam „ & Canones Pœnitentiales tenetur scire Sacerdos, alias vix in eo nomen „ Sacerdotis constabit XXXVIII. Dist. *Canon.* Quæ ipsis.

„ Denique Concilii Tridentini Catechismus P. II. §. 113. & 114. In irroganda (*inquit*) Satisfactionis pœna, Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu „ statuendum esse; sed omnia justitia, prudentia, & pietate dirigenda existimabunt. Atque ut hac regula peccata metiri videantur, & Pœnitentes „ scelerum suorum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit interdum eis significare, quæ pęnæ quibusdam delictis ex veterum Canonum „ præscripto, qui Pęnitentiales vocantur, constitutæ sint. Igitur universæ „ Satisfactionis modum culpæ ratio temperabit.

R E G U L A VIII.

In Pęnitentialium Canonum moderatione justitiam, prudentiam, pietatem, charitatem singularem Sacerdotes adhibere debent, ita ut nimiam severitatem, æque ac nimiam lenitatem devitent.

HAnc Regulam tradit Trullana Synodus, Canone ultimo. *Oportet*, inquit, *eos, qui solvendi, & ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & ejus, qui peccavit ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam: ne si in utroque immoderatione utantur, ab ejus, qui laborat, salute excidant. Non enim simplex est morbus peccati, sed varius, & multiformis, & multas incommodi propagines germinans; ex quibus malum multum diffunditur, & ulterius progreditur, donec viribus Medentis consistat. Quare, qui Medicinæ scientiam in Spiritu profitetur, oportet eum primum ejus, qui peccavit, affectionem considerare; & sive vergit ad sanitatem, sive contra, propriis moribus provocat in se morbum, aspicere; quomodo ejus, quæ intercedit, vitæ, rationis, conversionisque curam gerat: & si Artifici non reluctatur, & ulcus animæ auget per impositorum medicamentorum adjectionem: & sic misericordiam, prout dignus est, impertiri. Omnem enim rationem init Deus, isque, cui Pastoralis traditus est Principatus, ut errantem ovem reducat; & ei, quod est a serpente vulneratum, medeatur; & neque per desperationis præcipitia impellat, nec ad vitæ dissolutionem, & contemptum fræna relaxet: sed una quidem omnino ratione, sive per acriora, & astringentia, sive per molliora, & leniora medicamenta*

Canonum Pœnitentialium moderatio.

affectioni resistat, & ad ulceris abductionem annitatur, fructus Pœnitentiæ examinans, & sapienter dispensans, & gubernans hominem, qui ad superiorem illuminationem vocatur. Nos enim utraque scire oportet, & quæ sunt summi Juris, & quæ Consuetudinis. In iis autem, qui extrema non admittunt, sequi formam traditam, quemadmodum Sanctus docet Basilius.

Id confirmat Epistola *Nicephori Carthophylacis* ad *Theodosium Monachum*, „ Lib. IV. Juris Orientalis edita: Adhærendum est iis, *inquit*, quæ synodice „ promulgata, & confirmata sunt: deinde etiam ex personarum, & tempo- „ rum, rerumque qualitate, correctionis dispensatio facienda, magno Basi- „ lio id permittente. Ceterum tua virtute illud indignum est, quod dicis, „ Homines ne auditu quidem Canonica præcepta ferre. Qui enim ea non „ admittunt, nullo modo sunt Christianarum partium, ob eamque causam „ non severe, & sine consolatione his tibi erit utendum, sed benigne, & „ facili Disciplina.

Hæc Regula confirmatur ex *Innocentio III.* Extra. *De Pęnitentiis, & Re-* „ *missionibus*, cap. *Deus qui*: cujus hæc sunt verba: Ceterum cum Pęniten- „ tia, non tam secundum quantitatem excessus, quam Pœnitentis contri- „ tionem, per discreti Sacerdotis arbitrium sit moderanda, pensata qualita- „ te personæ, super fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio, & aliis „ criminibus, consideratis circumstantiis omnibus.... competentem Pęniten- „ tiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videritis expedire.

„ Item ex Synodo Lingonensi anno 1404. celebrata: Caveant Sacerdotes „ (*inquit*) ne gravent Pęnitentes per difficiles, vel onerosas Pęnitentias: „ sed eas imponant, quas putant posse, & velle Pęnitentem portare, ne „ deterius contingat peccare Pęnitentiam non adimplendo, etiamsi non de- „ berent injungere, nisi unum *Ave Maria*. Debet enim sufficere Sacerdoti, „ si Pœnitentem liberatum videat ab offensa, & pęnam mittat ad Purgatorium, „ licet eumdem Pęnitentem liberatum a culpa ad Paradisum non transmittat.

„ *Ibidem*: Omnino caveant Sacerdotes, ne Pęnitentes dimittant recedere „ desperatos, propter gravitatem Pęnitentiæ, quantumcumque gravia com- „ miserint peccata. Caveant etiam Sacerdotes, ne per Pęnitentias, quas „ injungunt, faciant præjudicia, vel onus alicui alteri, quam Pęnitenti: „ puta, non injungant marito, quod sit in onus uxoris, vel e contra, & sic „ de similibus,

Item ex Synodo Senonensi anno 1524. *In injungendis*, inquit, *Pęnitentiis considerent Confessores peccatum, modum peccandi, tempus, locum, qualiter, & quando personam, qualitatem, & quantitatem culpæ, & Contritionem confitentis; & non injungant nimis magnas Pœnitentias, neque graves, & duras, sed moderatas, dicendo: Nimis parva est ista Pęnitentia, sed quicquid boni ultra feceris, hoc tibi valeat in remissionem peccatorum, & quantum poteris, abstineas a peccato. Si Pęnitens recuset Pœnitentiam propter ejusdem difficultatem, debet Sacerdos aliam mitiorem imponere, & nihilominus Pęnitentem absolvere*. Idem habent Statuta Synodalia Ecclesiæ Trecensis.

Canonum Pœnitentialium moderatio.

Hanc Regulam pariter confirmat Synodus Parisiensis anno 1557. celebrata sub *Eustachio Du Bellay* Regiæ Urbis Episcopo, Tit. XXIX. *Satisfactionis partes sunt, oratio, jejunium, eleemosyna; quæ tamen ratione habita, juxta horum, qui confitentur, vires, & delicti magnitudinem Confessarius imperet. Et qui vicem Domini, tam misericordis, & clementis tenet, ne sit erga Pęnitentes durus, ac difficilis, neve gravius pondus humeris confitentium, & forte impar imponat.*

Concilium quoque Rhemense anno 1583. Tit. *De Pęnitentia*, §. 4. *Ut autem* (inquit) *injunctæ pęnæ satisfacere valeant Pęnitentes, Sacerdos non se*

præ-

præbeat nimis ſeverum, neque tamen ita lenem, ut pęnæ contemptu ad rurſum peccandum Pęnitentem potius invitet, quam ad novæ vitæ genus ineundum. Idem confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto III. qu. XIII. art. I. *Videtur ſatis conveniens* (inquit) *quod Sacerdos non oneret Pęnitentem gravi pondere Satisfactionis: quia ſicut parvus ignis a multis lignis ſuperpoſitis de facili extinguitur, ita poſſet contingere, quod parvus affectus Contritionis in Pœnitente nuper excitatus, propter grave onus Satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter deſperante. Unde melius eſt, quod Sacerdos Pęnitenti indicet quanta Pœnitentia eſſet ipſi injungenda, & injungat nihilominus aliquid, quod tolerabiliter ferat; ex cujus impletione aſſuefiat, ut majora impleat.*

„ Idem confirmat *S. Raymundus* Lib. III. §. 49. Si dicit ſe pœnitere de „ peccatis, & proponit de cetero abſtinere, cum allegans fragilitatem, recu- „ ſat Satisfactionis aſperitatem, debet Sacerdos primo ipſum inducere, ut „ animum habeat paratum ad omnem Satisfactionem, oſtendendo ſibi ma- „ gnitudinem peccatorum, quot, & quanta bona amiſit propter iſta peccata, „ quæ omnia recuperabit per Pœnitentiam. Oſtendat etiam quantam pęnam „ ſuſtinuit Adam, & totum genus humanum uſque in finem ſæculi, tan- „ tummodo, quia guſtavit de pomo ligni vetiti; quanta ergo pœna debetur „ tantis, quæ tu commiſiſti?... Si non poteſt eum ad hoc inducere, impo- „ nat ei talem Satisfactionem, cum voluntate ſua, quam utiliter poſſit por- „ tare, ne forte poſtea frangendo, deterius peccet. Invitant nos ad hoc „ multa; primo exemplum Domini, qui numquam legitur gravem Pœni- „ tentiam injunxiſſe. Joannis VIII. *Vade, & amplius noli peccare*. Item Jo: „ Chryſoſtomus ſuper illum locum, *Alligant onera gravia, & importabilia*. „ Si *Erramus* modicam Pœnitentiam imponentes, nonne melius eſt propter „ miſericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? XXVI. qu. „ VII. Can. *Alligant*. Item in Evangelio: *Nolite mittere vinum novum in* „ *utres veteres*, &c. Ad hoc autem præciſe laboret, ut peccator cauſas, & „ radices removeat, & omnem occaſionem peccandi pro poſſe tollat.... „ Item ſi non poteſt gaudere Sacerdos de omnimoda ejus purgatione, gau- „ deat ſaltem, quia ipſum liberatum a gehenna ad Purgatorium poſſit tranſ- „ mittere.

Auctor Operis imperfecti in Matt. ſub nomine S. Chryſoſt. laudatus a S. Raymundo, Homil. XLIII.

„ *Et* §. 55. Quia ſolius Dei eſt, quem, ut ait Auguſtinus, nec peccati qua- „ litas, nec peccantis fallit affectus, videre Contritionis cujuslibet intenſio- „ nem pariter, & menſuram: Diſpenſatores Eccleſiæ, quibus non eſt datum „ occulta cordium cognoſcere, debent vigilanti ſtudio ad hoc intendere, ut „ per circumſtantias, & ſigna exteriora interim majorem, vel minorem de- „ prehendant intenſionem doloris, & ſecundum hoc majorem, vel minorem „ Satisfactionem injungant.

Cum Sanctis *Thoma*, & *Raymundo* ſentit *S. Antoninus* III. P. Tit. XVI. cap. XX. docens ſine cauſa legitima non eſſe dimittendas Pœnitentias antiquis Ca- „ nonibus præſcriptas. Eſt autem (*inquit*) ſatis rationabilis cauſa non dandi „ hujuſmodi Pęnitentias indiſpoſitio Pœnitentium, etiam, quia non ſuffice- „ ret aliquando tempus vitæ. Nam, ut dicunt Raymundus, & Hoſtienſis, „ debet Confeſſor dare talem Pœnitentiam, quam credat veriſimiliter illum „ implere, ne ipſam violando deterius ei contingat. Quod ſi magna peccata „ commiſit, & dicit ſe pœnitere, ſed non poſſe aliquam duram Pœniten- „ tiam agere, animet eum ad hoc Confeſſor, oſtendendo ei gravitatem pec- „ catorum, & per conſequens pœnarum, & Pœnitentiarum ſibi propterea „ debitarum: & ſic tandem injungat ei Pœnitentiam, quam libenter ſuſci- „ piat. Et ſi Sacerdos non poteſt gaudere de omnimoda purgatione ejus, ſal- „ tem gaudeat, quod liberatum a gehenna tranſmittit ad Purgatorium. Ita- „ que

Canonum Pœnitentialium moderatio.

„ que Confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere a se, ut inquit Hostiensis Quæst. VI. Can. *Presbyter* : Sed potius „ imponat ei unum *Pater noster*, vel aliud leve, & quod alia bona, quæ fecerit, & mala, quæ toleraverit, sint ei in Pœnitentiam. Concordat Thomas. Hoc tamen sane intellige : Videlicet, quia si alias ipsum pœnitet, „ & paratum dicit se facere, quod debet, sed onus Pœnitentiæ dicit non „ posse sufferre, tunc propter hoc, quantumcumque deliquerit, non debet „ dimitti sine Absolutione, ne desperet. Et dicit Petrus de Palude, quod „ debet Confessor, cum minorem Pœnitentiam debito imponit, innotescere „ ei, quod illa imposita non est condigna, ne decipiatur putans ipsam sufficere : sed quod deberet pro quolibet mortali septennem agere Pœnitentiam, quam si hic non faciet, luet in Purgatorio. Si tamen crederet per „ istam declarationem illum incidere in desperationem, non debet hoc dicere.

„ *Et infra*: Imponendo Pœnitentias, ne vilescat Auctoritas Ecclesiæ, arbitretur Confessor, & ne potestas clavium contemnatur. *De Pœnitentia*, „ *Dist.* III. *Can.* Sunt, qui arbitrantur. I. *Dist. Can.* Absit, *&* *Can.* Si quis „ præpostera. *Et* Minus malum est, si pure contingat errare dando nimis „ parvam, quam dando nimis magnam.

Hanc Regulam suo etiam suffragio, & approbatione munit *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Pœnitentiæ. In Pœnitentia imponenda (*inquit*) adhibebit & prudentiam, & pietatem, & justitiam. Habebit rationem status, conditionis, sexus, ætatis. Videbit, ne ei, qui in aliena potestate est, eam Pœnitentiam injungat, qua vel præjudicium afferatur illius juri, qui Pœnitentem in potestate habebat; neve eam, qua vel occasio detur spiritualis ruinæ, vel Pœnitentis, alteriusve peccatum detegi, „ vel aliquod scandalum suboriri, vel ipse Pœnitens nimium deterreri, remissusve, & tepidus reddi possit. Quamobrem talem imponet, qualem ab „ eo præstari posse judicet. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, anve dubitet Pœnitentiam sibi injunctam peragere. Alioquin eam mutabit, aut minuet. Considerabit item animum, „ mentemque Pœnitentis, ac fletum, gemitum, & lacrymas intimi doloris „ indices.

Canonum Pœnitentialium moderatio.

Et in Instructione Confessorum: *Pro imponenda Pœnitentia prudens esse debet Confessor; nec ita levem adhibeat, ut Clavium potestas inde contemnatur, & ipse peccatorum alienorum evadat particeps; nec ita etiam gravem, aut diuturnam, ut Pœnitentes ei obsequi recusent, aut acceptam ex integro non exequantur.*

Eamdem Regulam tradit *S. Franciscus Salesius*, in Monitis ad Confessariorum Instructionem editis, cap. VIII. Monet quippe Confessarium ab impositione Pœnitentiæ antiquis Canonibus præscriptæ abstinere posse, si Pœnitentem ad eam implendam paratum non videat: & consultius facturum, si tunc „ leviorem Satisfactionem illi imponat: cum, ut plurimum, expediat magis „ cum Penitentibus benigne, & amanter agere (ita tamen, ut in peccatis non „ adulentur) quam dure, & aspere illos tractare. Operæ tamen pretium esse, „ ut significet Pœnitenti, majorem ipsi Pœnitentiam, spectata peccatorum „ gravitate imponi debere, si summo jure cum ipso ageretur, ut præscriptam „ Satisfactionem humilius, & ferventius impleat.

R E G U L A IX.

Non semper peccat Sacerdos, qui pro gravi peccato leviorem Pœnitentiam imponit.

Congruæ Satisfactionis impositio.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* Dist. XX. qu. I. ar. II. Quæstiuncula II. ad tertium: *Sacerdos* (inquit) *minorem condigno Pœnitentiam* *injun-*

injungens, non semper peccat, tum quia non potest determinate quantitatem pœnæ debitæ cognoscere, quamvis aliquando proprie consideratis Regulis Patrum determinare possit; tum quia quandoque etiam ex industria minorem Pænitentiam imponens, plus prodest Pęnitenti, quam noceat, qui forte magnitudine pęnæ posset a Pęnitentia peragenda impediri propter debilitatem virtutis adhuc in eo de novo recuperatæ: & ideo negligit minus damnum, ut majus evitet: & iterum paulatim confortatus in eo divinus Amor ad plura Pęnitentiæ opera peragenda ipsum incitabit propria sponte, quam Sacerdos eidem secundum quantitatem peccatorum injungere potuisset.

REGULA X.

Pro minori peccato gravior quandoque Pęnitentia imponenda est.

ITa enim quandoque postulat spiritualis Medicinæ ratio, *Vel quia peccato unius difficilius potest resisti, quam peccato alterius; sicut juveni pro fornicatione imponitur major Pęnitentia, quam seni, quamvis minus peccet: vel quia in uno peccatum est periculosius, sicut in Sacerdote, quam in alio: vel quia multitudo magis prona est ad illud peccatum; & ideo per pœnam unius alii sunt exterrendi*, (inquit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XX. qu. I. art. I. Quæstiuncula I.)

REGULA XI.

Ægrotis significanda est Pœnitentia, quam implere teneantur, si convaluerint, eaque interim imposita, quam in eo statu facile possint implere, sunt absolvendi.

HÆc Regula traditur Causa XXVI. qu. VII. Canone *Ab infirmis*, qui ex *Theodori* Cantuariensis Archiepiscopi Pęnitentiali sumptus est. *Ab infirmis* (inquit) *in periculo mortis positis per Presbyteros pura inquirenda est Confessio peccatorum: non tamen illis imponenda quantitas Pęnitentiæ, sed innotescenda: & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studiis pondus Pęnitentiæ sublevandum: & si forte migraverint, ne obligati a Communione: & consortio veniæ fiant alieni. A quo periculo si divinitus ereptus convaluerit, Pęnitentiæ modum a Sacerdote sibi impositum diligenter observet.* Pœnitentia infirmis significanda.

Idem confirmat *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus de Visitatione, & Cura Infirmorum. *Pęnitentiam* (inquit) *ne ideo nimis levem imponat, quod justa ab homine jacente non possit præstari; si probabile sit, quod convalescet, & tunc præstare poterit, quod non potuerat jacens. Quod si credibile sit, eum non amplius surrecturum, rationes Pœnitentiæ justæ eliget, quæ possint præstari a jacente; veluti magnam eleemosynam pro facultatum modo. Suadebit vero semper, ut morbi afflictiones Pœnitentiæ loco libenter accipiat, Dominoque pro peccatis suis offerat.*

REGULA XII.

In peccatorum remedia Satisfactiones quasdam imponere convenit subito post peccatum peragendas.

HAnc Regulam tradit *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus Confessorum: *In peccatorum* (inquit) *remedia imponantur Pęnitentiæ subito post peccatum peragendæ, ut blasphemi, verbi gratia, terram osculentur, aut eleemosynas erogent, aut brevem recitent orationem. Aliis peccare solitis, ut quavis hebdomada, aut pro singulis diebus, ut illis suaviter suaderi poterit, confiteantur; sicque alia adhibeant remedia, quibus a peccatis abstineant. Item his, qui legere noverint, pro necessitate distribuantur folia, in quibus habentur reme-* Satisfactio medicinalis.

dia pro peccatis communioribus, luxuria scilicet, & blasphemia, & inter alias Pœnitentias imponatur, ut hæc legant toties per mensem, aut hebdomadam, plus aut minus, prout necessum fuerit, usque ad proximam Confessionem, aut donec ea memoriter didicerint.

REGULA XIII.

Satisfactiones intricatas, & ex variis operum generibus, aut diversarum orationum magno numero compositas, Confessarium Pœnitentiam vulgo imponere non expedit.

CONsilium est *S. Francisci Salesii* in Monitis pro Confessariorum Instructione scriptis, cap. VIII. hac ratione fultum, quod illa diversarum orationum congeries, aut piorum operum varietas oblivionem Penitentiæ impositæ inducat, indeque anxietatem, & scrupulos pariat in animis Pœnitentium. Deinde remittitur, ac tepescit plerumque devotio, dum Pœnitens magis cogitat, quas orationes recitare, vel quid agere debeat, & quo die, quam attendat ad preces ipsas quas fundit, aut ad opera ipsa, quæ facit.

REGULA XIV.

Sacerdos qui eleemosynas, vel Missas in Satisfactionem imponit, nec sibi, nec Ecclesiæ suæ, aut Monasterio eas applicare potest, aut applicandas committere. Idemque in rerum incertarum Restitutione, Votorum commutatione, & aliis hujusmodi observandum est.

Impositio Pœnitentiæ ab omni specie cupiditatis aliena.

HAnc Regulam plurima Concilia tradunt, scilicet Eboracense anno MCXCV. Can. III. *Prohibemus* (inquit) *ne Sacerdos Laico ad Pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis injungat, ut Missas faciat celebrari.*

Synodus Senonensis anno MDXXIV. *Caveat Confessor, ne de restitutionibus faciendis aliquid sibi, seu ad utilitatem suam, vel suorum retineat, ne per hoc Pœnitentes a restitutione retrahantur, & etiam ne ipsi non Pœnitentiarii, sed fraudulenti consiliarii videantur: sed omnia in eleemosynas, ubi fuerit major indigentia, expendantur: nec ullus Sacerdos præsumat celebrare Missas, quas in Pœnitentia injunxerit.*

Odo Parisiensis Episcopus in Synodo: *Nullus* (inquit) *Missas, quas injunxerit, celebret.*

„ Statuta Synodalia Ecclesiæ Lingonensis: Quando Sacerdotes injungent „ Pœnitentias de faciendo celebrari Missas, vel dicere aliquas orationes, vel „ dando pecunias, aut alias res pro eleemosyna, non inducant ipsi Sacerdotes, „ quod sibi dentur pecuniæ, vel aliæ res pro præmissis faciendis, nisi Pœnitentes proprio motu, absque persuasione Sacerdotis, vellent per Sacerdotem „ fieri.

„ Statuta Synodalia Ecclesiæ Trecensis: Cavere debent tam Episcopus, quam „ Confessor, ne de restitutionibus faciendis aliquid retineant, ne ex causa Pœnitens a restitutione retrahatur: & ne ipsi non Pœnitentiarii Ecclesiastici, „ sed fraudulenti consiliarii videantur; sed omnia in eleemosynas, ubi fuerit „ major indigentia, expendantur. Nullus Sacerdos Missas, quas injunxerit, „ audeat celebrare, ne credatur ipsas Missas injunxisse propter lucrum.

„ Synodus Carnotensis anno MDXXVI. Prohibemus, ne de bonis, & vagis „ restitutionibus Confessores aliquid ad suam, vel suorum utilitatem, prætextu divini servitii, vel alias retineant: sed restituta, si sexaginta solidorum „ summam non excedant, distribuant infra mensem in eleemosynas, ubi major erit necessitas. Quod si major sexaginta solidis restitutio sit, deferatur ad

„ Nos

„ Nos, aut Officialem nostrum, ut in similes usus convertatur, & non in „ aliam quampiam causam. Item, ut in Sacramento Pœnitentiæ committendi abusus suspicio tollatur, districte inhibemus, sub pęna Suspensionis, ne illas Presbyteri celebrent Missas, quas in Confessione injunxerint celebrandas.

Synodus Parisiensis anno 1557. *Si quis Confessarius Missas injunxerit, caveat ipse eas celebrandas recipere.*

Concilium Mediolanense III. Tit. VIII. De iis, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent. Si Pœnitentibus Pœnitentia præscribenda est aliqua pecuniæ ratione, ne sibi Sacerdotes Confessarii eam pecuniam, sed locis piis attribui curent, ut in officia, operaque pietatis erogetur: neque vero hujus pecuniæ distribuendæ curam ipsi ullo plane modo suscipiant. Neque præterea sibi dari curent, si quid eleemosynæ causa Pœnitenti erogandum est in Missæ Sacros Ritus faciendos.

Concilium Mediolanense IV. sub eodem Titulo, vetat *Ne capsulæ, loculive, colligendæ eleemosynæ causa, sive Confessarii usui, sive Ecclesiæ utilitati ea sit, ac ne ob pium quidem ullum alium opus, loco Confessionalibus proximo, nedum ipsis Confessionalibus affigantur, apponanturve.* Idem prohibet Concilium Aquense anno 1584. Tit. *Quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent.*

Omnis avaritiæ species in Pœnitentiæ impositione Confessariis vitanda.

„ Statuta Synodalia *Sifridi* Coloniensis Archiepiscopi: Sub pœna Excommunicationis prohibemus Sacerdotibus, ne Missas, quas Pœnitentibus, ut celebrari faciant, injunxerint, aliquatenus celebrent, sed ad alios mittant. Neque Sacerdotes inter se faciant conventionem de Missis celebrandis, ut sic mutuo sibi Parochianos pro celebrandis Missis transmittant.

„ S. Carolus Borromæus *in Instructionibus Confessorum:* Ut Sacerdos liberius circa Pœnitentem debito fungatur officio, & auctoritate in ejus utilitatem semper gaudeat, ab omni avaritiæ specie alienus videri debet. Hinc non modo non petat, sed nec velle se habere significet pecuniam, aliamve rem pro suscepti in Confessione laboris munere; imo verbis, vel potius factis, ab his omnibus abhorrere se demonstret. Cum pro Pœnitentia Missas injunxerit, sibi, aut Ecclesiæ suæ, aut Monasterio dicendas non addicat. Quod idem servabitur in restitutionibus incertis, aut votorum commutatione, aliisque hujusmodi. Nec ipse pecuniæ, aliusve rei restituendæ provinciam assumat, nisi necessitas ad id eum adegerit, ne scilicet Pœnitens dignoscatur: tumque apocham recipiat ab eo, cui restitutionem contulerit, quam postea Pœnitenti tradet: ita denique se gerat, ut nec minimam avaritiæ labis suspicionem contrahat.

R E G U L A XV.

Publicis peccatoribus publica Pœnitentia est imponenda, quam Confessarius cum privata commutare inconsulto Episcopo non debet.

HAnc Regulam tradit Concilium Tridentinum, Sessione XXIV. *De Reformatione*, cap. VIII. his verbis: *Apostolus monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum: huic condignam pro modo culpæ Pœnitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet viam. Episcopus tamen publicæ hoc Pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.*

Publica Pœnitentia quibus imponenda?

Et Concilii Catechismus P. II. §. CXVII. *Si interdum etiam ad publicam offensionem publica Pœnitentia præscribenda fuerit, quamvis eam Pœnitens refugiat, ac deprecetur, non erit facile audiendus: verum persuadere ei oportebit, ut quæ tum sibi, tum aliis salutaria futura sunt, libenti, & alacri animo excipiant.*

Ita

„ Ita Concilium Mediolanense I. Tit. De Pœnitentia. Iidem Confessores,
„ quemadmodum a Sancta Tridentina Synodo jussum est, publice peccantibus
„ publicam Pœnitentiam imponant; neque illud Pœnitentiæ genus, nisi data
„ ab Episcopo facultate, secreta alia pœna commutare audeant.

„ Concilium Mediolanense III. Studeat Episcopus ad Sacrorum Canonum,
„ & Tridentini Concilii præscriptum, pro publicorum delictorum gravitatis
„ ratione, & publicam, & solemnem Pœnitentiam in usum revocare. Quos
„ vero ita solemniter pœnitere oportet, mense ante Quadragesimæ initium ad
„ se per Parochos deferri curet: ut primum ineunte Quadragesima illi Pœni-
„ tentia affici, tum die Cœnæ Domini Ecclesiæ reconciliari possint statuto so-
„ lemni Ritu. Id confirmant Concilium Mediolanense V. & Instructiones ab
iisdem Conciliis approbatæ. In iis, quæ Eucharistiæ Administrationem spe-
„ ctant, hæc habentur: Parochus neminem peccatis publicis irretitum ad
„ Communionem excipiet nisi prius scandalo publico satisfecerit, etiamsi Ab-
„ solutionis a Pœnitentiariis, aut Confessoribus etiam Regularibus acceptæ te-
„ stimonium protulerit. Nec etiam admittet eos, qui juxta Concilii Triden-
„ tini, nostrarumque Synodorum Decreta, ad Pœnitentiam publicam, aut
„ solemnem tenentur, ob publicum, & in multorum conspectu commissum
„ crimen, quodque multis scandalum peperit. Siquidem Pœnitentiam publice
„ fieri necessum est juxta culpæ gravitatem, ut sua emendatione eos ad rectam
„ viam revocent, quos exemplo suo ad malum vocaverunt: nisi ipsi Parocho
„ constiterit, hanc Pœnitentiam publicam in aliam a Nobis fuisse commutatam.

Publica Pœnitentia publicis peccatoribus imponenda.

Eadem Disciplina confirmata est in Synodis Provincialibus Gallicanis post Tridentinum celebratis, scilicet Burdigalensi anno 1583. cap. XII. *De Pœnitentia*; Bituricensi anno 1584. cap. XXI. Canone II. &c.

Antiquis Canonibus consona hæc Disciplina est. Ita namque Can. *Sed illud*, Dist. XLVI. sumptus ex *Origene*, Hom. VII. in Josue: *Sed illud non otiose transmittendum est, quod uno peccante ira Dei super omnem populum venit. Hoc quando accidit? Quando Sacerdotes, qui populo præsunt, erga delinquentes benigni videri volunt, & verentes peccantium linguas, ne forte male de eis loquantur, Sacerdotalis severitatis immemores, nolunt complere, quod scriptum est*: Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant, &c. Et Can. *Si peccaverit*, Causa II. quæst. II. *Ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipsa vero corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius.* Quæ S. *Augustini* verba sunt.

1. Tim. 5. 20.

Et Can *In Capite*, Dist. L. *In Capite Quadragesimæ omnes Pœnitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt Pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo Civitatis*, &c. De Pœnitentia publica solemni Ritu imponenda hic Canon loquitur. Solemnem enim Pœnitentiam solus Episcopus imponere potest; solus Pœnitentes solemni Ritu reconciliare. At publicam Pœnitentiam Confessarius quilibet approbatus in Pœnitentiæ foro pro publicis peccatis imponere potest, nisi publicæ quoque Pœnitentiæ impositionem Episcopus sibi reservaverit: quo in casu peccatorem crimine aliquo publico irretitum Sacerdos ad Episcopum remittet.

Eadem Regula confirmatur ex cap. *Manifesta*, Extra. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, cujus hæc sunt verba: *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda*. Canones Pœnitentiales idem probant, antiquiora Concilia, Nicænum, Ancyranum, Illiberitanum, &c. Epistolæ Canonicæ *SS. Basilii* ad Amphilochium, *Gregorii Nysseni* ad Letoium, &c. *S. Cypriani*, pleræque Epistolæ, & Tractatus De Lapsis, *S. Ambrosii* Libri De Pœnitentia, *S. Augustini* Sermones De Utilitate agendæ Pœnitentiæ, *SS. Cæsarii*, & *Eligii* Homiliæ plures, &c.

Pa-

Publicæ autem Pœnitentiæ imponendæ ratio hæc erit, ut peccator publicus in Ecclesiæ Porticu genuflectere jubeatur, faciem ardentem manibus gestare, septem Psalmos aut alias preces Pœnitentiales recitare, dum ceteri Fideles Templum ingrediuntur; vel ipsos palam rogare, ut pro se miserrimo peccatore preces ad Deum fundant, vel in extrema Templi parte, prope januam, aut Baptismatis fontem, habitu modesto, demissis oculis, genu flexo, cum ardente face pariter orare: vel in solemni aliqua Supplicatione nudis pedibus procedere: vel in Concione, quæ intra Missæ Parochialis solemnia habetur a Parocho flexis, ut dictum est, genibus, Pœnitentis animi signa in totius Populi Christiani conspectu dare, Parocho alta voce dicente; (prout ipsum inter, & Pęnitentem convenerit) Infelicem illum peccatorem a Deo, quem graviter offendit, & Ecclesia, cui scandalo fuit, humiliter veniam precari, adstantium omnium orationes implorare; ut Pœnitentiam ejus Deo commendent: hanc peregrinationem ipsum Satisfactionis causa peracturum, aut singulis Dominicis statuto tempore in extrema Ecclesiæ parte septem Psalmos, aliasve preces Pęnitentiales, aut Rosarium recitaturum; vel pauperibus in Xenodochio ministraturum, aut in Monasterium aliquod ad certum tempus secessurum, ut Pœnitentiam agat; præter alia opera satisfactoria, quæ ipsi in Pœnitentiæ Tribunali imposita sunt a Sacerdote, qui Confessionem ejus excepit. Hoc fere modo publicam cujusdam Mathematici Pœnitentiam *S. Augustinus* moderatus est, ut constat ex ejus Enarratione, sive Sermone in Psal. XII. *Illa* (inquit) *Ecclesiæ sitis, etiam istum quem videtis, bibere vult .... Iste ex Christiano, & Fideli Pœnitens redit: & territus potestate Domini, convertitur ad misericordiam Domini. Seductus enim ab Inimico, cum esset Fidelis, diu Mathematicus fuit, seductus seducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus est contra Deum .... Modo, sicut de illo credendum est, horruit mendacium, & multorum hominum illectorem se aliquando a diabolo sensit illectum, convertitur ad Deum Pœnitens. Putamus, Fratres, de magno timore cordis accidisse.... Pęnitens est, non quærit nisi solam misericordiam. Commendandus est ergo & oculis, & cordibus vestris. Eum, quem videtis, cordibus amate, oculis custodite.... Custodite vos, non vos lateat conversatio ejus, via ejus: ut testimonio vestro Nobis confirmetur vere illum ad Dominum esse conversum. Non enim silebit fama de vita ejus, quando sic vobis & videndus, & miserandus offertur.... Perierat ergo iste nunc quæsitus, inventus, adductus est: portat secum Codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat. Sciatis eum tamen, Fratres, olim pulsare ad Ecclesiam. Ante Pascha enim cępit petere de Ecclesia Christi medicinam. Sed quia talis est ars, in qua exercitatus erat, quæ suspecta esset de mendacio, atque fallacia, dilatus est, ne tentaret; & aliquando tamen admissus est, ne periculosius tentaretur. Orate pro illo per Christum. Prorsus hodiernam precem pro illo fundite Domino Deo nostro. Scimus enim, & certi sumus, quia oratio vestra delet omnes impietates ejus.* Hæc exempli gratia proponuntur: nam & alias Pœnitentiæ pro publicis criminibus publice agendæ rationes, modosque Sacerdotibus suggeret prudentia Spiritus, & præcipue Episcopis, quorum consilium, ac voluntatem his in Casibus exquirere convenientius, ac tutius erit, ut æstimato pondere delicti, judicent num publicæ duntaxat, num solemni Pęnitentiæ peccator sit addicendus; quis sit illi Satisfactionis modus imponendus pro ratione scandali, & spectatis personæ, sexus, ætatis, conditionisque circumstanstiis, necnon signis Contritionis consideratis: ut denique videant, num forte expediat, Pœnitentiam publicam in aliam commutare, quæ privatim peragatur. Quæ quidem commutatio Episcoporum potestati reservata est ex Sacrorum Canonum præscripto, nec ab inferioris ordinis Sacerdotibus quibuscum-

Publica Pœnitentia publicis peccatoribus imponenda.

que,

que, ſive Regularibus, ſive Sæcularibus, etiam Parochis, niſi cum Epiſcopi licentia fieri poteſt. Semper autem in poteſtate fuit Epiſcopi, etiam ſecundum antiquam Diſciplinam, Pœnitentium ſatisfactorios labores moderari, & Pœnitentiæ tempus contrahere; ut probant cum alia, pleraque Antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta, tum Nicæni Concilii Canon XIII. *In his omnibus* (inquit) *propoſitum, & ſpeciem Pęnitentiæ convenit explorare. Quotquot enim metu, & lachrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam, non ſimulatione demonſtrant; hi definitum tempus Auditionis implentes, tum demum Fidelibus in oratione communicent: poſtmodum vero licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare.*

REGULA XVI.

Pœnitentia ab uno Confeſſario impoſita, ab altero mutari non poteſt, niſi cauſa cognita, & graves ob cauſas.

Pęnitentiæ commutatio.

CONſtat enim (inquit Sacra Synodus Tridentina Seſſione XIV. De Pœnitentia, cap. V.) *Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non poſſe, neque æquitatem in pęnis injungendis*, moderandis, aut commutandis *ſervare*. Quamobrem Canonibus ſancitum eſt, ut quem unus Epiſcopus a Communione ſuſpenderit, alter non admittat. Et cum publici peccatores a Germaniæ Sacerdotibus Pœnitentiam accipere nollent publice peragendam, ideoque Romam ſe conferrent, & per fraudem, ac ſubreptionem a Summo Pontifice Abſolutionem, ac Indulgentiam extorquerent, Saleguntſtadienſe Concilium anno MXXII. decrevit, ut nihil ipſis proficerent hujuſmodi Indulgentiæ, niſi cauſa cognita conceſſæ eſſent. *Quia multi* (inquit cap. 8.) *tanta mentis ſuæ falluntur ſtultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati Pęnitentiam a Sacerdotibus ſuis accipere nolint, in hoc maxime confiſi, ut Romam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata. Sancto viſum eſt Concilio, ut talis Indulgentia illis non proſit; ſed prius juxta modum delicti Pœnitentiam ſibi datam a Sacerdotibus ſuis adimpleant, & tunc Romam ire, ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam, & litteras ad Apoſtolicum ex eiſdem rebus deferendas accipiant.*

Hanc Regulam confirmat S. *Raymundus*, Lib. III. §. 66. *Ad illud* (inquit) *quod ultimo quærebatur, Utrum Sacerdotes poſſint facere commutationes jejuniorum, vel alterius ſatisfactionis, ad petitiones ipſorum Pœnitentium: credo, quod ſic, dum tamen diſcrete, & propter cauſam, & circa ſubditos ſuos, alias non.* Diſt. LXXXI. Can. *Presbyter*. Idem docet S. *Antoninus*, III. parte Tit. XIV. cap. XV.

REGULA XVII.

Pęnitens opera ſatisfactoria ſibi a Confeſſario impoſita ſuſcipere, & implere tenetur. Unde peccati lethalis reus eſt, qui Pœnitentiam pro lethalibus peccatis ſibi præſcriptam implere negligit.

Præſcripta Satisfactio neceſſario adimplenda.

HUjus Regulæ rationem in anteceſſum protuli qu. V. art. 6. ubi de conditionibus Confeſſionis egimus §. 7. & illud S. *Antonini* Tit. XIV. cap. XVIII. §. 19. *Pęnitentiam, ſeu Satisfactionem, quæ ſibi imponitur a Confeſſore, facere debet: nam ſi ex negligentia omittit, cum propoſito non faciendi id, quod ſibi eſt injunctum pro mortalibus, mortaliter peccat: & ſi ejus eſt oblitus, tenetur iterum confiteri: ſed ſi ejus recordatur adhuc, ſi vult eam facere, non tenetur iterum confiteri.*

REGULA XVIII.

Peccator, cui leviores pœnæ pro gravibus peccatis sunt impositæ, alia satisfactionis opera sponte exercere, & implere debet.

Condigna Satisfactionis necessitas.

ALioqui divinum illud præceptum non implet ore Sanctissimi Præcursoris promulgatum, *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*: & divinæ justitiæ vices in se ipsum, ut par est, non exequitur, dum peccatum suum impunitum relinquit contra ejusdem justitiæ ordinem: de quo *S. Gregorius* Lib. IX. *Moralium*, cap. XVII. scribit: *Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se Pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam ergo peccato parcitur, quia sine vindicta nullatenus laxatur.*

Hanc Regulam *S. Basilius* Homilia in illud, *Attende tibi ipsi*, confirmat: „ Itaque (*inquit*) attende tibi ipsi, ut pro delicti proportione, hinc quo„ que mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium. „ Magnum est, & grave peccatum: multa habes opus confessione, lacrymis „ amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso, & continenti je„ junio. Levis est, nec intoleranda offensio, huic quoque exæquetur Pœni„ tentia. Solum attende tibi ipsi, ut cognoscas animæ tuæ sanitatem, & „ morbum.

„ Idem confirmat *S. Thomas*. Quodlibeto III. qu. XIII. art. I. Peccator „ (*inquit*) est debitor alicujus Satisfactionis dupliciter: uno modo, ex in„ junctione Sacerdotis: alio modo, ex peccato commisso: unde si contin„ gat, quod Sacerdos minorem Satisfactionem imponat Pœnitenti, quam sit „ illa, ad quam alligatur ex quantitate sui peccati, subtracto eo, quod re„ mittitur virtute Clavium, & Contritionis præcedentis, nihilominus Pœ„ nitens ad aliquid ulterius obligatur, quod si in hac vita non perficiet, in „ Purgatorio exsolvet: & e converso, si Sacerdos imponat majorem Pœni„ tentiam, quam Pœnitens facere teneatur pensata remissione, quæ est fa„ cta per vim Clavium, & Contritionem præcedentem, nihilominus Pœni„ tens tenetur facere, quod sibi injunctum est, si adsit facultas... Quæ *ve„ ro Satisfactionis opera Pœnitens* præter injunctionem expressam facit, ac„ cipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali injun„ ctione, qua Sacerdos dicit, *Quicquid boni feceris sit tibi in remissionem pec„ catorum*: (unde laudabiliter consuevit hoc a multis Sacerdotibus dici) li„ cet non habeant majorem vim ad præbendum remedium contra culpam „ futuram: & quantum ad hoc talis Satisfactio est Sacramentalis, in quan„ tum virtute Clavium est culpæ commissæ expiativa.

Ex his sequitur, Pœnitentem non posse tuta conscientia pœnas, quarum debitum superest, in Purgatorio luendas reservare. Lex enim ipsa naturæ præcipit, ut propositis duobus malis, minus eligatur: ut si quis sanari possit a morbo lethali apertione venæ, aut abscissione brachii, tenetur eligere apertionem venæ: & gravissime peccaret si aliter faceret. Cum igitur homo duobus modis justitiæ divinæ pro peccato satisfacere possit, aut in hac vita se ipsum utcumque puniendo, vel in Purgatorio manum Dei vindicis patiendo, Purgatorii pœnam eligere non licet, ac Pœnitentiæ labores longe leviores declinare.

REGULA XIX.

Satisfactio a Sacerdote injuncta majoris virtutis est quam sponte suscepta.

ITa docet *S. Thomas*, Quodlibeto III. qu. XIII. art. I. *Opus* (inquit) *quod quis facit ex injunctione Sacerdotis, dupliciter valet Pœnitenti: uno modo ex natura operis: alio modo ex vi Clavium: cum enim Satisfactio a Sacerdote absolvente injuncta sit pars Pœnitentiæ, manifestum est, quod in ea operatur vis Clavium; ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus.*

REGULA XX.

Sacerdos Pęnitentiæ partem arbitrio Pœnitentis relinquere potest.

ITa docet *S. Thomas* ibidem: *Sacerdos* (inquit) *potest Pœnitenti Satisfactionem injungere, vel ex proprio arbitrio, vel etiam ex consilio alieno. Est ergo dicendum, quod sicut potest Sacerdos injungere satisfactionem Pęnitenti ex arbitrio alieno, ita & ex arbitrio ipsius Pęnitentis; sicut si dicat*, Facias hoc, si potes, & si non potes, facias hoc: *& simile videtur, cum Sacerdos dicit*, Quicquid *boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum.*

REGULA XXI.

Pęnitens graviorem Pęnitentiam pro levioribus peccatis a Sacerdote sibi impositam adimplere tenetur.

ITa respondet *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* Dist. XX. qu. I. art. II. Quæstiuncula II. ad secundum: *Pęnitens* (inquit) *cui major condigno Pœnitentia injuncta est, tenetur eam explere ex Sacerdotis injunctione, qui non solum debitum pęnæ considerat, sed peccato remedium adhibet.*

REGULA XXII.

Pœnitens impositæ sibi Satisfactionis onus propria auctoritate alteri imponere non potest; & si alter Satisfactionem pro ipso sponte susceperit, non ideo solutus est Satisfactionis obligatione, si per se ipsum satisfacere possit. Confessarius itaque permittere non debet, ut Pœnitens impositam Satisfactionem alteri committat adimplendam.

Satisfactionis onus in alterum transferri non potest.

HÆc Regula colligitur ex Concilio Lateranensi IV. Can. XXI. *Injunctam* (inquit) *sibi Pęnitentiam pro viribus studeat adimplere.* Hinc *S. Jo: Chrysostomus*, Hom. V. in *Matthæum* ait: *Si negligentes fuerimus, ac desides, nec per aliorum quidem possumus merita salvari. Si vero mente vigilemus, etiam per nosmetipsos istud valemus efficere, & multo magis nostro quam alieno tuti esse suffragio. Nam & Deus gratiam nobis potius, quam aliis rogantibus pro nobis vult donare: ut hoc ipso quo iram in nos ejus placare cupimus, ad studia meliora migremus, & fiduciam bonæ conscientiæ colligamus. Sic enim Chananæam illam aliquando miseratus est; sic Meretrici donavit salutem; sic Latronem e Cruce in Paradisum transtulit, nullius patroni, nullius precibus mediatoris inflexus. Et hæc dicimus, non ut supplicandum esse Sanctis negemus, sed ne nosmetipsos in otium, ac desidiam resolvamus, & dormientes ipsi aliis tantummodo nostra curanda mandemus. Nam cum dixisset*, Facite vobis amicos, *non hic stetit, sed adjecit*, ex iniquo Mammona: *ut scilicet tuum id esset, ac proprium. Nihil quippe hic aliud quam misericordiæ opera designavit.*

Luc. 16. 9.

Ea-

Eadem Regula *S. Thomæ* suffragio confirmatur, in IV. *Sententiarum*, sive Supplementi qu. XIII. art. II. *Nec etiam* (inquit) *exigitur quantum ad solutionem debiti, quod ille, pro quo fit Satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum; quia etiamsi esset potens, alio satisfaciente pro ipso, ipse a debito immunis esset. Sed hoc requiritur in quantum pęna satisfactoria est in remedium. Unde non est permittendum, quod aliquis pro alio Pœnitentiam agat, nisi defectus aliquis appareat in Pęnitente, vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam pęnam.*

Merito igitur hanc inter alias Propositionem, ut minimum tanquam scandalosam, & in praxi perniciosam damnavit *Alexander VII.* Pontifex Maximus ordine decimam quintam: *Pęnitens propria auctoritate potest sibi substituere alium, qui, loco ipsius, Pęnitentiam adimpleat.* Propositio damnata.

REGULA XXIII.

Satisfactoria opera in peccato mortali facta, quæ nullum in satisfacientibus effectum relinquunt, iterari debent a Pęnitentibus: non autem illa, quæ permanentem in homine relinquunt effectum.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* sive Supplementi q. XIV. art. III. ad tertium. *Aliquæ* (inquit) *satisfactiones sunt, ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquam actus satisfactionis transiit, sicut ex jejunio manet corporis debilitatio, & ex eleemosinarum largitione substantiæ diminutio; & sic de similibus. Et tales satisfactiones in peccatis factæ non oportet, ut iterentur, quia, quantum ad hoc, quod de eis manet, per Pœnitentiam Deo acceptæ sunt. Satisfactiones autem, quæ non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente, postquam actus transiit, oportet, ut iterentur, sicut orationes, & alia hujusmodi. Actus autem interior, quia totaliter transit, nullo modo vivificatur, sed oportet, ut iteretur*: id est, actum illum quo satisfacere quis proposuit in peccato mortali existens, vel quo sive ad jejunandum, sive ad orandum, sive ad eleemosynam erogandam se voluntas ipsius applicavit, iterandus est a Pœnitente, cum fuerit in Dei amicitiam restitutus. Opera Satisfactionis injunctæ quando iteranda.

Eamdem Regulam confirmat *S. Antoninus*, III. P. Tit. XIV. cap. XX. tutiusque propterea esse docet, ut Confessarius etsi diuturnas imponat Pęnitentias jejuniorum, peregrinationum, similiumque operum, prout requirunt peccata, non tamen injungat diuturnas Pœnitentias orationum, & præcipue his, de quorum relapsu celeri dubitat.

REGULA XXIV.

Quamvis nemo certo sciat, se in statu gratiæ Deo satisfecisse, iterare tamen Satisfactionem non tenetur, nisi conscientiam habeat peccati mortalis.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, art. II. quæstionis mox indicatæ, ad secundum. *Sicut* (inquit) *homo nescit pro certo utrum charitatem habuerit in satisfaciendo, vel habeat; ita etiam nescit pro certo, utrum plene satisfecerit: & ideo dicitur Ecclesiastici* V. De propitiato peccato noli esse sine metu. *Nec tamen exigitur, quod propter hunc metum homo satisfactionem expletam iteret, si conscientiam peccati mortalis non habeat: quamvis enim pęnam non expiet per hujusmodi satisfactionem, tamen non incurrit reatum omissionis ex satisfactione neglecta; sicut nec ille, qui accedit ad Eucharistiam sine conscientia peccati mortalis, cui subjacet, reatum indignæ sumptionis incurrit.*

RE-

ARTICULUS VII.

De Canonibus Pœnitentialibus.

CUm necessaria sit Sacerdotibus, qui Confessiones audiunt, Canonum Pęnitentialium scientia, ut iis velut Regulis quibusdam dirigantur, cum ad culpæ commissæ gravitatem recte dignoscendam, tum ad imponendam pro illius ratione congruam Satisfactionem, ut Patres docuerunt, Canones Pœnitentiales pro Decalogi ratione dispositos a *S. Carolo Borromæo*, & ex antiquis Patribus, & Conciliis, ex Pœnitentiali *Bedæ*, ex Pęnitentiali *Rabani*, & Pœnitentiali Romano, necnon ex *Burchardi Vvormatiensis*, *Anselmi Lucensis*, *Yvonis Carnotensis*, & *Gratiani* Collectionibus maximam partem descriptos, hic exhibere operæ pretium est in gratiam Parochorum, ac Sacerdotum ceterorum, qui Confessiones excipiunt.

CANONES POENITENTIÆ.

Spectantes peccata contra primum Decalogi Præceptum commissa.

„ QUi a Fide Catholica desciscens, intimo, summoque prævaricationis „ suæ dolore affectus ad Ecclesiam redierit, Pœnitentiam aget annis „ decem.

„ Qui Dæmoni immolaverit, in Pęnitentia erit annis decem.

Canones Pœnitentiales.

„ Qui more Gentilium elementa coluerit: qui vel segetibus faciendis, vel „ ædibus extruendis, vel arboribus serendis, vel nuptiis contrahendis, ina- „ nem signorum fallaciam observaverit; Pœnitentiam aget annos duos feriis „ legitimis. Feriæ legitimæ sunt secunda, quarta, & sexta, Canonum le- „ gibus Pœnitentiæ, Jejunioque consecratæ.

„ Qui cum Judæo cibum sumpserit, Pęnitens erit dies decem, pane, & „ aqua victitans.

„ Qui auguriis, & divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas „ fecerit; Pęnitens erit annos septem.

„ Mulier incantatrix Pęnitentiam aget annum; vel ut alio Canone ca- „ vetur, annos septem.

„ Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit; Pœnitentiam „ aget dies viginti.

„ Qui Magos consuluerit; quive domum suam induxerit, aliquid arte „ Magica exquirendi causa; in Pęnitentia erit annos quinque.

„ Qui ædes Magicis cantionibus lustrat, aliudve tale admittit; & qui ei „ consentit, quive consulit; in Pęnitentia erit annos quinque.

„ Qui tempestatum immissor erit; Pœnitentiam aget annos septem, tres „ in pane, & aqua. Qui vero crediderit, particepsve fuerit, annum unum „ per legitimas ferias.

„ Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit; Pęnitens erit annos duos per „ legitimas ferias.

„ Si quis sortilegus erit; Pœnitentiam aget dies quadraginta.

„ Si quis in codicibus, aut in tabulis sorte ducta res futuras requisierit, „ Pęnitens erit dies quadraginta.

„ Respiciens furta in Astrolabio, annis duobus.

„ Si quis Clericus, vel Monachus, postquam Deo voverit, ad sæculum „ redierit; Pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane, & aqua.

CA-

CANONES PŒNITENTIÆ.

Spectantes peccata contra secundum Decalogi Præceptum commissa.

„ QUicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane, & aqua, „ & septem sequentes annos peniteat, & nunquam sit sine Pœni- „ tentia, & nunquam in testimonium recipiatur; & post hæc Communio- „ nem percipiat.

„ Qui perjurium in Ecclesia fecerit; Penitentiam aget annos decem.

„ Qui sciens pejerat Domini impulsu; Pœnitens erit Quadragesimas tres, „ & ferias legitimas: Dominus autem quia præcepit, quadraginta dies in „ pane, & aqua, & septem sequentes annos.

„ Si quis sciens pejeraverit, aliosque in perjurium induxerit; Pœnitens „ erit dies quadraginta in pane, & aqua, septem sequentes annos: & tot „ perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

„ Si quis suspicatus se ad perjurium induci, ex consensu jurat; Pœni- „ tentiam aget dies quadraginta, & septem annos sequentes, & nunquam „ sine gravi Penitentia erit.

„ Si quis per cupiditatem perjurium fecerit; carinam in pane, & aqua „ jejunet, & quandiu vivit, omnes sextas ferias. Carinæ jejunium appel- „ latur, quod per quadraginta dies in pane, & aqua fiebat, ut Burchar- „ dus interpretatur. Quidam carenam, alii carentenam, alii quadragenam „ dicunt. Item, si quis per cupiditatem pejeraverit; omnes res suas ven- „ det, & pauperibus distribuet, & Monasterium ingressus jugi se Pœniten- „ tiæ subdet.

„ Si quis coactus, necessitateque aliqua impulsus perjurium commiserit; in „ Penitentia erit Quadragesimis tribus.

„ Item, si quis coactus pejeraverit; Penitens quadraginta diebus pane, & „ aqua victitet, ac præterea omnibus sextis feriis.

„ Si quis seductus, ignorans, & postea cognoscit, Penitentiam aget an- „ num unum, vel Quadragesimas tres, vel dies quadraginta.

„ Qui compellit alium, ut falsum juret; quadraginta dies in pane, & a- „ qua, & septem annos in Pœnitentia erit.

„ Si quis jusjurandum, quo se Regi, & Domino suo adstrinxerit, vio- „ laverit: in Monasterio Pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ.

„ Si quis se jurejurando obstrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem „ cum eo reconciliet; Pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, & a- „ qua, per annum a Sacra Communione segregatus: ad charitatem vero „ celeriter redeat.

„ Si quis per capillum Dei, aut per caput ejus juraverit; si semel ne- „ sciens fecerit, Penitens aqua, & pane septem dies victitet: si secundo, „ ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

„ Si per cœlum, aut per aliam aliquam creaturam; dies item quinde- „ cim.

„ Si quis blasphemat, tamdiu Pœnitens erit, quamdiu impenitens per- „ mansit.

„ Si quis Deum, vel B. Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publi- „ ce blasphemaverit; pro foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem, in ma- „ nifesto, dum Missarum Solemnia aguntur, stet: ultimoque ex illis die „ sine pallio, & calceamentis, ligatus corrigia circa collum: septemque „ præcedentibus feriis sextis in pane, & aqua jejunet, Ecclesiam nullo mo- „ do tunc ingressurus. Singulis item septem illis diebus Dominicis tres,

„ aut duos, aut unum pauperem paſcat, ſi poteſt; alioquin alia Pęnitentia „ afficiatur: recuſans, Eccleſiæ ingreſſu interdicatur; in obitu Eccleſiaſtica „ careat ſepultura. Dives a Magiſtratu mulctetur pęna ſolidorum quadra- „ ginta, alioqui triginta, ſeu viginti.

CANONES PŒNITENTIÆ.

Spectantes peccata contra tertium Decalogi Præceptum commiſſa.

Canones Pęnitentiales.

„ QUi opus aliquod ſervile die Dominico, Feſtove fecerit; Pęniten- „ tiam aget tres dies in pane, & aqua.

„ Qui die Dominico opus terrenum fecerit ..... dies ſeptem Pœnitentiam aget.

„ Si quis ante Eccleſias, vel die feſto ſaltationes fecerit; emendationem „ pollicitus, Pœnitentiam aget annis tribus.

„ Si quis pranſus Miſſæ interfuerit, Pœnitens erit dies tres in pane, & „ aqua.

„ Si quis Sacram Communionem ſumpſerit poſt aliquam, vel minimam „ deguſtationem; Pœnitentiam aget dies decem in pane, & aqua.

„ Si quis in Eccleſia confabuletur, cum Divina fiunt; Pœnitens erit dies „ decem in pane, & aqua.

„ Si quis Jejunia a Sancta Eccleſia indicta violarit; Pœnitentiam aget „ dies viginti in pane, & aqua.

„ In Quadrageſima, carne ſine inevitabili neceſſitate veſcens, in Paſcha „ non communicet, ac præterea a carne abſtineat.

„ Qui in Quadrageſima Jejunium violaverit; pro uno die Pœnitentiam „ aget dies ſeptem.

„ Si quis Jejunium Quatuor Temporum non cuſtodierit, Pœnitens erit dies „ quadraginta in pane, & aqua.

CANONES PŒNITENTIÆ.

Spectantes peccata contra quartum Decalogi Præceptum commiſſa.

„ QUi parentibus maledixerit, quadraginta dies Pęnitens ſit in pane, „ & aqua.

„ Qui parentes injuria affecerit, tres annos.

„ Qui percuſſerit, annos ſeptem.

„ Qui expulerit, tamdiu Pęnitens, quamdiu in impietate permanſerit.

„ Si quis contra Epiſcopum, Paſtorem, & Patrem ſuum inſurrexerit, in „ Monaſterio omnibus diebus vitæ ſuæ Pœnitentiam aget.

„ Si quis contra Epiſcopum conſpiraverit, gradu ſuo amovebitur.

„ Si quis Epiſcopi ſui, aut Miniſtrorum ejus, vel Parochi ſui præcepta „ contempſerit, vel irriſerit, Pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, „ & aqua.

CANONES PŒNITENTIE.

Spectantes peccata contra quintum Præceptum Decalogi commiſſa.

„ QUi Presbyterum occiderit, Pęnitentiam aget annos duodecim.

„ Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, Pęnitentiam aget annos „ viginti octo.

„ Si quis Presbyterum armis contra ſe irruentem occiderit; Pęnitens erit „ annos decem.

„ Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut ſororem occiderit; toto vi-

tæ

„ tæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini nisi in obitu : abstineat a „ carne, & vino dum vixerit: jejunet secunda, & quarta, & sexta feria... „ Si autem nolenti accidit, decem annis pęniteat Judicio Sacerdotis.

„ Qui voluntarie filium suum, aut filiam suam, vel germanum, aut ger„ manam suam occiderit; quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat: „ deinceps viginti annis pęniteat.

„ Quæ mulier filios suos necarit, peracta septenni Pęnitentia, in Mo„ nasterium detrusa, Monasticam vitam perpetuo regulariter aget.

„ Si quæ mulier post partum, filium, filiamve sponte interfecerit; Pę„ nitentiam aget annos duodecim, & nunquam erit sine Pęnitentia.

„ Paupercula, si ob difficultatem nutriendi id commiserit, annos se„ ptem.

„ Si qua mulier sponte abortum fecerit; Pęnitentiam aget tres annos: „ Si nolens, Quadragesimas tres.

„ Item: Mulier partum suum perdens voluntarie ante quadraginta dies, „ Pęnitens erit annum unum: Si post quadraginta dies, annos tres: Si ve„ ro postquam editus est in lucem, tanquam homicida.

„ Quæ sceleris occultandi causa filium necarit; Pęnitentiam aget annos „ decem.

„ Qui nolens filium oppresserit, si post Baptismum, Pęnitentiam aget „ dies quadraginta in pane, & aqua, oleribus, ac leguminibus: abstinebit „ ab uxore dies totidem. Deinde Pęnitens erit tres annos per legitimas „ ferias: tres præterea Quadragesimas in anno observabit. Si ante Baptis„ mum, quadraginta dies, ut supra, & quinquennii præterea Pęnitentiam „ explebit.

„ Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos pę„ niteat, unum in pane, & aqua.

„ Cujus filius sine Confirmationis Sacramento moritur; parentes, quo„ rum negligentia id factum est, Pęnitentiam agent annos tres. Canones Pe-nitentiales.

„ Si quis explendæ causa libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo „ soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum „ dederit, ut non possit generare, aut concipere; homicida teneatur.

„ Qui uxorem occiderit, aut Monasterium ingrediatur Pęnitentiam per„ petuam acturus: aut cuncta negotia sæcularia dimittens, perpetuo absti„ neat a carne, sagimine, vino, medone, mellita, cervisia, exceptis die„ bus Resurrectionis, & Natalis Domini: uxorem non ducat, &c. in fine „ tantum vitæ Eucharistiam accipiat.

„ Si mulier maritum suum causa fornicationis veneno interfecerit, aut „ quacumque arte perimere facit; sæculum relinquat, & in Monasterio „ pęniteat.

„ Qui mortem sibi consciverit: pro eo nulla in Missa commemoratio fiat, „ neque cum Psalmis ejus cadaver sepeliatur.

„ Si quis sponte hominem occiderit; ad januam Ecclesiæ semper erit; „ & in obitu Communionem recipiet. Si casu necarit, Pęnitentiam aget „ annos septem.

„ Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit, „ ut homicida Pęnitentia afficietur.

„ Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit; Pęniten„ tiam aget annos tres.

„ Si quis jussu domini homicidium perpetrarit; dies quadraginta in pa„ ne, & aqua, & præterea septem annos sequentes per legitimas ferias je„ junabit.

„ Qui homicidii auctor fuit, ob conſilium quod dedit, erit in Pœniten-
„ tia quadraginta dies in pane, & aqua, cum ſeptem ſequentibus an-
„ nis.
„ Si quis caſu homicidium fecerit, Pœnitens erit quadraginta dies in pa-
„ ne, & aqua; quinquennio Communione privabitur: a cibis abſtinebit ar-
„ bitrio Sacerdotis.
„ Qui homicidio, quod poſtea factum eſt, conſenſerit; Pœnitentiam aget
„ annis ſeptem; tres in pane, & aqua.
„ Si autem voluerit, nec potuerit, tres tantum annos.
„ Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit; Pę-
„ nitentiam aget uno anno per legitimas ferias: ſi cicatrix gravis eſt, &
„ vulneratum deformem reddit; quadraginta etiam dies pęnitebit in pane,
„ & aqua.
„ Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit; tridui Pęnitentiam aget
„ in pane, & aqua: Clericus, unius anni, & menſium ſex.
„ Si quis aliquem per iram percutiens, debilitaverit: ſoluta medicamen-
„ ti impenſa, ſi Laicus eſt, Pęnitens erit quadraginta dies in pane, &
„ aqua: ſi Clericus, duas quadrageſimas, ſi Diaconus, ſeptem menſibus,
„ ſi Presbyter, uno anno.
„ Si quis fratri ſuo, quem oderit, reconciliari non vult; tamdiu in pa-
„ ne, & aqua Pęnitentiam aget, quoad reconcilietur.

CANONES PŒNITENTIÆ.

Spectantes peccata contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſa.

Canones Pęnitentiales.

„ SI Laicus ſolutus cum fœmina ſoluta concubuerit, Pęnitens erit an-
„ nos tres: & quanto ſæpius, tanto majori Pęnitentia afficietur.
„ Uxor viro conſcio mæchata, ne in obitu quidem communicabitur:
„ ſi dignam Pęnitentiam egerit, poſt decem annos Sacram Communionem
„ ſumet.
„ Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare coegerit; Pęnitentiam
„ aget dies quadraginta in pane, & aqua, & ſeptem præterea annos, e
„ quibus unum in pane item, & aqua.
„ Vir ſolutus, ſi cum alterius uxore adulterium commiſerit, Pęniten-
„ tiam aget annos ſeptem, mulier quinque.
„ Mulier ſoluta cum alterius marito adulterium patrans, Pęnitentia affi-
„ cietur decennali.
„ Si quis maritus ſemel lapſus eſt, Pœnitentiam aget annos quinque.
„ Si ſæpius mæchatus eſt, in fine vitæ eſt conveniendus; ſique promiſe-
„ rit ſe ceſſaturum, dabitur ei Communio.
„ Si quis uxorem ſimul, & concubinam habuerit; in Pœnitentia erit
„ annos ſeptem, & amplius pro ratione culpæ.
„ Qui cum uxore ſua turpiter concubuerit, Pœnitens erit quadraginta dies.
„ Si quis adoleſcens cum virgine peccaverit, Pœnitentiam aget annum
„ unum.
„ Qui puellam, aut mulierem libidinoſe obtrectaverit, ſi Clericus eſt,
„ quinque dies; ſi Laicus, tres dies Pœnitentiam aget: Monachus, vel Sa-
„ cerdos a Miniſterio ſuſpenſus, Pœnitens erit dies viginti.
„ Si quis in balneis cum muliere ſe laverit, Pœnitentiam aget triduo.
„ Qui concupierit virginem, quam poſtea uxorem duxerit; Pœnitentiam
„ aget annum unum per legitimas ferias: ſi vero non duxerit, annos duos
„ per legitimas ferias.

„ Vidua,

„ Vidua, quæ ſtuprum admiſerit, Pœnitentiam aget annum unum, & „ præterea altero anno dies jejuniorum, *Feriis nimirum legitimis.*

„ Cum duabus ſororibus fornicatus, Pœnitentiam aget toto vitæ ſuæ „ tempore.

„ Qui inceſtum fecerit (*non ita enormem*) ei alii annorum duodecim, „ alii quindecim, alii decem, alii ſeptem Pœnitentiam conſtituunt.

„ Quicumque Sacerdos ſpiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem „ amittet, & perpetuam Pęnitentiam aget.

„ Qui Monialem violaverit, Pęnitens ſit annis decem.

„ Presbyter, ſi fornicationem admiſerit, ſponte confeſſus Pęnitentiam a- „ get annos decem.

„ Qui cum brutis cojerit; Pęnitentia afficietur annorum decem, & diutur- „ niori etiam pro perſonæ conditione.

„ Qui contra naturam cojerit; ſi ſervus eſt, ſcopis caſtigabitur, & pœ- „ nitebit annos duos: ſi liber eſt, & Matrimonio junctus, anno duos: ſi „ liber eſt, & Matrimonio junctus, annos decem: ſi ſolutus, annos ſe- „ ptem: pueri dies centum: Laicus Matrimonio junctus, ſi in conſuetudi- „ ne habeat, annos quindecim: ſi Clericus, de gradu amotus, ut Laicus „ Pœnitentiam aget: qui cum fratre tale ſcelus admiſerit, ab omni carne „ abſtinebit, Pœnitenſque erit annos quindecim: ſi Clericus, diuturniori & „ & graviori Pœnitentia afficietur.

„ Mulier in ſe, aut cum altera fornicans, Pœnitentia afficietur duorum „ annorum. Vir ſe inquinans primo dies decem; ſi iterum, dies viginti; ſi „ tertio dies triginta, ſi nefarie agere perget, Pœnitentiæ acceſſio ei fiet: ſi „ puer, dies quadraginta: ſi major quindecim annis, dies centum.

„ Qui complexu fęminæ, vel oſculo polluitur, Pęnitentiam aget dies tri- „ ginta: qui contactu inverecundo, menſes tres.

Canones Pęnitentiales.

„ Qui concupiſcit mente, ſed non potuit; dies decem Pęnitentiam a- „ get.

„ Qui turpiloquio, aſpectuque polluitur negligens, nec vero peccare vo- „ luerit; Pęnitentiam aget dies viginti: ſi vero impugnatione tentationis, „ & cognitionis inquinatur, pęnitebit item dies viginti.

„ Quicumque lenocinium exercuerit, Pęnitentiam aget annos duos per „ legitimas ferias: item Sacram Communionem non accipiet niſi in fine.

„ Si quæ mulier ceruſſa, aliove pigmento ſe oblinit, ut aliis viris placeat; „ Pęnitentia afficietur annorum trium.

CANONES PŒNITENTIÆ.

Spectantes peccata contra ſeptimum Decalogi Præceptum commiſſa.

„ QUi furatus eſt aliquid de Eccleſiæ ſupellectili, vel theſauro; quod „ ſuſtulit, reddet; & tres carinas cum ſeptem ſequentibus annis pę- „ nitebit.

„ Qui Sacras Reliquias furatus eſt, illis reſtitutis, ſeptem carinas jeju- „ nabit.

„ Pecuniam Eccleſiaſticam furatus, quadruplum reddet; ſi quid item „ de Miniſterio Eccleſiæ aliquo modo ſurripuerit, Pęnitens erit annos ſe- „ ptem.

„ Sacrilegus rerum Eccleſiaſticarum invaſor tres annos Communione pri- „ vabitur: ac præterea ſine eſu carnis & potatione vini uſque ad ſeptennium „ Pęnitens permanebit.

„ Qui Ecclesiam incenderit, aut incendio consenserit, restitutione facta; „ Pœnitentiam aget annos quindecim.

„ Si quis malo studio, vel odio, vel ulciscendæ injuriæ causa, incen- „ dium commiserit, committive jusserit, aut incendiario auxilium, vel „ consilium scienter dederit, excommunicetur: mortuus Christiana Sepul- „ tura carebit. Nec vero absolvetur, nisi damnum pro facultatibus resar- „ cierit: juretque se imposterum tale facinus nunquam admissurum.

„ Si quis sepulchrum violaverit, Pœnitens erit annos septem; e quibus „ tres in pane, & aqua.

„ Qui sepulchrum infregerit, ut defuncti sepulti vestimenta furaretur; Pę- „ nitens erit annos duos per legitimas ferias.

„ Qui de oblationibus, quæ Ecclesiis factæ sunt, aliquid retinuerit: Pœ- „ nitens erit dies quadraginta in pane, & aqua.

„ Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit; quadruplum resti- „ tuet, & Pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

„ Qui Hospitalis Domus Administrator, aliquid de administratione sub- „ traxerit; restituet, quod abstulit, Pœnitensque erit annos tres.

„ Qui pauperem oppresserit, ejusque bona abstulerit; reddet ei suum, & „ Pœnitens erit dies triginta in pane, & aqua.

„ Clericus furtum capitale faciens, septenni Pœnitentiam explebit: Lai- „ cus quinquennii, & quod furatus est, reddat.

„ Qui fregerit noctu alicujus domum, aut aliquid auferet, pretium red- „ det, & Pœnitentiam aget annum in pane, & aqua: si non reddit, an- „ nos duos.

„ Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit; restituta re, Pœni- „ tentiam aget annum unum.

„ Qui rem inventam non reddit, furtum committit: idcirco tanquam de „ furto Pœnitentiam aget.

„ Si quis usuras accipit, rapinam facit, ideoque quicumque illas exego- „ rit, Pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane, & aqua.

CANONES PŒNITENTIÆ.

Spectantes peccata contra octavum Decalogi Præceptum commissa.

Canones Pęnitentiales.

„ QUi affirmaverit verum esse, quod falsum est, Pœnitentiam aget, „ ut adulter, ut homicida, qui sponte id facinus admiserit.

„ Qui falso testimonio consenserit; Pęnitens erit annos quinque.

„ Qui proximo falsum crimen objicit, Pœnitentia afficitur ut falsus te- „ stis.

„ Qui proximo peccatum imputarit, priusquam eum arguerit; primum „ illi satisfaciens Pœnitentiam aget tres dies.

„ Si quis contra proximum lingua lascivus erit, triduana Pœnitentia ex- „ piabitur.

„ Si quis murmuraverit, Judicio Sacerdotis Pœnitentiam aget pro culpæ „ gravitate.

„ Si quis convitium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur Pę- „ nitentia pro modo peccati.

„ Si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit; Pęnitens erit dies „ septem in pane, & aqua.

„ Qui falsitatem, fraudemve in ponderibus, & mensuris admiserit, Pœ- „ nitens erit in pane, & aqua dies viginti.

„ Falsarius in pane, & aqua Pęnitentiam agat, quamdiu vivit.

CANO-

CANONES PŒNITENTIÆ.

Spectantes peccata contra nonum Decalogi Præceptum commissa.

„ REm alienam nefarie concupiscens, avarusque, Pœnitens erit annis „ tribus.
„ Qui aliena concupiscit, furtum est: qui aliena rapere cupit, rapina „ est: qui res Ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est: ideo cum nefarie „ concupiscendo graviter peccet, ut peccati mortalis Pœnitentiam aget Sa- „ cerdotis arbitratu.
„ Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi re- „ tineat; mortale peccatum concipit, cujus Pœnitentiam aget, ut supra- „ dictum est de furto.

CANONES PŒNITENTIÆ.

Spectantes peccata contra decimum Decalogi Præceptum commissa.

„ SI quis concupiscit fornicari; si Episcopus, Pœnitens erit annos se- „ ptem: si Presbyter, quinque: si Diaconus, vel Monachus, tres; e „ quibus unum in pane, & aqua: si Clericus, aut Laicus, annos duos. Canones Pœnitentiales.
„ Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur; surgat, & cantet „ septem Psalmos Pœnitentiales: & in die triginta.
„ Si Clericus, aut Laicus ex mala cogitatione, concupiscentiaque semen „ effuderit; Pęnitens erit dies septem.

CANONES PŒNITENTIÆ.

De septem peccatis Capitalibus, speciatimque de Gula, & Ebrietate.

„ PRo capitali, mortalique crimine Pœnitentia septem annorum indici- „ tur, nisi peccati gravitas, & personæ status severiorem, diuturnio- „ remque Pœnitentiam requirat.
„ Pro capitali crimine, Pœnitentiam aget Laicus annos quatuor, Cle- „ ricus quinque, Subdiaconus sex, Diaconus septem, Presbyter decem, E- „ piscopus duodecim.
„ Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane, & aqua Pœnitentiam agat „ dies septem: si negligenter, dies quindecim: si per contemptum, dies „ quadraginta.
„ Diaconus, & alius Clericus ebrius factus, arbitrio Sacerdotis Pœni- „ tens erit.
„ Monachus ebrius, pane, & aqua mensibus tribus: si Clericus, viginti „ dies.
„ Laicus ebriosus graviter arguatur, & Pœnitentiam agere a Sacerdote „ cogatur.
„ Qui humanitatis gratia alium inebriare cogit, Pęnitentiam aget dies „ septem: si per contemptum, dies triginta.
„ Qui ad bibendum invitat plus quam naturæ satis est, Pœnitentiam „ agat.
„ Qui præ ebrietate, & crapula vomitum fecerit, si Presbyter, aut Diaconus,

„ Pęnitentiam agat dies quadraginta. Si Monachus, aut Clericus, dies trigin-
„ ta. Si Laicus, dies quindecim, abſtineatque a vino, & carne dies tres.
„ Si quis gulæ cauſa ante horam legitimam jejunium fregerit duos dies
„ Pęnitentiam aget in pane, & aqua.
„ Si quis nimio cibo ſe ingurgitaverit, ut inde dolorem ſenſerit; unum
„ diem Pęnitentiam aget in pane, & aqua.

CANONES POENITENTIÆ.

Pro variis peccatis

„ SI quis Sacerdos Miſſam canit, neque communicat; per annum Pęnitentiam
„ agat, nec vero interea celebret.
„ Sacerdos excommunicatus ſi celebrat; tribus annis Pœnitens ſit, hebdo-
„ madiſque ſingulis feria ſecunda, quarta, & ſexta, a vino & carnibus
„ jejunet.
„ Sacerdos, Sacerdotii ſui gradu, ordineque in perpetuum amotus, ſi cele-
„ brare audet, privatur Communione Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti
„ uſque ad ultimum diem, & in Excommunicatione eſt, Viaticum tantum
„ in fine ſumens.
„ Si gutta Sanguinis Chriſti in terram cadit, Sacerdos in Pœnitentia ſit quin-
„ quaginta diebus; ſi ſuper Altare, & ad pannum unum tranſit, diebus duobus;
„ ſiuſque ad pannos duos, diebus quatuor: ſi uſque ad tres, diebus novem. Si
„ incaute dimiſit, quamvis nil nefandi acciderit; tribus menſibus a ſui muneris
„ Adminiſtratione amovetur.
„ Qui per ebrietatem Euchariſtiam evomit; ſi Laicus eſt: quadraginta die-
„ bus; ſi Clericus, ſexaginta, ſi Epiſcopus nonaginta diebus, ſi infirmus Pę-
„ nitentiam agat diebus ſeptem.
„ Sacerdos, qui intereſt clandeſtinis deſponſationibus, per triennium ab Offi-
„ cii ſui adminiſtratione amovetur.
„ Qui legata pia Eccleſiæ non ſolvit, uno anno Pœnitens erit per legitimas
„ ferias.
„ Qui vir faciem ſuam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu vi-
„ ri; emendationem pollicitus, annis Pœnitens ſit tribus.
„ Infirmos, aut vinctos viſitare negligens, Pœnitentiam aget dies decem, pa-
„ ne, & aqua victitans.

CAPUT VII.

DE ABSOLUTIONE SACRAMENTALI.

ARTICULUS I.

Quibus verbis Abſolutio conſtet?

PROPOSITIO I.

Abſolutio Sacramentalis his verbis neceſſario conſtat, Abſolvo te, *aut certe verbis æquivalentibus.*

De Abſolutione Sacramentali.

ITa docet Concil. Trident. Seſs. XIV. cap. III. ſcilicet, *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue vis ipſius ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe*; Ego te abſolvo, *&c. Quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ mo-*

re

re preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti Administrationem sunt necessariæ.

Et Concilii Tridentini Catechismus par. II. §. 19. De Sacram. Pœnit. *Est autem forma*: (inquit) Ego te absolvo: *quam non solum ex illis verbis licet* „ *colligere*: Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis; „ Sed Math. 18.
„ ex eadem Christi Domini doctrina ab Apostolis tradita accepimus. Ac „ quoniam Sacramenta id significant, quod efficiunt, & illa, *Ego te absol-* „ *vo*, ostendunt peccatorum remissionem hujus Sacramenti Administratione „ effici; planum est, hanc esse Pœnitentiæ perfectam formam. Sunt enim „ peccata tanquam vincula, quibus constrictæ animæ tenentur, & ex qui- „ bus Pœnitentiæ Sacramento laxantur .... Adduntur præterea complures „ preces, non quidem ad formam necessariæ; sed ut ea removeantur, quæ „ Sacramenti vim, & efficientiam illius culpa, cui administratur, impedire „ possent.

Idem confirmat *S. Thomas*, III. par. qu. LXXXIV. ar. III. Unde nec pronomen: *Ego*, quod in verbo includitur, neque hæc verba, *a peccatis tuis*, ad essentiam formæ spectant, ipsisque prætermissis, rata nihilominus esset Absolutio, quamvis Sacerdos illa prætermittens gravis peccati reus esset. Hæc etiam verba, *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quamvis usurpari debeant ex Ecclesiæ usu, & convenientia sint ad significandum Sacerdotes non principali, sed ministeriali duntaxat auctoritate, ut Christi Ministros a peccatis absolvere; non sunt essentialia, quia non sunt determinata ex Institutione Christi, sicut in forma Baptismi.

Dixi, his verbis, aut æquivalentibus Absolutionis formam constare: qui enim diceret, *Ego remitto tibi*, vel, *Condono tibi omnia peccata tua*, vel *Mea Mediocritas habet te venia donatum, & absolutum* qua forma Græcos uti eorum Euchologia, & *Arcudius* testantur, vere absolveret. Tamen peccaret gravissime Latinus Sacerdos aliis verbis Absolutionem exprimens, ab iis, quæ in Sacramentariis, & Ritualibus Ecclesiæ Latinæ Libris sunt præscripta.

Quod autem monui, Sacerdotes Auctoritate duntaxat ministerii peccata remittere; Deum autem & Christum Dominum auctoritate principali, *S. Augustinus* egregie explicat Serm. XCIX. alias Hom. XXIII. inter Homilias L. cap. IX. *Ut evidentius* (inquit) *ostenderet Dominus ab Spiritu Sancto, quem donavit Fidelibus suis, dimitti pecata non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens* „ *a mortuis*, Accipite Spiritum Sanctum, *& cum dixisset*, Accipite Spiri- Joann. 20.
„ tum Sanctum, *continuo subjecit*: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: *Hoc est, Spiritus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus est. Deus ergo dimittit, non vos. Sed ad Spiritum quid estis vos?* „ Nescitis, quia templum Dei estis, & 1. Cort. 5.
„ Spiritus Dei habitat in vobis? *Et iterum*, Nescitis, quia corpora vestra tem- „ plum a vobis est Spiritus Sancti, quem habetis a Deo? „ Deus ergo habitat in 1. Cor. 6.
„ templo sancto suo, hoc est, in Sanctis suis Fidelibus, in Ecclesia sua: per eos „ dimittit peccata, quia viva templa sunt. Sed qui dimittit per hominem, po- „ test dimittere, & præter hominem. *Et* S. Ambrosius *Lib.* III. De Spiritu San- Cap. 18.
„ cto *ait*: Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, „ non jus alicujus potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris, & Fi- „ lii, & Spiritus Sancti nomine peccata dimittunt. Isti rogant, divinitas do- „ nat. Humanum enim obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis,

PRO-

PROPOSITIO II.

Absolutio Deprecatoria, vel nulla, vel certe dubia Sacramenti Pœnitentiæ forma est.

ID probant *Eugenius IV.* in Decreto Instructionis Armenorum, & Sacra Synodus Tridentina, Formam Sacramenti Pœnitentiæ in his verbis positam asserentes, *Ego te absolvo:* & quidem Scripturæ Sacræ verba deprecationis non meminerunt pro Sacramento Pœnitentiæ. Non enim dicunt: Quorumcumque solutionem petieritis, sed *Quodcumque solveritis*.

Secundo, Sacramentum Pœnitentiæ a Christo institutum est ad modum Judicii: Judex porro non fert sententiam orando, sed ex Tribunali pronuntiando, & solvendo, vel ligando.

Tertio, Ecclesiæ usu non deprecatoria, sed indicativa dumtaxat Pœnitentiæ forma recepta est. Unde *Clemens VIII.* Pontifex Maximus in Instructione de Ritibus Græcorum, edita anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto ita statuit: *In casu necessitatis, Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma Absolutionis in Generali Concilio Florentino præscripta: & postea, si voluerint, dicant Orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi Absolutionis dicere tantum consueverunt.*

An absolutio deprecatia valida sit?

De Absolutione deprecatoria.

Quarto, nostram Propositionem probat *S. Thomas* Opusculo XXII. cap. II. *Patet* (inquit) „ ex dictis Salvatoris, quod habens claves absolvit. Præsumptuosum ergo est, ne dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non possit, *Ego absolvo te*, quem Dominus absolvere confitetur. Ad hoc etiam est communis consuetudo tali forma utentium, cui aliquem contrariari, non parvæ præsumptionis est. *Et in exemplum affert, quod Apostolus ait in Epist. II. ad Corinthios*, Se donasse peccatum in persona Christi; quasi dicat, secundum Glossam, se absolvere a peccato..... Non est etiam parva auctoritas ejus, quod in Ecclesia cantatur: *Jam Bone Pastor Petre clemens accipe vota precantum, & peccati vincula resolve tibi potestate tradita*. Potestas autem tradita Petro est potestas clavium. Potest ergo habens claves dicere, *Ego te absolvo*. Nec hoc solum convenienter dicere potest, sed & necessarium esse videtur; quia Sacramenta novæ Legis efficiunt id, quod figurant. In Sacramento autem Pœnitentiæ verba Scripturæ, quæ maxime sectanda sunt, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione; sed magis ipsa verbo indicativo utitur. Non enim dicit, Quæcumque petieritis esse solvenda, erunt soluta, sed, *Quæcumque solveritis*. Si ergo illa tantum dicuntur esse solvenda, quæ habens claves solverit: qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit: miror, qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens Claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum. Sicut autem temerarius est in solvendo, sic vaniloquus in probando, dum frivola quædam pro rationibus inducit, puta quamdam Postillam super Summam Raymundi, quæ in Absolutione nullam verborum formam præscriptam esse dicit, sicut est in Baptismo, & in Eucharistia: ubi derisorium in tanta re Postillam Summæ pro auctoritate adducere. Sed ne Postillatori fiat injuria, dicamus, quod alia ratio est de Absolutione ab Excommunicatione, quæ non est sacramentalis, sed magis judiciaria, jurisdictionem consequens, & aliud de Absolutione a peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, quæ consequitur potestatem clavium, & est sacramentalis. In illa enim verba efficaciam habent ab intentione dicentis: unde non refert quibuscumque verbis utatur ad exprimendam suam intentionem: in Sacramentis autem verba efficaciam habent ex institutione divina:

„ na: unde tenenda ſunt verba determinata, conſonantia divinæ inſtitutio-
„ ni. Inſtitutioni autem dicentis, *Quodcumque ſolveris, &c.* hæc verba conve-
„ niunt, *Ego abſolvo te*, ac propterea tenenda ſunt.

Secundo ponit, quod Magiſter, qui Sententias compilavit, non poſuit hanc formam, nec aliquem Sanctorum ea legimus uſum eſſe. Contra quod dicendum eſt, quod nec Magiſter formam poſuit, nec legitur alia forma qua Sanctorum aliquis uſus fuerit; ſicut nec etiam legitur, quod aliquis hanc formam negaverit. Legitur autem quod ipſe Inſtitutor Sacramenti dixit, Quodcumque ſolveritis, *quod eſt majus omni auctoritate.*

Inducit quoque ſic ſenſiſſe quoſdam antiquos, & famoſos Magiſtros, ſcilicet Magiſtrum Guillelmum de Altiſiodoro, & Magiſtrum Guillelmum quondam Pariſienſem Epiſcopum, & Dominum Hugonem quondam Cardinalem: de quibus, quod ita ſenſerint, non conſtat. Sed etſi ſic ſenſerunt, nunquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro, Quodcumque ſolveris? &c. *Nunquid etiam, ſi nunc viverent, præjudicare poſſent communi Sententiæ Magiſtrorum Pariſiis Regentium, qui contrarium ſentiunt, decernentes abſque his verbis,* Ego te abſolvo, *Abſolutionem non eſſe per ſolam deprecativam orationem?*

Objiciuntur teſtimonia Patrum, qui peccata precibus Sacerdotum remitti aſſerunt. Ita *S. Pacianus* in Paræneſi ad Pœnitentiam: *Qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lacrymis adiutus, Chriſti præcibus abſolvitur.*

S. Auguſtinus Hom. XLIV. cap. III. „ Agite Pœnitentiam, qualis agitur in
„ Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, Occulte ago, apud
„ Deum ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, *Quæ ſolveritis*, &c. *Et Lib.* III. De
„ Baptiſmo, *cap.* XVI. Manus impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti non pot-
„ eſt: quid eſt enim aliud niſi oratio ſuper hominem;

S. Leo Epiſt. LXXXIII. alias XCI. ad *Theodorum* Forojulienſem Epiſcopum ſcribit, Deum ſic præſidia ſuæ Bonitatis ordinaſſe, *Ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri .... Multum utile, ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur.* De Abſolutione deprecatoria.

Reſpondetur primo, Patres laudatos intelligi de Oratione, quæ præmittitur Abſolutioni, non vero quod Abſolutionis formula ſit ſimplex oratio. Ita reſpondet *S. Thomas* III. P. qu. LXXXIV. art. III. ad ſecundum.

Reſpondetur ſecundo, Solemne eſſe Patribus, ut orationis nomen formis Sacramentorum tribuant, quod preces in Sacramentorum confectione adhiberi ſoleant, quibus verba ipſa inſeruntur, ut iis veluti gradibus ad Sacramenta perficienda, vel ſuſcipienda animus præparetur. Sic forma conſecrationis Euchariſtiæ, Canoni Miſſæ inſerta interdum precatio, & oratio dicitur a Patribus Græcis, & Latinis, *S. Baſilio* Lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XXXVII. *S. Auguſtino* Epiſt. CXLIX. alias LIX. ad *Paulinum*, *S. Gregorio Magno* Lib. II. Epiſt. LXIII.

Reſpondetur tertio, Patres exponi poſſe de Oratione ſuper publicos Pœnitentes fundi ſolita, de qua Tertullianus *Tenere præterea pauperum manus, Viduas obſecrare, Presbyteris advolvi, orationes Eccleſiæ deprecari, omnia prius tentare ne pereas.*

Objicitur, antiquos Libros Rituales, & Pœnitentiales, Sacramentaria, Pontificalia ante annum ſupra milleſimum ſcripta nullam aliam Abſolutionis formulam quam deprecatoriam exhibere.

Reſpondetur, Formulas illas, quæ ex veteribus Ritualibus, & Sacramentariis proferuntur, Abſolutionem ſacramentalem non ſpectare, ſed judicialem, & canonicam. Unde maxima pars Orationum, ſive Formularum illarum hunc titulum inſcriptum habet: *Orationes ad reconciliandos Pœnitentes Feria* V. *in Cœna Domini.* Spectant igitur publice Pœnitentium Reconciliationem, quæ mere cæremonialis eſt, non ſacramentalis.

Obj-

Objicitur testimonium *Guillelmi Parisiensis* cap. XIX. *De Sacramento Pœnitentiæ*, scribentis: *Dubitandum nullatenus est, quin per utrumque Sacerdotem plenam gratiam sanctificationis, & Absolutionis recipit* (ille, qui Confessionem dividit) *nisi per ipsum steterit: neque more forinsecorum Judicum pronuntiat Confessor, Absolvimus te, non condemnamus; sed magis orationem facit super eum, ut Deus Absolutionem, & remissionem, atque gratiam sanctificationis tribuat.*

Respondetur, Sensum *Guillelmi Parisiensis* esse, quod non auctoritate suprema, & absoluta, sed precatoria peccatores absolvant Sacerdotes; proindeque actui judiciali supplicationem præmittant. Secundo, discrimen intercedere inter forenses Judices, & Confessarium, quod illi non absolvant præsumptum reum nisi ab hoc, aut illo crimine, de quo lis ipsi intentata fuit: iste vero Pœnitentes ab omnibus peccatis absolvat. Unde post verba in objectione laudata subdit: *Et nemo dubitat, quin possit, & debeat Confessor orare Patrem misericordiarum, ut etiam remittat peccata, quæ nec ipse Pœnitens in se cognoscit, & eidem Confessori recognoscit. Unde in Absolutione confitentium non consueverunt dicere Sacerdotes, Dimittat tibi Deus peccata, quæ confessus es mihi, sed potius omnia.* Certe *Alexander Alensis* coævus, aut supra *Guillelmo Parisiensi*, meminit Absolutionis indicativæ tamquam usui Ecclesiæ perpetuo consecratæ. IV. p. Summæ, qu. XXI. M. c. I. *Sacerdos* (inquit) *per potestatem Clavis Mediator est Dei ad hominem, & hominis ad Deum. Unde per ipsum peccator ascendit ad Deum: & sic est Sacerdos os peccatoris, sive loquens de peccatore: & per ipsum descendit Deus ad hominem; & sic est Sacerdos os Dei, eo quod separat pretiosum a vili. Secundum quod ascendit, habet se per modum inferioris, & supplicantis: secundum quod descendit, per modum Superioris, & judicantis. Secundum primum modum potest gratiam impetrare, & ad hoc est idoneus. Secundum alterum modum, potest Ecclesiæ reconciliare; & ideo in signum ejus præmittitur in forma Absolutionis oratio per modum deprecativum, & subjungitur Absolutio per modum indicativum.*

Objicitur testimonium *Francisci Mayronis* in IV. Sententiarum, dist. XIV. qu. I. scribentibus, Quosdam suo tempore in administrando Pœnitentiæ Sacramento adhuc ea formula usos, *Absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Sp. Sanctus.* Et in responsione ad III. ait: *Sic fiebat in Provincia Provinciæ, sed improbata fuit ista forma.*

Respond. Provinciæ Sacerdotes a legitima Absolutionis forma aberrasse: unde merito improbata est ab Episcopis, & Doctoribus deprecatoria formula, quam usurpabant. Porro si ad duodecimum usque sæculum usurpata fuisset in Ecclesia forma deprecatoria, non improbassent Episcopi, & Doctores illius usum tot sæculis præscriptum, & consecratum. Nusquam enim nisi in novitates, corruptelas, abusus, & errores, Episcopos, & Doctores Catholicos insurrexisse videris.

ARTICULUS II.

Quis sit horum verborum sensus:

Ego te Absolvo?

PROPOSITIO UNICA.

Absolutio non est mera declaratio remissionis peccatorum.

Sensus horum verborum, Ego te Absolvo, *non est, Declaro tibi remissa esse peccata, sed, Tibi peccata remitto.*

CHristus enim se illam potestatem Discipulis tradere significavit, quam ipse a Patre acceperat: Joan XX. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite*

cipite Sp. Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Chriſtus autem Dominus non ſolum declarat remiſſa eſſe peccata, ſed ea vere remittit: igitur & Sacerdotes accepta ab ipſo poteſtate peccata dimittunt, non ſolum remiſſa eſſe declarant. Unde *S. Leo*, Sermone de Transfiguratione ait: *Nec in ſolvendis, aut ligandis, quorumcumque cauſis aliud ratum eſſet in cœlis, quam quod Petri ſediſſet arbitrio*. Et *S. Bernardus* Serm. I. De Sanctis Petro, & Paulo ait: *Præcedit ſententiam cœli ſententia Petri*.

Secundo, id docet, ac definit Sacra Synodus Tridentina ſeſſ. XIV. cap. VI. & can. IX. cujus hæc ſunt verba: *Si quis dixerit, Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti ∴ Anathema ſit*.

Tertio, idem docet *S. Thomas* III. p. q. LXXX. art. III. ad V. *Iſta* (inquit) *expoſitio*, Ego te abſolvo, „ ideſt, abſolutum oſtendo quantum ad aliquid „ quidem vera eſt, non tamen perfecta: Sacramenta enim novæ Legis non „ ſolum ſignificant, ſed etiam faciunt, quod ſignificant. Unde ſicut Sacerdos „ baptizando aliquem, oſtendit hominem interius ablutum per verba, & facta, „ & non ſolum ſignificative, ſed etiam effective; ita etiam cum dicit, *Ego te* „ *abſolvo*, oſtendit hominem abſolutum, non ſolum ſignificative, ſed etiam „ effective. Nec tamen loquitur quaſi de re incerta; quia ſicut alia Sacramen„ ta Novæ Legis habent de ſe certum effectum ex virtute Paſſionis Chriſti (licet „ poſſit impediri ex parte recipientis) ita etiam & in hoc Sacramento. Unde S. Auguſtinus, dicit *Lib.* II. De Adulterinis Conjugiis, *cap.* IX. *Non eſt turpis, nec difficilis poſt patrata, & purgata adulteria reconciliatio conjugii, ubi per Claves Regni cælorum non dubitatur fieri remiſſio peccatorum*. „ Unde nec Sacerdos „ indiget ſpeciali revelatione ſibi facta, ſed ſufficit generalis revelatio fidei, per „ quam remittuntur peccata. Eſſet autem perfectior expoſitio, *Ego te abſolvo*, ideſt, *Sacramentum Abſolutionis tibi impendo*. Abſolutio non eſt mera declaratio remiſſionis peccatorum.

Quarto, idem confirmat Conc. Trid. Catechiſmus p. II. §. XXI. * ex Sacerdotum Novæ Legis excellentia ſupra Sacerdotes Veteris Legis. *Neque enim* (inquit) *ut in Veteri Lege Sacerdotes teſtimonio ſuo aliquem a lepra liberatum eſſe dumtaxat renuntiabant: ita nunc in Eccleſia ea tantum poteſtas Sacerdotibus facta eſt, ut aliquem a peccatis abſolutum eſſe declarent: ſed vere tamquam Dei Miniſtri abſolvunt: id quod Deus ipſe gratiæ, & juſtitiæ auctor, ac parens efficit*. Hinc. *S. Jo: Chryſoſtomus*, Lib. III. *De Sacerdotio* ait: *Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus ſolis licebat: at vero noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare, prorſus conceſſum eſt*.

* De Pœnit. Sacram.

Sacerdotes tamen auctoritatem non habent abſolvendi pro arbitrio, quos voluerint, ſed neceſſe eſt, ut expendant eorum merita, vitam, & diſpoſitionem, & quos diſpoſitos repererint, abſolvant, quos indiſpoſitos, non abſolvant: ſicut Sacerdotes veteris Teſtamenti poteſtatem non habebant pro ſuo arbitrio judicandi quoslibet mundos eſſe a lepra. Hoc ſenſu S. Hieronymus in c. 16. S. Matthæi, explicans illa verba, *Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ſolveris ſuper terram, &c.* ait: *Iſtum locum Epiſcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur: cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis, ubi jubentur, ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant: non quo Sacerdotes leproſos faciant, & immundos: ſed quo habeant notitiam leproſi, & non leproſi, & poſſint diſcernere, qui mundus quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit: ſic & hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus, & Presbyter: non eos, qui inſontes ſunt, vel* Lev. 14.

no-

noxii (ideſt, non alligat inſontes, vel noxios impœnitentes abſolvit) *ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus.*

Hæc autem verba, *Ego te abſolvo* Catholico, quem expoſuimus, ſenſu intellecta, *Non minus vere de illo etiam homine Sacerdos pronunciat, qui prius ardentiſſimæ Contritionis vi, accedente tamen Confeſſionis voto, peccatorum veniam a Deo conſecutus ſit*; ut docet Conc. Trid. Catechiſmus. Contritio enim perfecta peccata non delet, ac remittit, niſi in ordine ad Eccleſiæ claves, & Sacramentum, quod his verbis, *Ego te abſolvo*, perficitur, & exhibetur; quę quidem verba tam ex Chriſti inſtitutione, quam ex Eccleſiæ, & Miniſtri intentione ſignificant effectum, quem Sacramentum per ſe operatur, ſi aliunde nihil obſtet. Quamobrem a S. Pio V. merito damnati ſunt illi Michaelis Baji art. 54. *Abſolutione Sacerdotis proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotis ſolum liberat a reatu.* Et 55. *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis; ſed a ſolo Deo, qui Pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans, vivificat eum & reſuſcitat: miniſterio autem Sacerdotis ſolus reatus tollitur.*

Damnati Baii Articuli.

A R T I C U L U S III.

R E G U L Æ P R A X I M S P E C T A N T E S

Circa Abſolutionem.

R E G U L A I.

Obviis quibuſque concedenda non eſt Abſolutio; ſed iis omnibus neganda, quorum nulla vel ficta converſio: iis differenda, quorum dubia, & incerta Pœnitentia eſt.

Quibus concedenda, vel neganda Abſolutio.

LEges enim quas Chriſtus Miniſtris ſuis præſcripſit, exigunt, ut peccata illis dumtaxat relaxent, qui ea oderunt; qui lavant ſe, ac mundant Pœnitentiæ Baptiſmo; qui malum cogitationum ſuarum auferunt non ſolum ab oculis hominum, ſed etiam ab oculis Domini; qui peccatum, ejuſque occaſiones fugiunt, & bene operari diſcunt; qui de omnibus peccatis Pœnitentiam agunt, & promptum ad omnia præcepta cuſtodienda gerunt animum; qui corde novo per juſtitiæ amorem ſibi facto, projiciunt a ſe omnes prævaricationes ſuas, ſincereque ad Deum convertuntur, a quo fuerant averſi. Iſa 1. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere: quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam ∴ Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Et Ezech. XVIII. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia pæcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor; in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet ∴ Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris; & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes veſtras in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum; & quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini, & vivite.* Si his legibus Deus veniam delictorum pollicetur, non eſt in hominis poteſtate aliis legibus eam impertiri. Non eſt ſervus major Domino ſuo; nec amplior eſt poteſtas diſpenſatoris, quam voluntas Principis.

In Evangelio datur hominibus poteſtas remittendi peccata, ſed iis, qui Pœniten-

nitentiam egerint, dicente Christo Matth. IV. *Pœnitentiam agite: Appropinquavit enim Regnum cœlorum.* Et Lucæ XIII. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Sub hac Pęnitentiæ conditione *S. Petrus* adultis promittit per Baptismum peccatorum remissionem, Act. II. *Pœnitentiam* (inquit) *agite, & Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.* Iis igitur, quos vere non pœnitet, peccata non remittuntur. Hinc *S. Augustinus*, in Psal. XXXII. ait: *Deus conversis ad se peccata donat, non conversis non donat.* Et *S. Fulgentius*, Epistola ad Venantium: *Ipsa* (inquit) *justitia Dei talis est, ut aversos damnet, conversos salvet.* Ratio hujus ordinis est, quod *Deus sic dat peccatis veniam, ut justitiam in ipsa miseratione, rationemque custodiat*; (ut loquitur *S. Petrus Chrysologus* Serm. XXX.) Justitiam autem violaret, si eis, qui peccandi voluntatem non exuunt, peccatorum veniam indulgeret. Si Deus nonnisi conversis, & sincere Pœnitentibus peccata remittit, non debent, nec possunt ejus Ministri ea non conversis remittere; si Deus conversos dumtaxat solvit, non possunt, nec debent eos absolvere, quorum ficta, aut dubia conversio est. *Quam ineptum* (inquit *Tertullianus*, Lib. *De Pœnitentia*, cap. VI.) „ quam iniquum Pęnitentiam non adimplere, & veniam „ delictorum sustinere; hoc est, pretium non exhibere, ad mercedem manum „ emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac „ Pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo, „ qui venditant, prius nummum, quo paciscuntur, examinant, ne scalptus, „ neve rasus, ne adulter: etiam Dominum credimus Pęnitentiæ probationem „ prius inire, tantam nobis mercedem, perennis scilicet vitæ concessurum. „ Sed differamus tantis per Pœnitentiæ veritatem. Tunc opinor emendatos liquebit, cum absolvimur. Nullo pacto. Sed cum pendente venia, pęna prospicitur: cum adhuc liberari non meretur, * ut possimus mereri: cum Deus „ comminatur, non cum ignoscit ∴ Peccator ante veniam deflere se debet, quia „ tempus Pęnitentiæ idem quod periculi, & timoris ∴ Furto quidem aggredi, „ & Præpositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci facile est. Sed Deus „ thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignos. Quid denique ait? Nihil „ occultum, quod non revelabitur. Quascumque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est. Quidam autem sic opinantur, quod Deus necesse habeat præstare etiam indignis, quod spopondit, & liberalitatem ejus faciunt servitutem.

Quibus concedenda, vel neganda Absolutio.

* Ideſt; cum nos indignos venia censemus.

Propositionem nostram confirmant *S. Cyprianus*, in Tractatu *De Lapsis* docens Reis, qui nullos protulerunt Pęnitentiæ fructus, qui nullo temporis spatio delicta sua planxerunt, qui sinceræ, constantisque conversionis signa vitæ novitate, & satisfactoriis operibus non ediderunt, pacem, sive Absolutionem dari non debere; si detur, irritam, & falsam esse, periculosam dantibus, & nihil accipientibus profuturam. *Emersit* (inquit) „ novum genus cladis: & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ „ titulo malum fallax, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, „ contra Domini, ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis „ communicatio: irrita, & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de Satisfactione medicinam. Pęnitentia de pectoribus excussa est, gravissimi, „ extremique delicti memoria sublata est. Opriuntur morientium vulnera; & „ plaga lethalis, altis, & profundis visceribus infixa dissimulato dolore „ contegitur ∴ Ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, „ ante purgatam conscientiam Sacrificio, & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini, & minantis; pacem putant esse, quam „ quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum, nec

Irrita, & falsa pax, quæ non vere Pęnitentibus datur.

„ Ec-

Quibus concedenda, vel neganda Absolutio? „ Ecclesiæ jungitur, qui ab Evangelio separatur. Quid injuriam beneficium „ vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis, qui fle- „ re jugiter, & rogare Dominum suum debent, intercepta Pœnitentiæ la- „ mentatione communicare se simulant? Hoc sunt ejusmodi lapsis, quod „ grando frugibus; quod turbidum sidus arboribus; quod armentis pestilens „ vastitas; quod navigiis sæva tempestas. Solatium æternæ spei adimunt, „ arborem a radice subvertunt; sermone morbido ad lethale contagium „ serpunt: navem scopulis, ne in portum perveniat, illidunt. Non conce- „ dit pacem facilitas ista, sed tollit: nec communicationem tribuit, sed im- „ pedit ad salutem. Persecutio est hæc alia & alia tentatio, per quam subtilis ini- „ micus impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur; ut lamen- „ tatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut com- „ primatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum; nec Dominum gra- „ viter offensum longa, & plena Pœnitentia deprecetur, cum scriptum sit: Apoc. 2. 55. *Memento, unde cecideris, & age Pœnitentiam* „ ∴ Ceterum si quis præpro- „ pera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat „ posse, aut audet Domini præcepta rescindere; non tantum nihil prodest, „ sed & obest lapsis: provocasse est iram, non servasse sententiam: nec mi- „ sericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua „ facultate præsumere.

Ep. 31. inter Ep. S. Cypr. Tertio, Clerus Romanus ad *S. Cyprianum* scribens docet conversionem cordis, sine qua Sacerdotes remittere peccata non possunt, sincerumque Pœnitentiæ affectum, non cito adolescere ut plurimum in iis, qui post Baptismum Deum graviter offenderunt, adeoque mora absolvendi magis animarum saluti consuli. Quamobrem sugillat imperitos, & imprudentes Sacerdos, qui pro salutaribus dilationum remediis, exitiosa properatæ Communionis venena lapsis porrigere audent; idque Romanam Ecclesiam minime probare ait Reorum in dilatione Absolutionis patientiam, veræ Pœnitentiæ argumentum esse. *Absit* (inquit) *ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere; ut cum adhuc non tantum jacent, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non profutura præstentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & Pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse Medicus intercepta Pœnitentia indulget periculis? Si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed si dicere verum volumus, occidere.*

Exitiosa properatæ Communionis venena pro salutaribus dilationum remediis porrigunt imperiti, & imprudentes conscientiarum moderatores.

Et paulo post: „ Oremus, ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magni- „ tudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam, neque præproperam „ desiderare medicinam: oremus, ut effectus indulgentiæ lapsorum subsequatur „ & Pœnitentiam, ut intellecto suo crimine velint nobis interim præstare „ patientiam, nec adhuc fluctuantem turbent Ecclesiæ statum; ne interio- „ rem nobis persecutionem ipsi incendisse videantur, & accedat ad criminum „ cumulum, quod etiam inquieti fuerunt. Maxime enim illis congruit vere- „ cundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Pulsent sane fo- „ res, sed non utique confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non uti- „ que transiliant. Castrorum cælestium excubent portis, sed armati modestia, „ qua intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed „ qua non bellicum clangant ∴ Multum illis proficiet petitio modesta, postu- „ latio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant legatos „ pro suis doloribus lachrymas; advocatione fungantur ex intimo pectore pro- „ lati

Quibus concedenda, vel neganda Absolutio.

„ lati gemitus, dolorem probantes commiſſi criminis, & pudorem. Imo ſi „ dedecoris admiſſi magnitudinem perhorreſcunt, ſi pectoris, & conſcientiæ „ ſuæ lethalem plagam, & ſinuoſi vulneris altos receſſus vere medica manu „ tractant, erubeſcant & petere, niſi quia majoris rurſum & periculi, & pudo- „ ris, auxilium pacis non petiiſſe.

Quarto, *S. Jo: Chriſoſtomus*, Hom. XIV. in ſecundam Epiſtolam ad Corinthios, illos Sacerdotes erga lapſos prę ceteris miſericordes eſſe docet, qui ipſos ſalutaribus Pœnitentiæ vinculis diu ligant, nec ſolvunt, antequam emendati fuerint, & Pęnitentiæ operibus Dominum ſibi propitium reddiderint, *Quod ſi quiſpiam* (inquit) „ Chriſtianis hominibus convenire dixerit, humanitatem „ erga peccantem fratrem adhibere, diſcat ille, humanitate eum uti, qui iraſci- „ tur, non eum, a quo præmature, qui peccat, vocatur, nec peccati ſui ſenſu „ affici ſinitur. Uter enim, quæſo, febre, ac phreneſi laborantem miſericor- „ dia proſequitur, iſne, qui in lecto eum ſternit, ac vinculis adſtringit, atque „ a noxiis cibis, & potionibus arcet, an qui ei mero ſe ingurgitandi facultatem „ præbet, ac ſui juris, & arbitrii eum eſſe jubet, omniaque facere, quæ ab ho- „ mine ſano, atque incolumi valetudine fieri debent? An non morbum quoque „ hic exulcerat, qui humanitatis officio fungi ſibi videtur, cum contra ille mor- „ bum pellat, ac profliget? eodem modo hic quoque judicamus. Humanitatis „ enim eſt, ægrotis non ubique indulgere, ac præpoſteris ipſorum cupiditati- „ bus adblandiri. Nemo eum, qui apud Corinthios ſtupri crimine ſe obſtrinſe- „ rat, tam amabat, quam Paulus, qui eum Satanæ tradi jubebat. Nemo rur- „ ſus tam eum oderat, quam ii, qui peccanti applaudebant & obſequebantur. „ Atque hoc exitus rei comprobavit. Illi enim ipſius etiam animum inflarunt, „ ac tumorem majorem effecerunt: hic autem tumorem compreſſit, nec ante „ abſtitit, quam eum integrę valetudini reddidiſſet. Atque illi quidem malum, „ quod jam erat, auxerunt: hic vero id quoque, quod primum contractum fue- „ rat, evulſit. Quocirca nos etiam has humanitatis, clementiæque leges addiſ- „ camus. Nam & tu, ſi equum videris, qui in præcipitia feratur, frænum inji- „ cis, acriterque inhibes, ac ſæpe flagellas. Atqui cruciatus hoc eſt: verum hu- „ juſmodi cruciatus ſalutem ei affert. Eamdem igitur erga eos, qui peccant ratio- „ nem tene. Vinculis eum, qui facinus improbum admiſit, coerce, uſque dum „ ipſe Deum ſibi propitium, ac placidum reddiderit. Solutum, ac liberum eum „ ne linquas, ne arctioribus divinæ iræ vinculis conſtringatur. Si vincula ipſe in- „ jecero, Deus non jam vinciet: ſin autem in vinculis eum non tenuero, ejuſ- „ modi eum vincula manent, quæ frangi nullo modo queant. *Si enim nos ipſos judicaremus, non utique judicaremur. Proinde non eſt, quod hanc rem crudelitatis, ac ſævitiæ eſſe arbitreris, ſed ſummæ clementiæ, ac benignitatis, præſtantiſſimæque medendi rationis, nec vulgaris erga peccatoris ſalutem curę. Verum ſatis diu pœnas expenderunt,* (*inquis*) *Quamdiu quæſo? Annum unum, & alterum, ac tres. Atqui temporis moram non quero, ſed animæ correctionem. Hoc itaque fac demonſtres, ſint ne compuncti, ſint ne in melius immutati: & res tota confecta erit. Quod niſi ita ſit, nihil profecto temporis diuturnitas emolumenti attulerit. Neque enim ſæpiuſne obligatum vulnus fuerit, quærimus ſed an obligatio illa quicquam profuerit. Ac ſiquidem etiam ad exiguum tempus adhibita, profuit, non jam amplius adhibeatur: ſi autem nondum eam adhibuiſſe juvit, etiam poſt decem annos adhibeatur. Denique hic tibi ejus, qui vinctus eſt, ſolvendi præſcriptus terminus eſto, nempe ipſius utilitas.*

Sacerdotes illi erga lapſos præ cæteris ſunt miſericordes, qui ipſos ſalutaribus Pęnitentiæ vinculis diu ligant.

1. Cor. 11.

Quibus concedenda, vel neganda Abſolutio.

Quinto, *S. Ambroſius*, graviorum criminum reos, qui cito abſolvuntur, plerumque non ſolvi aſſerit, imo potius Sacerdotem ipſos abſque probatione Pęnitentiæ abſolventem ligari: non feſtinatione, ſed mora vulnera curari: iſtis Abſolutionibus lapſos non meliores, ſed deteriores reddit. Sic ille Lib. II. *De Pęnitentia*, cap. IX. *Nonnulli* (inquit) *ideo poſcunt Pęnitentiam, ut ſtatim ſibi*

Sacerdos graviorum criminum reos, abſque Pœnitentiæ probatione

citius abſolvens, illos non ſolvit, ſeipſum vero ligat.

Math. 7.

reddi Communionem velint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt quam Sacerdotem ligare: ſuam enim conſcientiam non exuunt, & Sacerdotis induunt: cui præceptum eſt; Nolite Sanctum dare canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos: *Hoc eſt, Immundis impuritatibus Sacræ Communionis non impendenda conſortia.*

Peccatorum vulnera ſecundum divinæ medicinæ Leges curanda ſunt.

Et Sermone IV. in Pſ. CXVIII. hunc Verſum, „ Viam iniquitatis amove a „ me, & de lege tua miſerere mei, *exponens ait*: Merito quia vulnus grande, „ ac vetus eſt, & diu ſerpens, perfectioris medicinæ remedia depoſcit, obſe- „ crans, ut Domini legitima miſeratione curetur. Cito enim refricatur vul- „ nus, quod ſanatum medicinæ lege non fuerit; imo etiam ſeriorem curatio „ ſentit profectum. Ideoque ſi virus in interiora proſerpit, medicamenta fo- „ ris appoſita non ſentit. Exigit ergo medicinæ ratio, ut aut ſectione, aut „ aduſtione curetur. Niſi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis de- „ coquatur, fruſtra medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus „ Medicus hujuſmodi ægrum legitime dicit eſſe curandum; ut poſſit medici- „ na proficere. Lege ergo miſeretur, qui cum juſtitia, ſapientiaque miſere- „ tur; ut ea dimittat, quæ ſcit jure poſſe dimitti; ne cum alterius miſeretur, ſei- „ pſum legi faciat obnoxium.∴ Conſideremus etiam, ne & ipſum deteriorem „ faciamus, cujus miſeremur injuſte. Plerumque enim non coercere delinquen- „ tes majoris auſteritatis eſt, quam ſi ulciſcaris. Traduntur enim in paſſiones igno- „ miniæ, quicumque inhoneſtum aliquid commiſerunt, nullumque culpæ pre- „ tium ferunt.

Et Serm. VIII. *Facilitas veniæ* (inquit) „ incentirum tribuit delinquendi. „ Hoc eo dictum eſt, ut ſciamus ſecundum verbum Dei, ſecundum ratio- „ nem, diſpenſandam eſſe miſericordiam debitoribus. Medicus ipſe ſi ſerpen- „ tis interius inveniat vulneris cicatricem, cum debeat reſecare ulceris vi- „ tium, ne latius ſerpat; tamen a ſecandi, urendique propoſito lacrymis „ inflexus ægroti, medicamentis tegat, quod ferro aperiendum fuit: nonne „ iſta inutilis miſericordia eſt, ſi propter brevem inciſionis, vel exuſtionis do- „ lorem corpus omne tabeſcat, vitæ uſus intereat? Recte igitur & Sacerdos vul- „ nus grave, ne latius ſerpat, a toto corpore Eccleſiæ, quaſi bonus Medicus de- „ bet abſcindere, & prodere virus criminis, quod latebat, non fovere; ne dum „ unum excludendum non putat, plures faciat dignos quos excludat ab Eccleſia.

Cęci ſunt, qui obvios quoſque eo ſolum nomine, quod peccata confiteantur, abſolvunt.

Quibus concedenda, vel neganda Abſolutio?

Sexto, *S. Hieronymus* Sacerdotes illos cæcutire aſſerit, qui obvios quoſque abſolvunt. Explicant ſcilicet illa verba: *Et tibi dabo Claves Regni Cœlorum* (Math. XVI.) *Iſtum locum* (inquit) *Epiſcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur: cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur.* De quibus *Ezech. XIII.* dicitur: *Mortificabant animas, quæ non moriuntur; & vivificabant animas, quæ non vivunt.* Quod *S. Greg.* ſic explicat Hom XXVI. in Evangelia: *Non morientem mortificat, qui juſtum damnat: & non victurum vivificare nititur, qui reum a ſupplicio ſolvere conatur ∴ Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi, ac ſolvendi poteſtas exercendi. Videndum, quæ culpa præceſſit, & quę ſit Pœnitentia ſecuta poſt culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt Abſolutio Præſidentis, cum æterni ſequitur arbitrium Judicis.*

Peccatores abſolvi non poſſunt, niſi facti ſint nova in Chriſto creatura, idque Sacerdos compertum habeat ex Pœnitentiæ fructibus.

Septimo, *S. Eligius*, Hom. IV. docet, Pœnitentes reconciliari cum Deo non poſſe a Sacerdotibus, quibus Chriſtus miniſterium reconciliationis dedit, niſi ſint facti nova in Chriſto creatura, idque ipſos cognoſcere ex Pęnitentia, ſive Satisfactione prævia, ac morum immutatione. *Qui ex vobis talibus*, (nempe infidelitate, injuſtitia, inobedientia, concupiſcentia mala, avaritia, rapina, adulterio, homicidio, furto, falſo teſtimonio, & quæ Apoſtolus

ad

ad Galatas scribens enumerat) *& in his similibus involuti sceleribus fuerint, & per Confessionem, ac Pœnitentiam nequaquam condignam Satisfactionem egerint, sed adhuc in vetustate perdurant, non se a nobis reconciliari posse existiment, nisi prius veterem hominem cum suis actibus exspolient, & novum induant, & ipsi in eodem novo homine (idest, in Christo Jesu) nova creatura (idest, novi homines) per Pœnitentiam fiant, sicut dudum per Baptismum facti fuerant, ut hoc Apostoli dictum merito illis conveniat:* Vetera *transierunt, facta sunt omnia nova. Si igitur condignam Deo Pœnitentiam obtulistis de præteritis, & si adhuc eadem admittere non vultis, sed cum Dei gratia, & adjutorio in omni bonitate, justitia, & veritate perseverare desideratis; tunc scire potestis, quia noxia vetustate exuti, nova creatura facti estis, & vere cum Deo reconciliamini per Christum, & per Nos, quibus dedit Ministerium reconciliationis.*

Octavo, *Richardus a S. Victore*, in Tractatu *De ligandi, & solvendi Potestate*, cap. VI. eamdem veritatem confirmat. *Multi* (inquit) *confitentium Absolutionem quærunt, qui tamen crimina sua ex toto corde deserere nolunt. Ejusmodi omnes, eo quod vere non pœnitent, proculdubio absolvi non debent. Hoc est enim vere pœnitere, de præterita prævaricatione dolere cum firmo proposito confitendi, satisfaciendi, & cum omni cautela impoſterum cavendi. In hunc modum Pœnitentes merito debent absolvi; alioqui sine Absolutione remitti.*

Denique Propositionem nostram confirmat Catechismus Conc. Tridentini & Rituale Romanum, *S. Carolus Borromeus*, in Instructionibus, *S. Franciscus Salesius*, qui Regulas a *S. Carolo* de neganda, vel differenda Absolutione præscriptas laudavit, ac sequendas esse docuit, Synodalium Constitutionum tit. IX. cap. V. n. 3. & Ecclesia Gallicana in Generalibus Cleri Comitiis congregata Parisiis, annis 1655. 1656. 1657. Instructiones *S. Caroli* omnibus Regni Christianissimi Sacerdotibus Gallico idiomate donatas tradens, ut juxta illas Pœnitentiæ Sacramentum administrent.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas de Villa Nova*, Sermone, quem habuit Feria VI. post Dominicam 4. Quadragesimæ, qua ignavos, & laxiores Confessarios sic perstringit. „ O Medice, cur fetentem solvis? Cur indigno „ veniam promittis? Cur, cui absolutionis beneficium exhibeas, non discernis? Duas tibi claves Dominus dedit, unam discernendi, alteram judicandi; absolvendi scilicet, & ligandi, & tu sine discretionis examine neminem ligas, omnes absolvis: una tantum clave, neque integra quidem „ uteris, sed dimidiata. *Heu! heu ventrem meum doleo! ventrem meum doleo!* „ In domo Dei horrendum vidi, Pastores Domini sui oves jugulantes, „ Medicos populi sui ægrotos occidentes, Judices turpibus blandientes, censores flagitia palpantes, cæcos gregem Domini dirigentes. Hi sunt Prophetæ mendaces, in quos Dominus per Prophetam invehitur, dicens: Eo „ quod deceperint populum meum, dicentes, Pax, pax; & non est pax, & „ ipse ædificabat parietem, ipsi autem liniebant eum luto absque paleis ... „ Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub „ capite universæ ætatis, ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum: & violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, „ quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes „ populo meo credenti mendaciis. *Et per alium Prophetam apertius*. A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student. A Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum: & curabant contritionem filiæ populi mei cum „ ignominia, dicentes, Pax, pax; & non erat pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. *O miseri animarum non curatores, sed interfectores; non consul-*

Quibus concedenda, vel neganda Absolutio?

Ezech. 13.

Jerem. 6.

sultores, sed deceptores, quid respondebitis Domino pro grege, quem vestris blanditiis decepistis, vestris consiliis jugulastis? Quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum, & Pastorum blandiens adulatio, deliniens, demulcensque assentatio? Væ miseris! Non ægritudinem, sed contritionem, ac confusionem peccatorum curant, quam augere debuissent, promittentes pacem, quibus non est pax: & veniam, quibus æterna damnatio parata est. Parvum est (inquiunt) nimirum humanum est peccare. Quis est homo, qui non peccat? Facilis est venia, ne tristeris, ne doleas: confessus es, absolutus es, sufficit tibi ad salutem. Vive lætus, Domini Sacramenta suscepisti, sine dubio salvaberis. Sic animas mortuas, & securas a suis pedibus mittunt, tanto miseriores, quanto securiores; vulnera liniunt, vermem conscientiæ extingunt, stimulum peccati auferunt, & securos peccatores ad inferna demittunt: qui si timorem populo incuterent, forsitan illum a vitiis revocassent. Cui comparabimus adulatores istos aut cui assimilabimus eos? Similes sunt profecto hominibus, qui a ripa pereuntibus in flumine manum porrigunt, & violentia fluminis ipsi cum aliis demerguntur. Unde aptissime sequitur in Propheta: „ Quamobrem cadent inter ruentes in tempore visitationis suæ. *Corruent, dicit Dominus: pondere namque peccatorum assentatores suos post se peccatores in præcipitia rapiunt; & secum eos ad inferna deducunt. Hæc contra quosdam Confessarios nostri temporis pie impios, & impie pios dicta sint, qui ne pœnitentem aliquantisper contristent, illum in sua nequitia permanere permittunt.*

Objicitur, Ad Absolutionem sacramentalem ex Institutione Christi nihil aliud requiri, nisi Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, sive satisfactionis propositum: ac proinde nemini, qui vere contritus, integreque confessus sit, ac implendæ Satisfactionis propositum habeat, Absolutionem esse negandam, aut differendam.

Objectiones contra saluberrimam Ecclesiæ Disciplinam deneganda, vel differenda Absolutione peccatoribus, quorum nulla, vel dubia Pœnitentia, est, diluuntur.

Resp. Nihil quidem aliud requiri; sed necesse esse, ut innotescat Sacerdoti, qui vice Christi Judex est, an Pœnitens sit vere contritus, an ejus conversio sincera sit: quod ex sola Confessione minime perspectum, & exploratum est. *In fructu*, namque, *non in foliis, aut ramis Pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor bona, voluntas bona: Confessionis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia?* (inquit *S. Gregorius*, sive alius Auctor Expositionis in Lib. I. *Regum* inter ejus Opera editæ, Lib. VI.) Deinde cor contritum, & humiliatum, cor novum, & a regnantibus peccatorum libidinibus omnino mundum, ac liberum raro in ictu oculi, plerumque sensim efformatur & creatur; veraque Pœnitentiæ virtus, sine qua nemo per januam reconciliationis ad Sacramentorum Communionem admittendus est, sensim adolescit, & perficitur, præsertim in illis, quibus longa peccandi consuetudo veluti altera natura facta est. Primo enim oportet, ut ferventibus precibus a Deo postuletur. Nam gratia, qua ab illecebrosis peccatorum vinculis expedimur, *Nonnisi magnis precibus in nos implorata descendit*, (ut loquitur *Innoc. I.*) His, ut cor contritum impetremus, adjungenda jejunia, secessus a noxiis consortiis, lectio, & meditatio rerum sacrarum, erogandæ pauperibus eleemosynæ, ut cor ipsi pro nobis intercedant. Nam *Exomologesis humilificandi, & prosternendi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem*; (inquit *Tertullianus*, Lib. *De Pœnitentia*) Christus quidem peccatores absolvit, statim atque in illorum animis vera est efformata Pœnitentia, & quandoque subito efformatur, ut in Latrone, in Peccatrice, in Publicano, quorum tamen conversio dignis Pęnitentiæ fructibus se prodidit: sed Sacerdos absolvere peccatorem non debet, nisi conversionem ejus sinceram esse certis moraliter indiciis cognoscat, quia corda non novit ut Deus. Hinc *Ivo* Carnotensis Episcopus Epist. CCXXVIII. scribit: *Cum criminalis culpa delinquentem separet a Capite, & a Corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tanto remittat celerius, quanto solus magis*

gis

gis videt interius. Judex vero, qui tantum videt in facie, usque adeo delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum Pęnitentiæ fructum quis sit Pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno Judici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna conversio. Ecclesia vero quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licet suscitatum, nisi de monumento elatum, idest, publica Satisfactione purgatum. Hinc est, quod Ecclesia sua crimina confitentes a Sacramentorum Communione suspendit, & in cinere, & in cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, si jam sunt intus vivificati, cum fuerint longa Pœnitentiæ maceratione probati.

At (inquit) Pœnitenti tam pro se, quam contra se credendum est. Cum ergo Pœnitens se intimo animi dolore affici asserit, quod Deum offenderit summe bonum; cum emendationem pollicetur, cum ad Satisfactionem se paratum ostendit? sine mora absolvendus est, quantumvis in gravia peccata lapsus sit, & relapsus, diuque in iis hæserit.

Quando Pœnitenti in Pœnitentiæ Tribunali adhibenda fides?

Respondetur, Pœnitenti quidem peccata sua confitenti, eorumque speciem, numerum, circumstantias explicanti, credendum esse, sicut Medicus credit ægro morbi, & vulnerum causas aperienti, ac exponenti ubi maxime dolet: sed quod attinet ad sinceritatem conversionis, cum frequentes in eadem peccata prolapsiones, cum vicissitudines perpetuæ criminum, & Confessionum; cum inania falsaque promissa multoties repetita locum relinquunt de illa dubitandi, imprudenter Pœnitenti crederetur: prudenter vero ex fructibus Pœnitentiæ, bonæ voluntatis, sinceræque conversionis probatio exigitur. Minus enim fallunt opera, quam verba. Imprudentem certe Medicum nemo non censeret, qui ægroto crederet ei medendi rationem præscribenti, & non secundum medicinæ regulas morbum ejus curaret, sed secundum ejus voluntatem; parceretque ferro, cum vulneris putredo secanda est, quia forte se sanum esse, aut periculosum non esse vulnus suum, asserit ægrotus. Imprudens esset, qui humorum cruditate nondum digesta, potionem præberet infirmo, quam ipsi nocituram certo scit, aut dubitat, an sit nocitura, quamvis asserat ægrotus fore sibi saluberrimum. Ita imprudentissimus foret Sacerdos, qui animarum vulnera, ac morbos spiritualiter ægrotantium judicio curaret, Absolutionemque statim illis impenderet, qui in eadem peccata sæpe lapsi, & confessi, quoties emendationem promiserunt, fidem toties fefellerunt: maxime cum tot sint in hominum animis latebræ, tot recessus, tot post iterata flagitia, & illicitas cupiditates diuturna consuetudine firmatas, offusæ tenebræ, cæcitas tanta, ut seipsum peccator sæpe non dignoscat. *Sæpe* (inquit S. Gregorius) *sibi de seipsa mens hominis mentitur, fitque ut aliud in intimis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.*

Quibus concedenda, vel neganda Absolutio?

Deinde, credendum in tribunali Pœnitentiæ reis, sicuti in Judiciis publicis creditur reo, ac testibus, dum ille suum crimen confitetur, isti apud Judicem ea deponunt, quæ facta norunt. Verum sicut in Judiciis publicis non discit Judex, sive a reo, sive a testibus, quibus pœnis, & quanto tempore crimina castiganda sint, sed eam notitiam haurit e legibus: ita in Pœnitentiæ tribunali sacer Judex reo credit, dum declarat, quæ crimina commisit, & quibus in circumstantiis; verum minime ei credere oportet, dum Judicem vult docere, quam grave sit peccatum, quantis pęnis, & quanto tempore sua crimina castiganda, & curanda sint. Nulli enim ad istiusmodi minus comparati sunt, quam illi, qui longa consuetudine peccatis impliciti, vixerunt: siquidem consuetudo peccandi facit, ut ea vel levia, vel nulla putent quamvis in judicio Dei gravissima sint.

Nec etiam peccatori in eadem peccata sæpius relapso facile fides habenda est, (ut jam monuimus) dum suum de peccatis dolorem, & promptam ad satisfaciendum voluntatem, non ex fructibus Pęnitentiæ, sed verbis fallacibus probare studet.

Tract. 3. in Ep. S. Joan. studet. Tum enim oportet, ut dicat sacer Judex cum S. Augustino; *Non audio, quid sonet; sed video, quid vivat. Opera loquuntur, & verba requirimus?* Exigat ergo Sacerdos fructus emendationis, nec credat æquivoco, & fallaci doloris signo, nec promissioni emendationis, cui sponsor infidelis noscitur sæpius defuisse.

Objiciunt, Se de fama periclitaturos, nisi statim Absolutione, & Sacrosancta Eucharistiæ Communione donentur.

Respondetur, Ad percipiendum Absolutionis, & Communionis beneficium, ut par est, dispositos non esse, & idoneos, qui magis timent male suspicantium hominum judicium, quam judicium Dei viventis; magis detrimentum famæ, quam periculum animæ; magis existimationis suæ læsionem, quam Sacramentorum violationem. Huic vero timori medendum est, docendo abstinentiam a Sacra Mensa, non esse semper argumentum animæ ad participationem Corporis Domini male præparatæ. Homines etiam Justos variis de causis, nempe illusione nocturna, somnio impuro, commotione iræ, gravedine mentis, verbo in pauperes duriore, &c. aut suo, aut conscientiæ suæ Moderatorum judicio, a Communione Corporis Domini sæpe abstinere. Absolutionem differri aliquando expedire etiam iis, qui non nisi venialiter in Dominum peccaverunt. Peccatoribus id laudi vertitur apud Deum, tum apud homines Spiritum Dei habentes, Luc. 5. 8. si vel cum Petro dicant: *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine*: vel cum Publicano a longe stare eligant, & non Sacræ Mensæ temere accumbere; si cum Centurione se indignos arbitrentur, in quorum domum Christus ingrediatur; si cum Chananæa filiæ suæ, idest, Animæ sanitatem ferventibus precibus a Christo rogantes, canibus se comparent, nec Mensam Dominicam superbe invadant, sed micas humiliter quærant. Denique Absolutionis negatio vel dilatio negotium est, quod Pœnitentem inter, & Sacerdotem transigitur, nec alteri cuipiam revelatur, sicut nec peccata, quæ confessus est.

Objiciunt, Se forte sine Absolutione morituros, nisi hoc illis beneficium statim post Confessionem conferant Sacerdotes.

Resp. Ipsis non obfuturam Absolutionis dilationem, si ex animo peccata detestentur, & Pœnitentiam agant; nec ipsos perituros, si Pœnitentiam agentes, & totis viribus in emendationem veteris vitæ incumbentes, morte intercipiantur. Unde SS. Patres quotidiana subitæ mortis non ignorantes pericula, Absolutionis tamen gratiam Pœnitentibus differebant; donec fructibus dignis Pœnitentiæ fidem fecissent, se cor novum, & spiritum novum a Domino accepisse. Et Ecclesia Dei misericordiam non defuisse confidebat Pœnitentibus, qui absque Reconciliatione fuerant morte subita intercepti dum Pœnitentiam secundum ejusdem Ecclesiæ leges agebant. Unde Conc. Carthaginense IV. can. LXXIX. de his ita statuit: *Pœnitentes, qui attente leges Pœnitentiæ exequuntur: si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus, & Oblationibus commendetur.* Et Conc. Arelatense II. can. XIII. *De his qui in Pœnitentia positi vita excesserunt, placuit nullum Communione vacuum debere dimitti: sed pro eo, quod honoraverit Pœnitentiam, Oblatio illius recipiatur.* De his S. Cyprianus Epist. XII. *Neque enim deserentur ab ope, & auxilio Domini, qui mites, & humiles, & vere Pœnitentiam agentes, in bonis operibus perseveraverint, quo minus illis quoque divino remedio consulatur.*

RE-

REGULA II.

Absolutio his verbis conferri non debet, Absolvo te ab omnibus Peccatis tuis, Contritis, Confessis, & oblitis.

HÆc enim tria postrema verba aut superflua sunt, aut in formam Sacramenti contra Ecclesiæ universalis usum intrusa. Ac illud quidem, *Contritis*, si de Contritione perfecta intelligatur, perperam ponitur, & contra Ecclesiæ doctrinam, siquidem Contritio imperfecta, quæ Attritio dicitur sufficit ad Absolutionem obtinendam: illa vero, *Confessis*, *& oblitis*, sunt superflua: quia *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur*; ut docet Synodus Tridentina sess. XIV. cap. V. Quamobrem, nec Ecclesia Romana ceterarum Mater, & Magistra, nec aliæ Ecclesiæ hæc verba in forma Absolutionis nunc admittunt: quamvis olim in Ritualia quædam irrepserint, & in Ecclesiis quibusdam usurpata fuerint, etiam in Romana, ut constat ex Libro cui titulus est: *Sacra institutio baptizandi, aliaque Sacramenta, quæ simplex Sacerdos conferre potest, administrandi juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restituta*. Qui Liber Romæ primum anno MDLXXXI. *Gregorio XIII.* in Cathedra S. Petri sedente, deinde Lugduni an. MDLXXXIX. tum Parisiis an. MDXIV. MDCII. & MDCXIV. editus est. Eadem verba leguntur in Sacramentario ad usum Lugdunensis Ecclesiæ edito anno MDXLVIII. in Rituali Senonensis Ecclesiæ, auctoritate *Nicolai Pelvæi* Archiepiscopi edito anno MDLV. Institutione generali de Pœnitentia. In Libro Rituali, cui titulus est, *Catechuminum secundum Ordinem Romanæ Ecclesiæ, necnon morem Bononiensis Ecclesiæ*; edito anno MDLXVI. Item in Rituali Catalaunensis Ecclesiæ, quod auctoritate *Hieronymi* Episcopi editum est anno MDLXIX. in Rituali Aurelianensi, quod in lucem prodiit anno MDLXXXI. & Carnotensi, edito anno MDCXIV. in Instructione generali de Pœnitentia. Verum hæc verba, *Contritis, confessis, & oblitis*, e formula Absolutionis expungenda esse, satis significant Conc. Tridentinum, ejusdemque Conc. Catechismus. Item Synodus Lingonensis anno MCCCCIV. celebrata, Senonensis an. MDXXIV. Aquensis anno MDLXXXV. hanc Absolutionis formulam tradentes. *Ego Absolvo te a peccatis tuis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Denique *S. Carolus Borromæus* in Sacramentali, in Instructione Sacramenti Pœnitentiæ, de absolvendi Ritu hæc habet. Absolutioni formula.

Pœnitentiam Confessarius imponit: remedia peccatorum tradit; mox, si tunc absolvendus est, dicit distinctis verbis, ut a Pœnitente audiatur, capite aperto, „ & manibus junctis, Misereatur tui omnipotens Deus: & dimissis omnibus „ peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. *Pœnitens respondet*: Amen. *De- „ inde signum Crucis dextra formans versus Pœnitentem, dicit*: Indulgenti- „ am, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat „ tibi omnipotens, & misericors Dominus. *Pœnitens respondet*: Amen. *Deinde caput operit: manu dextra supra caput Pœnitentis elevata, & extenta, absolvit hac formula; & dum dicit*, In Nomine Patris, &c. *Crucis signum dextera format versu Pœnitentem*. „ Dominus noster Jesus Christus te absolvat; „ & ego auctoritate ipsius, qua fungor, absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum ego pos- „ sum, & tu indiges. Deinde, Ego te absolvo a peccatis tuis, In Nomine „ Patris, † & Filii, & Spiritus Sancti.

Tum Sacerdos capite operto, & manibus junctis dicit: „ Passio Domini „ nostri Jesu Christi, merita B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quic-

„ quid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, „ augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. *Pœnitens respondet:* Amen „ „ *Et Confessarius dicit.* Vade in pace, & noli amplius peccare.

REGULA III.

Absolutio sub conditione de præsenti est illicita, sub conditione de futuro irrita est.

Absolutionis forma. CHristus enim formam certam, non dubiam, & conditionatam instituit; nec usurpat, aut approbat Ecclesia, nisi dubitet Sacerdos, utrum Absolutionis verba protulerit, qua in hypothesi sub hac verborum formula absolvere potest: *Si non es absolutus, ego te absolvo.* Sicut in simili dubio rite confertur Baptisma sub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Potest etiam, imo & debet apponi conditio, cum de moribundo, qui facta, vel inchoata Confessione, aut postulato Sacerdote absolvitur, vel ex probabili vitæ Christianæ, pieque transactę testimonio judicatur absolvendus, dubitatur, utrum vivat, vel animam emiserit. Sic fabrum quemdam ex fabrica S. Petri Romæ cadentem videns *Clemens VIII.* Pontifex Maximus absolvisse fertur sub hac formula: *Si es capax, absolvo te a peccatis tuis;* ut refert *Homobonus* in examine Ecclesię, p. I. Tract. VII. cap. XVIII. q. LXXXIV. Alias appositio conditionis præsentis illicita est, quamvis irritam Absolutionem non faciat, si revera posita sit conditio; ut si quis dixerit: *Si sinceram habes restituendi voluntatem, aut coram Superiore te sistendi, Ego te absolvo a peccatis tuis.* Unde, *Exterminanda est hujusmodi superstitio ab Ecclesia Dei;* (inquit Cardinalis *Cajetanus.*) Appositio autem conditionis futuræ Absolutionem irritam reddit; v. g. cum dicit Sacerdos: *Si restitueris; cum inimico reconciliatus fueris; si Satisfactionem tibi impositam impleveris, absolvo te.* Non est enim in potestate Sacerdotis, ut Sacramentum nunc conferat, illiusque suspendat effectum ad tempus usque conditionis implendæ. *Sacrilegus ergo est abusus iste Formæ Sacramentalis* (inquit Cajetanus) *Fit enim injuria Sacramento, dum perficitur modo excludente fructum Sacramenti ex indebita intentione Ministrantis.* Et eadem ratione non potest Sacramentalis Absolutio impendi sub spe ratihabitionis.

REGULA IV.

Ab iisdem peccatis pluries absolvi potest Pœnitens in diversis Confessionibus, non in eadem.

DIversa enim materia proxima Pœnitentiæ necessaria est, ut Absolutio iterum conferatur, non autem materia remota diversa: quia eadem peccata utile est, sæpe cum dolore, detestatione, & satisfaciendi proposito, confiteri. Uni ergo Confessioni, una respondet Absolutio: sed cum diversæ sunt Confessiones, iterari Absolutio eorumdem peccatorum potest, siquidem materia proxima est diversa, nempe actus Pœnitentis distincti. Unde cum Pœnitens accepta Absolutione adhuc ad pedes Sacerdotis prostratus, alicujus mortalis peccati meminit, illudque confitetur, Absolutio iterari potest, & debet, quia Confessio distincta censetur: quamvis Pœnitens illius etiam peccati, quod ipsi e memoria exciderat, remissionem sit consecutus, si conscientiam diligenter excusserit.

REGULA V.

Absolutio a Censuris præcedere debet Absolutionem a peccatis.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* sive Supplementi q. XXIV. art. I. ad II. *Cum* (inquit) *excommunicatus non sit particeps Sacramentorum Ecclesiæ, Sacerdos non potest absolvere excommunicatum a culpa, nisi sit prius absolutus ab Excommunicatione.* Absolutionis ordo.

Eamdem Regulam confirmat *S. Carolus*, in Instructione Confessorum: *Si Pœnitens* (inquit) *aliqua Censura innodetur, a qua Sacerdos licentiam habeat eum absolvendi, debet ea Absolutio peccatorum Absolutionem præcedere: & bonum est præmittere semper ad cautelam*: In quantum *possum, & tu indignes.*

REGULA VI.

Neganda, vel differenda est iis Absolutio, qui Christianæ Fidei Rudimenta, Deique, & Ecclesiæ Præcepta ignorant: necnon Patribus-familias, qui liberos suos, & domesticos scientia credendorum, & agendorum ad salutem necessaria imbuere negligunt.

HAnc Regulam tradit *S. Carolus Borromæus*, in Instructionibus Confessorum. *Quicumque* (inquit) *rationis usum attigerit, sub reatu peccati mortalis omnes Symboli Apostolici, cujus in Ecclesia solemnis est usus, Articulos scire tenetur; saltem quoad substantiam. Item Dei, & Ecclesiæ Præcepta, quæ sub peccato mortali observanda sunt, & quæ vulgo doceri solent in Scholis Doctrinæ Christianæ. Si Confessarius Pœnitentem reperiat istorum omnium ignarum, nec ad ea quamprimum discenda dispositum, non debet eum absolvere. Imo si ad ea discenda se paratum exhibuerit, si alias a Confessario suo, vel eodem, vel diverso, aut a suo Parocho sit admonitus, nec debitam diligentiam adhibuerit, ut ea secundum ingenii sui modum, capumque addisceret, differatur illi Absolutio, donec huic obligationi aliqua saltem ex parte fecerit satis. Si vero ea de re nusquam antea monitus fuerit, ipsum absolvat, præmissa semper Instructione, de his rebus necessaria; ut sit inpræsentiarum Absolutionis capax.*

Et in Sacramentali, in Instructionibus Penitentiæ: *Confessarius quisque antequam Confessionem audiat, efficiat, ut Pœnitens ipso audiente recitet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, & Decalogum, ad præscriptum Concilii Provincialis* V. *nisi ejus recitationis certis personis aliquando remittendæ facultatem habeat, ut sexto Provinciali Concilio, & Diœcesano XI. permissum est. Cum iis vero, qui ea capita recitare nesciunt, aut difficile discere possunt, agat ad præscriptum eorumdem Conciliorum. At vero omnino perquirat si rudes quidam homines ad Confessionem accedentes Fidei Articulos ignorent, & si opus esse viderit, doceat; ita ut explicite eos, & intelligenter sciant, non autem quasi recitantes tantum.* Si quis vero, vel præ senectute præ ingenii hebetudine, vel alia causa, se non posse discere Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Dei, & Ecclesiæ Mandata, dixerit, nec vero Scholas Doctrinæ Christianæ adire velit, hujus Confessio absque Episcopi consilio, & facultate non est audienda, ut decernunt Conc. Mediolanense v. Provinciale, & Diœcesanum XI. Quibus neganda, vel differenda Absolutio.

Quod Patres-familias spectat, idem *S. Carolus* in laudatis Instructionibus Confessorum, statuit, ut *Patres, ac Matres familias qui suos filios, filias, servos, & ancillas* (*qua de re particulatim interrogabuntur*) *supradicta Doctrinæ Christianæ capita addiscere non compellunt, vel non invigilant, &* pro-

procurant, ut Dei, Ecclesiæque Præcepta ab eis observentur, aut quod pejus est, eorum observationem impediunt, puta cum famuli, aut famulæ tot laboribus, & curis onerantur, ut pro suis necessitatibus laborare festis diebus compellantur: aut tempus non concedunt, quo illi juxta Ecclesiæ præceptum Missam audire possint: aut nescientes quinam e sua familia legitimo teneantur impedimento, cœnare eos sinunt Tempore Quadragesimali, aliis Jejuniorum diebus, aut ante statam horam prandere: aut eos non admonent, & corrigunt, quando hæc Præcepta transgrediuntur: aut denique quando famuli cum scandalo, & sine emendatione vivunt, nec e domo eos ejiciunt: si in his casibus officio suo non satisfaciant, nec de negligentia hactenus in familiæ suæ administratione commissa emendentur, non absolvantur. Quod si id se præstituros polliceantur, neque his de rebus moniti antea fuerint a Confessario, aut Parocho, poterit eos absolvere: sed si sæpius moniti, nullatenus emendati fuerint, proroget illis Absolutionem, donec sinceræ emendationis argumenta aliquo temporis spatio dederint.

[P]ropositiones damnata. Hanc Regulam confirmavit *Innocent. XI.* Pontifex Maximus, hac inter alias Propositione damnata: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* Hanc etiam Propositionem *in Christi Mediatoris nomen contumeliosam, erroneam, & hæreticam* esse judicavit, & declaravit Conventus generalis Cleri Gallicani anno 1700.

REGULA VII.

Neganda est Absolutio iis, qui nimio vestium ornatu debita contrahunt, quibus solvendis pares esse non possunt, earumve luxu, & immodestia pudicitiam lædunt.

HAnc Regulam ibidem tradit S. Carolus: *Nec eos etiam absolvat* (inquit) „ qui in vestium splendore, aut superfluo corporis ornatu mortaliter peccant. Et quia hodie sæculi pompæ, & vanitates ad summum creverunt, potissimum ex culpa, & negligentia Confessariorum, qui ab hoc peccato Pœnitentes suos inconsideratius absolvunt, & nullum fortassis ea de re scrupulum ipsis movent, aliquos hic casus designare placuit, in quibus mortaliter peccat, cui cordi est nimius ille luxus, ut juxta præscriptas Regulas se gerant in illorum Absolutione.

Quibus neganda, vel differenda Absolutio. „ Quisquis igitur utitur hac pompa, ut alios ad peccatum mortale polliciat, reus ipse fit mortalis peccati; aut si ex illius occasione violat ipse, vel aliis auctor est, & causa cur violent Dei, vel Ecclesiæ præcepta; ut si festo die laboret, vel alios laborare compellat; vel Sacro non intersit; aliosve, ne intersint, impediat. Si quæ uxor maritum, aut quemlibet alium, cui rei familiaris cura commissa sit, ad nimios sumptus cogat, quos sciat, aut probabiliter suspicetur, odia, dissensionesque domesticas parere; maritum, vel alios compellere ad blasphema verba, ad turpes, & illicitos quæstus, vel contractus, ad resecandas eleemosynas, quas alioqui erogare tenetur; ad ea omittenda, quæ ex aliorum piis legatis facienda in se receperat, fraudando ære suo creditores, retinendam, aut differendam operariorum mercedem; ad novum æs alienum contrahendum, cui solvendo statuto tempore par esse non possit (quod nusquam contingit sine gravi proximi detrimento) si impediat, ne filiæ jam nubiles collocentur, quod eas in casus infaustos sæpe inducit: denique si merito timendum est, ne ex pompis hujusmodi alia peccata nascantur: in iis

„ omni-

„ omnibus casibus superflui ornatus, promparumque usus, mortale peccatum est. Et quoniam vix fieri potest, ut is, cujus expensæ proprias facultates excedunt, aut nesciat, aut non possit, vel non debeat scire nimios hos sumptus similibus peccatis locum dare, generatim hoc judicium ferri potest, hujusmodi homines esse in statu peccati mortalis; nisi habito diligenti cum Pœnitente examine Confessario constet de contrario ob particulares quasdam rationes.

„ Reum etiam peccati mortalis facit modus se ornandi, etiamsi non excedat statum, & facultates personæ; nempe si lasciviam inspiret, vel ex se, vel secundum communem hominum opinionem: vel si videat, dubitetve probabiliter ex occasione illius (quod inter honestos conditionis suæ viros, ac mulieres nondum sit usitatus) non defuturos, qui amorem impudicum concipiant, aut in animo suo nutriant; & tamen parvifaciat salutem proximi, quem ex hoc ornatu ruiturum videt, eumque non abjicit: aut si vestis instituta sit ad obscœnos affectus, aut motus amoris inhonesti exprimendos, aut ad illorum etiam indicia præbenda, seu variis coloribus, aut quolibet alio modo.

R E G U L A VIII.

Neganda illis est Absolutio, qui occultas, vel apertas cum proximo inimicitias exercent, & odium deponere nolunt; neque cum inimicis reconciliari.

Hanc Regulam tradit *S. Carolus* in Instructionibus Sacramenti Pœnitentiæ: eaque Salvatoris nostri sententia est, Matth. VI. *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Hinc eos, qui litibus implacabilibus ad invicem diffident, statim reconciliari: *Quod si retinuerint pacem suscipere, ab Ecclesia ejici*, Canones jubent, *usquequo ad charitatem redeant.* Quod Conc. Nannetensis can. II. sancitum est. Idemque decretum est Conc. Carthaginensi IV. can. XCIII. Arelatensis II. can. L. Agathensis can. XXXIII. Ilerdensis can. VII. Toletani XI. can. IV. & Troslejani can. XII. quos alibi descripsimus.

R E G U L A IX.

Qui restitutioni, aut satisfactioni sunt obnoxii, quia proximum, vel in fama, vel in rebus læserunt, non sunt absolvendi nisi debita restitutio, aut satisfactio prius intercedat.

Ita *S. Carolus* in Instructionibus Confessorum, eos solos excipiens, a Restitutione Absolutioni præmittenda, quos gravis, & periculosa infirmitas, aut impotentia excusat, ne statim hac obligatione perfungantur. Notum illud *S. Augustini*, Epistola ad *Macedonium* CLIII. olim LIV. *Pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur Pœnitentia sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed ut dixi cum restitui potest.* Quod in corpus Juris, can. *Si res aliena*, causa XIV. quæst. VI. transcriptum est, & ab *Alexand. III.* laudatur cap. *Cum tu*, Extra, *De Usuris*, & relatum est inter Regulas Juris in Sexto, his verbis: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Sola autem restitutionis promissione facta Pœnitentem absolvi non debere, maxime si alias restitutionem, aut satisfactionem promisit, & fidem

Quibus neganda, vel differenda Absolutio.

dem fefellit, ſed Abſolutionem illius eſſe differendam donec revera ſatisfecerit, ac reſtituerit, Concilia docent.

Ita Synodus Mediolanenſis I. ſub S. Carolo Borromæo: *Caveant Confeſſores, ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, quibus cum facultas adſit aliena reſtituendi, vel legata, quæ ad pias cauſas facta ſunt, perſolvendi, illiſque ut id facerent, ſuperiori Confeſſione præceptum ſit, præſtare tamen neglexerunt, exceptis iis, qui perículoſe ægrotant, quos tamen moneant, ut quæ debent, quamprimum ſolvant.*

Ita Neapolitana Synodus anno MDLXXVI. celebrata, & a *Gregorio XIII.* confirmata, cap. XVI. De Sacramento Pęnitentiæ: *Et ne quis cito manus imponens alienis peccatis communicare convincatur, caveant Sacerdotes, ne ante debitam famæ, vel pecuniæ ſatisfactionem, ubi reſtituendi facultas fuerit, aliquem abſolvant, præcipue ubi Pœnitens datum in ſuperiori Confeſſione præceptum neglexerit.* Idem repetunt Synodus Salernitana anno MDLXXIX. tit. XXVI. cap. X. Piſtorienſis, & Concordienſis anno MDLXXXVII. tit. *De Sacramento Pœnitentiæ;* Volaterrana anno MDXC. ſub eodem Titulo, & Anagnina anno MDXCVII. cap. XX.

Ita Synodus Burdigalenſis, anno MDLXXXIII. congregata, & a *Gregorio XII.* confirmata, cap. XII. de Pęnitentia: *Neminem Parochi abſolvant eorum, qui cum præcedente Confeſſione ſe ablata reſtituturos, aut legata ad pias cauſas ſoluturos eſſent polliciti, cum facultas adfuiſſet, neglexerint. Eos excipimus, qui in mortis articulo fuerint conſtituti: qui tamen admonendi erunt, ut id oneris, ſi obierint, hæredibus imponant: vel ſi convaluerint, quamprimum poterunt, ſatisfaciant.*

REGULA X.

Neganda illis eſt Abſolutio, qui in occaſione proxima peccati verſantur.

HAnc Regulam ſtabiliunt Scripturæ Sacræ, & Patrum teſtimonia, a nobis proferenda Lib. III. hujus Operis, cap. VIII. art. III. Regula VI., & Regula 31. Eamque confirmat *S. Carolus* in Inſtructione Confeſſorum: *Nec ii* (inquit) „ poſſunt abſolvi, qui ſincerum propoſitum non habent „ peccata mortalia, & eorum occaſiones fugiendi. Et quia plurimum refert, „ ut Confeſſarii clarius hæc intelligant, paulo fuſius ſunt explicanda.

„ Peccati mortalis occaſiones vocantur, quicquid ad peccatum inducit, „ aut ex ſua natura, aut ex parte Pœnitentis, qui in ea occaſione poſitus ita peccare conſuevit, ut probabile ſit, ex ſuo pravo habitu illum „ in eadem peccata lapſum iri, ſi in illa occaſione perſeveret.

„ Occaſiones porro, quæ ex natura ſua inducunt ad peccatum, iſtæ ſunt: „ aleatorios ludos profiteri, v. g. chartarum, & taxillorum: domum hunc „ in finem paratam habere, ac aleatores recipere: domi retinere, aut ſuo, „ aut alieno nomine, perſonam qua cum peccatur; aut alio modo cum „ ipſa cohabitare. In eadem converſatione, colloquiis, aſpectibus, amoriſque impudici ſignificationibus, & incentivis perſeverare. Pœnitentem „ ergo aliqua ex his occaſionibus, aut ſimilibus irretitum, ſi occaſio hujuſmodi ſit præſens, ut retinere concubinam, aut quid ſimile, non debet Confeſſarius eum abſolvere, niſi prius ab illa occaſione reipſa diſceſſerit, ſeque ſeparaverit. Quod autem alterius generis occaſione ſpectat, ut aleæ profeſſionem, mutuos aſpectus, converſationem, nutus impudicos, &c. non abſolvatur Pœnitens, niſi eas dimittere polliceatur; „ quod ſi jam alias id pollicitus ſit, nec emendatus fuerit, Abſolutio tamdiu differatur, donec emendationem perſpexerit.

Quibus neganda, vel differenda Abſolutio?

„ Et

" Et quia contingere poteſt, ut Pœnitens nullo ex mediis, quæ ipſi pro-" ponit prudens, ac zelo ſalutis animarum fervens Confeſſarius, extricare " ſe poſſit ab occaſione, illamque dimittere ſine periculo, & ſcandalo, " Confeſſarius hæc adhibere debet remedia.

" Primo Abſolutionem differat, donec certa ſinceræ emendationis videat " indicia. Quod ſi Abſolutionem differre non poſſit ſine periculo, vel in-" famia Pœnitentis, & Confeſſarius talia contritionis in eo ſigna perſpe-" xerit, debitamque ad excipienda remedia emendationi ſuæ neceſſaria diſ-" poſitionem obſervaverit, debet illi proponere, quæ magis opportuna, & " neceſſaria videbuntur; v.g. illi præcipere, ne ſolus cum tali perſona col-" loquatur, orationes aliquas, carniſque macerationes illi præſcribere, & " frequentem inprimis Confeſſionem, aliaque ſimilia: quæ ſi Pœnitens in " ſe recipiat, Confeſſarius illum abſolvere poterit. Quod ſi tamen hac " jam adhibita, aut a ſe, aut ab alio Confeſſario diligentia, Pœnitens e-" mendatus non fuerit, non abſolvatur, donec occaſio illa ſublata fuerit, " vel agendum aliter nobis videatur. De quo nobis in eo caſu, celato per-" ſonæ nomine, aliquid ſignificabitur:

" Occaſiones peccati mortalis ſecundi generis, ſive tales cenſentur ex " perſonæ dumtaxat infirmitate, ſunt eæ res, quæ licet in ſe licitæ ſint, " prudenter tamen judicatur Penitentem earum uſu in eadem peccata re-" lapſum iri, ſi in illis, ut antea, perſeveret. Talia pleriſque ſunt hodie " ſæculi noſtri vitio, bellum, negotiatio, Magiſtratus, Advocatorum, Pro-" curatorumque profeſſio, & alia hujuſmodi exercitia, in quibus quis ſæ-" pius mortaliter peccare conſueverit blaſphemiis, furtis, injuſtitiis, calu-" mniis, odiis, fraudibus, perjuriis, & aliis ſimilibus, ex quibus novit, " quod ſi in his exercitiis perſeveret, eædem illi occurrent peccandi oc-" caſiones; nec ulla ratio ſuadet adverſus peccatum firmiorem fore, quam " antea; quamobrem in eadem peccata relapſum iri prudenter judicari po-" teſt. Ideo qui ſic affecti ſunt, aut debent a profeſſione ipſis periculoſa " omnino abſtinere (ut ait S. Auguſt.) aut certe illam non exercere ſine " licentia, & ſub moderamine probi alicujus, prudentiſque Sacerdotis, qui " non debet abſolvere hominem in eo ſtatu conſtitutum, cum probabili-" ter judicat ad eadem peccata reverſurum, ſi in iiſdem occaſionibus per-" ſeveret; ſed per aliquod tempus emendationem ejus oportet experiri.

Quibus neganda, vel differenda Abſolutio.

" Qua in re invigilare eo majus operæ pretium eſt, quod Confeſſario-" rum hac in parte incuria in omnibus artibus, & profeſſionibus regnent " plures abuſus, graviſſimaque peccata, ſine quibus jam videtur a multis, " ne juſtiſſimas quidem Profeſſiones exerceri poſſe.

" Sic, v. gr. in Magiſtratuum, & aliorum Officiorum inſtitutione, ea " ſolemni ſæpe Sacramento promittuntur, quæ numquam obſervantur.

" Apud Juriſconſultos, Advocatos, & Procuratores, clientum improbita-" ti, & injuſtitiæ contra propriam conſcientiam ſervitur.

" In Militia, duello, odiis, homicidiis, alea, blaſphemiis, rapinis, & " impudicitiis peccari ſolet.

" Mercatores uſuras palam exercent, pro ſinceris fucatas merces ple-" rumque proponunt, pretiis longe juſto majoribus omnia vendunt. Fre-" quentia ſunt apud eos perjuria, fraudeſque in ſolvendis pedagiis, & ve-" ctigalibus, aliaque ab illis peccata committuntur.

" Artifices plurimi feſtis diebus, ut aliis, laborant; ita ut vix cultui " divino unquam vacent, & Dei verba audiant, & familiam ſuam eodem " modo tenent occupatam. Quo fit, ut eorum plurimi vitam omnem in " peccatis mortalibus traducant, qui proinde Abſolutionis capaces non de-

bent

„ bent æstimari, nisi primum diligentia omnis adhibeatur, ut liberentur
„ ab occasionibus, & fortiores quam antea reddantur. Imo Confessarius,
„ accuratiori habito examine, forsan inveniet eorum aliquos numquam re-
„ cte confessos fuisse: quod si ita fuerit, debet eis suadere, præter emen-
„ dationis signa, quæ dederint, aut professionis ipsis perniciosæ derelictio-
„ nem, ut generalem Confessionem faciant, valentioraque pro sua salute
„ adhibeant remedia.

„ Cautior, ac severior sit Confessarius necesse est circa eas actiones, &
„ exercitia, quæ Reipublicæ inutilia sunt, aut minime necessaria; quæ li-
„ cet ad primam speciem occasionum ex se, naturaque sua homines ad
„ mortale peccatum inducentium non referantur, quæ propterea dimitti a
„ quocumque debent, ad malum tamen inclinant, & sæpissime pertrahunt
„ hominem ad diversa peccata mortalia. Hujusmodi sunt, choræis interes-
„ se, cum blasphemis, rixæ deditis, aliisque improbis hominibus sæpius
„ versari, popinas frequentare, indulgere otio, & id genus alia, quorum
„ occasione si homo peccare mortaliter consueverit, Absolutionem non de-
„ bet impartiri, quin his omnibus renuntiet Pœnitens, & pollicitus fuerit
„ dictam occasionem reipsa dimissurum. Si tamen spem aliquam de suo
„ Pœnitente Confessarius concepit, semel iterumque promittentem se oc-
„ casionem dimissurum, poterit absolvere; ea tamen lege, ut deinceps Ab-
„ solutionem differat, donec certis, & evidentibus indiciis constet, illum
„ ab his occasionibus penitus esse segregatum.

Hæc autem *S. Caroli Borromæi* doctrina Sacris Canonibus omnino conso-na est, scilicet Canoni VII. Conc. Romani V. sub *Gregorio VII.* Canoni XVI. Conc. Melfitani sub *Urbano II.* Canoni XXII. Oecumenici Lateranensis II. sub *Innocent. II.* cujus unius adscribo verba. *Sane* (inquit) *quia inter cetera unum est, quod Sanctam maxime perturbat Ecclesiam, falsa videlicet Pœnitentia, Confratres nostros, & Presbyteros admonemus, ne falsis Pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem Pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo Pœnitentia agitur: aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio ∴ Falsa etiam fit Pœnitentia, cum Pœnitens ab Officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet: aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfiat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam gerat.*

His Conciliis præivit *S. Gregorius*, Hom. XXIV. in Evangelia: *Sunt enim* (inquit) *pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conversionem animus non recurrat.* Et *S. Bernardus*, Serm. I. de Resurrect. *Non satis* (inquit) *cecidisse piget hominem, qui adhuc manere disponit in lubrico; aut errasse, qui ducem non quærit ∴ Veræ compunctionis indicium opportunitatis fuga, subtractio occasionis.*

Quibus neganda, vel differenda Absolutio.

Denique *Innoc. XI.* Pontifex Maximus sequentes Propositiones inter alias plerasque damnavit.

Propositiones damnatæ.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

De iisdem Propositionibus ita judicavit Generalis Conventus Cleri Gal-

licani

licani anno 1700. *Hæ Propositiones scandalosæ sunt, perniciosæ, hæreticæ, aperte repugnantes præcepto Christi jubentis manum, pedem, oculum quoque dextrum scandalizantem abscindere, & projicere.*

A sanctissimis illis Regulis non sinant Confessarii se abduci falsa misericordia erga illos, qui dicunt: Si hanc domum, si hoc officium, si hanc artem deseram, deest, unde vivam. Nam contra hujusmodi excusationes in peccatis audiendus Dominus, qui ait: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Neque audiendi, qui dicunt: Si hujus, vel istius consortio destituar, vel inops, vel miser vivam; nam Dominus dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Neque magna illorum habenda ratio est, qui ut in proximis peccandi occasionibus adhuc sordescant, lamentando dicunt; Si ab istius personæ, vel domus frequentatione me subtraxero, si hanc ejecero mulierem, quæ consanguinea mea censetur, vel quæ uxori meæ servit, veniam in suspicionem criminis. Nam Salvator noster damnat eos, qui *Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Nulla est ergo peccandi necessitas, quia *Una est non peccandi necessitas*; ut ait Tertullianus.

Matth. 6. 33.

Joan. 12. 43.

REGULA XI.

Absolutio illis neganda est, qui de iisdem peccatis semper se accusant, & numquam emendant.

HAnc Regulam pariter tradit S. Carolus: *Differenda* (inquit) *Absolutio, donec aliqua emendatio appareat, iis Pœnitentibus, qui licet se peccatum dimissuros polliceantur, Confessarius tamen probabiliter judicat ad illud reversuros. Cujusmodi sunt præsertim juvenes otio dediti, qui majorem vitæ suæ partem consumunt in ludis, comessationibus, ebrietatibus, & impudicitiis, blasphemi, detractores; odiis, turpiloquio addicti, qui semel tantum quotannis sub finem Quadragesimæ Sacerdoti se sistunt ad Confessionem: aut qui in eadem peccata frequentius relapsi, in iis a multis annis perseverarunt, nec diligentiam ullam adhibuerunt, ut se emendarent.*

Qui Pœnitentiam ita agunt, ut in eadem peccata relabantur, fœdissime Pœnitentiam agunt, ut loquitur Concilium Toletanum III. can. XI. cujus hæc sunt verba: *Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundum Canones, sed fœdissime pro suis peccatis homines agere Pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a Presbyteris se reconciliari expostulent: Ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione, id a Sancto Concilio jubetur, ut secundum formam Canonum antiquorum detur Pœnitentia.*

Quibus neganda, vel differenda Absolutio.

Adversus hanc alternarum prolapsionum, & Absolutionum fœditatem stylum exacuerunt SS. Patres S. Cæsarius, seu alius Auctor antiquus Sermonis inter Augustinianos olim 7. *De Tempore*, nunc in Appendice 117. *Multi assidue se dicunt esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio: accusatur anima, non sanatur: pronuntiatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.*

Sanctus Gregorius part. III. *Pastoralis*, Admonitione XXXI. *Admonendi sunt* (inquit) *qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare sollicite sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo nequiter inquinant,*

nant, cum idcirco lacrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit, pœnæ gravioris culpæ se subjicit; quia & ipsam quam flendo veniam potuit impetrare, contemnit, & quasi in lutosa aqua semetipsum volvit; quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit.

Sanctus Isidorus Libro II. *Sententiarum*, cap. XIII. *Ille* (inquit) *Pœnitentiam digne agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis lavet laterem crudum, quem quanto magis laverit, tanto amplius lutum fecit.*

Et cap. XVI. *Canis reversus ad vomitum, est Pœnitens ad peccatum. Multi enim lacrymas indesinenter fundunt, & peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrymas ad Pœnitentiam, & effectum Pœnitentiæ non habere constat, quia inconstantia mentis nunc recordatione peccati lacrymas fundunt; nunc vero reviviscente usu, ea, quæ fleverant, iterando committunt.*

Gregorius VII. Pontifex Maximus, Lib. VII. Epist. X. *Sacerdotalis* (inquit) *culminis dignitas tum imperitia, tum negligentia Sacerdotum, ex longo jam tempore peccatis exigentibus fuit collapsa. Ex qua quidem re, quasi ex pestifera radice innumera mala exorta sunt, adeo ut usque ad hæc nostra tempora, inter cetera, quæ male pullulant vitia, falsæ nihilominus Pœnitentiæ consuetudo inoleverit.* His malis, ut remedium opportunum adhibeatur, Concilium in Aremorica congregari jubet. *Synodale Concilium congregetur, ubi cum aliis, quæ ad salutem pertinent animarum, etiam de Pœnitentiæ consultatione diligentius pertractetur. Qua in re hoc summopere vos cavere oportet, aliosque monere debetis, quia si quis in homicidium, adulterium, perjurium, vel aliquid hujusmodi lapsus, in aliquo talium criminum permanserit; aut negotiationi, quæ vix agi sine peccato potest, operam dederit; aut arma militaria portaverit, excepto si pro tuenda justitia sua, vel domini, vel amici, seu etiam pauperum, necnon pro defendendis Ecclesiis (nec tamen sine religiosorum virorum consilio sumpserit, qui æternæ salutis consilium dare sapienter noverunt) aut aliena bona injuste possederit, aut in odium proximi sui exarserit, veræ Pœnitentiæ fructum facere nullatenus potest. Infructuosam enim Pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eadem culpa, vel simili, vel deteriori, vel parum minori permaneatur. Unde quisquis digne vult pœnitere, necesse est, ut ad fidei recurrat originem, & quod in Baptismo promisit, diabolo scilicet, pompisque illius abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo sentiendo mandatis ejus obedire, solicitus sit vigilanter custodire. Quicumque ergo taliter pœnituerit, (quoniam aliter simulatio dici potest, non Pœnitentia) illi peccatorum suorum remissionem Apostolica freti Potestate largimur.*

Quibus neganda, vel differenda Absolutio?

Quam grave recidivarum malum?

Quam grave sit frequentium in eadem peccata prolapsionum malum, quam infelix hominum ex consuetudine peccantium status, Christus explicat *Lucæ* cap. XI. *Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios Spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Hinc Paralytico a triginta, & octo annis membrorum usu destituto, ac decumbenti, figuramque peccatoris ex inveterata consuetudine cadentis, atque in peccato permanentis gerenti dixit, postquam illi sanitatem restituisset: *Vade, noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat.* Hinc S.

Petrus

Petrus, Epist. II. cap. II. *Si refugientes* (inquit) *coinquinationes Mundi in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto Mandato. Contigit enim eis illud veri Proverbii*: Canis *reversus ad suum vomitum, &, Sus lota in volutabro luti*.

Quam gravem Deo inferant injuriam iteratæ illæ prolapsiones, luculenter exponit *Tertullianus*, Libr. *De Pœnitentia*, cap. V. *Jam quidem* (inquit) *nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur; quod Domino agnito, præceptisque ejus admissis, denique Pęnitentia delictorum functus, rursus te in delicta restituis. Ita, in quantum ignorantia segregaris, in tantum contumacia agglutinaris. Nam si idcirco te deliquisse pœnituerat, quia Dominum ceperas timere, cur, quod metus gratia gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desiisti? Neque enim timorem alia res, quam contumacia subvertit. Cum etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur a pęna (quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet) quanto cognitum despici periculosum est? Despicit porro, qui bonorum, ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, resumens, intellectui suo, idest, Dei dono contumeliam facit: respuit datorem, cum datum deserit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet. Cæterum non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus Diabolo Pœnitentia renunciasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eumdem egressu suo erigit, & exultationem ejus seipsum facit; ut denuo Malus, recuperata præda sua adversus Dominum, gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, Diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit: & judicato pronuntiasse, eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum Pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, Diabolo per aliam Pęnitentiæ Pœnitentiam satisfaciet; eritque tanto magis perosus Deo, quanto æmulo ejus acceptus.*

Quam gravem Deo inferant injuriam iteratæ in eadem crimina prolapsionis.

Quibus neganda, vel differenda Absolutio.

Hinc *Sanctus Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XXI. quæst. I. articulo II. quæstiuncula I. Peccatum post remissionem iteratum gravius esse docet ratione „ ingratitudinis. Ex gratiarum actionis defectu (*inquit*) aliquis ingratus dici„ tur; & tanto magis, quanto magis ab hoc discedit: unde primus modus ingra„ titudinis est, cum quis effectu pro beneficiis acceptis retribuere aliquid ne„ gligit: secundus, cum affectu contemnit: tertius, cum etiam intellectu „ obliviscitur: quartus, & maximus, ut contra benefacientem aliquid ope„ retur indebite. Ingratitudo autem quantum ad tres primos gradus semper „ est peccatum speciale; sed quantum ad quartum est deformitas annexa „ peccato, quia ex hoc ipso, quod ponitur aliquid indebite fieri, ponitur „ peccatum esse, sed ex hoc, quod dicitur fieri contra benefacientem, ad„ ditur circumstantia aggravans, quæ est ingratitudo. Unde cum omne pec„ catum contra Deum fiat, ex quolibet peccato homo ingratitudinem in„ currit, quia ipse est nobis summe beneficus; & per hunc modum quodli„ bet peccatum, post beneficium remissionis peccatorum, ingratitudinem „ habet annexam.

Et quæst. III. *Quanto* (inquit) *fuerunt peccata dimissa graviora, tanto fuit beneficium remissionis majus; & quanto beneficium fuit majus, tanto ingratitudo major; & sic aliquo modo quantitas reatus præcedentium peccatorum manet in ingratitudine recidivi.*

Quæ cum ita sint, Sacerdotes absolvere non debent hominem, qui in ea-

dem peccata continuo prolabitur, & ex pravo habitu, atque consuetudine peccat, semperque de iisdem peccatis se accusat, nec emendat. Unde *Innoc. XI.* Pontifex Maximus hanc inter alias Propositionem damnavit: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda Absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.* Hanc Propositionem pariter confixit Clerus Gallicanus anno 1700. ut *erroneam, & ad finalem impœnitentiam ducentem*: & jure quidem merito. Quamvis enim gratiæ thesaurum in vasis fictilibus habeamus, & per lubrica incedentes, innumerisque tentationibus intus, exteriusque pulsati, cadere iterum possimus in lethale peccatum post Pœnitentiam, ex fragilitate seu infirmitate (quod vulnus est ex primi hominis peccato relictum.) Vera tamen conversio non ita desultoria est, ut plerumque videtur; non instar marini æstus veniens, & rediens: non instar feriarum, quibus gaudent febricitantes, post diem unum aut alterum febri agitandi; non instar mundanæ lucis, quæ quotidie oritur, & occidit; sed constans, & novis incrementis accrescens, usque ad perfectum æternitatis diem. Si Davidem audiamus, Justum describit non tanquam in justitia vacillantem, & quotidie deciduum, sed *Tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum; quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia, quæcumque faciet, semper prosperabuntur.* Si Salomonem, Justum ille comparat luci, non quotidie evanescenti, sed continuis splendoris incrementis ad perfectum diem crescenti. *Justorum semita (inquit) quasi lux splendens, procedit, & crescit usque ad perfectam diem.* Mystica illa apud Ezechielem Animalia, *Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent*; quia (ut explicat S. Gregorius) *Electi sic ad bona tendunt, ut ad mala perpetranda non redeant. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Christus Justum instar domus supra petram fundatæ, quam nec flumina, nec venti evertant, mansurum immobilem inter tentationes significat. *Omnis (inquit) qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.* De conversionibus itaque desultoriis merito dubitatur, an veræ sint, & sinceræ: imo sinceras non esse probabiliter judicatur. Hinc *S. Fulgentius*, Lib. I. *De Remissione Peccatorum*, cap. XII. ait: *Numquam diluunt gemendo peccatum, quia non desinunt peccare post gemitum.*

Propositio damnata.

Psalm. 1.

Prov. 4.

Ezech. 1.

S. Gregorius Hom. 5. in Ezech.

Matth. 7.

TRACTATUS
DE CENSURIS.

Cum ad Sacramenti Pœnitentiæ Administrationem Sacerdotes notitiam Censurarum habere debeant, tum ut de illis in sacro Tribunali judicent, tum ne potestatis suæ fines transgrediantur, operæ pretium est, Tractatui de Pœnitentia brevem, & accuratam Censurarum tractationem per modum appendicis, & complementi subnectere.

CAP.

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE.

ARTICULUS I.

Quid sit Censura?

Censura *est pęna spiritualis, inflicta ab Ecclesiastica Potestate, privans hominem baptizatum bonorum aliquorum spiritualium usu, propter animæ salutem.* Censuræ definitio.

Pœna spiritualis dicitur: Vinculum enim est, quod animam attinet. Ab Ecclesiastica Potestate inflicta dicitur, quia Laicæ Potestati res dumtaxat terrenæ, & corpora subjiciuntur, non animæ: Claves Regni Cœlorum, ligandique, & solvendi animas potestatem Christiani universi non acceperunt; sed Apostoli, & eorum Successores, quibus dictum a Christo Domino nostro est: *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cęlis, &c.* Matth. 18. Ad bonum autem Ecclesiæ regimen potestas ferendi Censuras, quibus peccatores coerceantur, eorumque plectatur contumacia omnino necessaria est. Nam *Jurisdictio nullius videretur esse momenti, si coercitionem aliquam non haberet*, ut dicitur cap. *Pastoralis*, Extra. *De Officio Delegati*. Et ut dicitur in Digestis, Lib. 2. tit. de Jurisdictione omnium Judicum, *Cui Jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus Jurisdictio expleri non potuit*. Dicitur, *Privans hominem baptizatum*, quia homines non baptizati non sunt subditi Ecclesiæ, adeoque illius censuris non subjacent. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* (inquit Apost. 1. ad Cor. v.) *Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit*. Dicitur, *Bonorum aliquorum spiritualium usu*, quo differt a pœnis civilibus, quæ rebus dumtaxat temporalibus privant. Non autem omnibus bonis spiritualibus privat Censura: virtutibus namque infusis, & earum actibus hominem non privat, sed iis dumtaxat, quæ Ecclesiæ dispensationi credita sunt, scilicet participatione Sacramentorum, communione suffragiorum, functione munerum Ecclesiasticorum, &c. Dicitur denique, *Propter animæ salutem*, qui censuræ finis est. Pęna enim medicinalis est Censura Ecclesiastica, quam Ecclesia infligit, non solum ut puniat peccatorem, sed ut eum ad Pœnitentiam adduçat, ut constat ex cap. *Ex litteris*, *De Constitutionibus*, cap. *De Quod vult Deus*, Extra. *De Judiciis*, & cap. *Cum Medicinalis*, De Sententia Excommun. in Sexto. Idemque docuit *S. Augustinus*, Sermone CCCLI. alias L. inter Homilias quinquaginta: *Nos vero* (inquit) *a Communione prohibere quemquam non possumus, (quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis,) nisi aut sponte convictum, aut in aliquo, sive sæculari, sive Ecclesiastico Judicio nominatum, atque convictum.*

Censuræ autem dicuntur, quod Ecclesiastici Judices, Censorum more, ita iis inflictis delinquentes punire soleant, ut sanguinem non effundant, sed suffundant, unamque sibi proponant peccatoris emendationem.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Censura?

Censura Ecclesiastica tres species complectitur, scilicet Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum, ut respondet *Innoc. III.* cap. *Quærenti*, Censuræ divisio.

renti, Extra. *De Verborum Significatione*. Unde Irregularitas pœna quidem Eccleſiaſtica eſt, non Cenſura. Quædam enim Irregularitates abſque crimine contrahuntur: nulla autem Cenſura, niſi gravis peccati reis infligitur.

Cenſura rurſus alia eſt a jure, alia ab homine.

Cenſura a jure eſt illa, quæ fertur a Legislatore cum intentione condendi legem, ſeu ſtatutum generale perpetuum, pœna Cenſuræ Eccleſiaſticæ illius tranſgreſſoribus indicta.

Cenſura ab homine, ea eſt, quæ fertur ab homine Juriſdictionem Eccleſiaſticam habente, non intentione condendi ſtatutum, aut legem perpetuam, ſed temporale, ac tranſitorium præceptum dandi in ſingulari actione, vel negotio, decreta contra inobedientes, & contumaces Cenſura.

Cenſura rurſus alia eſt latæ Sententiæ, alia Sententiæ ferendæ. Prima eſt illa in quam ipſo facto incurritur, abſque alia Sententia Judicis: altera, quæ ſolummodo eſt comminatoria, nec ipſo facto in eam incurritur ante Sententiam Judicis.

Cenſura latæ Sententiæ his verbis indicatur *Ipſo jure*, *Ipſo facto*, aut *latæ ſententiæ*. Item his verbis, *Excommunicationis ſententia duximus innodandum*; vel *Excommunicationis ſententia innodantes*. Similem vim habent verba illa, *Sententiam Excommunicationis incurrat*; vel, *Eccleſiaſtico ſubjaceant Interdicto*. Item illa, *Excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere*. Item illa, *Sit Anathematis mucrone percuſſus*; *Anathema ſit*; *Excommunicatus ſit*. Cenſura ferendæ Sententiæ judicanda eſt, quæ verbis futuri temporis fertur, ut cum dicitur, *Qui hoc fecerit, Excommunicabitur*, *vel ſuſpendetur*, aut, *Excommunicetur*, vel *ſuſpendatur*, niſi verbo futuri temporis addatur, *Ipſo facto*, *ipſo jure*, *aut latæ Sententiæ*. Item hæc verba, *Sententiam Excommunicationis te noveris incurſurum*, Excommunicationem comminatoriam, non latæ Sententiæ indicant: ſicut & illa, *Sub pœna Excommunicationis*, *ſub interminatione Anathematis*. Cum enim odia reſtringenda ſint, & in mitiorem partem interpretanda, ſecundum Regulam Juris Legislator, & Superior non eſt exiſtimandus Cenſuram ipſo facto incurrendam tuliſſe, niſi id verbis diſertis expreſſerit.

ARTICULUS III.

De Poteſtate ferendi Cenſuras, ſeu a quibus ferri poſſint?

Matth. 18.

POteſtatem ferendi Cenſuras Eccleſiæ a Chriſto Domino noſtro traditam eſſe, dogma fidei eſt, fundatum in illis verbis, *Quæcumque alligaveritis, &c.* Et in illis Apoſtoli 1. ad Cor. v. *Auferte malum ex verbis ipſis*; ut explicat *S. Auguſtinus* Lib. II. *Retractationum*, cap. XVII. & qu. XXXIX. in Deuter. Hanc poteſtatem exercuit Apoſtolus, cum Inceſtuoſum Corinthium excommunicavit, 1. ad Cor. v. *Et non magis luctum habuiſtis* (inquit) *ut tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi, ut præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu, tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Et paulo infra: *Si is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* Et II. ad Theſs. III. *quod ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur.*

Poteſtas ferendi Cenſuras Eccleſiæ a Chriſto tradita.

Hanc poteſtatem in Eccleſia permanere, teſtimoniis Patrum, & Conciliorum facile probari poteſt. Unum, aut alterum ſubjicio. Inſignis eſt *Tertullia-*

tulliani locus in *Apologetico* cap. XXXIX. ubi sacros Christianorum Conventus describit. *Ibidem, etiam,* inquit, *exhortationes, castigationes, & Censura divina. Nam, & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur.*

De eadem potestate, *S. Hieronymus*, Epist. I. ad *Heliodorum* ita scribit: *In veteri quidem Lege quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a Populo, aut gladio cervice subjecta, contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens spirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Ecclesia rabido Dæmonum ore discerpitur.*

Et *S. Augustinus*, Lib. *De Fide, & Operibus*, cap. II. malos in Ecclesia non ita tolerari docet, ut disciplinæ severitas, sive diligentia solvatur omnino, atque omittatur. *Neque enim quia illam primi populi permixtionem Moyses Dei famulus patientissime perferebat, ideo non in multos etiam gladio vindicavit. Et Phinees Sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit. Quod utique Degradationibus, & Excommunicationibus significatum est esse faciendum hoc tempore, cum in Ecclesiæ Disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus.*

Potestas ferendi Censuras Ecclesiæ tradita.

Ecclesia denique in Conc. Oecumenicis congregata Hæreticos, & Schismaticos Anathemate, sive Excommunicatione confixit, & graviorum criminum reos latis Censuris castigavit, tum in sacris illis Conventibus, tum extra. Et Conc. Constantiense inter errores *Jo: Vviclef* istos Articulos damnavit: *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: & qui sic excommunicat, fit ex hoc Hæreticus, vel Excommunicatus.*

Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis, & Regni.

Excommunicatio Papæ, vel cujuscumque Prælati non est timenda, quia est Censura Antichristi.

Item inter Articulos *Jo: Hus* hunc pariter damnavit: *Per Censuras Ecclesiasticas Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo.*

Et *Martinus V.* Pontifex Maximus redeuntes ad Ecclesiam Hussitas interrogari jubet, *Utrum credant, quod Papa, vel alii Prælati, & eorum Vicarii in spiritualibus habeant potestatem Sacerdotes, & Laicos inobedientes, & contumaces excommunicandi, ab Officio, Beneficio, ingressu Ecclesiæ, & Administratione Ecclesiasticorum Sacramentorum suspendendi.*

Item, Utrum credant, quod inobedientia, sive contumacia excommunicatorum crescente Prælati, vel eorum Vicarii in spiritualibus habeant potestatem aggravandi, & reaggravandi, Interdictum ponendi, & brachium sæculare invocandi; & quod illis Censuris per inferiores sit obediendum.

Objicitur *S. Augustini* testimonium, quo ligandi potestatem Christianis omnibus communem esse; non minus quam fraternæ correctionis officium significare videtur, Serm. LXXXII. alias XVI. *De Verbis Domini*, cap. IV. *Cœpisti* (inquit) *habere fratrem tuum tanquam Publicanum, ligas illum in terra, sed ut juste alliges, vide. Nam injusta vincula disrumpit justitia. Cum autem correxeris, & concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra. Cum solveris in terra, solutus erit & in cœlo.*

Ligandi potestas Christianis omnibus non convenit.

Resp. *S. Augustinum*, eo loci hæc verba, *Quæcumque alligaveritis*, &c. ad bonos Christianos extendere morali quodam sensu, & minus proprio, atque ad fraternam correctionem spectante; non autem secundum sensum

proprium, ac litteralem, quatenus potestatem retinendi, & remittendi peccata, & infligendi Censuras, atque ab illis absolvendi significant. Quod solis Ecclesiæ Præpositis, sive Sacerdotibus convenit, ut alibi explicat, scilicet Lib. xx. *De Civitate Dei*, cap. ix. illud Apoc. xx. *Et vidi sedes, & sedentes super eas, & judicium datum est*, exponens: *Non hoc* (inquit) *putandum est de ultimo judicio dici: sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Judicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id, quod dictum est*, Quæ ligaveritis *in terra, ligata erunt & in cęlo; & quæ solveritis in terra, soluta erunt, & in* Matth. 18. *cęlo. Unde Apostolus*: Quid *enim mihi est*, inquit, *de his, qui foris sunt judi-* 1. Cor. 5. *care? Nonne de his, qui intus sunt vos judicatis?* Et Serm. cccli. alias Homilia quinquagesima inter Homilias quinquaginta diserte docet, *Non temere, aut quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ Communione.* Illud porro judicium pertinere. *Ad Antistites, per quos in Ecclesia Claves ministrantur.* Et Tractatu quinquagesimo in Joannem: *Si in Petro* (inquit) „ *non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus*, Tibi dabo claves „ Regni cęlorum: quæcumque solveris in terra, soluta erunt & in cœlo, „ & quæcumque ligaveris in terra, ligata erunt & in cęlo. *Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur, & quæ solvuntur in terra, solvantur in cœlo: quia cum excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus; cum reconciliatur ab Ecclesia, in cęlo solvitur reconciliatus: si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Libro autem nique *De Correptione, & Gratia*, cap. xv. *Corripiantur itaque* (inquit) *a Præpositis suis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus: quia & ipsa, quæ damnatio nominatur* (idest Excommunicatio) *quam facit Episcopale judicium, qua pęna in Ecclesia nulla major est, potest si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere, atque proficere. Neque enim scimus, quid contingat sequenti die, aut ante finem vitæ hujus de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest, ne respiciat, & det pęnitentiam, & accepto sacrificio spiritus contribulati, cordisque contriti, a reatu quamvis justæ damnationis absolvat, damnatumque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam.*

S. Chrysost. ferendarum Censurarum potestatem non negat Ecclesiæ.

Objicitur, *S. Jo: Chrysostomum*, Sermone *De Anatoemate*, docere, Neminem hominem esse excommunicandum, & *Qui hominem facit Anathema ab Ecclesia, abducere seipsum in extremam perniciem, usurpando dignitatem Filii Dei.* Et infra: *Obsecramus, & contestamur vos, ut a tanto malo desistatis. Nam is, quem tu anathematizare decrevisti, vel vivit, vel mortuus est. Quod si adhuc superest, impie agis, qui eum, qui a malo in bonum se vertere potest, crudeliter resecas. Sin mortuus est, multo magis crudelis es: quia Domino suo stat, aut cadit, non jam sub jure humano existens .:. En propter vos oro, ne vobis hæc verba mente excidant. Dogmata enim impia, & quæ ab hæreticis profecta, arguere, & anathematizare oportet: hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.*

Respondetur, *S. Jo: Chrysostomum* ferendarum Censurarum auctoritatem Ecclesiæ, & illius Præpositis non negare, sed illis duntaxat, qui nullam in Ecclesia auctoritatem habent, & nihilominus Anathema in filios Ecclesiæ jaculari præsumunt. Hanc fuisse ejus mentem constat ex tempore, loco, circumstantiis, personis, in quibus, & coram quibus perorabat. Hunc Sermonem de Anathemate habuit Antiochiæ, tempore Schismatis, quod

Fla-

Flavianum inter, & *Paulinum*, poſt obitum *S. Meletii* perdurabat. Utriuſque partis Fideles, illi ſcilicet, qui *Paulino*, & illi, qui *Flaviano* communicabant, mutuum ſibi inclamabant Anathema. Qui *Flaviano* adhærebant, maxime omnium erant exaſperati, & alios Anathemate confodiebant. Qua ab audacia illos *S. Chryſoſtomus* abducit. *En ſpecto viros* (inquit) *qui nullum ex ſacris Litteris germanum ſenſum, imo nihil omnino ſacrarum Litterarum tenent, furibundos, nugaces, contentioſos, qui neque ſciunt, quæ dicunt, neque de quibus affirmant; in hoc uno tantum audaces, quod dogmata ſtatuunt, & Anathema declarant ea, quæ maxime ignorant.* Et inf. *Cur poteſtatem aſſumis, quæ Apoſtolis tantum communicata, & his, qui illorum idonei Succeſſores?* Ceterum *S. Chryſoſtomus* Excommunicationis ferendæ poteſtatem in Eccleſia agnoſcit Hom. XVII. in Matthæum. *Propterea* (inquit) *nos lamentamur, & plangimus: & ſi viderimus vos in eiſdem manentes, etiam interdicemus omnino vobis ſacri iſtius ingreſſionem veſtibuli, & cœleſtis participationem Myſterii.*

Et Hom. IV. in Epiſtolam ad Hebræos: *Nemo* (inquit) *vincula contemnat Eccleſiaſtica. Non eſt enim homo, qui ligat: ſed Chriſtus, qui nobis hanc dedit ligandi poteſtatem, & efficiens, ut homines in ſua poteſtate habeant tantum honorem. Nam nos quidem uti volumus poteſtate ad ſolvendum. Imo vero vellemus, ne hoc quidem eſſe neceſſe. Nullum enim volumus eſſe apud nos vinctum. Sed ſi neceſſe habuerimus, ignoſcite. Non enim lubentes, nec volentes, ſed magis quam vos vincti dolentes, vincula injicimus. Si quis autem illa contemnat; adveniet tempus judicii, quod ipſum doceat.* Lege & Hom. XV. in I. ad *Corinthios*, Hom. V. in Epiſt. I. ad *Timotheum*, &c.

Cenſuras ferre poſſunt quicumque Juriſdictionis poteſtatem habent, ordinariam, vel delegatam in foro exteriori: Ordinariam, ſcilicet Concilia Generalia, & Romanus Pontifex, in tota Eccleſia; Patriarchæ, Concilia Provincialia, Archiepiſcopi, Epiſcopi habentes Clerum, & Populum, in ſuis Provinciis, aut Diœceſibus, Legati Apoſtolici, Vicarii Generales Epiſcoporum, Capitulum Sede vacante, ejuſque Vicarii, Prælati Regulares, ideſt, Moderatores, Generales Ordinum, Abbates, Provinciales, Priores, Guardiani, Correctores, Rectores, Miniſtri, ſeu alio quovis nomine vocentur Monaſteriorum, ſive Religioſarum Domorum Superiores; non Parochi, non Abbatiſſæ. Delegatam poteſtatem habent ferendi Cenſuras, quibus Juriſdictio Eccleſiaſtica in foro exteriori demandata eſt a Superiore legitimo, vel ex legitima, & probata conſuetudine quæſita. Quæ quidem Juriſdictio, nec Mulieribus, nec Laicis, nec Religioſis etiam viris prima Tonſura nondum initiatis, neque Clericis conjugatis jure committi poteſt. De his inter Juris Canonici peritos, & Theologos, qui de Cenſuris egerunt, convenit, ut Canones ad ſingulorum probationem congerere non ſit opus.

A quibus Cenſuræ ferri poſſunt?

ARTICULUS IV.

Quam ob cauſam ferri poſſit Eccleſiaſtica Cenſura?

I. Cenſura ſolum propter culpam ferri poteſt. Pœna enim ſpiritualis eſt, adeoque nonniſi propter culpam infligenda. Medicina eſt: quamobrem morbum peccati ſupponit. Idque Jus omnino poſtulat, cap. *Sacro*, Extra. *De Sententia Excommunicat.* Et quidem culpam propriam illius eſſe neceſſe eſt, in quem fertur Cenſura, ſi ſit Excommunicatio. Nemo enim propter alienum peccatum excommunicari poteſt, ut confirmat can. *Si habes*, cauſa XXIV. q. III. Suſpenſio autem, quia in communitatem ferri poteſt, ut probat cap. *Quia ſæpe*, tit. *De electione*, & cap. *Si Sententia*, tit. *De Sententia Excommun.* in Sexto, & fieri poteſt, ut in communitate aliqui

 ſint

sint immunes a culpa, satis est hac in hypothesi, ut rea sit communitas, in quam Censura directe fertur. At cum Suspensionis Sententia fertur in hominem singularem, absque proprio illius crimine ferri non potest. Interdictum vero id proprium habet, ut in aliquos ferri possit sine culpa eorum personali, & propria, ut habetur ex eodem cap. *Si Sententia*; sed tamen fertur semper ob peccatum saltem alterius, propter quod eos etiam, qui sunt insontes, pęnas aliquas pati minime injustum est, quatenus ad reum aliquo modo pertinent; sicut membra quædam corporis propter alia patiuntur. Ecclesia itaque propter commune bonum, & ad majorem terrorem incutiendum ei, qui deliquit, Censuram interdicti aliquando etiam imponit eis, qui non deliquerunt. Atque ob eandem causam quandoque locus Interdicto supponitur in execrationem criminis, ad rei terrorem, & ad excitandum reliquos, ut soliciti sint de reo ad pœnitentiam, & obedientiam Ecclesiæ revocando.

Propter peccatum mere internum ferri Censura non potest.

II. Propter peccatum mere internum, & sola mente, ac voluntate consummatum ferri Censura non potest, sed necesse est, ut in actum externum prodeat. Ecclesia enim de occultis non judicat, sed tantum de manifestis, ut constat ex cap. *Tua nos*, & cap. *Sicut tuis*, Extra. *De Simonia*. Idque ex Apostolo confirmatur 1. ad Corinth. IV. *Nolite* (inquit) *ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo:* Hoc judicium solius Dei proprium esse significans: Quoniam *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor*. Id confirmat Axioma illud Juris, can. *Christiana*, causa XXXII. qu. V. *Non habent latentia peccata vindictam:* & illud: *Cogitationis pœnam nemo patitur*: cum scilicet intra fines cogitationis, & voluntatis sistitur, nec tentatur voluntatis executio. Quamobrem cum excommunicantur credentes talem errorem, aut non credentes talem veritatem, cap. *Excommunicamus* 1. §. *Credentes præterea*, & cap. *Excommunicamus* 2. §. *Si qui autem*, Extra. *De Hæreticis*, sermo est de illis, qui errorem suum verbo, vel facto exterius produnt. Atque hoc etiam sensu intelligenda sunt verba Conc. Gangrensis can. XIX. relata a *Gratiano* can. *Si quis eorum*, dist. XXX. *Si quis Jejunia Ecclesiæ putaverit esse contemnenda, perfectam in sua conscientia judicans rationem, Anathema sit*. Hæc enim verba. *Si quis putaverit contemnenda*, solam existimationem interiorem non significant, sed quæ prodit in actum exteriorem; quod Versio *Dionysii Exigui* clarius explicat. Hunc enim Canonem ita reddit: *Si quis eorum, qui continentiæ student, absque necessitate corporea, tradita in commune Jejunia, & ab Ecclesia custodita, superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus; Anathema sit*.

1. Reg. 16.

Censura ob peccatum dumtaxat mortale ferri potest.

III. Censura ob peccatum dumtaxat mortale infligi potest, non quodlibet, sed speciali quadam gravitate notandum, aut quod scandalum generet, aut pacem perturbet, aut grave damnum afferat, quod alia via commode impediri non possit. Unde Conc. Aurelianense IV. can. 11. pro levibus culpis aliquem excommunicari vetat: *Nullus* (inquit) *Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis, & levibus causis a Communione suspendat: præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres arceri ab Ecclesia jusserunt committentes*. Refertur can. *Nullus*, causa XI. q. III. Et Conc. Meldiense can. LVI. statuit, *Ut nemo Episcoporum quemlibet sine certa, & manifesta peccati causa Communione privet Ecclesiastica. Anathema autem sine consensu Archiepiscopi, aut Coepiscoporum, prælata etiam Evangelica admonitione, nulli imponat, nisi unde Canonica docet Auctoritas; quia Anathema æternæ est mortis damnatio, & nonnisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potue-*

potuerit corrigi. Refertur can. *Nemo Episcoporum*, causa XI. qu. III. Idemque confirmat Conc. Tridentinum sess. XXV. *De Reformatione*, cap. III.

IV. Censura ferri non potest pro peccato jam commisso, nisi intercedat contumacia, ut colligitur ex verbis Christi Matth. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Unde Monitio Censuræ inflictionem præcedere debet secundum Canones. Et certe cum sit pœna medicinalis, pro delicto præterito, in quo reus permanere non vult, ferri non potest: alioquin vindicta esset, non medicina.

Censura ferri non potest nisi in contumaces.

Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiar.* dist. XVIII. qu. II. art. I. quæst. III. *Per Excommunicationem* (inquit) *judex Ecclesiasticus excommunicatos excludit a Regno quodam modo: unde cum non debeat excludere nisi indignos, nec aliquis reddatur indignus, nisi per peccatum mortale amiserit charitatem, quæ est via ducens ad Regnum; ideo nullus excommunicari debet, nisi pro peccato mortali ∴ Sed quia Excommunicatio est gravissima pęnarum, pęnæ autem medicinæ sunt: sapientis autem Medici est a levioribus medicinis incipere, & minus periculosis; ideo Excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit; vel non veniendo ad Judicium, vel ante terminationem Judicii sine licentia recedendo; vel determinationi non parendo: tunc enim postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur, & excommunicari debet a Judice jam non habente, quid contra ipsum faciat amplius*. Unde si qui Canones pro peccato præterito Censuram ferunt, intelligenda semper est conditio de futuro, vel quoad restitutionem, vel quoad satisfactionem; vel remotionem scandali: & Censura ligatur, qui hoc, vel illud crimen commisit, nisi resipiscat, nisi satisfaciat, nisi scandalum removeat, &c. Quamquam propter peccatum præteritum infligi pœna aliqua potest nulla intercedente contumacia, v. g. privatio Officii, aut Dignitatis, separatio ab Altari, & a Communione Corporis, & Sanguinis Christi certo tempore; sed hujusmodi pœnæ propriæ Censuræ non sunt. Sic exponitur can. *Tanta*, dist. LXXXVI. quo duorum mensium spatio excommunicatos esse decernit *S. Gregorius* illos, qui pravum consilium Episcopo cui dederant; ita tamen, ut si intra illud tempus in mortis periculum venirent, Viatico non privarentur. Privatio enim illa Eucharistiæ per duos menses, Excommunicatio minus proprie vocatur.

ARTICULUS V.

Qui Censura ligari possint?

Censuris ligari possunt quilibet adultæ ætatis homines, baptizati, sui compotes, non perpetuo amentes; non mortui, qui foro Militantis Ecclesiæ non subjacent. In mortuum tamen ferri potest declaratoria Sententia Censuræ, quam vivens incurrit: atque hoc nomine Hæreticis post mortem Anathema dicitur: & quicumque Excommunicationis vinculo ligati obierunt, sepultura sacra, & suffragiis Ecclesiæ privantur. Hoc sensu intelligi debet can. *Sane*, causa XXIV. q. II. can. *Neque*, dist. LXXXVIII. ex *S. Cypriano* sumptus Epistola ad Clerum, & Plebem Furnitanorum, & cap. *Si quis Episcopus*, Extra. *De Hæreticis*. Quod autem mortui interdum ab Excommunicatione absolvantur, non probat, eos Ecclesiæ foro obnoxios esse, sed Censuram morte solutam, si pœnitens (ut præsumitur) obierit, qui ligatus erat, in Ecclesiæ foro aliquo modo mansisse, quoad sepulturæ sacræ, publicorumque suffragiorum privationem. Quod ita ab Ecclesia statutum, ut majori tempore, ac reverentia erga Censuras afficerentur Christiani, magisque

An Censuræ in mortuos ferri possunt?

Qua ratione mortui ab Excommunicatione absolvantur?

soli-

solliciti essent de Absolutione obtinenda propter periculum mortis. Hæc autem disciplina de Absolutione interdum post mortem tribuenda excommunicatis, nititur cap. *A nobis*, 2. & cap. *Sacris*, Extra. *De Sententia Excommun.* In primo sic respondet Innoc. III. *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: Judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit Sententia innodatus. Vinculum ergo quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissionem dissolvitur: illud autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur. Quod in suscitatione Lazari sermo Evangelicus manifestat: quem prius Dominus suscitavit, & Apostolis præcepit postmodum solvere suscitatum. Unde quantumcumque se quis juramento præstito, quod Ecclesiæ Mandato pareret, humiliare curaverit, quantumcumque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præventus, Absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus: potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam Absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat, quod Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, atque solvendi homines super terram, tanquam non possit solvere, & ligare sub terra sepultos: & quod legitur, Non communicetur, mortuo, cui non est communicatum & vivo: cum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus Religionis, sed necessitatis articulus impedivit, & in certis casibus a Canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos, & solvisse.*

Ut autem incurratur in Censuram, necesse est, ut homo sit Censuræ capax, non solum pro tempore, quo imperavit facinus, propter quod illa contrahitur, sed etiam pro tempore, quo idem facinus executioni mandatur. Unde si quis mandavit, dum viveret, interfici, aut percuti Clericum, & mortuus est antequam nefaria jussio executioni mandaretur, non ligatur Excommunicatione lata in cap. *Si quis suadente*, quamvis in eam incurrat non tantum, qui per seipsum, sed etiam, qui sua auctoritate, vel mandato manus injicit temere violentas in Clericum, ut habetur cap. *Mulieres*, *§. Illi vero*, Extra, *De Sententia Excommunicationis*.

Hominem porro una jam Censura ligatum, altera non tantum diversæ, sed ejusdem etiam speciei ligari posse, totque Censuras contrahi, quot numero patrantur facinora, quibus annexa Censura est, Juris Canonici Periti, & Theologi summa consensione docent; post *S. Thom.* in IV. *Sententiarum*, dist. XVIII. qu. II. art. III. q. III.

ARTICULUS VI.

Quibus de causis nulla, & irrita, vel injusta Censura sit?

Censura nulla ob Jurisdictionis defectum.

CEnsura nulla, & irrita est tribus de causis: primo defectu Jurisdictionis in eo, a quo fertur: secundo defectu causæ legitimæ: tertio defectu ordinis ad Judicii substantiam requisiti.

Ob primum defectum, scilicet Jurisdictionis, nulla est Censura, quæ fertur a non Judice, ut colligitur ex can. *Sententia*, causa XI. qu. III. quo *Sententia Pastoris*, non alterius, timenda dicitur. Nulla pariter Censura est lata ab Excommunicato, vel Suspenso, si non solum ab Ordine, sed etiam a Jurisdictione suspensus sit, ut habetur can. *Audivimus*, causa XXIV. q. I. Item lata ab intruso, idest, qui absque Institutione Canonica Dignitatem

Eccle-

Eccleſiaſticam obtinuit, ut colligitur ex can. *Alienationes* cauſa XII. q. II. Id confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, diſt. XVIII. q. II. art. II. quæſt. III.

Hinc ſequitur, I. Cenſuram ab Epiſcopo latam extra proprium territorium, ac Diœceſim, aut in loco exempto, cum ad illam ferendam contentioſa (ut loquuntur) Juriſdictione opus eſt, nullam eſſe. Juriſdictio enim ſolemni more, ſedendo ſcilicet pro tribunali, & cum cognitione cauſæ, extra proprium territorium exerceri non poteſt abſque licentia Ordinarii.

II. Colligitur, Cenſuris ab Epiſcopo latis per modum Statuti non ligari ejus ſubditos in aliena Diœceſi delinquentes; ut conſtat ex cap. *Ut animarum*, tit. *De Conſtitutionibus*, in Sexto. *Statuto* (inquit) *Epiſcopi*, *quo in omnes*, *qui furtum commiſerint*, *Excommunicationis Sententia promulgatur*, *ſubditi ejus furtum extra ipſius Diœceſim committentes*, *minime ligari noſcuntur*, *cum extra territorium Jus dicenti non pareatur impune*. Cenſura tamen per modum ſtatuti lata in Clericos non reſidentes, aut ad Synodum non accedentes, a proprio Epiſcopo, delinquentes ligat, quamvis in aliena Diœceſi exiſtant. Peccatum enim omiſſionis ibi committi cenſetur, ubi actus præſcriptus exercendus erat.

III. Colligitur, Cenſuram a Superiore latam per modum Sententiæ ligare illius ſubditos in aliena etiam Diœceſi exiſtentes. Id enim diſcriminis inter Statutum, & Sententiam intercedit, quod Statutum territorium reſpiciat, ſeu perſonas ſubditas in territorio Superioris degentes: Sententia vero perſonam ipſam reſpiciat, cujus contumacia coercenda eſt. Unde Pariſienſis Epiſcopus Sententiam Excommunicationis ferre poteſt contra fures, qui Pariſiis grave furtum commiſerunt, niſi quamprimum reſtituant, eoque vinculo fures illi ligabuntur, quamvis in alienam Diœceſim ſe receperint, & domicilium mutaverint, quia manent ſubditi ratione delicti, quod in alieno territorio patratum eſt, ut conſtat ex cap. *Licet*, Extra. *De Foro competenti*, quod rationes, ſive cauſas quatuor aſſignat, quibus forum regulariter quis ſortitur, ſcilicet delictum, contractum, domicilium, & rem, de qua contra poſſeſſorem lis movetur. Cenſuram quoque ferre poteſt Epiſcopus in reum, qui domicilium mutavit data opera, ut Jurisdictionem illius declinaret, vel etiam bona fide, ſi cauſæ cognitio in foro ſuo fuerit inchoata, ut conſtat ex cap. *Propoſuiſti*, Extra. *De Foro competenti*, ubi *Gregorius IX* ſic reſpondet cuidam Epiſcopo: *Propoſuiſti Nobis*, *quod quidam ſubditus tuus ad petitionem cujuſdam adverſarii ſui a te legitime citatus ad cauſam*, *quia poſtmodum Juriſdictionis alterius eſſe cœpit*, *tum intendit Judicium declinare*. *Porro tuæ Prudentiæ dubium eſſe non credimus*, *quod is in prædicta cauſa jus revocandi forum non habet*, *quaſi ab altero jam præventus*.

IV. Colligitur, Nullam fore Cenſuram, quam quis ferret in ſeipſum, vel æqualem, vel Superiorem, quia nec in ſeipſum, vel in Superiorem, vel æqualem ullam Juriſdictionem habet. Ita *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, diſt. XVIII. qu. II. art. III. quæſt. I.

V. Nullam eſſe, & irritam Cenſuram latam, poſtquam Appellatio legitima interpoſita eſt: Quia *Per Appellationem interpoſitam*, *Excommunicantis videtur Juriſdictio dormitaſſe*, ut reſpondet *Innoc. III.* cap *Paſtoralis*, Extra. *De Sententia Excommun.* Ideſt, Judicis, qui Cenſuram ſub conditione tulerat, Jurisdictio ſuſpenſa eſt, cauſaque ad Superiorem Judicem devoluta. Epiſcopus v. g. fert Cenſuram Suſpenſionis, vel Excommunicationis in Clericum, niſi intra duos menſes compareat in foro ſuo. Clericus appellat ab hujuſmodi Sententia. Epiſcopus nihilominus contendit illum Cenſura hujuſmodi ligari: fruſtra quidem & perperam, quia Appellatio ad Metropolitanum

Appellatio legitima Cenſuram ſuſpendit.

num suspendit Jurisdictionem Episcopi hac in causa, adeoque, & latam ab eo Sententiam, ut respondet *Cœlestinus III.* cap. *Preterea* 2. Extra. *De Appellationibus*, cujus hæc sunt verba: *Requisiti sumus, si quis Judex ita protulerit Sententiam: Nisi Sempronio intra viginti dies satisfeceris, te excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum esse cognoscas: ille, in quem fertur Sententia, medio tempore appellans, ad diem statutum minime satisfecerit, utrum ille Sententia tali ligetur, aut interpositione Appellationis tuus existat: videtur autem Nobis, quod hujusmodi Sententiam Appellationis obstaculum debeat impedire.* Idem confirmatur ex cap. *Cum contingat*, Extra. *De Officio, & Potestate Judicis Delegati*, Ex cap. *Per tuas*, Extra. *De Sententia Excommun.* & cap. *Solet*, sub eod. tit. in Sexto.

Quæ appellatio legitima? Ut autem legitima sit Appellatio, necesse est, ut sit ex causa probabili, sufficiente, expressa, & coram Judice probanda, si Sententia sit interlocutoria, juxta cap. *Ut debitus*, Extra. *De Appellationibus*. At vero si peremptoria Sententia fuerit; simplex Appellatio, causa etiam non expressa, sufficit ad Suspensionem Censuræ ut vulgo docent Juris Canonici Periti. Et hæc quidem forum externum spectant. In foro vero Conscientiæ si quis mala fide appellat, ad prorogationem litis, sciens Appellationem esse injustam, nullaque causa legitima fultam, hujusmodi Appellatio vim Censuræ non suspendit: quia nemini fraus sua patrocinari debet, sive dolus: neque vera illa defensio est, sed offensio. In foro tamen exteriori hanc semper vim habet Appellatio, quamdiu non probatur mala fides, sive legitimæ causæ defectus. Excipiendæ sunt causæ, in quibus non est Appellationi locus secundum Canones ut causa Fidei, vel hominis Religiosi, quando secundum Regulam corrigitur, ut habetur cap. *Ad nostram*, & cap. *Reprehensibilis*, Extra. *De Appellationibus*. Quæ quidem Decreta intelligenda sunt de Disciplina Regulari, quæ fit ad Pœnitentiam, & extra Judicium.

Præterea, ad Appellationem legitimam necesse est, ut legitimo tempore fiat, idest, intra decem dies, a die latæ Sententiæ computandos, quod tempus est appellandi in causis omnibus jure præscriptum, cap. *Quod ad consultationem*, Extra. *De Sententia, & de re judicata*: aut certe ante conditionis in Censura expressæ tempus expletum, ut Auctores Juris Canonici consultissimi docent, qui Responso *Cœlestini III.* cap. *Præterea*, supra laudato nituntur, innuente legitimam Appellationem censeri, quæ *medio tempore* interjecta est, idest, ante diem explendæ conditioni peremptorie statutum. Covarruv. Navarrus.

Verum Censuræ absolute, & absque conditione latæ effectum non suspendit Appellatio, etiamsi ante denunciationem interposita sit, ut docet cap. *Pastoralis*, Extra. *De Appellationibus*, quia (inquit) *Excommunicatio executionem secum trahit.*

Judex in propria causa Censuram ferre, regulariter non potest. Sequitur sexto, Censuram a Judice, quem reus servato Juris ordine recusavit, latam, antequam recusationis causæ legitime examinentur, nullam, & irritam esse.

Sequitur septimo, Irritam esse Censuram, quam Judex in propria causa tulerit, & in vindictam propriæ injuriæ, ut *S. Gregorius* respondet *Januario Episcopo*, & refertur can. *Inter querelas*, causa XXIII. qu. IV. Eundem enim Actorem esse & Judicem, jus ipsum naturæ vetat. Excipitur casus necessariæ defensionis, in quo Episcopus, aut alius Judex Ecclesiasticus Censuram fert in eum, qui sibi vim infert. Vim enim vi repellere licet. Atque eam exceptionem approbat *Innoc. IV.* cap. *Dilecto*, tit. *De Sentent. Excommun.* in Sexto.

Sequitur octavo, irritam esse Censuram a Metropolitano latam in subditos Suffraganeorum suorum, nisi in casu Appellationis, aliisve casibus in Jure expressis, quia in eos Jurisdictionem non habet.

Alte-

Altera causa, propter quam nulla est, & irrita Censura, est defectus causæ legitimæ, ut si quis Judex Ecclesiasticus subditum nullius criminis reum excommunicet, vel suspendat, aut Sacris interdicat, nulla alia causa impulsus, quam perversa sua voluntate: aut si pro levi culpa Censuram ferat: aut si in ipsa Sententia causam prorsus insufficientem, & iniquam exprimat, v. g. quod Missam quotidie non audit, vel celebrat; quod Concioni Festis diebus non adest; vel subditis sub pena Excommunicationis prohibet, aut præcipit aliquid contra Jus. Tunc enim Sententia continere dicitur *Errorem intolerabilem*, propter quem nulla, & irrita merito pronunciatur, cap. *Per tuas*, Extra. *De Sententia Excommun.* & cap. *Solet*, sub eod. Tit. in Sexto.

Censura nulla est ob causæ legitimæ defectum

Quamvis porro in foro exteriori irrita non sit Sententia, in qua error intolerabilis non exprimitur, si tamen sufficiens, & legitima causa Censuræ defuerit, & propterea in Sententia taceatur, Censura etiam per se nulla, & irrita est: unde si ab illa appelletur, & defectus hujusmodi coram superiori Judice probetur, irrita declarabitur; nec is, in quem lata est, Absolutione indigebit, ut constat ex can. *Cui est*, can. *Irritam*, can. *Cepisti*, can. *Quid obest*, can. *Non debet*, & can. *Illud plane*, causa XI. q. III. Idemque confirmat Regula Juris LXIV. in Sexto. *Quæ contra Jus fiunt, debent pro infectis haberi.*

Tertio, nulla, & irrita Censura est defectu ordinis ad Judicii substantiam requisiti; cum v. g. legitima citatio partis non præcessit; cum causa Censuræ legitime, & juridice probata non est, reusque legitimis documentis, seu testimoniis non convictus, aut sponte confessus; cum denique deest aliqua conditio, vel Jure naturæ, vel speciali Jure positivo ita præscripta, ut illius defectu Sententiam nullius roboris fore declaretur. Talis est Admonitio Canonica, & competens, in certis casibus Jure expressis, nempe cum fertur Excommunicatio major in participantes cum Excommunicatis, non in crimine, sed in locutione. Hæc enim Censura defectu Canonicæ Monitionis nulla erit, secundum cap. *Statuimus*, tit. *De Sent. Excom.* in Sexto. Quæ lex extenditur ad Suspensionem, & Interdictum in eosdem participantes lata, cap. *Statutum*, ibid.

Censura nulla est defectu ordinis ad judicii substantiam requisiti.

Quamvis autem omnis Sententia, quæ nulla, & irrita est, sit etiam injusta: non tamen omnis Censura injuste lata etiam nulla est. Injusta enim Sententia est, quæ iniqua intentione fertur, ex odio, & vindicta, aliave simili causa: quæ tamen rata est, & valida, si causa legitima sit, & sufficiens ex parte Rei, in quem fertur a suo Judice, liberum Jurisdictionis usum habente; nihilque omittatur eorum, quæ ad substantiam Judicii necessaria sunt. Unde in Conc. Nicæno I. can. V. & can. *Servetur*, causa XI. qu. III. requiri jubetur, *Si forte ex aliqua indignatione animi, aut contentione, aut qualibet tali commotione* ab Episcopo suo excommunicati sint subditi, *Ut qui ob culpas suas Episcoporum suorum offensas merito contraxerunt, digne etiam a ceteris excommunicati similiter habeantur.* Injusta pariter est Sententia, quæ lata est accidentario Juris ordine non servato, scilicet absque trina monitione, & sine scriptura, cum tamen trina monitione, vel una pro trina præmissa, & in scriptis ferri Censuras Jure Canonico sancitum sit: sic tamen lata non semper irrita est. Injusta denique Censura est ex parte Rei, quæ fertur ob falsum crimen, sed tamen in Judicio legitime probatum: & tamen rata est in foro exteriori, justaque est ex parte actionis, sive Judicii.

Non omnis Censura injuste lata, nulla est.

Perperam vero quis inferret, Censuram omnem, quantumvis injusta sit, semper esse validam, ex celebri illo *S. Gregorii* Axiomate Hom. XXVI. in Evangelia, quod refertur a *Gratiano*, causa XI. qu. III. cap. I. *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est.* Id enim unum ex illo Axiomate recte

Qua ratione Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est?

recte colligitur, Sententiam, quæ ita est injusta, ut tamen sit valida, timendam esse. Si (inquam) Pastor Sententiam ferat malo animo, vel accidentario Juris ordine temere prætermisso, hæc tamen Sententia timenda est, quia hi defectus ipsam irritam non faciunt; adeoque vere ligat Reum, in quem lata est. Sententia etiam ita injusta, ut sit per se nulla, timenda est, cum illius nullitas certis documentis non est probata: quia in dubiis semper obediendum est Superiori. Præterea, Sententia evidenter nulla ea ratione timenda est subdito, ut in foro exteriori non contemnatur, si forte in eo valida est; vel ut cum aliorum scandalo non parvipendatur, qui forte defectum illius ignorant; vel certe si omnibus perspectum sit, & exploratum, nullam, & irritam esse, non propterea ita Sententiam, vel præceptum Superioris despiciat, ut ipsum etiam Superiorem, & Auctoritatem ejus contemnat, sed cum debito moderamine, ac reverentia quadam Jure suo utatur. Denique timere debet, qui censura injusta percellitur, ne ob aliam culpam ligari mereatur. Hunc esse *S. Gregorii* sensum, verba ejus demonstrant. „Sub magno „(*inquit*) moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare: „sed utrum juste, an injuste obliget Pastor; Pastoris tamen sententia gregi timenda est; ne is, qui subest, & cum injuste forsitan ligatur, ipsam „obligationis suæ Sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare: is autem, qui sub manu Pastoris est, „ligari timeat, vel injuste, nec Pastoris sui Judicium temere reprehendat; „ne, etsi injuste ligatus est, ex ipsa timidæ reprehensionis superbia culpa, „quæ non erat, fiat.

Quæ de injusta Censura diximus, confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XVIII. q. II. art. I. quæst. III. „Excommunicatio, *inquit*, potest „dici injusta dupliciter: uno modo ex parte Excommunicantis; sicut cum „ex odio, vel ira excommunicat: & tunc Excommunicatio nihilominus „habet effectum suum; quamvis ille, qui excommunicat, peccet; quia iste „juste patitur, quamvis ille injuste faciat: alio modo ex parte ipsius Ex„communicationis: vel quia causa Excommunicationis est indebita; vel „quia fertur Sententia Juris ordine prætermisso: & tunc si sit talis error ex „parte Sententiæ, qui Sententiam nullam faciat esse, non habet effectum; „quia non est Excommunicatio: si autem Sententiam non annullet, habet „effectum suum; & debet Excommunicatus humiliter obedire: & erit ei ad „meritum, vel Absolutionem petere ab Excommunicante, vel ad superiorem Judicem recurrere. Si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. „Contingit autem quandoque, quod est debita causa ex parte Excommunicationis, quæ non est debita ex parte excommunicati; sicut cum aliquis pro „falso crimine in Judicio probato excommunicatur: & tunc si humiliter su„stinet, humilitatis meritum recompensat Excommunicationis damnum.

ARTICULUS VII.

Quæ excusent a Censuris incurrendis?

A Censuris incurrendis excusat primo invincibilis ignorantia Juris: tum quia contumaciæ reus non est, qui laborat ignorantia invincibili: tum quia non censetur admonitus. Ad Censuram porro contrahendam necessaria est contumacia, & aliqua admonitio. Quamobrem, qui scit aliquod delictum prohibitum esse jure naturæ, vel divino, sed ab Ecclesia prohibitum esse nescit, aut certe sub Censura prohibitum ignorat, non incurrit in Censuras ab Ecclesia latas contra patrantes hujusmodi delictum. Hæc Regula confirmatur ex cap. *Ut animarum*, tit. *De Constitutionibus*, in Sexto, cujus

hæc

haec sunt verba : *Ut animarum periculis obvietur, Sententiis per Statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut affectata.*

II. A Censuris incurrendis excusat ignorantia invincibilis facti, aut qualitatis facti. Unde si quis hominem occidat, quem fallente visu credebat esse feram; vel Clericum, quem credebat esse Laicum, in Censuram non incurrit: contumax enim censeri non potest: Imo Reus cognito facto, aut facti qualitate perspecta, forte a facinore abstinuisset. Hanc regulam confirmat cap. *Si vero*. 2. Extra. *De Sententia Excomm.* quod est *Alexandri III.* Responsum : *Si vero* (inquit) *aliquis in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui : nec etiam Excommunicatione nodari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit: vel si hoc dubium fuerit, propria manu dumtaxat præstiterit Juramentum, quod eum esse Clericum ignorasset.*

III. A Censuris, vel Irregularitate ex delicto proveniente, non excusat ignorantia crassa, & supina, quæ a culpa mortali non excusat. Istud enim ignorantiæ genus culpam non minuit, sed auget: cum ignorare velit homo, vel scire contemnat, aut negligat, ut liberius peccet. Quamobrem contumacia ad contrahendam Censuram requisita cum hujusmodi ignorantia conjuncta est.

IV. A Censuris, & Irregularitate ex delicto proveniente non excusat ignorantia concomitans: quia non excusat a peccato, propter quod Censura contrahitur, ut docet *S. Thomas*, 1. 2. qu. LXXVI. art. III. Unde si quis vibrat sagittam in suum inimicum, quem credebat esse feram, sed tamen inimicum occidere decreverat, & ita erat animo affectus, ut illum nihilominus occidisset, si scivisset inimicum esse suum, incurrit in Irregularitatem, vel Excommunicationem, si lata sit Excommunicatio contra homicidas. Plures quidem Casuistæ id negant : sed Assertioni nostræ *S. Thomæ* principium, ratioque suffragatur.

V. A Censuris sub conditione latis excusat Appellatio ante conditionem adimpletam interposita, ut superius probatum est.

VI. A Censuris excusat impotentia faciendi, quod præcipitur: siquidem excusat a peccato, & a contumacia, ob quæ Censura contrahitur. *Nemo* enim *potest ad impossibile obligari*; ut habet Regula Juris.

VII. Metus gravis, & cadens in virum constantem, excusat a Censuris latis contra violatores Legis Ecclesiasticæ, modo contemptus absit Legis, & potestatis illam ferentis, Religionis, ac Fidei, graveque scandalum: pro quibus vitandis mortem subire homo Christianus tenetur : His autem seclusis, Ecclesia non censetur filios suos cum certo vitæ, famæ, honorum, & dignitatum, seu bonorum omnium periculo, vel detrimento obligare voluisse. Unde, qui gravi metu, & in virum constantem cadente perculsus, Ecclesiæ præceptum prætermittit, contemptu, gravique scandalo seclusis, non est contumax contra Legem Ecclesiasticam : ac proinde in Censuram non incurrit.

VIII. Voluntas, seu consensus illius in cujus favorem Censura concessa est, excusare videtur ab ea incurrenda. Quamobrem si quis ab Episcopo Censuram obtinuisset contra debitores suos non restituentes, sive solventes intra sex menses: ipse vero inconsulto Episcopo terminum prorogaret ad annum, illi Censuram non contraherent elapso priore semestri: quia sublata esset Censuræ materia pro eo tempore: sicut omnino, & in perpetuum ablata esset, si creditor debitum absolute condonasset. Verumtamen in illa hypothesi debitor, elapso termino illi a creditore prorogato, Censura ligaretur, nisi restituisset, sive solvisset. Terminus enim in Sententia Excommunicationis præfixus non fuerat

ad

ad finiendam obligationem ſolutionis, ſed ad ſolutionem urgendam, ac maturandam: quando autem conſtituitur terminus aliquis ad urgendam, ac ſolicitandam, non ad finiendam obligationem, non ceſſat obligatio elapſo temporis, quod conſtitutum eſt, intervallo. Prorogatio enim fit ſub eadem conditione, ut ſancitum eſt 1. *Sed ſi manente*, tit. *De Precario*, Lib. XLIII. Digeſtorum.

ARTICULUS VIII.

Quis abſolvere poſſit a Cenſuris?

A Cenſura poteſt abſolvere 1. qui eam tulit; 2. Superior, ad quem appellatum eſt. 3. Quilibet Sacerdos in mortis articulo.

A Cenſuris ab homine latis abſolvere poteſt, qui eas tulit, vel ejus in eodem Munere, & Officio Succeſſor, ut habetur Canone *Si Epiſcopus*, cauſa XI. qu. III. Quamobrem, & Capitulum ſede vacante abſolvere poteſt a Cenſuris ab Epiſcopo latis, quia in Epiſcopali Juriſdictione ſuccedit, ut conſtat ex cap. *Si Epiſcopus*, tit. *De Supplenda negligentia Prælatorum*, in Sexto. Quæ Regula non ſolum in Ordinariis Paſtoribus, ſed etiam in Delegatis locum habet, quando uno Delegato mortuo, alter loco illius in eadem cauſa, & cum eadem poteſtate mittitur; vel delegatio non eſt facta perſonæ, ſed Dignitati, v. g. Officiali Pariſienſi, ut colligitur ex cap. *Paſtoralis*, Extra. *De Officio Judicis Ordinarii*, §. *Præterea*. Poteſt autem abſolvere Delegatus non ſolum toto temporis intervallo, quod illi ad finiendam cauſam a Delegante conſtitutum eſt, ſed etiam intra annum ex quo munere ſuo functus eſt, finitivam Sententiam proferendo, ut reſpondet *Innoc. III.* cap. *Quærenti*, Extra. *De officio, & poteſtate Judicis Delegati*. Cum autem dicimus, Neminem abſolvere poſſe a Cenſura, niſi qui ipſam tulit, nec Delegatus, aut Subdelegatus excluditur, cum Judex, qui Cenſuram tulit, delegare, aut ſubdelegare poteſt. Non excluditur etiam Prælatus Juriſdictione ſuperior, cui ſubordinata ſit illius, qui Cenſuram tulit, Juriſdictio. Non excluditur tandem quilibet Sacerdos in articulo mortis, cum ad proprium Judicem recurri non poteſt. Hi enim omnes abſolvere poſſunt.

Quamvis porro Judex, ad quem interpoſita eſt Appellatio abſolvere poſſit a Cenſura lata ab inferiori, cum jam cauſa ſit ad eum devoluta, & acceſſorium ſequatur naturam principalis; idque confirmet cap. *Per tuas*, Extra. *De Sententia Excomm.* & cap. *Venerabilibus*, §. *Porro*, ſub eodem tit. in Sexto: ut ea tamen poteſtate legitime utatur, ſervare debet modum a Jure præſcriptum, cap. *Ad reprimendam*, Extra. *De Officio Judicis Ordinarii*, ut ſcilicet non abſolvat, niſi prius probatum fuerit Cenſuram inique fuiſſe latam: alioquin remittat abſolvendum reum ad Judicem, qui Cenſuram tulit; niſi periculum eſſet in mora, vel ille Abſolutionem tribuere nollet ſatisfacienti, ut Juris Canonici Periti docent.

In illa tamen hypotheſi poteſt etiam a Cenſura abſolvere ille, a cujus Sententia eſt appellatum, quia Juriſdictione ordinaria non excidit; ſed ſolum illam habet impeditam per Appellationem, ne aliquid agere poſſit, quod effectum, vel fructum Appellationis poſſit impedire. Abſolutio autem a Cenſura non impedit effectum Appellationis: quin potius fructus eſt, qui per Appellationem quæritur. Idque probant cap. *Cum ceſſante*, & cap. *Cum teneamur*, Extra. *De Appellationibus*, & cap. *Cum a Judice*, ſub eodem tit. in Sexto.

Epiſcopi ſubditos ſuos abſolvere poſſunt a Cenſuris Juris ſive Canonis, ſi non ſint reſervatæ.

II. A Cenſuris Juris, ſive Canonis, ſi reſervatæ non ſunt, Diœceſanos ſuos, & ſubditos abſolvere poſſunt Epiſcopi, vel alii Superiores Eccleſiaſtici Juriſdictionem Epiſcopalem habentes, & Parochi, ut colligitur ex cap. *Nuper*, Extra. *De Sentent. Excommun.* cujus hæc ſunt verba: *In ſecundo vero caſu a ſuo Epiſcopo, vel a proprio Sacerdote poterit Abſolutionis beneficium obtinere: quamvis enim ex tunc non Judicis, ſed Juris Sententia*

tia excommunicatus sit ligatus: quia tamen conditor Canonis ejus Absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi. Plerique tamen Juris Canonici Periti, & Theologi non infimi ordinis, id Parochis licere negant, & Canoni *Nuper*, contraria consuetudine derogatum fuisse contendunt. Alii ad quoscumque Sacerdotes ab Episcopo approbatos id extendunt, hac ratione freti, quod Superior facultatem absolvendi cuicumque Confessario concedere censetur, cum sibi Absolutionem non reservat. Quæ postrema Sententia probabilior est, & approbata a *S. Thoma* in IV. *Sententiarum*, dist. XVIII. qu. II. art. V. quæst. I.

III. Absentes, imo & invitos absolvi posse a Censuris, Theologos inter & Juris peritos convenit. Quin etiam *Manente contumacia potest aliquis Excommunicationem juste latam remittere; si videat saluti illius expedire, in cujus medicinam Excommunicatio lata est*; (inquit *S. Thom.* in eodem art. qu. II. ad II.) Absolutio etiam ab una Censura tribui potest, altera remanente, cum inter Censuras non sit necessaria connexio, ut docet *S. Thom.* ibid. q. III.

Absentes, imo & inviti, a Censuris absolvi possunt.

IV. Absolutio autem a Censuris duplex est; prima simplex, & absoluta, quæ vinculum omnino solvit; altera ad cautelam, sive cautionis causa, quæ conceditur, ubi dubium est, an Excommunicatio valida sit; vel ut appellans possit Judicio contendere, suamque Appellationem prosequi: Excommunicatum enim audiri in Judicio non posse, Canones decernunt, ut constat ex cap. *Per tuas litteras*, Extra. *De Sentent. Excommun.* Hoc autem casu Absolutio plerumque conceditur *Cum reincidentia* (ut loquuntur Juris Canonici Periti) idest, sub lege iterum incidendi in Censuram, ut primum finitum fuerit negotium, nisi Excommunicatus Ecclesiæ paruerit.

Absolutio ad cautelam.

CAPUT II.

DE EXCOMMUNICATIONE.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Excommunicatio?

EXcommunicatio *est Censura, qua quispiam ab Ecclesiastica Fidelium Communione separatur.*

Dividitur in *Majorem*, & *Minorem*. Excommunicatio minor, est *Censura, qua quis a participatione tantum Sacramentorum excluditur*. Major, est *Censura, qua quis non solum a Sacramentorum perceptione, sed etiam a Communione Fidelium segregatur*. Ita definit *Gregor. IX.* cap. *Si quem*, Extra. *De Sentent. Excommun.* Sive, est *Censura divina, qua quis a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegatur*; ut definit *Tertullianus*, Apologetici cap. XXXIX. Idem est sensus definitionis a *S. Thoma*, aliisque traditæ his verbis; *Excommunicatio est separatio a communione quoad fructum, & suffragia generalia Ecclesiæ*. Cum enim per Baptismum Fidelium cœtui adscribatur homo, & ad participationem Sacramentorum admittatur; extra Ecclesiam poni per excommunicationem dupliciter potest: Primo, ita ut separetur tantum a Sacramentorum participatione; quæ est Excommunicatio minor: alio modo, ut excludatur ab utroque quæ est Excommunicatio major. Fidelium autem communicatio duplex est, quædam Sacra, & Ecclesiastica, in spiritualibus scilicet bonis, qualia sunt orationes Fidelium, & conventus ad Sacra percipienda: quædam Politica, & Civilis, in actibus scilicet corporeis legitimis posita, quales sunt salutatio, collocutio, seu voce, seu litteris, seu nutibus fiat, convivium. Superior itaque definitio

De Excommunicatione.

ſeparationem a Sacramentis exprimit his verbis: *Quoad fructum*; & a Communione Fidelium quantum ad ſpiritualia his verbis; *& ſuffragia Eccleſiæ generalia*. Utrumque pariter exprimit altera illa definitio: *Excommunicatio eſt a qualibet licita Communione Fidelium ſeparatio*.

Excommunicatio alio nomine a Veteribus interdum appellatur *Abſtentio*, præcipue a *S. Cypriano*, Epiſt. XXVIII. ubi de *Feliciſſimo* ſcribit: *Interim cum Feliciſſimus comminatus ſit, non communicaturos in morte ſecum, qui nobis obtemperaſſent, ideſt, qui nobis communicarent, accipiat Sententiam quam prior dixit, ut abſtentum ſe a nobis ſciat*. Et Epiſt. LV. *Feliciſſimum hoſtem Chriſti non novum, ſed jam pridem ob crimina ſua plurima, & graviſſima abſtentum*. Epiſt. LXVII. *Novatianus olim abſtentus, & hoſtis Eccleſiæ judicatus*. Et Tract. de Oratione Dominica: *Chriſtus noſter (qui Corpus ejus contingimus) panis eſt. Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti, & non communicantes a cæleſti Pane prohibemur, a Chriſti Corpore ſeparemur*. Et infra. *Timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur a Chriſti Corpore, procul remaneat a ſalute*.

Notio vocis Anathema.

Major Excommunicatio alio etiam nomine *Anathema* appellatur. Quæ quidem vox ambigua eſt, in bonam æque, ac malam partem uſurpatur, ut *S. Chryſoſtomus* obſervat Hom. I. in *Iſaiam*, & Homilia *De Anathemate*. Quandoque enim ſignificat id, quod certo loco appenſum, & ex voto Deo oblatum, vel in ejus Templo dedicatum eſt; quandoque vero, quod a Deo ſejunctum eſt per impietatem, quod Scripturæ Sacræ complura exempla declarant, & Auctor Quæſtionum ad Orthodoxos inter Opera *S. Juſtini*, q. CXX. confirmat. Sed hujus vocis ſignificationem in præſenti materia præclare jam laudatus *Chryſoſtomus* explicat Hom. XVI. in Epiſt. ad Romanos, tractans illum Apoſtoli locum, *Optabam ego ipſe Anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis*. Quid *igitur eſt Anathema*? (inquit) *Audi ipſum ita loquentem*: Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, is Anathema ſit: *Hoc eſt, ab omnium commercio ſegregetur, alienus ab omnibus ſit. Nam quemadmodum Anathema, donumque id, quod Deo oblatum dedicatur, nemo eſt, qui temere manibus contingere audeat, neque ad id propius accedere: ſic & eum, qui ab Eccleſia ſeparatur, ab omnibus abſcindens, ac tanquam longiſſime abducens, hoc nomine, a contrario ſcilicet appellat, magno cum terrore omnibus interminatus, ab eo ut ſeparentur, & pedem referant. Anathemati enim honoris gratia appropinquare nemo audebat: ab eo autem, qui ab Eccleſia abſciſſus erat, ex appoſita ſententia omnes ſeparabantur: quapropter ſeparatio quidem tum hæc, tum illa, ex æquo a vulgo abalienatio erat: ſeparationis vero modus non unus, ſed illi contrarius. Ab illo enim abſtinebant, tanquam Deo dicato: ab hoc autem decedebant tanquam a Deo alienato, & ab Eccleſia abſciſſo. Hoc ipſum igitur, & Paulus ſentiens dixit*: Optabam Anathema eſſe a Chriſto.

Deut. 7. Joſ. 6. & 7. Zach. 14. Marci 12. Rom. 9. 1. Cor. 12. & 16.

Significat etiam *Anathema* occiſionem, ut obſervat *S. Hieronymus*, Epiſt. CLI. ad *Algaſiam*, qu. IX. *Vult ergo* (inquit) *Apoſtolus perire in carne, ut alii ſalventur in ſpiritu; ſuum ſanguinem fundere, ut multorum animæ conſerventur. Quod autem Anathema interdum occiſionem ſonet, multis Veteris Teſtamenti teſtimoniis probari poteſt*.

Voci *Anathema* additur *Maranatha*, imitatione Apoſtoli ad Corinthios ſcribentis: *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit Anathema, Maranatha*. Quæ vox Syriaca magis quam Hebraica, divini Judicii conteſtationem exprimit: ſignificat namque *Dominus noſter venit*.

Quamvis autem Excommunicatio major, & Anathema idem re ipſa ſint, ſolemnitate tamen quadam Anathema ab Excommunicatione diſtinguitur, quod ſolemni Ritu, ac Cœremoniis majorem terrorem incutientibus

tibus peccatorem contumacem Ecclesia execretur, dirisque devoveat.

Aliæ sunt divisiones Excommunicationis in Excommunicationem Canonis, & Judicis; sive a Jure, & ab Homine: item in Excommunicationem latæ Sententiæ, & ferendæ: quæ facile intelliguntur ex iis, quæ de Censuris in genere dicta sunt.

ARTICULUS II.

De Potestate ferendæ Excommunicationis.

Excommunicandi potestatem Ecclesiæ a Christo traditam ea omnia argumenta probant, quibus ferendarum Censurarum Auctoritas Ecclesiæ vindicatur superiori capite, art. III. Idque confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XVIII. qu. II. art. I. Quæstiunc. II. *Judicium* (inquit) „ Ecclesiæ conforme debet esse Judicio Dei: Deus autem multipliciter peccatores punit, ut eos ad bonum trahat: uno modo flagellis castigando: alio „ modo hominem sibi relinquendo, ut auxiliis subtractis, quibus a malo „ præpediebatur, suam infirmitatem cognoscat, & humilis ad Deum redeat, a quo superbus abscessit. Et quantum ad utrumque Ecclesia in Excommunicationis Sententia divinum Judicium imitatur. In quantum enim „ eum a Communione Fidelium separat, ut erubescat, imitatur divinum „ Judicium quo per flagella castigat: in quantum autem a suffragiis, & aliis spiritualibus separat, imitatur divinum Judicium, quo hominem sibi „ relinquit, ut per humilitatem se ipsum agnoscens ad Deum redeat. De Excommunicatione.

Hæc autem Excommunicandi potestas ab Episcopis tantum, Majoribusque Prælatis, atque aliis Jurisdictionem quasi Episcopalem in foro Judiciali habentibus exerceri potest. Ut enim ait *S. Thomas* Art. II. ejusdem Quæstionis, Quæstiunc. I. „ In foro conscientiæ causa agitur inter hominem, „ & Deum: in foro autem exterioris Judicii causa agitur hominis ad hominem; & ideo absolutio, vel ligatio, quæ unum hominem obligat quoad Deum tantum, pertinet ad forum Pœnitentiæ: sed illa, quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris Judicii pertinet: & quia per Excommunicationem homo a Communione Fidelium separatur, ideo Excommunicatio ad forum exterius „ pertinet; & illi soli possunt excommunicare, qui habent Jurisdictionem „ in Foro Judiciali: & propter hoc soli Episcopi propria Auctoritate, & „ Majores Prælati possunt excommunicare, non Presbyteri Parochiales. Hinc *Episcopi mucro* appellatur Causa XVI. qu. II. Can. *Visis*.

Necesse porro non est, ut Sacerdotio quis sit inauguratus ad Excommunicationem ferendam, modo exterioris fori Jurisdictionem habeat. Unde Episcopi electi, & confirmati, etiamsi nondum consecrati sint, imo necdum Sacerdotes, excommunicandi potestatem habent. Id enim discriminis inter Sacramentorum dispensationem, & Excommunicationem intercedit, quod „ Sacramenta, in quibus gratia confertur, dispensare ad solos Sacerdotes pertinet: & ideo ipsi soli possunt absolvere, & ligare in foro Pœnitentiæ: sed Excommunicatio non directe respicit gratiam, sed ex consequenti; in quantum homo suffragiis Ecclesiæ privatur, quæ ad gratiam „ disponunt, vel in gratia conservant: & ideo etiam non Sacerdotes, dummodo Jurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare: (inquit *S. Thomas*, Quæstiunc. II. ejusdem Articuli.) Idque confirmatur ex cap. *Transmissam*, Extra. *De Electione, & Electi potestate*.

Quod vero superius diximus, Parochos Jus excommunicandi non habere, non convellit cap. *Cum ab Ecclesiarum*, Extra. *De Officio Judicis Ordi-*

narii, quod Plebanum *S. Pancratii* Excommunicationis Sententiam in Parochianos suos ferre potuisse declarat. Quod spectans *S. Thomas* ait, *Presbyteros Parochiales non posse excommunicare, nisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus, sicut in furto, & rapina, & ejusmodi, in quibus est eis a Jure concessum, quod excommunicare possint*. Nam Plebanus ille *S. Pancratii* ex institutione, privilegio, vel consuetudine, Jurisdictionem ordinariam habebat in foro exteriori, quod aliis Parochis non convenit. Et si consuetudo ipsis aliquando id Juris tribuit, ut in certis casibus Excommunicationem ferre possent, hæc consuetudo Jure, Moribusque contrariis abrogata est.

ARTICULUS III.

De Fine Excommunicationis.

FInis Excommunicationis primarius est honor Dei, ne scilicet nomen ejus apud Infideles blasphemetur, Christianaque Religio in contemptum veniat, si gravissima Christianorum hominum crimina impune grassari videant.

Secundus est Ecclesiastica Disciplina, cujus justa severitate ceteri a similibus criminibus deterrentur. Unde *Excommunicationis gladius nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ* vocatur a Concilio Tridentino Sess. xxv. *De Reformatione*, cap. III. & a *S. Augustino* Lib. *De Fide, & Operibus*, cap. III. *Misericors severitas* appellatur.

De Excommunicatione.

Tertius est custodia, & salus aliorum, qui contagione morbi infici possent. Nam *Modicum fermentum totam massam corrumpit*.

1. Cor. 5.

Quartus est salus ejus, qui Excommunicatione percellitur, ut scilicet pudore, & spiritualium bonorum privatione, omniumque Fidelium execratione commotus, & *Traditus Satanæ in interitum carnis*, ad cor tandem redeat, *Ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*. Quamobrem Excommunicatio *Medicinalis* interdum appellatur in Sacris Canonibus. *Nec est inconveniens* (inquit S. Thomas) „ si ille, qui non est desperatus, hosti „ datur, quia non datur ei quasi damnandus, sed quasi corrigendus; cum „ in potestate Ecclesiæ sit ex ejus manu ipsum eripere, cum voluerit. *Et* „ Maledictio quandoque est salutifera, cum malum, quod quis maledicendo imprecatur, ad bonum illius ordinat, qui maledicitur. Sicut & Medicus aliquod nocumentum infert infirmo (ut sectionem) per quod ab „ infirmitate liberetur; (inquit idem S. Doctor in Responsione ad primum.)

1. Cor. 5.

In IV. Sent. Dist. XVIII. qu. I. art. I. qu. 3. ad 3.

ARTICULUS IV.

De Majoris Excommunicationis effectibus, sive de bonis, quibus privat major Excommunicatio.

EXcommunicationem pœnarum omnium, quæ ab Ecclesia infligi possunt, esse gravissimam diserte *S. Augustinus* docet, Libro *Contra Adversarium Legis, & Prophetarum*, cap. XVII. *Ignoscendi autem misericors mansuetudo* (inquit) *propter quam dictum est, Non solum septies, verum etiam septuagies septies fratri remittenda esse peccata, non ad hoc valet, ut sit iniquitas impunita, aut torpens, & dormiens Disciplina, quod potius obsit quam diligens, vigilansque vindicta. Claves quippe Regni cœlorum sic dedit Christus Ecclesiæ, ut non solum diceret*, Quæ solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis; *ubi apertissime bonum, non malum pro malo reddit Ecclesia: verum & adjungeret*, „ Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in cœlo; *quia bona est & vindicandi*

Excommunicatio, pœnarum omnium, quæ infligi ab Ecclesia possunt, gravissima. Matth. 18. 22.

Matth. 16. 19.

„ *di justitia. Illud enim, quod ait*, Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus: *gravius est, quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subigeretur. Nam ibi quoque subjunxit*, Amen dico vobis, quæ ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis: *ut intelligeretur, quam gravius sit punitus, qui velut relictus est impunitus*. Et infra: *Ecce ab hominibus non reddentibus malum pro malo, alligatur homo amarius, & infelicius Ecclesiæ clavibus, quam quibuslibet gravissimis, & durissimis ferreis, vel adamantinis nexibus*. Matth. 18. 17.

Summum futuri Judicii præjudicium est. Excommunicatio, (inquit *Tertullianus* in Apologetico.) Sicut enim Christus impios a societate Sanctorum separabit: ita nunc, qui Christi vicem gerit Sacerdos, aliquem excommunicans, segregat eum a societate Fidelium. Christus Judex malos adjunget cœtui hœdorum, ac reproborum: Sacerdos excommunicans peccatorem ipsum infidelibus adjungit, ut tanquam *Ethnicus*, & *Publicanus* habeatur. Tunc Christus in æternum retinebit peccata reproborum, nec eorum pęnam relaxabit, quantumcumque clament, & misericordiam postulent, sed ligari illos jubebit, & in tenebras exteriores mitti: ita nunc Sacerdos excommunicans divino vinculo peccatores ligat, ipsique a diabolo captivi tenentur; ut quantumcumque ad Deum clament, orent, jejunent, eleemosynas erogent, pia hæc opera nihil illis prosint, nisi resipiscant, Ecclesiæ satisfaciant, ab eaque Absolutionem impetrent. Et quemadmodum diabolus impios possidebit, illisque, ceu tyrannus in perpetuum dominabitur, ita nunc excommunicatos possidet, illisque proprio quodam jure, velut sibi traditis dominatur. Cujus rei exemplum in Juda Proditore videmus, qui antea quidem obsessus fuerat a Satana, ut *S. Lucas* testatur Evangelii sui cap. XXII. Vers. 2. Sed postquam Christus perpetrandi maleficii dedit ipsi potestatem, dicens: *Quod facis, fac citius*, & ab Apostolorum consortio abire jussit, *Tunc introivit in eum Satanas*, (inquit S. Joannes) *Non ut adhuc alienum tentaret, sed ut proprium possideret*. Verba sunt *S. Augustini*, Tract. LXII. in Joannem. De Excommunicatione.

Verum, ut melius intelligatur, quibus, quantisque bonis priventur excommunicati, expendendum est, quid conferat Sanctorum Communio. Quandiu aliquis in Ecclesia permanet, quamvis ad Christianæ vitæ regulam mores non componat, Ecclesiæ tamen membrum est, ad eumque fructus aliquis e corpore mystico derivatur. Omnia enim bona corporis ad membra singula pertinent ob connexionem mutuam, & corporis unitatem. At si plane præcisum est membrum, nihil fructus, aut commodi a corpore, aliisque membris capit: sicut palmes quamdiu viti adhæret, ex ea succum aliquem trahit, ab ea vero præcisus arescit. Alio res exemplo illustratur. Contingit interdum, ut Civitas aliqua merito insignium aliquot, & proborum virorum, qui de Republica, vel de Rege optime meriti sunt, amplissimis donetur privilegiis, quibus non boni tantum, sed & mali cives nihilominus perfruuntur: ita certe in Ecclesia; mystica illa Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, omnia bona aliquo modo ad malos etiam in ea permanentes, & cum bonis permixtos redundant. Hos enim propter Sanctos, quibuscum permixti sunt, protegit, quos alioqui pro merito criminum disperderet, ac deleret Deus. Quibus bonis privet major Excommunicatio? Joann. 15. De Excommunicatione.

Secundo, Eos, qui in Ecclesia consistunt, quamvis impii sint, & reprobi, Pastores agnoscunt pro ovibus suis, eoque nomine ipsos hortantur, corripiunt, illorumque salutis curam gerunt.

Tertio, Christiani reliqui ipsos, ut fratres, ejusdemque corporis membra agnoscunt: ideoque pro eis orant, vigilant, laborant, ut eos ad viam virtutis revocent.

Quarto, Jus habent percipiendi Sacramenta, ſtatim atque pœnitentiam egerint; quorum fructu ſalutem conſequi poſſunt.

His autem bonis longe maximis privantur excommunicati, cum ab Eccleſia præciduntur. Amittunt inprimis protectionem Spiritus Sancti, ut docet *S. Jo: Chryſoſtomus* de inceſtuoſo Corinthio loquens Hom. v. in I. ad Timotheum. *Eiiciebatur* (inquit) *a communi Fidelium cœtu, abſcindebatur a grege, fiebat nudus, atque deſtitutus, atque ita luporum incurſibus patebat. Sicut enim per diem nubes Hebræorum caſtra tegebat; ita & Eccleſiam protegit Sancti Spiritus gratia. Si quis igitur extra Eccleſiam fieret, comburebatur. Fiebat autem extra Eccleſiam Apoſtolorum judicio*, &c.

Secundo, Pro excommunicatis non ſunt Paſtores tanquam pro ovibus ſuis ſolliciti. Unde *Innocentius I.* de *Pelagio*, & *Cæleſtio* ab Eccleſiæ Communione ob hæreſim præciſis ſcribit ad Patres Milevitani Concilii: *Abſint atriis Domini, careant cuſtodia paſtorali, ne duarum ovium dira contagia ſerpant forſitan per vulgus incautum, rapacique lupus corde lætetur intra ovile dominicum tantas ovium fuſas catervas, dum a cuſtodibus diſſimulanter habetur vulnus duarum.*

Tertio, Chriſtiani reliqui Excommunicatos tanquam fratres, & membra ejuſdem corporis non agnoſcunt, Chriſti Sententiæ obſecuti, *Sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*. Quamobrem carent illi fructu omnium illarum precum, quas Fideles pro fratribus in Chriſto ſuis, ejuſdemque corporis myſtici membris fundunt.

Quarto, Quamvis Excommunicati aliquid boni agere videantur: id tamen nihil eis prodeſt ad ſalutem, quamdiu extra Eccleſiam manent.

Major Excommunicatio privat Communione Sacramentorum.

Sed jam particulatim explicandum eſt, quibus bonis privet major Excommunicatio. Privat itaque primo participatione, & adminiſtratione Sacramentorum, ut docet *Innocentius III* cap. *Cum illorum*, Extra. *De Sententia Excommun.* cujus hæc ſunt verba: *Nonnulli Eccleſiaſticam Sententiam negligentes, in Excommunicatione poſiti, Eccleſiaſticos Ordines accipere non formidant: quid autem de his fieri debeat; Apoſtolicum Oraculum ſæpius imploratur. Circa quos credimus diſtinguendum, quod tales, vel ſciunt Excommunicationis ſe vinculo irretitos, vel non recolunt factum, pro quo in latæ Sententiæ Canonem inciderunt: vel factum quidem ſcientes, Juris ignari neſciunt exinde ſe teneri. Primos, ſi fuerint ſæculares Clerici, a ſuſceptis Ordinibus cenſemus in perpetuum deponendos: in reliquis caſibus tam Archiepiſcopi, quam Epiſcopi abſque Mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, diſpenſandi facultatem ſe noverint non habere.*

Idem confirmatur ex cap. *Illud Dominus*, Extra. *De Clerico excommunicato miniſtrante*, cujus hæc ſunt verba: *Illud autem, quod ſub ſpe veniæ Divina ſibi fecit, poſtquam ſe a nobis excommunicatum noverat, celebrari, & Communioni Fidelium ſe ingeſſit, potius contra eum facere credimus, quam pro eo: cum ſub fiducia pœnitentiæ non debuerit deliquiſſe: & Excommunicatos non vitare multo magis quam non vitari periculoſum exſtat. non vitare ſiquidem, cum in eo ſit, Excommunicatus ſine delicto non poteſt: ſed cum ex aliis pendeat, ſine ſuo delicto poterit non vitari.* Et infra: *Cum eo miſericordiam facientes, pœnam quam Canon infligit his, qui poſt excommunicationem Divina præſumpſerint Officia celebrare, vel ſe celebrationi ingeſſerint Divinorum, ei non duximus infligendam.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Diſt. XVIII. quæſt. II. art. V. Quæſtiuncula I. ad ſecundum. *Cum* (inquit) *excommunicatus non ſit particeps Sacramentorum Eccleſiæ, Sacerdos non poteſt abſolvere excommunicatum a culpa; niſi ſit prius abſolutus ab excommunicatione.*

Major Excommunicatio privat

Secundo, communibus ſuffragiis, & orationibus, quæ pro Eccleſiæ membris fiunt, privat Excommunicatio; ut colligitur ex cap. *A nobis*, & cap. *Sacris*,

communibus Ecclesiæ suffragiis, orationibus.

Sacris, Extra. *De Sententia Excommun.* quibus prohibetur, ne pro iis oblationes recipiantur, aut preces fundantur, qui in excommunicatione sunt defuncti, (quamvis Pœnitentiæ signa dederint, nec per eos steterit, quin Ecclesiæ reconciliarentur) nisi prius Absolutionis beneficium defunctis etiam fuerit impensum.

De Excommunicatione.

Id confirmatur ex *S. Cypriano*, Epist. LXVI. qua prohibet, ne oblatio fiat, aut oratio fundatur a Sacerdotibus nominatim pro *Victore*, qui *Faustinum* Presbyterum testamento suo tutorem nominans, in excommunicationem incurrerat a Concilio Africano latam. *Quod Episcopi* (inquit) „ Antecessores „ nostri religiose considerantes, & salubriter providentes, censuerunt, ne „ quis frater excedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, ac si „ quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione „ ejus celebraretur. Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in *Sa-* „ *cerdotum* prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Ministros voluit avocare. „ Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus da- „ tam Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non „ est, quod pro dormitione ejus apud vos fiat Oblatio, aut deprecatio ali- „ qua nomine ejus in Ecclesia frequentetur.

Idem confirmatur exemplo Sanctimonialium, quas *S. Benedictus* ob linguæ petulantiam excommunicaverat, quæ paulo post defunctæ, & in Ecclesia sepultæ, de sepulchris suis progredi, & exire de Ecclesia visæ sunt, quoties Diaconus clamabat: *Si quis non communicat*, *det locum*. Refert *S. Gregorius* Lib. II. *Dialogorum*, cap. XXIII.

Ex hoc autem, quod aliquis suffragiis Ecclesiæ privatur, „ Triplex in- „ commodum incurrit per oppositum ad tria, quæ quis ex Ecclesiæ suffra- „ giis consequitur. Valent enim ad augmentum gratiæ eis, qui habent, „ vel ad merendum eis, qui non habent: & quantum ad hoc Magister „ Sententiarum dicit, Quod gratia Dei per Excommunicationem subtrahi- „ tur. Valent etiam ad custodiam virtutis: & quantum ad hoc dicit: „ Quod protectio subtrahitur; non quod omnino a Dei providentia exclu- „ datur, sed quod ab illa protectione, qua filios Ecclesiæ specialiori mo- „ do custodit. Valent item ad defendendum ab hoste: & quantum ad hoc „ dicit: Quod diabolo major potestas sæviendi in ipsum datur, & spiri- „ tualiter, & corporaliter. Unde in primitiva Ecclesia, quando oportebat „ per signa ad fidem homines invitare; sicut Spiritus Sancti donum visi- „ bili signo manifestabatur, ita & Excommunicatio corporali vexatione „ a diabolo innotescebat; (inquit) *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* distinct. „ XVIII. qu. II. art. I. qu. II. ad III.)

Major Excommunicatio privat auditione Missæ, & divinorum Officiorum.

Tertio, privatur excommunicatus auditione Missæ, Divinorumque Officiorum, ut constat ex cap. *Illud Dominus*, supra laudato, item ex cap. *Responso*, Extra. *De Sententia Excom.* & ex cap. *Is, qui*, necnon ex cap. *Episcoporum*, tit. *De Privilegiis*, ibidem: & ex Clementina, *Gravis*, tit. *De Sententia Excom.* Lib. V. Clementinarum. Divinorum autem Officiorum nomine intelliguntur Horæ Canonicæ; quæ in Ecclesia publice recitantur, Supplicationes solemnes, ad quas Populus fidelis concurrit, omnes item orationes publicæ, benedictiones, similesque Ritus Ecclesiastici alicui Ordini Clericali ex Christi, aut Ecclesiæ Institutione, aut consuetudine annexi, ut colligitur ex can. *Si quis Episcopus*, causa XI. qu. III.

Qui Excommunicatione majori est irretitus, privatur Ecclesiastica sepultura.

Quarto, excommunicatus privatur Ecclesiastica sepultura, ut constat ex cap. *Sacris*, Extra. *De Sepulturis*, cujus hæc sunt verba: *Sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis: & ut careant Ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab Ecclesia-*

ftica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. Unde si contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in Cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Ecclesiastica sepultura jactari. Quod si discerni non poterunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur Fidelium; cum licet non obsit Justis sepultura nulla vel vilis, impiis tamen celebris, vel speciosa non prosit. Idem confirmatur ex Clementina, *Eos, qui*, tit. *De Sepulturis*, quæ excommunicatos ipso facto declarat eos. *Qui in Cœmeteriis Interdicti tempore, in casibus non concessis a Jure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos; vel usurarios manifestos, scienter sepelire præsumunt.* Cœmeteria vero, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, *Reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ: sicut in Dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit*; ut respondet *Innoc. III.* cap. *Consuluisti*. Extra. *De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris*. Hæc tamen pœna ad solos excommunicatos denunciatos pertinet, ut colligitur ex Constitutione, quæ incipit; *Ad vitanda scandala*.

Fit incapax beneficiorum Ecclesiasticorum deinceps impetrandorum Excommunicatione manente. In Sexto.

Quinto excommunicatus fit incapax Beneficiorum, & Dignitatum Ecclesiasticarum in futurum obtinendarum, quandiu excommunicatione ligatus permanserit, quamvis ante impetrata retinere possit. Quamobrem collatio Beneficii excommunicato facta prorsus invalida est, nec Beneficium illud licite potest retinere, etiamsi ab excommunicatione absolvatur, nisi nova collatione, vel legitima dispensatione jus ad illud, titulumque legitimum obtineat. Sola namque Absolutione convalescere non potest collatio, quæ nulla fuit, secundum Regulam illam Juris: *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.* Quo fit, ut nec fructus talis Beneficii retinere possit, si eos percepit, sed restituere teneatur, nisi forte suam excommunicationem ignorans Officium aliquod, aut Ministerium in Ecclesia exercuisset, dictosque fructus bona fide percepisset, atque consumpsisset. At Beneficium retinere non potest, quod obtinuit, dum excommunicatione ligatus erat, quamvis bona fide acceperit, aut suam excommunicationem ignorans, aut ab illa se absolutum probabiliter existimans: quia ignorantia, quamvis a nova culpa, & consequenter a nova pena, proindeque a nova Censura excuset, non tamen actui, ut instrumento alias invalido valorem, ac robur confert, neque impedit effectum ex priori Censura canonice inflicta provenientem, qui est quasi pena illius peccati, pro quo prior excommunicatio lata fuit, a qua proinde pena excusare non potest ignorantia, quæ in Beneficii collatione intervenit. Hæc autem doctrina confirmatur ex cap. *Postulastis*, Extra. *De Clerico Excommunicato ministrante*, cujus hæc sunt verba: *Cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis Excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licite retinere, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum: cum ea non fuerint canonice consecuti. Illi vero, qui scienter illa Beneficia talibus contulerunt, tamdiu debent a Beneficiorum collatione suspendi, donec super hoc veniam consequi mereantur: ut puniantur in hoc, in quo delinquere præsumpserunt.*

De Excommunicatione.

Si quis tamen post collationem Beneficii sibi factam, & ante acceptationem subsecutam excommunicetur, non statim privatur jure ad illud Beneficium per collationem sibi quæsito; nec illud alteri conferre potest is, ad quem collatio pertinet, nisi is, cui collatum est, consensum præbuerit, antequam ab Excommunicatione absolveretur, & elapsum sit tempus ad consentiendum statutum. Jus enim ad Beneficium collatio confert, non jus in Beneficio, nisi consensus accedat, sive acceptatio ejus, cui collatum est. Consensus autem durante Excommunicatione præstitus inefficax fuit, ut jus in Bene-

neficio conferret. Quamobrem si excommunicatum ante Absolutionem mori contingat, Beneficium illud per ejus obitum denuo vacare non censebitur. Id colligitur ex cap. *Si tibi absenti*, in Sexto.

Suorum etiam Beneficiorum ante excommunicationem legitime possessorum fructibus privari potest excommunicatus, adeoque & Pensionibus Ecclesiasticis, ut colligitur ex cap. *Pastoralis*, §, *Verum*, Extra. *De Appellationibus*, cujus hæc sunt verba: *Cum executionem Excommunicatio secum trahat, & excommunicatus, per denuntiationem amplius non ligetur, ipsum excommunicatum denunciare potes, ut ab aliis evitetur. Et illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*. Sed hujusmodi fructibus non privatur ex præscripto juris, & ante judicis Sententiam. Cui enim Ecclesia Beneficii possessionem indulget, eidem attribuere censetur accessoria: Nam *Accessorium naturam sequi congruit principalis*, ut habet Regula Juris, in Sexto. Præterea, pœnæ cum sint odiosæ, restringendæ potius sunt quam ampliandæ: jus autem hanc pœnam diserte non decernit: nec eam admittit Ecclesiæ Gallicanæ consuetudo, quasi jure ipso præscriptam.

Excommunicati beneficiorum suorum fructibus a Judice Ecclesiastico privari possunt.

Sexto, privatur Excommunicatus usu spiritualis Jurisdictionis in foro exteriori, ut colligitur ex canone *Audivimus*, causa XXIV. qu. I. ex cap. *Romana Ecclesia* tit. *De Officio Vicarii*, in Sexto; ex cap. *Si is*, tit. *De Officio & potestate Judicis Delegati*, ibidem. Item ex cap. *Decernimus*, tit. *De Sententia Excommun.* & cap. *Veniens*, 2. *De Testibus*, in Sexto. Quæ Regula extenditur ad omnes actus Jurisdictionis, quales, *sunt* præcipere leges, vel statuta condere, judicium ferre, & alii similes, quos recensent cap. *Accedentibus*, Extra. *De Excessibus Prælatorum*, & cap. *Dilectus filius*, Extra. *De Officio Ordinarii*. Huc etiam spectat Jurisdictionis delegatio, quæ si ab Excommunicato fiat, nulla prorsus, & invalida est. Quæ vero Jurisdictio delegata est ante Excommunicationem delegantis, eo excommunicato suspenditur, si res sit integra; non vero si jam inchoata sit causæ cognitio.

Excommunicati privantur usu spiritualis Jurisdictionis.

Acta tamen excommunicati, qui Jurisdictionem suam exercet (quod absque novo peccato mortali non potest) valida sunt, & rata, nisi sit publice, ac nominatim denuntiatus, vel nisi ita notorie in Excommunicationis Sententiam constiterit incidisse, ut nulla possit tergiversatione celari. Id constat ex Constitutione, quæ incipit: *Ad vitanda scandala*.

Postremo privatur excommunicatus omni civili, & prolitica cum aliis Fidelibus communicatione, exceptis tantum casibus in Jure expressis. Quamobrem, & osculum pacis, omneque signum specialis amicitiæ, & benevolentiæ, & familiare colloquium sive per verba, sive per litteras, sive per nutus, omnis salutatio honorifica, seu reverentiæ testimonium; conversationis, societatis, vel contractus genus omne; communis denique refectio, & cohabitatio cum excommunicato Sacris Canonibus prohibetur, scilicet can. *Sicut Apostoli*, causa XI. quæst. III. & can. *Ad mensam*, ibidem; cap. *Nuper*, & cap. *Si aliquando*, Extra. *De Sententia Excommun.* & cap. *A nobis*, Extra. *De Exceptionibus*. Quæ hoc Versiculo exprimuntur.

Omni communicatione etiam Civili cum aliis fidelibus privatur excommunicatus.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

A R.

ARTICULUS V.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

Circa Excommunicationem.

REGULA I.

Si quem sub hac forma verborum, Illum excommunico, *vel simili, a Judice suo excommunicari contingat: dicendum est; eum non tantum minori, sed etiam majori excommunicatione esse ligatum.*

ITa *Gregorius IX.* cap. *Si quem*, Extra. *De Sententia Excommunicationis.*

REGULA II.

Lethalis peccati reus esset, qui pro Excommunicatis publice, ac nominatim oraret inter preces, quæ Ecclesiæ nomine, & pro ejus duntaxat membris fiunt.

De Excommunicatione. HAnc enim suffragiorum Communionem intercipit Excommunicatio: *Quia Ecclesia per excommunicationis Sententiam separat excommunicatos ab universitate Fidelium, pro quibus suffragia facit. Unde suffragia Ecclesiæ eis non prosunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt; nec ex persona Ecclesiæ oratio pro ejs inter membra Ecclesiæ fieri potest, quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere.* Verba sunt *S. Thomæ*, in IV. Sentent. Dist. XVIII. q. II. art. I. Quæstiunc. I. ad secundum. Quamobrem, qui pro excommunicato publice, ac nominatim orat Ecclesiæ nomine, & inter eas preces, quæ pro Ecclesiæ membris fiunt, lethaliter peccat, cum Ecclesiæ Statuta violet in re gravi.

REGULA III.

Pro Excommunicatis privatim orandum est, ut ad Pœnitentiam redeant, & a formidando vinculo solvantur.

HAnc Regulam tradit *S. Bernardus* Lib. *De Gradibus Humilitatis*, cap. XXII. *absit*, (inquit) *a nobis, ut etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus, cum Paulus eos quoque lugeret, quos sine Pœnitentia mortuos sciret. Et si enim a communibus orationibus ipsi se excludant, sed ab affectibus omnino non possunt. Viderint tamen in quanto periculo sint, pro quibus Ecclesia palam orare non audet, quæ fidenter etiam pro Judæis, pro Hæreticis, pro Gentibus orat. Cum enim in Parasceve nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de Excommunicatis.* Et certe cum Excommunicatio sit medicinalis, & ex charitate infligi debeat, diligenter, & ferventer orandus est Dominus, ut ipsis excommunicatis salutaris sit, & eos ad veram Pœnitentiam adducat. Quidni vero Deum pro illis privatim oremus, Ezech. 18. quos Deus ad Ecclesiam reducere vult, & potest, Qui *Non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat?* Præterea de nemine desperandum est, quamdiu vivit, adeoque nec de ipsis excommunicatis. *Nec enim pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur;* (inquit *S. Augustinus* Lib. I. *Retractationum*, cap. XIX.) Hinc *Gelasius I.* Pontifex Maximus, in Tractatu De Anathematis vinculo, nullum esse peccatum docet, pro cujus remissione non oret Ecclesia.

Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Senten.* Dist. XVIII. qu. II. art. I. Quæstiuncula.

cula 1. ad primum *Pro Infidelibus* (inquit) *oratur ; sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad fidem convertantur . Similiter, & pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt; & tamen fructum non participant, quamdiu in excommunicatione manent; sed oratur, ut detur eis Spiritus Pœnitentiæ , ut ab excommunicatione solvantur.*

REGULA IV.

Lethale peccatum committit Excommunicatus quodlibet suscipiens Sacramentum.

ID enim sacris Canonibus prohibitum est, cap. *Cum illorum* , & cap. *Si quem*, Extra. *De Sententia Excomm.* & cap. *Illud Dominus* , & cap. *Si celebrat*, Extra. *De Clerico excommunicato ministrante*. Cum autem hæc prohibitio sit in materia gravi, illius transgressio lethale ex genere suo peccatum est , utpote contra reverentiam Sacramento debitam , adeoque sacrilegium. Nec refert, an Excommunicatus denunciatus sit, vel non : Constitutio enim, *Ad evitanda scandala*, non favet excommunicatis, neque novum ipsis jus tribuit, ut Canonici Juris , Theologiæque Periti summo consensu asserunt.

REGULA V.

Sacerdos Sacramenta Excommunicato denunciato , & vitando administrans non solum lethaliter peccat , sed in minorem Excommunicationem , aliasque pœnas incurrit.

LEthaliter peccat, quia prohibitionem Ecclesiæ violat in re gravi . Omnem namque communicationem cum Excommunicatis , præsertim in divinis , prohibet Ecclesia cap. *Significasti* , Extra. *De Sententia excommun.* Quod autem minorem Excommunicationem Jure novo incurrat , pariter certum est ; cum ea lata sit generatim contra omnes , qui communicant cum Excommunicato, maxime in divinis, cap. *Nuper*, Extra. *De Sententia excommun.* Ac præterea incurrit ipso Jure Interdictum ab Ingressu Ecclesiæ , ut constat ex cap *Episcoporum* , Tit. *De Privilegiis* , in Sexto. In Majorem tandem Excommunicationem , eamque Summo Pontifici reservatam incurrunt Clerici , qui scientes , & sponte cum excommunicatis a Summo Pontifice communicant , ut habetur cap. *Significavit* , Extra . *De Sententia excommun* . cujus hæc sunt verba: *Clericos, qui scienter , & sponte participaverunt excommunicatis a Nobis, & ipsos in Officiis receperunt , eadem excommunicationis Sententia cum ipsis non dubitamus involvi* . Hæc pœna non Laicos spectat, sed Clericos, qui scientes, & sponte , non qui ignari, vel coacti, communicant cum excommunicatis a Summo Pontifice , postquam nominatim denuntiati sunt, eos ad divina Officia recipientes.

De Excommunicatione.

REGULA VI.

Clericus excommunicatus Missam celebrans , aut coram se jubens celebrari , vel quodvis aliud Ordinis sui sacrum Ministerium solemniter exercens , in Irregularitatem incurrit .

IStud colligitur ex cap. *Illud Dominus* , Extra . *De Clerico excommunicato ministrante* , cujus hæc sunt verba : ,, Illud autem , quod sub spe veniæ ,, Divina sibi fecit (postquam se a Nobis excommunicatum noverat ,) ,, celebrari, & Communioni Fidelium se ingessit, potius contra eum face- ,, re credimus, quam pro eo: cum sub fiducia Pœnitentiæ non debuerit de-

De Excommunicatione.

,, liquis-

„ liquisse. *Et infra*: cum eo misericordiam facientes, pœnam quam Ca-„ non infligit his, qui post Excommunicationem divina præsumpserint „ Officia celebrare, vel se celebrationi ingesserint divinorum, ei non du-„ ximus infligendam. *Canon laudatus est*, *Can.* Si quis Episcopus; *Causa* XI. *qu.* III.

Idem confirmatur ex cap. *Cum illorum*, Extra. *De Sententia excommun.* Et cap. *Is cui*, in Sexto. Tit. *De Sententia excommun.* ita statuitur: „ Is, cui „ est Ecclesiæ interdictus ingressus, (cum sibi per consequens censeatur in „ ipsa divinorum celebratio interdicta) Irregularis efficitur, si contra Interdi-„ ctum hujusmodi Divinis in ea se ingerat, in suo agens Officio, sicut prius. „ *Idem confirmat* Innocentius IV. *in cap.* Cum æterni, *Tit.* De Sententia, & „ re judicata, *in Sexto*, *cujus hæc sunt verba*: Si Suspensione durante dam-„ nabiliter ingesserit se Divinis, Irregularitatis laqueo se involvet, secun-„ dum Canonicas Sanctiones: a qua nonnisi per Summum Pontificem po-„ terit liberari,

REGULA VII.

Clerici excommunicati, vel interdicti, si ante Absolutionem divina celebraverint Officia, nisi moniti absque mora ad Pœnitentiam redierint, perpetuæ depositionis pœna plectuntur.

HAnc Regulam tradit *Alexander III.* cap. *Clerici*, Extra. *De Clerico excommunicato ministrante*, cujus hæc sunt verba: *Cleric autem, si qui a suis, aut etiam de Mandato Romani Pontificis ab alienis Episcopis interdicti, vel excommunicati, ante Absolutionem divina Officia celebraverint: nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrant.* Clericos excommunicatos, vel suspensos, qui divina Officia celebrare præsumpserunt, vel præsumunt, omnibus Beneficiis Ecclesiasticis spoliari posse, respondet *Innocentius III.* cap. *Fraternitati*, ibidem.

REGULA VIII.

Si notorius, aut nominatim denunciatus Excommunicatus incboata Missa adveniat, nec monitus exire velit, aut vi ejici possit, a Sacri prosecutione abstinendum est, nisi forte Canon sit incœptus.

De Excommunicatione

HAnc Regulam unanimi consensu tradunt Canonici Juris, & Theologiæ Periti. Excommunicatos vero, vel interdictos, qui admoniti pertinaces remanserint, eorumque in hujusmodi pertinacia fautores, novo excommunicationis ipso facto Summo Pontifici reservatæ vinculo ligari, declarat Clementina. *Gravis*, Tit. *De Sententia excommunicationis.*

REGULA IX.

Clericus, qui dubitat de excommunicatione in se lata, sive qui non aliter eam novit, quam per famam publicam, fit Irregularis, si Divina celebret, aut Sacros Ordinum suorum actus exerceat.

HÆc Regula nititur *Innocentii III.* Responso, cap. *Illud. Dominus*, Extra. *De Clerico excommunicato ministrante*, cujus hæc sunt verba: *Quia in dubiis via tutior est eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare.*

RE-

REGULA X.

In Irregularitatem non incurrit Sacris operando, qui se suspensum esse, vel excommunicatum probabiliter ignorat: secus si ignorantia crassa sit, & supina.

HAnc Regulam tradit *Gregorius IX.* cap. *Apostolicæ Sedis*, Extra. *De Sententia Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: *Verum quia tempore Suspensionis ignari celebrastis Divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterum si forte ignorantia crassa, & suppina, vel erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate Apostolica indulgemus.*

REGULA XI.

Sacræ Concioni in Templo interesse potest quilibet excommunicatus.

ID constat ex cap. *Responso*, Extra. *De Sententia excommunicationis*, quod *Innocentii III.* Rescriptum est ad Ferrariensem Episcopum. *Postulas* (inquit) *edoceri, an cum Ferrarienses cives Excommunicationis, & Interdicti Sententiis sint ligati, liceat tibi viros, & mulieres semel in hebdomada, vel in mense apud aliquam Ecclesiam convocare, quibus prædices verbum Dei, & eosdem ad correctionem inducas. Super quo respondemus: Quod sine scrupulo conscientiæ hoc facere poteris, cum videris expedire: dummodo contra formam Interdicti nullum eis divinum Officium celebretur.*

Confirmatur ex Concilio Carthaginensi IV. Canone LXXXIV. *Episcopus* (inquit) *nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum.*

REGULA XII.

Majori excommunicatione irretitus, vel suspensus, ab homine, voce activa, & passiva in electionibus canonicis privatur, si nominatim sit denunciatus, vel palam notum sit illum in has Censuras incurrisse.

ID colligitur ex cap. *Cum dilectus*, Extra. *De Consuetudine*, cujus hæc sunt verba: *Quia Nobis constitit electionem ipsam a suspensis, & de suspenso etiam celebratam, eam justitia cassamus exigente.* Et cap. *Cum iter*, *De Electione, & Electi Potestate*, dicitur: *Si constiterit, quod electio fuerit facta a suspensis, ea omnino cassata, ipsi Monasterio (post satisfactionem condignam Suspensionis, & Interdicti Sententia relaxata) de persona idonea consulatur.* Quod autem de suspensis decretum est, multo magis de majoris Excommunicationis vinculo constrictis intelligitur constitutum.

REGULA XIII.

Sacerdos Excommunicatione minori ligatus, graviter quidem peccat Sacrum celebrando, sed in Irregularitatem non incurrit.

HAnc Regulam tradit *Gregorius IX.* cap. *Si celebrat*, Extra. *De Clerico excommunicato ministrante*, cujus hæc sunt verba: *Si celebrat minori Excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam Irregularitatis incurrit.* De Excommunicatione.

RE-

REGULA XIV.

Minori Excommunicatione irretitus, ea quæ ratione Jurisdictionis sibi conveniunt, potest exercere: & voce activa gaudet in electionibus canonicis, non passiva.

ID constat ex eodem Pontifice, cap. mox laudato: *Nec eligere* (inquit) *prohibetur, vel ea, quæ ratione Jurisdictionis sibi competunt, exercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda: pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a Sanctis Patribus est privatus.*

REGULA XV.

Excommunicatione minori ligatus peccat quidem Ecclesiastica Sacramenta conferendo, sed ab eo collata virtutis effectu non carent.

ITa constat ex capite Juris mox laudato: *Peccat autem* (inquit) *conferendo Ecclesiastica Sacramenta: sed ab eo collata virtutis non carent effectu: cum non videatur a collatione, sed participatione Sacramentorum, (quæ in sola consistit perceptione,) remotus.* Verumtamen novum per se peccatum non committit vi Censuræ, administrando Sacramenta, quorum collatio ipsi prohibita non est, (nisi forte conferendo celebret; ut fit ab Episcopo in Sacris Ordinationibus;) sed ideo peccat, quia Sacramenta confert in statu peccati, cum Excommunicatio etiam minor nonnisi ob peccatum infligatur. Sed sicut ob veniale peccatum, & levem contumaciam aliquando infligitur hæc censura; ita veniale interdum peccatum est eo in statu Sacramenta conferre.

REGULA XVI.

Qui cum excommunicato communicat in crimine, in majorem Excommunicationem incurrit: si vero cum illo communicet in divinis, vel civilibus actionibus, & ab ejus crimine alienus sit, minorem duntaxat Excommunicationem contrahit.

De Excommunicatione.

ID constat ex cap. *Nuper*, Extra. *De Sententia Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: „ Credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat, scienter in crimine communicet criminoso, ei „ consilium impendendo, auxilium, vel favorem: aut alias in oratione, vel „ osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cum talis communicet crimini, & participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit: ab eo, vel „ ejus Superiore merito delicti tunc erit Absolutio requirenda: cum facientem, „ & consentientem par pœna constringat, &c. *Idem colligitur ex cap.* Si concubinæ, *ibidem*.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XVIII. qu. II. art. IV. Quæstiuncula III. *Excommunicatio* (inquit) „ potest ferri in „ aliquem dupliciter: aut ita, quod ipse sit excommunicatus cum omnibus „ ei participantibus; & tunc non est dubium, quod quicumque participat „ ei, est excommunicatus majori excommunicatione: aut est excommunicatus simpliciter: & tunc, aut participat aliquis ei in crimine, præbendo ei consilium, & auxilium, & favorem: & sic iterum est excommunicatus majori excommunicatione: aut participat in aliis, sicut in verbo, vel osculo, vel mensa; & sic est excommunicatus minori excommunicatione. *De qua Canone* Sanctis, *Causa* XI. *qu.* III. *ait* Urbanus II. *Pontifex Maximus*, Sanctis Canonibus cautum est, ut qui excommunicatis communicaverit, excommuni-

„ municetur: eo tamen moderamine, ut quicumque ignorantia, seu timore, seu „ necessitate cujuscumque maximi negotii, eorum se convictu contaminaverit, cum minoris pœnitentiæ medicina societatis nostræ participationem sortiatur: eos vero, qui aut spontanee, aut negligenter inciderint, sub ea volumus disciplinæ correctione suscipi, ut ceteris metus incutiatur.

De Excommunicatione.

REGULA XVII.

Cum excommunicato majori Excommunicatione communicans, in minorem Excommunicationem non incurrit, si ex ignorantia, charitate, officio, vel necessitate communicet.

ITa *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* Dist. XVIII. qu. II. art. IV. Quæstiuncula. I. *Duplex est*, (inquit) „ Excommunicatio: una est minor, quæ separat tantum a participatione Sacramentorum, sed non a Communione Fidelium; & ideo tali excommunicato licet communicare, sed non licet ei Sacramenta conferre: alia est major Excommunicatio; & hæc separat hominem a Sacramentis Ecclesiæ, & a Communione Fidelium: & ideo excommunicato tali excommunicatione communicare non licet. Sed, quia Ecclesia excommunicationem ad medelam, & non ad interitum inducit, excipiuntur ab hac generalitate quædam, in quibus communicare licet, scilicet in his, quæ pertinent ad salutem; quia de talibus homo licite cum excommunicato loqui potest, & etiam alia verba interserere, ut facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur. Excipiuntur etiam quædam personæ, ad quas specialiter pertinet provisio excommunicati, scilicet uxor, filius, servus, rusticus, & serviens. Sunt etiam quidam alii casus excepti, sicut quando ignoratur Excommunicatio; & quando aliqui sunt peregrini, & viatores in terra excommunicatorum; qui licite possunt ab eis emere, vel etiam accipere eleemosynam: & similiter si aliquis videat excommunicatum in necessitate; quia tunc ex præcepto charitatis tenetur ei providere *Quæ exceptiones hoc Versu exprimuntur*:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Prima itaque causa, ob quam licet cum excommunicatis communicare, est *Utilitas* tum spiritualis, sive ipsius excommunicati, sive illius, qui cum ipso communicat: tum temporalis, non ipsius excommunicati, sed aliorum. Quamobrem Concionatoribus, aliisque sive Clericis, sive Laicis licet cum excommunicato loqui de rebus ad illius salutem, & Absolutionem pertinentibus, ut habetur cap. *Cum voluntate*, Extra. *De Sententia Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: *Cum voluntate, ac proposito maleficia distinguantur, Excommunicationis Sententiam non incurrit, qui excommunicato in his, quæ ad Absolutionem, vel alias ad salutem animæ pertinent, in locutione participat: licet etiam alia verba incidenter, ut apud eum magis proficiat, interponat.* Licet etiam ab excommunicato petere consilium, si aliud æque salutare ab alio sperare non possim. Licet ab excommunicatis repetere debita, eosque in Judicio convenire, ut habetur cap. *Intelleximus*, Extra. *De Judiciis*: & in Jus vocati debent per alium respondere: *Ne videantur de sua malitia commodum reportare.*

Quas ob causas cum excommunicatis communicare licet?

Altera causa, ob quam communicare cum Excommunicatis licitum est, est *Lex*, matrimonialis scilicet, qua maritus, & uxor sibi mutuo obligantur. Unde uxor cum viro excommunicato cohabitans, aut vir cum uxore excommunicata, invicemque exhibentes ea, quæ ad rationem conjugii pertinent, in minorem excommunicationem non incurrunt, etiamsi excommunicatio matrimonium antecesserit, ac utrique conjugi nota fuerit. Quamvis enim peccaverit, ac minorem excommunicationem contraxerit, quæ nupsit excommunicato, aut qui duxit excommunicatam: ex quo tamen matrimonium cele-

De excommunicatione.

celebratum eſt, ac ratum, jus naturæ poſtulat, ut mutua ſibi exhibeant officia, quæ ad conjugalis vitæ ſocietatem pertinent. At ſi excommunicatio lata ſit in cauſa matrimonii, utpote quia ratione impedimenti prohibitum eſt partibus, ne contraherent, aut ne cohabitarent: tunc cohabitare licite non poſſunt, & in Excommunicationem incurrunt non minorem duntaxat, ſed majorem. Ut enim mutuus contractus, ita & mutuum crimen eſt, adeoque pari pœna plectendum.

Tertia cauſa eſt ſubjectio, quæ hoc verbo, *Humile*, exprimitur; qua fit, ut cum patre, vel domino converſari, & communicare poſſint filii non emancipati, & ſervi ſive domeſtici, ſive ruſticani, qui ejus obſequiis ante Excommunicationem addicti erant. Hanc exceptionem tradit *Gregorius VII.* Canone *Quoniam multos*, Cauſa XI. qu. III. qui in Synodo Romana ab eo conditus eſt. *Quoniam* (inquit) *multos peccatis noſtris exigentibus pro cauſa Excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam neceſſitate, devicti miſericordia, Sententiam Anathematis ad tempus, prout poſſumus, temperamus. Apoſtolica itaque Auctoritate ab Anathematis vinculo ſubtrahimus uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, necnon ruſticos ſervientes, & omnes alios, qui non adeo curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur.* Quod Decretum *Innocentius III.* Extra. *De Sententia Excommunicationis*, cap. *Inter alia*, quatenus ſervos ſpectat, aut Ruſticos ſervientes, de illis intelligendum eſſe declarat qui jam ſervi erant ante prolatam in dominos Excommunicationis Sententiam, ut ſcilicet ad idem obſequium exhibendum poſtea teneantur: ſi autem antea ſervi non eſſent, addicere ſe illorum ſervituti, ac obſequio non debeant, quandiu manent excommunicati: alioqui minoris excommunicationis vinculo, ſicut ceteri cum excommunicatis communicantes conſtringentur. *Inter alia* (inquit) quæ Strigonienſis Archiepiſcopus proponi fecit, Nos recolimus reſpondiſſe, Quod nullus nominatim excommunicato ſcienter comunicare tenetur, niſi quædam perſonæ, quæ per illud Gregorii Papæ Capitulum, *Quoniam Multos*, ſpecialiter excuſantur. Verum ex hac Reſponſione orta eſt occaſio diſputandi, aliis concedentibus, quod excommunicato communicare tenentur perſonæ in prædicto Capitulo nominatæ; præſertim quæ prius ad communicationem eorum ex debito tenebantur: aliis aſſerentibus eos communicare licite poſſe, ſi velint: non tamen ad hoc ex neceſſitate teneri. Ut igitur unde Jus procedit, Interpretatio quoque procedat, ambiguitatem hujuſmodi taliter duximus abſolvendam, quod cum quædam perſonæ in præmiſſo Capitulo denotatæ, illis, in quos lata fuerat Excommunicationis Sententia, ante prolationem ipſius obſequio tenerentur familiariter adhærere, neque poſtmodum ad contrarium teneantur (cum adhuc debitum duret) beneficio Canonis id agente, a priore non ſunt obnoxietate ſolutæ, ſed ad familiare tenentur obſequium: & ita per conſequens ad communionem tenentur, ſine qua illud nequeunt exhibere. Illud autem non ad omnes perſonas Capituli credimus referendum: ut videlicet obnoxietati hujuſmodi ſint ſubjectæ; cum viatores, peregrini, & mercatores, a communione talium perſonarum (niſi articulus neceſſitatis immineat) debeant abſtinere; ut in fine colligitur manifeſte: ſed ad illas duntaxat, quæ talibus arctiori tenentur obnoxietate conſtrictæ: quibus tamen in his, pro quibus ſunt excommunicatione notatæ, ut in criminibus, communicare non debent, ſed ab eis penitus abſtinere.

De excommunicatione

Sicut autem Inferiores Superioribus, ita Superiores Inferioribus excommunicatis in iis ſaltem communicare debent, in quibus ſunt eis obligati. *Quia, ſicut Inferiores obligantur ad obſequium Superiorum, ita Superiores ad providentiam Inferiorum*; (inquit *S. Thomas*.)

Quarta cauſa eſt *Ignorantia*; Cum enim vel factum, vel jus ipſum probabili-

ter ignoratur, nec ignorantia crassa, & supina est, in Excommunicationem non incurrit, nec peccat, qui cum excommunicato communicat, quia nec scit excommunicatum esse, nec vult cum excommunicato communicare. Omnis porro Censura ob peccatum infligitur: & nullum est sine voluntate peccatum. Hanc etiam exceptionem addit *Gregorius VII.* cum Romana Synodo Canone *Quoniam multos*, mox citato. *Et eos qui ignoranter excommunicatis communicant*. Idemque colligitur ex cap. *Apostolicæ Sedis*, Extra. *De Sententia Excommunicationis*.

Postrema causa, ob quam cum excommunicatis communicare Canones permittunt, est *Necessitas*. Unde Canone *Quoniam multos*, jam citato, *Gregorius VII.* addit: *Quicumque autem Orator, sive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus: & si quis excommunicatis non in sustentationem superbiæ suæ, humanitatis causa dare aliquid voluenitatis rit, non prohibemus.* De Excommunicatione

Idem confirmatur ex cap. *Cum voluntate*, Extra. *De Sententia Excommunicationis*, quod *Gregorii IX.* responsum est. *Prędicatores quoque* (inquit) „ qui „ penes excommunicatos, vel alios alienarum rerum detentores, in Prædi„ cationibus, & Confessionibus, quasi gerunt causam, vel curam eorum, „ ad quos res ipsæ spectare noscuntur, eleemosynas licite possunt ab illis „ recipere: præsertim si alias non valeant in illo loco sustentationem habere.

REGULA XVIII.

Qui cum nominatim excommunicatis deliberata voluntate communicant (præter personas beneficio Canonis exceptas) nisi moniti ab eorum Communione, atque conversatione discesserint, Excommunicatione majori sunt plectendi.

HAnc Regulam tradit *Innocentius III.* cap. *Quod in dubiis*, Extra. *De Sententia Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: *Nullus autem scienter nominatim excommunicato communicare tenetur; nisi quædam personæ, quæ per illud Gregorii Papæ Capitulum*, Quoniam multos, *specialiter excusantur. Illi autem, qui nominatim excommunicatis præsumptuose participant, præter personas a dicto Canone annotatas, nisi ab eorum participatione commoniti forte destiterint, Excommunicationis vinculo sunt innodandi.*

REGULA XIX.

In majorem Excommunicationem incurrunt ipso facto sine alia monitione, quicumque scientes cum illo communicant, qui cum participibus suis est excommunicatus.

HÆc Regula est *Innocentii III.* in eodem cap. *Secus autem*, (inquit) *si scienter ei communicant, qui cum participibus suis est vinculo Excommunicationis sententialiter innodatus: tunc enim & ipsi Sententiam Excomunicationis incurrunt.*

REGULA XX.

Cum Excommunicato ante Absolutionem communicare nemo debet, quamvis se Ecclesiæ pariturum juraverit.

ITa declarat *Innocentius III.* in eodem cap. *Excommunicato* (inquit) *licet quod stet Mandato Ecclesiæ juramento firmaverit, communicari non debet, donec per Ecclesiam fuerit absolutus: alioquin post Juramentum non esset Absolutio necessaria.*

REGULA XXI.

Communio cum excomunicato in crimine, vel in rebus Divinis, lethale semper peccatum est: Communio vero in actionibus civilibus, politicis, & mere corporeis, est veniale duntaxat peccatum, nisi fiat in contemptum Ecclesiæ.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* dist. XVIII. qu. II. art. IV. Quæstiuncula III. *Quidam* (inquit) „ dicunt, quod quandocumque aliquis participat excommunicato (vel verbo, vel quocumque dictorum modorum, secundum quos ei communicare non licet) peccat mortaliter, nisi in casibus exceptis a Jure: sed quia hoc videtur valde grave, quod homo pro uno verbo levi, quod excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet; & multis excommunicantes laqueum damnationis injicerent, quod in eos retorqueretur; ideo aliis probabilius videtur, quod non semper peccant mortaliter, sed solum quando vel in crimine illis participant, vel in Divinis, vel in contemptum Ecclesiæ.

De Excommunicatione. Ad Decretalem, *Sacris*, Extra. *De his, quæ vi, metusve causa fiunt*, qua declarat *Innocentius III.* eos, qui metum mortis cum excommunicatis communicant, excommunicationis labe inquinari, *Cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere*: S. Thomas respondet, Decretalem illam loqui de participatione in Divinis, quæ mortale peccatum est. Vel Decretalis illa intelligenda est de illis, qui directe communicant excommunicatis, ut respondet Sanctus Doctor Quodlibeto XI. qu. VII. art. II. *Aliquis*, scilicet, „ potest commmunicare, seu participare cum excommunicato directe, & indirecte: directe quidem in his, quæ sunt Fidelium: & qui hoc modo ei communicat, peccat mortaliter. Et hoc cotingit tripliciter: puta, si communico cum illo in Divinis: sicut si orem pro eo, vel audiam Missam cum eo; & in aliis spiritualibus: item si ex contemptu; & hoc in quocumque communicet quis cum eo, quasi contemnens Mandatum Ecclesiæ, peccat mortaliter: item quicumque participat cum illo in crimine, & in causa. Indirecte vero communicat quis cum eo in his, quæ sunt hominis, sicut in verbo, in cibo, & in his, quæ sunt simpliciter humanæ conversatio nis: & secundum hoc non peccat mortaliter, sed venialiter, nisi faciat ex contemptu.

Addit Doctor Angelicus ibidem, in Responsione ad tertium, Quod non solum debet aliquis mortem subire potius quam peccet mortaliter, sed etiam potius quam peccet venialiter, quia peccatum numquam est eligendum. Non recte ergo colligitur, communionem quamlibet cum excommunicatis esse peccatum mortale, quia vitanda est: quia etsi veniale tantum esset, non esset cum eis communicandum, & mors potius esset eligenda.

Cum autem sibi objecisset, Juris Canonici Peritos communionem quamcumque cum excommunicatis damnare peccati mortalis: respondet, hanc opinionem non esse veram, *Quia ipsi plus assentiunt in his, & sequuntur jus humanum, quam divinum; cum plus sit assentiendum divino, quam humano: & ideo melior est opinio aliorum, qui dicunt contrarium.*

At (inquies) Ecclesiæ præcepta violare est peccatum mortale: sed Ecclesia prohibet, ne Fidelium ullus cum excommunicatis loquatur, aut comedat: hoc ergo, qui facit, mortalis peccati reus est.

Quod l. XI. q. 7. art. 2. ad secundum, & in IV. Sent. dist. 18. q. II. art. 4. Quæstiunc. 3. ad secundum. Respondet *S. Thomas*, ad secundum: „ Communicare cum excommunicato directe, est contra præceptum Ecclesiæ, & est peccatum mortale; sed communicare indirecte, non est contra, sed præter præceptum Ecclesiæ. *Nam* Præceptum Ecclesiæ directe respicit spiritualia, & ex consequenti legitimos actus: & ideo, qui communicat ei in Divinis, facit contra præce-

„ ptum,

„ ptum, & peccat mortaliter: qui autem participat ei in aliis, facit præter „ præceptum, & peccat venialiter. Quædam *nempe* sunt per se mala: & hæc „ non possunt fieri sine peccato, sicut communicare excommunicato in his, quæ „ sunt excommunicati, (scilicet in crimine;) & ideo non possunt fieri sine „ peccato mortali: quædam vero sunt occasiones malorum tantum, & ista pos- „ sunt fieri sine peccato mortali; ut loqui, vel comedere cum excommunicatis.

Addit denique *S. Thomas*, loco *Sententiarum* mox citato, ad quartum: „ quam- „ vis participare excommunicato sit peccatum veniale, tamen participare ei „ pertinaciter est peccatum mortale: & per hoc potest aliquis excommunicari „ secundum Jura. Pertinacia nempe illa cum Ecclesiæ contemptu conjuncta est.

REGULA XXII.

Major Excommunicatio ferri non debet, nec potest levibus de causis, sed solum ob mortale peccatum: alioqui nulla, & irrita est.

Scriptura enim Sacra, quotiescumque potestatem ad hanc Censuram ferendam Ecclesiæ a Christo traditam significat, ad gravium peccatorum emendationem, ac vindictam eam ferri satis innuit: Matth. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Nemo enim dixerit, aliquem esse rebellem Ecclesiæ ob solam culpam venialem; maxime cum ibi sermo sit de correctione fraterna, & ejus ordine, qui divina illa Censura terminatur, si contumacia intercedat. Illa autem correptio, proprie, ac stricte loquendo, in peccatis duntaxat venialibus locum non habet, ut *S. Augustinus* colligit Sermone LXXXII. alias XVI. De Verbis Domini, illa Christi verba expendens: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: Si *faciendo* (inquit) *lucraris, nisi fecisses, perierat .... Nemo ergo dicat, quia non peccavi in Deum, sed peccavi in fratrem. In hominem peccavi, leve peccatum est, vel nullum peccatum est. Forte inde dicis, leve est, quia cito curatur. Cito fecisti mortiferam rem, sed remedium cito invenisti.* Deinde *S. Paulus* Corinthium hominem excommunicaturus, gravissimum illius crimen pallam exposuit. Tertio, pœna respondere debet culpæ: major autem Excommunicatio gravissima omnium pœnarum est, quæ ab Ecclesia infliguntur, ut docet *S. Augustinus*, Lib. *De Correptione, & Gratia*, cap. XV. & habetur Can. *Corripiantur*, Causa XXIV. quæst. III. Pro veniali ergo culpa infligi non debet, nec potest. Quarto, Excommunicatio Christianum ejicit ex Ecclesia: nemo autem meretur ejici ab Ecclesia, nisi qui meretur ejectionem e Regno Dei: qua pœna nemo dignus est, nisi ob peccatum mortale. Quinto, quod est in Republica temporali pœna mortis, id est in Ecclesiastica Republica pœna Excommunicationis, ut docet *S. Augustinus* quæst. II. *in Deuteronomium*. Ideoque vocari solet *Gladius Ecclesiasticus*, Can. *Inter hæc*, Causa XXXIII. quæst. II. Et *S. Augustinus*, in Collatione tertiæ diei cum Donatistis, eam vocat *Damnationem, quam facit Episcopale Judicium*. Sicut ergo Reipublicæ temporali non est data potestas interficiendi hominem propter peccatum veniale: ita nec Ecclesiæ data est potestas hominem excommunicandi ob solam culpam venialem.

De Excommunicatione.

1. Cor. 5.

Excommunicatio levibus de causis non est infligenda.

Hanc Regulam confirmant sacri Canones. Can. *Nemo*, causa XI. qu. III. *Nemo* (inquit) *Episcoporum quemlibet sine certa, & manifesta peccati causa Communione privet Ecclesiastica: sub Anathemate autem sine conscientia Archiepiscopi, aut Coepiscoporum nullum præsumat ponere, nisi unde Canonica docet Auctoritas; quia Anathema est æternæ mortis damnatio, & nonnisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi.* Quod ex Concilio Meldensi Can. LVI. sumptum est.

Item ex Canone, *Nullus Sacerdotum*, qui ex Concilii Aurelianensis IV. Cano-

ne II. & Vvormatiensis Can. XIII. conflatus est: *Nullus Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis, & levibus causis a Communione suspendat: præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres arceri ab Ecclesia jusserunt committentes.*

De Excommunicatione.

Idem confirmat *S. Leo*, Epist. x. alias LXXXIX. cap. VIII. *Nulli* (inquit) *Christianorum facile Communio denegetur; nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus, & dolens quodammodo debet inferre animus Judicantis. Cognovimus enim pro commissis, & levibus verbis quosdam a gratia Communionis exclusos, & animam pro qua Christi Sanguis effusus est, irrogatione tam sævi supplicii sauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incursibus, ut facile caperetur, objectam. Certe si quando causa talis emerserit, ut pro commissi criminis qualitate aliquem juste faciat Communione privari, is tantum pœnæ subdendus est, quem reatus involvit; nec particeps debet esse supplicii, qui consors non docetur fuisse commissi.*

Idem docet *S. Avitus* Viennensis Episcopus Epist. LXI. ad *Constantium* Episcopum: *Illud tamen suggerere, ac monere præsumo, ne propter leves causas, & non ad Deum, sed ad sæculum pertinentes, ne Laici quidem, non dicam Clerici sancta Communione priventur: quia nescit cujus dignitatis sit ipsa Communio, qui non eam omni animositate seposita, & cum magno dolore suspendit, & cum maxima festinatione restituit.*

Et *S. Gregorius* Epist. XXVI. Libri secundi, ad *Magnum* Presbyterum Mediolanensem scripta: *Sicut* (inquit) *exigente culpa, quis a Sacramento Communionis digne suspenditur, ita insontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta. Comperimus siquidem, quod Laurentius quondam frater, & Coepiscopus noster nullis te culpis exigentibus Communione privaverit: ideoque hujus Præcepti nostri Auctoritate munitus, officium tuum securus perage, & Communionem sine aliqua sume formidine.*

Confirmatur amplius ex Canone, *Ecce*, causa XXIV. qu. III. qui est *Juliani Pomerii* Lib. II. *De Vita Contemplativa*, cap. VII. *Ecce autem* (inquit) *crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus, undecumque claruerint, quæcumque non fuerint patientiæ leni medicamento sanata, velut igne quodam piæ increpationis urenda sunt, & curanda. Quod si nec sic quidem sustinentis, ac pie increpantis medela processerit in iis, qui diu portati, & salubriter objurgati, corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro Excommunicationis abscindi: nec sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit, isti, qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, si moribus depravatis in Sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant.*

Confirmatur denique hæc Regula ex Concilio Tridentino Sess. XXV. *De Reformatione* cap. III. *Quamvis* (inquit) *Excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ Disciplinæ, & ad continendos in officio Populos valde salutaris; sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem.*

Quamobrem quoties aliquis a peccato mortali excusatur in violatione legis alicujus, vel præcepti, excusatur etiam ab Excommunicatione majori, etiamsi adversus omnes illius præcepti transgressores lata sit. Cessante enim causa, cessat effectus: Et, *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, ut dicitur cap. *Cognoscentes*, Extra. *De Constitutionibus*. Secundum hanc Regulam, *Gregorius IX.* cap. *Odoardus*, Extra *De Solutionibus*. Sententiam Excommunicationis latam in quemdam Clericum recognoscentem quidem

De Excommunicatione.

dem debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem, nullam fuisse significat, jubetque relaxari, seu invalidam declarari, *Si constiterit, quod dictus* Clericus *in totum, vel pro parte non possit solvere debita supra dicta, recepta prius ab eo idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat.*

REGULA XXIII.

Excommunicatio major infligi non debet pro quolibet peccato mortali, sed pro eo duntaxat, quicum conjuncta est contumacia.

ID satis significat Christus, Matth. 18. declarans, tum demum excommunicandum, sive rescindendum peccatorem tanquam ethnicum, & publicanum, *Si Ecclesiam non audierit.*

Ita docet *S. Thomas*, in IV. *Senten.* dist. XVIII. qu. II. art. I. Quæstiunc. III. *Quia* (inquit) *Excommunicatio est gravissima pœnarum: pœnæ autem medicinæ sunt: sapientis autem Medici est a levioribus medicinis incipere, & minus periculosis; ideo excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit; vel non veniendo ad Judicium, vel ante terminationem Judicii sine licentia recedendo, vel determinationi non parendo. Tunc enim postquam nominatus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur, & excommunicari debet a Judice non habente quid contra ipsum faciat amplius.*

REGULA XXIV.

Excommunicatio ob damnum temporale proximo illatum ferri potest.

CUm enim S. Petrus *Ananiam*, & *Saphiram* ob defraudatum agri pretium morte damnaverit (*act* v.) quidni Ecclesia ob temporale damnum Excommunicationem ferre potest? Id confirmat *S. Thomas* loco supra citato. *Per Excommunicationem* (inquit) *Judex Ecclesiasticus excommunicatos excludit quodammodo a Regno: unde cum non debeat a Regno excludere nisi indignos, nec aliquis reddatur indignus, nisi per peccatum mortale charitatem amiserit, quæ est via ducens ad regnum, ideo nullus excommunicari debet, nisi pro peccato mortali. Et quia in damnificando aliquem corporaliter, vel in rebus temporalibus, aliquis mortaliter peccat, & contra charitatem facit; ideo pro damno temporali illato, Ecclesia aliquem excommunicare potest.*

REGULA XXV.

Excommunicationem pro hujusmodi causis soli decernere possunt Episcopi: in eaque decernenda, & ferenda modum sacris Canonibus, & præsertim a Concilio Tridentino præscriptum servare debent; ut scilicet ea potestate non utantur, nisi vel gravitas criminis, vel nimia in satisfaciendo mora, vel justa aliqua causa illos moveat: nec executio realis, aut personalis fieri possit.

HÆc Regula partim colligitur ex cap. *Romana*, Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto, partim ex Concilio Tridentino Sess. XXV. cap. III. Et quidem caput *Romana Ecclesia*, quod est *Innocentii IV.* in Concilio Generali Lugdunensi ita statuit: *Caveant etiam, ne tales Sententias Excommunicationis, sive specialiter, sive generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet, si tale quid fecerint, vel etiam pro jam commissis sub hac forma, si de illis intra tale tempus minime satisfecerint, proferre præsumant: nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa præcesserit, quibus merito ad injun-* De Excommunicatione.

gendam ſatisfactionem hujuſmodi, & taliter prohibenda ſimilia inducantur: aut alia rationabilis (quam in ipſis Sententiis exprimant) cauſa ſubſit. Quod pro futuris culpis Excommunicatio ferri prohibetur, ſpectat Excommunicationem Judicis, ſive ab homine, non Excommunicationem Canonis, ſive a Jure latam. Statutum enim ad futura delicta cavenda, & coercenda condi poteſt, adjuncta pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda ab iis, qui Statutum illud violaverint, ut conſtat ex cap. *A nobis*, Extra. *De Sententia Excommunicationis*. At Sententiam Excommunicationis ferre non poteſt Judex Eccleſiaſticus pro futuris delictis, hoc modo: Excommunico Petrum, ſi furtum faciat.

Monitoriales, & excommunicationes ad finem revelationis, non niſi gravibus de cauſis, & ſumma cautione concedi debent.

Concilium vero Tridentinum ita decernit: *Excommunicationes illæ, quæ Monitionibus præmiſſis, ad finem revelationis (ut ajunt) aut pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent, a nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo decernantur.* Non excluduntur Vicarii Generales, & Officiales Epiſcopi: una enim eſt Epiſcopi, & Vicarii Generalis, ſive etiam Officialis Juriſdictio, ut habetur cap. *Non putamus*, Tit. *De Conſuetudine*, in Sexto, cujus hæc ſunt verba: „ Non putamus illam conſuetudinem, quantocumque tempore de facto ſervatam, conſonam rationi, quod ab Officiali Epiſcopi ad eundem Epiſcopum valeat appellari: ne ab eodem ad ſe ipſum (cum ſit idem Auditorium utriuſque) Appellatio interpoſita videatur. *Pergit Concilium Tridentinum:* Et tunc non alias, quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter, „ ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ ejus animum moveat: „ nec ad eas concedendas cujuſvis ſæcularis, etiam Magiſtratus, auctoritate „ adducatur: ſed totum hoc in ejus arbitrio, & conſcientia ſit poſitum: quando ipſe pro re, loco, perſona, aut tempore eas decernendas eſſe judicaverit. In cauſis vero judicialibus mandatur omnibus Judicibus Eccleſiaſticis, „ cujuſcumque dignitatis exiſtant, ut quandocumque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte Judicii propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo, quam definiendo, a Cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu Interdicto: ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis civilibus ad forum „ Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcumque, etiam Laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis piis ibi exiſtentibus, eo ipſo, quod „ exactæ fuerint, aſſignentur: ſeu per captionem pignorum, perſonarumque diſtrictionem, per ſuos proprios, aut alienos executores faciendam, ſive „ etiam per privationem Beneficiorum, aliaque Juris remedia procedere, & „ cauſas definire. Quod ſi executio realis, vel perſonalis adverſus reos hac „ ratione fieri non poterit; ſitque erga Judicem contumacia, tunc eos etiam „ Anathematis mucrone, arbitrio ſuo, præter alias pœnas, ferire poterit. In „ cauſis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel perſonalis fieri poterit, erit a Cenſuris abſtinendum: ſed ſi dictæ executioni facile locus eſſe „ non poſſit, licebit Judici hoc ſpirituali gladio in delinquentes uti; ſi tamen delicti qualitas, præcedente bina ſaltem Monitione, etiam per edictum, id poſtulet. Ex Actis porro, & Inſtrumentis juridicis conſtare debet, quod perſonalis, vel realis executio fieri non poſſit, ut reſpondit ſacra Congregatio Tridentini Concilii Interpres.

De Excommunicationis Sententia.

Caroli IX. Regis Chriſtianiſſimi Edictum in Comitiis Aurelianenſibus, art. XVIII. ſtatuit, ne Prælati, Officiales, aliique Judices Eccleſiaſtici Monitiones decernant, & Cenſuras Eccleſiaſticas ferant niſi ob crimen, & ſcandalum publicum. Denique *Ludovicus Magnus* Conſtitutione edita Menſe Aprili anni 1666. vetat, ne compellantur Judices Eccleſiaſtici ad Cenſuras, vel Monitiones decernendas, niſi pro gravibus cauſis.

RE-

REGULA XXVI.

Non incurrit in Excommunicationem latam adversus eos, qui certi delicti reum non revelaverint, qui non denunciat personam cognatione, vel affinitate sibi conjunctissimam;

SIc Pater non obligatur ad revelandum crimen filii, nec maritus crimen uxoris, nec filius ad denunciandum patrem, aut uxor maritum, nec frater fratrem, &c. Quia testimonium adversus se ipsum quodammodo ferret, infamiamque, vel aliud grave incommodum contraheret. Unde in cap. 34. qu. 3. ex l. 4. ff. *De Testibus*, cavetur, *Ne invito denuncietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eosve, qui in priori gradu sunt*. Ubi etiam excipiuntur liberti, & patroni inter se, & respectu suorum cognatorum in iisdem gradibus. Si ergo Leges Civiles hos excipiunt, ne Judices sæculares eos invitos ad testimonium ferendum cogant: multo minus Prælati, & Judices Ecclesiastici, qui Excommunicationes pro rebus temporalibus ferunt quasi in subsidium, & adjutorium ipsorum Judicum sæcularium, easdem personas Excommunicatione obligare possunt, vel debent. Excipiuntur causæ læsę Majestatis, &c. Nam sicut *Contra publicos hostes, & Majestatis reos omnis homo miles*, ita omnis homo testis est. Tertullianus.

REGULA XXVII.

Excommunicatum Ecommunicatione majori nemo vitare tenetur, nisi sit nominatim denunciatus, vel ob evidentiam patrati criminis ipso facto excommunicatus noscatur.

HAnc Regulam tradit Constitutio, quæ incipit his verbis, *Ad vitanda scandala*: quam *S. Antoninus* III. P. Tit. XXV. cap, III. aliique ipsum secuti, Concilio Constantiensi tribuunt cum in ejus Actis non habeatur, sed in Concilio Basileensi, Sessione XX. ex quo in Pragmatica Sanctione, & in Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Christianissimum descripta est, & in Concilio Lateranensi V. sub eodem Pontifice approbata, & confirmata. Sic autem statuit: „ Ad vitanda scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, nemo deinceps a communicatione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque Sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ, seu Suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel a jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, vel Interdictum Ecclesiasticum observare, nisi Sententia, prohibitio, Suspensio, vel Censura hujusmodi fuerit, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam, a Judice publicata, & denunciata specialiter, & expresse, aut notorie in Excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo Juris suffragio excusari, eum a Communione illius abstinere nolumus, juxta Canonicas Sanctiones: per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, neque eis quomodolibet suffragari. De vitandis excommunicatis.

Ista Constitutio Juris antiqui severitatem temperat, prohibentis olim communicationem quamcumque cum excommunicatis, etiamsi nominatim denunciati non essent; permittit deinde communicationem cum excommunicatis, etiam in Divinis, & Sacramentorum administratione, vel receptione, modo non sint publice, & nominatim denunciati. Tertio, istud privilegium excommunicatis, quantumvis occultis nullo modo favere declarat: ipsosque a divinis, Juris antiqui severitas temperata per Concilii Constantiensis Constitutionem.

vinis, & ab administratione, ac receptione Sacramentorum, omnique cum aliis Fidelibus commercio tam sacro, quam civili abstinere debere.

Quamvis autem illa Constitutione declaretur, vitandos non esse, nisi qui nominatim denunciati sunt, & ceteros, quos ita notorie in Excommunicationis sententiam constiterit incurrisse, ut nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo Juris suffragio excusari: usus tamen solos excommunicatos nominatim, & notorios Clericorum percussores ab hujus Constitutionis beneficio videtur exclusisse, ut *S. Antoninus*, aliique Theologi asserunt: qui & laudatam Constitutionem Concilii Constantiensis nomine cum hac referunt clausula: *Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum Sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque aliquo suffragio excusari. Nam a Communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri juxta Canonicas Sanctiones.* In Concilii quidem Constantiensis Actis non extat, sed tamen ab eo fuisse editam *S. Antoninus* certis documentis instructus asserit Tit. xxv. III. P. cap. III. *Duo* (inquit) „ venerabiles viri, famosi in vita, & scientia. quorum unus „ Doctor in Theologia, alter in Jure & Episcopus, scilicet Dominus Nicolaus de Dinchelserbuhel, & Dominus Andreas postea Episcopus Posnaniensis in Polonia, qui fuerunt præsentes in Concilio Constantiensi, ubi facta fuit dicta Constitutio, dixerunt ipsam acceptatam ab omnibus, & perpetuam, & unam de concordatis. Magistri etiam Universitatis Parisiensis „ acceptaverunt ipsam Constitutionem, quia in ea dicitur: Omnibus Christi „ fidelibus. Sed & dictus Dominus Andeas Posnaniensis Episcopus post celebratum Concilium Senis, cui etiam interfuit, vadens ad Curiam ad visitandum Martinum V. Papam; cum ipse putaret dictam Constitutionem fuisse temporalem, scilicet per quinquennium, & sic jam expirasset. loquens „ cum Papa, petivit ab eo, ut concederet sibi ex gratia uti tali Sententia, „ sive dispensatione quam continebat illa Constitutio. Respondit Papa: Vos „ scitis illam unam esse de Concordatis. Et cum ipse Episcopus quinquennalem esse objiceret, dixit Papa: Ego volo, quod semper duret. Dominus „ Julianus Auditor Cameræ Apostolicæ, vir Jureperitus, & famosus, postmodum Cardinalis effectus, super hoc consultus dixit: Tale Indultum datum non solum Germanicis, verumetiam omnibus Christianis, & de jure „ esse perpetuum, quia ista est natura Constitutionis ipsius, nisi revocetur. „ Non fuit autem revocata, sed in Concilio Basileensi confirmata ante sui „ dissolutionem. At Concilium Basileense non solum notorios Clericorum percussores, sed eos omnes excludit, quos ita notorie in Excommunicationis sententiam constiterit incidisse, ut nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari: atque ita etiam habetur in Concordatis, & confirmatur a Concilio Lateranensi v. & *Leone X.* Sed in usu recepto (ut dixi) acquiescendum est.

De excommunicatione.

Adde, in Gallicanæ Jurisprudentiæ praxi nullam admitti notorietatem facti, (ut loqui mos est) nisi legitimis, ac juridicis inquisitionibus, testimoniis, seu documentis, vel ipsa rei confessione probatam; sive de Clerici percussione, sive alio de crimine quæstio habeatur; eaque praxis consentanea est Regulæ a *S. Augustino* traditæ Sermone CCCLI. alias L. inter Homilias quinquaginta: *Nos vero a Communione prohibere quemquam non possumus (quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico Judicio nominatum, atque convictum.*

RE-

REGULA XXVIII.

In casu Excommunicationis dubiæ standum potius est Sententiæ Judicum, quam aliorum Doctorum.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Quodlibeto IV. qu. VIII. art. III. *Dubitatio* (inquit) *de Excommunicatione aliquorum aut præcedit Sententiam Judicum, aut sequitur: si præcedit, (puta cum nondum est declaratum per Judicum consensum aliquos esse excommunicatos) non sunt vitandi, quousque certo judicio terminetur: in hoc enim casu verum est, quod in mitiorem partem interpretari debemus: unde & Deuteronomii* VII. *dicitur*: Si difficile, & „ ambiguum apud te Judicium esse perspexeris, & Judicum intra portas „ tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad Judicem; quæ- „ resque ab eis, & facies quodcumque dixerint. Sed si ambiguum oriatur „ post concordem Judicum determinationem, magis standum est Sententiæ „ Judicum, duplici ratione: primo quidem, quia Judices solicitius discu- „ tientes negotium, plenius possunt percipere veritatem, etiamsi sint minus „ periti, quam alii, qui perfunctorie constituuntur, & extraordinarie: se- „ cundo, quia hoc esset in magnum nocumentum utilitatis communis sta- „ tus hominum, si Sententiæ non staretur, sed quilibet pro suo libito vel- „ let Sententiæ calumniam ingerere; quia sic litigia essent interminabilia: „ & ideo in tali casu magis est standum Sententiæ Judicum, nisi forte sit „ per Apellationem suspensa.

Cujus standum Sententiæ casu Excommunicationis dubiæ.

De Excommunicationis Sententia.

REGULA XXIX.

Ferri non potest Excommunicatio ab Ecclesiastico Judice, nisi Monitione prævia; alioqui irrita erit. Triplex autem præmittenda est Monitio, vel una pro tribus, assignato competenti dierum intervallo, nisi necessitas urgeat.

EXcommunicatio namque nonnisi in contumaces contra Ecclesiam, vel Superiorem Ecclesiasticum ferri potest: contumax porro non est, qui non fuit admonitus. Peccator enim si per admonitionem conscius esset Censuræ, cujus ipsi minas Ecclesiasticus Judex intentat, fortassis pareret, & a peccato resiliret, Ecclesiastici fulminis metu. Triplex autem Admonitio necessaria est, quia Christus peccatorem prius corrigi secreto, deinde adhiberi testes, postremo ejus crimen ad Ecclesiæ tribunal referri, jubet: quam si non audierit, habendus est ut Ethnicus, & Publicanus. (*Matth.* XVIII.) Sufficit tamen una pro tribus Monitio Canonica, competentibus aliquot dierum intervallis assignatis, ut Jure cautum est: debent autem assignari sex, ut minimum, dies, quorum duo pro prima, duo pro altera, duo pro tertia, & ultima Monitione computentur; nisi negotii qualitas, & necessitas postulet, ut Judex Monitionum tempus ampliet, vel restringat: qua in re prudentia opus est non vulgari. Hanc Regulam confirmant Canones, scilicet cap. *Sacro*, quod est *Innocentii III.* in Concilio Generali Lateranensi. Extra. *De Sententia Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: *Sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem Excommunicationis Sententiam, nisi competenti Admonitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari Monitio, promulgare præsumat: quod si contra præsumpserit, etiamsi justa fuerit Excommunicationis Sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum, alia nihilominus pœna mulctandus, si visum fuerit expedire.*

Competens Monitio præmittenda.

Trina Monitio.

De Sententia Excommunicationis.

Et cap. *Constitutionem*, quod est *Gregorii X.* in Concilio Generali Lugdunensi,

nensi, Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto: *Constitutionem* (inquit) „ fœlicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris nostri, quæ pro- „ hibet participantes excommunicatis ea participatione, quæ solam mino- „ rem Excommunicationem inducit, Monitione Canonica non præmissa, „ majori Excommunicatione ligari, decernens promulgatam aliter Excom- „ municationis Sententiam non tenere: ad tollendum omnem ambiguita- „ tis scrupulum declarantes decernimus ita demum esse Monitionem cano- „ nicam in hoc casu, si aliis rite servatis, eos, qui monentur, exprimat „ nominatim. Statuimus quoque, ut inter Monitiones, quas (ut cano- „ nice promulgetur Excommunicationis Sententia) statuunt Jura præmit- „ ti: Judices sive Monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, ob- „ servent aliquorum dierum competentia intervalla: nisi facti necessitas a- „ liter ea suaserit moderanda: ut quia partes sunt ad rixam, vel arma pa- ratæ, nec curant Monitiones Episcopi. Interdum enim nec locus, nec tempus patitur plenius deliberare consilium: & quandoque res celeritatem desiderat, (inquiunt Leges in Glossa citatæ.)

Monitionis præviæ necessitatem confirmat cap. *Cum medicinalis*, in Sexto. Ceterum si Excommunicatio lata sit a Jure, aut etiam ab homine, *ipso facto* incurrenda, alia Monitione non est opus, cum Lex, vel Sententia Monitionum vim habeant: & contumax censendus sit, qui sciens volens contra Legem, vel Sententiam agit.

Communis hæc est Responsio; verumtamen difficultate non caret, quam sensit Gersonius Tractatu *De Vita Spirituali*, Lectione IV. Coroll. 14. *Ceterum*, inquit, *dum aliquis ex ignorantia, quamquam culpabili, aut ex infirmitate, & passione vitiosa, non tamen contumaci, facit aliquem actum, pro quo est statuta Sententia Excommunicationis latæ Sententiæ ab aliquo Prælatorum, videant Juristæ, & Judices, si talis posset dici Excommunicatus ipso facto, cum semper sit, & fuerit promptus stare correctioni Ecclesiæ super suo delicto, prout supponitur: quia non ex contemptu clavium, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed aliunde motus malum fecit. Non enim quælibet inobedientia contumacia reputatur. Quid ergo* (inquit Venerabilis ille Doctor) *operantur Excommunicationes latæ Sententiæ per Canones? Respondeo, sicut accepi a præceptore meo* (Petro de Alliaco, postea Romanæ Ecclesiæ Cardinali) *Eas tantumdem operari, ut absque processu alio judiciali, aut nova Constitutione possit Judex statim probato facto, vel confesso ferre Juris Sententiam, & eamdem publicare: non sic ubi Canones essent solum ferendæ Sententiæ, quoniam Monitiones, & processus secundum terminos Juris præerquirerentur multiplices*. Ceterum incertus an Gersonii, & Præceptoris ejus opinio hac in materia Sedi Apostolicæ probetur, cujus est interpretari Canones pro summa sua auctoritate in Ecclesia universa, in communi, quam præmisi Responsione stare tutius existimo. Trinam igitur Monitionem Jus non postulat nisi in Sententia Excommunicationis ab homine lata.

Gersonii opinio de Excommunicatione latæ Sententiæ ipso facto incurrenda.

De Sententia Excommunicationis.

Monitiones autem ipsi delinquenti faciendas, cum aliquis nominatim excommunicandus est, nec sufficere, ut fiant ad ejus domum, aut in loco publico, verbi gratia, in Ecclesia, & frequenti Populi Christiani conventu, quemadmodum fieri solet, cum in personam incertam ferenda excommunicatio est: Juris Canonici Periti affirmant: quia contingere posset, ut alias Monitio ad rei notitiam minime perveniret. Si tamen ad ejus notitiam pervenisse constet legitimis documentis; aut illum per vim, & fraudem impedivisse, ne personaliter moneretur, sufficiet Monitio ad ejus domicilium facta; vel, si domicilium non habeat, in Ecclesia Matrice, vel Principali illius loci: vis enim, & dolus nemini prodesse debent: ideoque ille jam

meri-

merito contumax censetur; ut colligitur ex cap. *Causam*, Extra. *De dolo, & contumacia*. Præterea, si semel facta fuerit personalis Admonitio, ceteræ ad ejus domum fieri possunt, secundum Romanæ Jurisprudentiæ praxim, seu Decisiones Rotæ, (ut vocant.) Idem est judicium, si nova Excommunicatio ferenda non sit, sed declarandum aliquem in Excommunicationem pridem a Jure, vel ab homine latam incidisse.

At veteri Juri derogavit Concilium Tridentinum, Sessione xxv. *De Reformatione*, cap. III. declarans, in causis criminalibus, ubi executio realis, vel personalis fieri non potest, Judicem hoc spirituali gladio in delinquentes uti posse; si tamen delicti qualitas, *præcedente bina saltem Monitione, etiam per edictum, id postulet*.

REGULA XXX.

Ut Excommunicationis Sententia nominatim in aliquem ab Ecclesiastico Judice feratur, non solum Monitio, sed & citatio juridica præmitti debet: alioqui irrita erit Sententia.

QUæ enim inaudita parte fertur Sententia, irrita est: cumque Judicium inter Judicem, & partes exerceatur, necesse est, ut pars in jus vocetur, noveritque, qua de re sit quæstio, & comparere possit, seque defendere; ut colligitur ex cap. *Inter quatuor*, Extra. *De Majoritate, & Obedientia*.

REGULA XXXI.

Sententia Excommunicationis ab Ecclesiastico Judice in scriptis ferri, causaque exprimi debet, ob quam fertur, & ejus transumptum Reo tradi intra mensem postulanti: alioqui Judex ipso facto suspenditur: Sententia vero a Superiore relaxanda est.

HAnc Regulam tradit *Innocentius IV.* cap. *Cum medicinalis*, in Sexto, *Quisquis* (inquit) „ excommunicat, Excommunicationem in scriptis „ proferat, & causam Excommunicationis expresse conscribat, propter quam „ Excommunicatio proferatur: exemplum vero hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intra mensem, si fuerit requisitus, super qua „ requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici sigillo authentico consignatas. Si quis autem Judicum hujusmodi Constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum „ ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis Officiis noverit se suspensum. Superior „ vero ad quem recurritur, Sententiam ipsam sine difficultate relaxans, „ Latorem excommunicato ad expensas, & omne interesse condemnet, & „ alias puniat animadversione condigna, ut pœna docente discant Judices, „ quam grave sit Excommunicationum Sententias sine maturitate debita „ fulminare. Et hæc eadem in Suspensionis, & Interdicti Sententiis volumus observari.

Ferri debet in scriptis.

De Sententia Excommunicationis.

REGULA XXXII.

Excommunicationem in aliquem nominatim latam Judex Ecclesiasticus denunciare tenetur.

HÆc Regula colligitur ex Can. *Curæ*, Causa XI. qu. III. & cap. *Conquesti*, Extra. *De Sententia Excommunicationis*. Et certe cum feratur Excommunicatio, ut ad Pœnitentiam adducatur peccator contumax, ad id maxi-

Excommunicatio denuncianda

maxime conducibilis est denunciatio. Majori enim pudore suffundetur, dum se a ceteris Fidelibus necessario vitandum intelliget: vitare autem non tenentur Excommunicatos nisi nominatim denunciati fuerint. Ad valorem tamen, & effectum Excommunicationis necessaria non est denunciatio, sed ad solemnitatem dumtaxat pertinet.

REGULA XXXIII.

Excommunicatio in totam Communitatem, familiam, Civitatem, Provinciam aut Regnum, sive in Principem, & subditos simul ferri non potest.

HAnc Regulam tradit *Innocentius IV.* cap. *Romana Ecclesia*, Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto. *In Universitatem* (inquit) *vel Collegium proferri Excommunicationis Sententiam penitus probibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret, innoxios hujusmodi Sententia irretiri: sed in illos duntaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur.*

In communitatem non ferenda Excommunicatio.

Confirmatur hæc Regula *S. Augustini* testimonio Epist. CCL. alias LXXV. ad *Auxilium* Episcopum, qui *Classicianum* cum tota ejus familia excommunicaverat: & refertur Can. *Si habes*, causa XXIV. quæst. III. *Si habes* (inquit) *de hac re Sententiam, certis rationibus, vel Scripturarum testimoniis exploratam, nos quoque docere digneris, quomodo recte Anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus, aut quisquam in domo etiam nondum natus, si eodem tempore, quo universa domus est anathemate obligata, nascatur, nec ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri. Neque enim hæc corporalis est pœna, qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus, qui ejusdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos. Tunc quidem ad terrorem viventium mortalia corpora perimebantur, quandoque utique moritura. Spiritalis autem pœna, qua fit, quod*

Matth. 16. „ *scriptum est*, Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in cœlo, *Animas*

„ *obligat, de quibus dictum est:* Anima patris mea est, & anima filii mea

Ezech. 18. „ est. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. *Audisti fortasse aliquos magni nominis Sacerdotes cum domo sua quempiam anathemasse peccantium? Sed forte si essent interrogati, reperirentur idonei reddere inde rationem. Ego autem; quoniam si quis ex me quærat, utrum recte fiat, quid ei respondeam non invenio; numquam hoc facere ausus sum, cum de quorumdam facinoribus immaniter adversus Ecclesiam perpetratis gravissime permoverer. Sed si tibi forte quoniam juste fiat, Dominus revelavit, nequaquam juvenilem ætatem tuam, & honoris ecclesiastici rudimenta contemno: en adsum, senex a juvene, & Episcopus tot annorum a Collega necdum anniculo paratus sum discere, quomodo, vel Deo, vel hominibus justam possumus reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno, ex quo non trahunt sicut ex Adam, in quo omnes peccaverunt, originale peccatum, spiritali supplicio puniamus. Etenim Classiciani filius, etsi traxit ex parte primi hominis culpam sacro fonte Baptismatis expiandam; tamen quicquid postea quam genuit eum peccati pater ejus admisit, ubi particeps ipse non fuit, ad eum non pertinere quis ambigat? Quid dicam de conjuge? Quid de tot animabus in universa familia? Unde si una anima per istam severitatem, qua tota domus ista anathemata est, sine baptismate de corpore exeundo perierit, innumerabilium mors corporum, si de Ecclesia homines innocentes violenter abstrahantur, & interficiantur, huic damno non potest comparari. Si ergo de hac re potes reddere rationem, utinam & nobis rescribendo præstes, ut possimus & Nos: si autem non potes, quid tibi est inconsulta commotione animi facere, unde si fueris interrogatus, rectam responsionem non vales invenire?*

Eam-

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas* in III. *Sententiarum*, dist. XVIII. quæst. II. art. III. Quæstiunc. II. *Excommunicari* (inquit) „ non debet aliquis nisi pro peccato mortali: peccatum autem in actu consistit: actus autem non est communitatis, sed singularium personarum, ut frequenter: & ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas: &, si etiam quandoque actus sit totius alicujus multitudinis, (ut quando multi navim trahunt, quam nullus trahere posset) non tamen est probabile, quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes. Et quia non est Dei, qui judicat omnem terram, ut condemnet justum cum impio (ut dicitur Gen. XVIII.) ideo Ecclesia, quæ Judicium Dei imitari debet, satis provide statuit, ut tota communitas non excommunicetur; ne collectis zizaniis simul eradicetur & triticum.

An vero Excommunicatio in Universitatem lata sit irrita ipso Jure, dubium est, Juris Canonici Consultis in varias Sententias abeuntibus. Injustam esse, non tamen nullam si ab Ordinario lata sit, secus si a Delegato, plerique censent: ita tamen ut liget singulos dumtaxat de Universitate doli capaces: alii irritam pronuntiant, scilicet Hostiensis, Joannes Monachus, Archidiaconus, Joannes Andreas, &c. Videri potest *Prosper Fagnanus* in cap. *Responso*, Tit. *De Sententia Excommunicationis*.

REGULA XXXIV.

Ab Excommunicatione ferenda est abstinendum, cum timetur, ne pejor fiat peccator in quem fertur, vel pax Ecclesiæ perturbetur.

HAnc Regulam tradit *S. Augustinus*, Serm. XVII. alias XXVIII. ex Homiliis quinquaginta, cap. III. *Quis* (inquit) „ non contemnat ebriositatis peccatum? Abundat tale peccatum, & contemnitur. Jam cor ebriosum perdidit sensum, non habet dolorem, quia nec salutem. Quando aliquid pungitur, & dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis: quando autem tangitur, pungitur, vellicatur, nec dolet; pro mortuo habendum est, ac de corpore præcidendum. Sed aliquando nos parcimus, & non novimus nisi loqui: Excommunicare, de Ecclesia projicere pigri sumus. Aliquando enim timemus, ne ipso flagello pejor fiat, qui cæditur.

De Sententia Excommunicationis.

Ab ea ferenda quando abstinendum?

Et Serm. IV. alias *De Diversis* XLIV. cap. XXXII. *Nonne* (inquit) „ fit modo in Ecclesia malis hominibus, qui volunt perturbare Ecclesiam, ut tolerentur ad necessitatem ipsius pacis, ut admittantur, ut habeant Sacramenta communia? Et aliquando scitur, quia mali sunt, & convinci forte non possunt ut emendentur, & degradentur, ut excludantur, ut excommunicentur, non possunt convinci. Si institerit aliquis, aliquando itur in dirruptiones Ecclesiæ. Cogitur Gubernator Ecclesiæ tanquam dicere: Ecce ab ubertate terræ erit tibi, & a rore cœli: utere Sacramentis, tibi manducas judicium, tibi bibis judicium: *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* Nosti, quia admitteris ex necessitate pacis Ecclesiæ, non habes in corde nisi perturbationes, & divisiones, *&c.*

1. Cor. XI.

Et Lib. *De Fide, & Operibus*, cap. V. „ Nos vero ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ex utrisque testimoniis vitam, sententiamque moderari, ut & canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus, & canibus Sanctum, ubi pax Ecclesiæ tuta est, non demus. Cum ergo sive per negligentiam Præpositorum, sive per aliquam excusabilem necessitatem, sive per occultas obreptiones, invenimus in Ecclesia malos, quos Ecclesiastica Disciplina corrigere, aut coercere non possumus: tunc veniant in mentem

Magna circumspectione ferenda est.

„ illæ

Ab ea abstinendum quando fieri non potest sine labe pacis, & unitatis.

„ ille de Scripturis similitudines, & divina oracula, vel certissima exempla, „ quibus demonstratum, & prænunciatum est, malos in Ecclesia permixtos „ bonis usque in finem sæculi, tempusque Judicii futuros, & nihil bonis in „ unitate, ac participatione Sacramentorum, qui factis eorum non consenserint, obfuturos. Cum vero eis, per quos Ecclesia regitur, adest salva „ pace Ecclesiæ potestas disciplinæ adversus improbos, aut nefarios exercendæ, tunc rursus, ne socordia, segnitiaque dormiamus, aliis aculeis præ- „ ceptorum, quæ ad severitatem coercitionis pertinent, excitandi sumus, ut „ gressus nostros in via Domini ex utrisque testimoniis illo duce, atque ad- „ jutore dirigentes, nec patientiæ nomine torpescamus, nec obtentu dili- „ gentiæ sæviamus.

Et Lib. III. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. II. *In hac velut angustia quæstionis* (inquit) *non aliquid novum, aut insolitum dicam, sed quod sanitas observat Ecclesiæ: ut cum quisque fratrum, id est, Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut Anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de*

2. Thess. 5.

„ *qua ipse alibi præcipit dicens:* Ut inimicum non eum existimetis, sed corripi- „ te, ut fratrem: *Non enim ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quod si se non agnoverit, neque pœnitendo correxerit, ipse foras exiet, & per propriam voluntatem ab Ecclesiæ Communione dirimetur. Nam & ipse Dominus cum servis volentibus*

Matth. 13.

„ *zizania colligere dixit*, Sinite utraque crescere usque ad messem: *Præmisit cau-* „ *sam dicens:* Ne forte, cum vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum. *Ubi satis ostendit, cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet, id est, quando ita cujusque crimen notum est, & omnibus exsecrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit Schisma contingere; non dormiat severitas disciplinæ, in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio charitatis. Tunc autem hoc sine labe pacis, & unitatis, & sine læsione frumentorum fieri potest, cum Congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine, quod anathematur, aliena est. Tunc enim adjuvat Præpositum potius corripientem, quam criminosum resistentem: tunc se ab ejus conjunctione salubriter continet, ut nec cibum quisquam cum eo sumat, non rabie inimica, sed coercitione fraterna. Tunc etiam ille & timore percutitur, & pudore sanatur, cum ab universa Ecclesia se anathematum videns, sociam turbam, cum qua in delicto suo gaudeat, & bonis insultet, non potest invenire. Ad hoc enim & ipse*

1. Cor. 5.

„ *Apostolus ait:* Si quis frater nominatur. *In eo quippe, quod ait*, Si quis; *nihil aliud videtur significare voluisse, nisi eum posse tali modo salubriter corrigi, qui inter dissimiles peccat, id est, inter eos, quos peccatorum similium pestilentia non corrumpit. In eo vero, quod ait*, Nominatur, *hoc nimirum intelligi voluit, parum esse, ut sit quisque talis, nisi etiam nominetur, id est, famosus appareat, ut possit omnibus dignissima videri, quæ in eum fuerit Anathematis prolata Sententia. Ita enim, & salva pace corrigitur, & non interfectorie percutitur, sed medicinaliter utitur. Propterea & de illo dixit, quem tali medicina sanari voluerat*, Satis huic est correptio, quæ fit a multis. *Neque enim potest esse salubris a multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem: cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor, & gemitus, ut per illud signum, quod Ezechieli sancto revelatur, illæsi evadere ab illorum vastatione mereantur ..... Misericorditer igitur corripiat homo, quod potest: quod autem non potest patienter ferat, & dilectione gemat, atque lugeat, donec aut ille desuper emundet, & corrigat, aut usque ad messem differat eradicare zizania, & paleam ventilare: ut tamen securi de salute sua bonæ spei Christiani inter desperatos, quos corripere non valent, in unitate versentur, auferant malum a se ipsis, id est, ut in ipsis non inveniatur, quod in moribus aliorum displicet.*

Ex

Ex his colligitur, magna prudentia opus esse cum de Principibus, aut eorum Ministris excommunicandis deliberatur, nec facile in illos ferendam Sententiam, cum sociam multitudinem habere soleant, multosque suorum criminum defensores. Sane cum experientia compertum sit, Excommunicationes, vel Censuras Ecclesiasticas in Ministros Regios, præsertim ob conflictum jurisdictionis latas, plus contentionis, & turbationis parere quam ædificationis, ab iis abstinere Judices Ecclesiasticos in his, quæ ad eorum officium spectant, prudentiæ, & charitatis leges postulant, & ad Regem recurrere, cuius officium est Ecclesiam tueri, ejusque Jurisdictionem sartam tectam præstare.

REGULA XXXV.

Cum necessitas cogit Prælatos ad Excommunicationem ferendam, eam severitatem servata hominum dilectione exercere debent.

HAnc Regulam tradit *S. Augustinus*, Lib. III. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. I. *Quisquis* (inquit) „ contempserit Ecclesiæ Dei Disciplinam, ut „ malos cum quibus non peccat, & quibus non favet, desistat monere, corri- „ gere, arguere, & si talem gerit personam, & pax Ecclesiæ patitur, etiam a „ Sacramentorum participatione separare, non alieno malo peccat, sed suo. „ Ipsa quippe in tanta re negligentia grave malum est: & ideo sicut Apostolus „ monet, si auferat malum a se ipso, non solum auferet audaciam committen- „ di, aut pestilentiam consentiendi; sed etiam pigritiam corrigendi, & negli- „ gentiam vindicandi, adhibita prudentia, & obedientia in eo, quod præci- „ pit Dominus, ne frumenta lædantur. Ea quippe intentione quisquis inter tri- „ ticum zizania toleraverit, auferendo a se ipso malum, non eis communicat: „ & ea distinguit, ac judicat interim ad diem; non enim novit, quid cras futu- „ rum sit: & ideo dilectione servata, non sine spe correctionis vindicandum „ est, quicquid etiam cogit necessaria severitas vindicari. Quod ut satis appa- „ reat, totum ipsum Epistolæ Apostolicæ locum diligentius pertractemus. „ *Quid vultis*, inquit? *In virga, veniam ad vos, an in charitate, & spiritu man-* „ *suetudinis?* Jam hic apparet, eum loqui de vindicta, ad cujus significationem „ virgam nominavit. Numquid tamen & virga sine charitate est, quia ita con- „ textuit, *In virga veniam ad vos, an in charitate*? Sed quod sequitur, *Spiritu* „ *mansuetudinis*: admonet intelligi, quia & virga charitatem habet. Sed aliud „ est charitas severitatis, aliud charitas mansuetudinis. Una quidem charitas „ est sed diversa in diversis operatur.... Cum ergo ad talem vindictam necessitas „ cogit, humilitas lugentium debet impetrare misericordiam, quam repellit „ superbia sævientium, nec illius ipsius, qui de medio fratrum tollitur de- „ bet negligi salus; sed ita agendum est, ut ei talis vindicta sit utilis; & „ agendum voto, & precibus, si corrigi objurgationibus non potest.

De Sententia Excommunicationis.

Severitas exercenda servata hominum dilectione.

1. Cor. 4.

REGULA XXXVI.

Excommunicatio prorsus injusta, nullatenus timenda est in foro interiori, & coram Divino Tribunali: in foro autem exteriori non semper tenenda est.

HAnc Regulam probant, quæ Articulo II. istius Capitis, §. VI. dicta sunt, ubi explicuimus, *Quibus de causis nulla, & irrita, vel injusta Censura sit*: necnon ea, quæ hoc ipso Articulo, Regula XXII. protulimus; quibus addendum est *S. Augustini* testimonium, Epist. LXXVIII. alias CXXXVII. *Quid enim* (inquit) *obest homini, quod ex illa Tabula non vult* *eum*

Scilicet ex Tabula Ecclesiæ.

eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia? Item Can. *Illud*, causa XI. quæst. III. qui *S. Augustino* etiam tribuitur, habeturque apud *Anselmum Lucensem* Lib. XII. cap. LXVI. *Illud plane* (inquit),, non temere dixerim, quod si quisquam Fidelium fuerit anathematus injuste, ei potius oberit, qui faciet, quam qui hanc patietur injuriam. Spiritus enim Sanctus habitans in Sanctis, per quem quisque ligatur, aut solvitur, immeritam nulli pœnam ingerit: per Eum quippe diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ non agit perperam.

Injusta penitus Excommunicatione non ligatur excommunicatus coram Deo.

Idem confirmat *S. Augustinus*, Lib. *De Vera Religione*, cap. VI. Sæpe etiam ,, sinit divina providentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de Congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel injuriam suam cum patientissime pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel hæresis, vel schismatis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu, & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus; aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis, aut sævior oriatur, tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis quorum motibus, perturbationibusque cesserunt, sine ulla conventiculorum segregatione usque ad mortem defendentes, & testimonio juvantes eam fidem, quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt: imo plura sunt quam credi potest.

De Sententia Excommunicationis.

Idem confirmatur ex Can. *Cui est illata*, causa XI. quæst. III. qui est Gelasii I.,, Cui est illata Sententia, deponat errorem, & vacua est: sed si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum, & Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare Sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.

Eadem Regula confirmatur ex *Gersonio*, in Tractatu *De Sententia Excommunicationis*, asserente. ,, Aliquas Sententias Pastoris non esse tenendas, imo nec timendas, dum sunt injustæ: & hoc in multis casibus: primo, si Sententia lata sit post Appellationem legitimam, ut notavit Innocentius III. in Epistola ad Archiepiscopum Senonensem. Secundo, si contineat intolerabilem errorem, ut notavit idem. Et hoc multipliciter potest evenire, cum nullus Pastor vivens in terris, imo nec Papa sit impeccabilis, quando possit abuti sui potestate; cum circumdatus sit infirmitate, ut dicitur ad Hebræos. Unus casus est, si sententiet exprese, vel etiam implicite contra Fidem, & Scripturam Sacram. Alter, si sententiet in præjudicium veritatis, vitæ, & justitiæ: ut si volens rapere sponsam alterius, ferat in contrahentes Sententiam Excommunicationis. Aliter, si sententiet in præjudicium justæ libertatis: ut si volens usurpare Civitatem unius Principis, ferat Sententiam Excommunicationis in nolentes eam sibi tradere; & ita de multis similibus, ut si excommunicare velit illos, qui suo Regi, & suis Edictis rationabilibus obediunt. Notavit hæc Innocentius ubi prius: & habetur fundamentaliter ex infallibili lege divina, & naturali. Addit, *S. Gregorium* non dixisse quod Sententia Pastoris sit tenenda, sive justa, sive injusta sit, sed quod sit timenda. At Longe aliud est dicere, quod Sententia aliqua sit timenda, & quod sit tenenda: quia tyrannica iniquitas etiam timeri potest, sed teneri non debet, imo contemni.

Ceterum cum Sententia excommunicationis non est notorie injusta, & a Superiore legitimo lata est, absit, ut subditus Superioris sui judicium temere, ac super-

superbe reprehendat, palamque contemnat; sed vereri debet, ne forsan pœnam adeo terribilem alia culpa sua, quam non intelligit, mereatur. Is ve-
„ rus est S. Gregorii sensus Homilia vigesima sexta in Evangelia. Sub ma- De Excommunicationis Sententia.
„ gno, *inquit*, moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel li-
„ gare. Sed utrum juste, an injuste obliget Pastor, Pastoris tamen senten-
„ tia gregi timenda est: ne is, qui subest, & cum injuste forsitan ligatur,
„ ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo
„ vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pa-
„ storis est, ligari timeat vel injuste: nec Pastoris sui judicium temere re-
„ prehendat; ne etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis su-
„ perbia culpa, quæ non erat, fiat.

REGULA XXXVII.

Injusta Excommunicatio ligat in foro exteriori, cum ab habente Jurisdictionem lata est, nisi contineat errorem non ferendum, & ex se manifestum; vel Appellatio ad Superiorem Judicem interjecta sit ante Sententiam latam.

„ HAnc Regulam tradit *S. Raymundus* Libro III. §. XXXIII. Tribus (*in-*
„ *quit*) modis dicitur Sententia justa, vel injusta, scilicet ex animo, Quando injusta excommunicatio in foro exteriori liget?
„ ex causa, & ex ordine. Ex animo, cum ex zelo justitiæ, aut ex odio,
„ vel indignatione fertur. Ex causa, cum subest in veritate certa, & effi-
„ ciens causa, vel non subest. Ex ordine, cum servatur, vel prætermitti-
„ tur ordo Juris: & notantur isti tres modi *Causa* XI. *qu.* III. *Can. Si Epis-*
„ *copus*. Teneas ergo circa Sententiam Excommunicationis indubitanter,
„ quod sive sit injusta ex animo, sive ex causa, sive ex ordine; sive ex
„ animo, causa, & ordine simul, tenet, & ligat quantum ad Ecclesiam
„ Militantem: dum tamen sit lata ab illo Judice, qui habebat super hoc ca-
„ nonicam Jurisdictionem: quod probatur aperte, *Causa* XI. *qu.* III. *Can.*
„ *Si Episcopus*. Fallit in duobus casibus; unus est, quando est lata post Ap-
„ pellationem legitimam: alius quando continet intolerabilem errorem: in
„ quibus casibus ad probationem eorum, etiamsi Absolutionem non petant,
„ debent admitti; sed, donec de ipsis constiterit, in aliis evitari: quam-
„ quam tales Sedes Apostolica consueverit absolvere ad cautelam: verum in
„ aliis, nisi gratiam Absolutionis implorent, non debent audiri, ne Senten-
„ tiam Ecclesiasticam contemnere videantur, *Extra*. De Sententia Excom-
„ municationis, *cap.* Per tuas.
„ Excommunicato autem injuste est consulendum, ut sustineat Excommu-
„ nicationem patienter, humiliter, ac devote, & præsentet se Excommuni-
„ catori, offerens canonicam satisfactionem, si in aliquo offendit, & sic in-
„ stanter postulet absolvi. Si ita fecerit, erit ei ad meritum; alias si con-
„ temneret, peccaret mortaliter. *Extra*, *eod. cap.* Per tuas. *Item* Potest pro-
„ ponere querimoniam contra Excommunicatorem coram Superiore de in-
„ justa Excommunicatione.

Idem docet iisdem pene verbis *S. Antoninus*, III. P. Tit. XXIV. cap. LXXIV. additque ex *Petro de Palude*, quod *Quando Sapientibus notum est sententiam esse nullam, quamvis apud vulgus nesciatur, potest homo non servare eam in occulto: sed in publico debet eam servare, quousque scandalum rationabiliter sedaverit: ut sicut aliquis publice excommunicatur, & publice denunciatur, ita ex adverso ipse publice proferat causam, quare Sententia non valet, puta Appellationem, vel alias injustam causam: quo facto, non est amplius scandalum pusillorum, sed Pharisæorum; & ideo est contemnendum.*

Denique Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres rogata, an Ex-

communicationes latæ ab Episcopo non servata forma in Concilio Tridentino Sess. xxv. cap. iii. *De Reformatione* præscripta, sint ipso Jure nullæ, respondit, Esse validas, & excommunicatum indigere Absolutione, ut refert *Prosper Fagnanus* in cap. *Sacro. De Sententia Excommunicationis*. Et hæc Responsio consona est Innocentii III. Decretali, cap. xxviii. *De Sententia Excommunicationis* dicenti, contingere posse, *Ut qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit innodatus Sententia.*

R E G U L A XXXVIII.

Ab Excommunicatione majori lata a Jure, nec reservata, quilibet Sacerdos ad audiendas Confessiones legitime approbatus absolvere potest: ab ea vero, quæ lata est ab homine, ille solus absolvere potest, qui tulit, vel ejus Superior.

Vide, quæ Artic. i. Quæstionis hujus, §. viii. dicta sunt: quibus addendus est insignis *S. Thomæ* locus in iv. *Sentent.* dist. xviii. qu. ii. art. v. Quæstiuncula i. ubi compendio explicat plurima, quæ hoc argumentum spectant, & Absolutionem a casibus reservatis, de qua superius scripsimus. *A minori* (inquit) *Excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccato participationis. Si autem est Major, aut est lata a Judice, & sic ille, qui tulit, vel ejus Superior potest absolvere: vel lata a Jure; & tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos, potest absolvere; exceptis sex casibus, quos sibi Juris Conditor (scilicet Papa) reservavit: primus est, cum aliquis injicit manus in Clericum, vel Religiosum: secundus est de illo, qui incendit Ecclesiam, & est denunciatus: tertius de illo, qui frangit Ecclesiam, & denunciatus est: quartus de illo, qui in Divinis scienter communicat excommunicatis nominaliter a Papa: quintus de illo, qui falsat litteras Apostolicæ Sedis: sextus de illo, qui excommunicatis in crimine communicat: non enim debet absolvi nisi ab eo, qui excommunicavit (etiamsi non sit ejus subditus) nisi propter difficultatem accedendi ad ipsum absolveretur ab Episcopo, vel a proprio Sacerdote, præstita juratoria cautione, quod pareret Mandato illius Judicis, qui Sententiam tulit.*

„ A primo autem casu octo excipiuntur: primus est in articulo mortis, „ in quo a qualibet Excommunicatione potest quis a quolibet Sacerdote ab- „ solvi: secundus, si sit Ostiarius alicujus Potentis, & non ex odio, vel „ proposito percussit: tertius, si percutiens sit mulier: quartus, si sit ser- „ vus, & dominus læderetur de ejus absentia, qui non est in culpa: quin- „ tus, si Regularis Regularem, nisi sit enormis excessus: sextus, si sit pau- „ per: septimus, si sit impubes, vel senex, vel valetudinarius: octavus, si „ habeat inimicitias capitales.

„ Sunt autem alii casus septem, in quibus percutiens Clericum Excom- „ municationem non incurrit: primus, si causa disciplinæ, (ut Magister, „ vel Prælatus) percusserit: secundus, si jocosa levitate: tertius, si inve- „ nerit eum turpiter agentem cum uxore, vel matre, sorore, vel filia: „ quartus, si statim vim vi repellat: quintus, si ignoret eum esse Clericum: „ sextus, si inveniat eum in apostasia post trinam admonitionem: septimus, „ si transfert se Clericus ad actum penitus contrarium, ut si fiat Miles, vel „ ad bigamiam transeat.

REGULA XXXIX.

Qui dubitat, utrum in Excommunicationem incurrerit, Absolutionem ad cautelam postulet. Absolutio autem postulanti non negetur, oppositione quacumque non obstante, nisi Actor ob manifestum crimen excommunicatum fuisse objiciat: tunc enim octo dierum intervallum ad probationem concedendum est, interimque Absolutio differenda. Si crimen probatum fuerit, Absolutio non tribuatur, nisi satisfecerit Excommunicatus, vel se Juri pariturum præstito vadimonio promiserit, si dubia fuerit offensa. Absolutio ad cautelam.

HAnc Regulam tradit *Innocentius IV.* in Concilio Lugdunensi, & habetur cap. *Solet*, Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto. „ Statuimus (*inquit*) observandum, ut petenti Absolutio non negetur, quamvis in hoc Excommunicator, vel Adversarius se opponat: nisi eum excommunicatum pro manifesta dicat offensa. In quo casu terminus octo dierum indulgebitur sic dicenti, ut si probaverit, quod opponit, non relaxetur Sententia, nisi prius sufficiens præstetur emenda: vel competens cautio de parendo Juri, si offensa dubia proponatur. De Absolutione ab Excommunicatione.

Idem probatur ex cap. *Ex parte*, Extra. *De Verborum significatione*, ubi *Innocentius III.* distinguendum ait: *Utrum in aliquem Interdicti vel Excommunicationis Sententia sit prolata pro contumacia tantum: quia scilicet citatus stare noluit Juri: vel etiam pro offensa, quia videlicet jussus noluit maleficium emendare.* In primo casu, posse relaxari Sententiam respondet, *Si prius sufficiens standi juri cautio tribuatur.* In secundo vero. *Si offensa est manifesta*, non esse relaxandam Sententiam, *nisi prius sufficiens præstetur emenda. Si vero dubia est offensa*, sufficere ad relaxandum eamdem, sive ad Absolutionem concedendam, *Si parendi Mandato Ecclesiæ competens cautio præbeatur.* Quid vero nomine offensæ manifestæ intelligi debeat, idem Pontifex explicat cap. sequenti, *Cum olim*, his verbis: *Offensam illam Nos rescribimus intelligere manifestam, quæ vel per confessionem, vel probationem legitime nota fuerit; aut evidentia rei, quæ nulla possit tergiversatione celari.*

REGULA XL.

Absolutio ab Excommunicatione peti non debet, neque concedi potest omisso medio, nisi consuetudo contrarium induxerit.

HAnc Regulam tradit *Innocentius IV.* cap. *Romana Ecclesia*, Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto. *Interdicti* (inquit) *Suspensionis, ve Excommunicationis Sententias latas ab Officialibus Archidiaconorum, seu quibuslibet aliis Jurisdictionem habentibus, Suffraganeorum Remensis Ecclesiæ subditis, Remensis Archiepiscopus, & ejus Officiales, (omissis ipsis Excommunicatoribus) non relaxent: salva contraria super hoc consuetudine, si quam habent.*

Idem constat ex cap. *Venerabilibus*, 7. sub eodem Tit. in Sexto: *Rotomagensi Archiepiscopo, vel ejus Officiali non licet excommunicatis ab Archidiaconis, vel aliis subditis Suffraganeorum ipsius Archiepiscopi, (cum nec excommunicantium, nec excommunicatorum sint Judices) Absolutionis beneficium impertiri: excommunicatos autem ab ipsis Suffraganeis, vel eorum Officialibus possunt absolvere, si ab ipsis litigantibus ad eos fuerit provocatum.* Metropolitanus itaque non potest absolvere subditos suorum Suffraganeorum a Censuris, quas iidem Episcopi, vel eorum Officiales tulere, nisi in casu Appellationis, aut Visitationis Provinciæ. De Absolutione ab Excommunicatione.

REGULA XLI.

Judex Superior, ad quem Excommunicationis causa delata est, si justam illam esse perspexerit, excommunicatum ad inferiorem primumque Judicem remittere debet absolvendum, nisi is Absolutionis beneficium injuria negaret, aut dolo differret. Si vero Excommunicationem, injustam esse Superior cognoverit, excommunicatum absolvere sine cunctatione debet. Si dubitetur, utrum justa sit, vel injusta, Absolutionem concedere poterit: quamvis honestius, & convenientius absolvendum remittat ad eum, qui Censuram tulit.

De Absolutione ab Excommunicatione.

HÆc Regula traditur ab *Innocentio IV.* cap. *Venerabilibus*, 7. Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto. „ Sane (*inquit*) si certum est Excommunicationis Sententiam esse justam, velut cum propter manifestum „ excessum est in aliquem promulgata, Superior Judex (nisi periculum sit in „ mora) excommunicatum ad Excommunicatorem prorsus remittere debet, „ nec debet eum absolvere, nisi Excommunicator requisitus malitiose illi Ab- „ solutionis Beneficium deneget exhibere. Si vero constet, hujusmodi Senten- „ tiam esse injustam, nequaquam remittendus est ad suum Excommunicatorem „ excommunicatus: sed debet sine difficultate aliqua mox absolvi. Quod si du- „ bitetur utrum justa sit, vel injusta, Superior (nisi Excommunicatori deferat) „ relaxare juxta formam Ecclesiæ potest illam, quamquam honestius, & con- „ venientius agat, si ei deferat in hoc casu.

REGULA XLII.

Cum cognitio causæ Superiori competit, Absolutio ab eo data, quamvis injuste, in foro Ecclesiæ rata est.

ITa declarat *Innoc. IV.* cap. *Venerabilibus*, mox laudato: *Ubi autem* (inquit) *Superiori competit de Excommunicatione cognoscere, Absolutio, seu relaxatio, quam ipse fecerit, tenet, licet forsitan sit injusta: quoniam etsi contra jus litigatoris, non tamen contra jus Constitutionis absolvit.*

REGULA XLIII.

Excommunicatus ob plures causas, sive ab uno, sive a pluribus Judicibus, non est absolvendus, nisi pro utraque causa satisfaciat: Absolutio vero, quæ alterutra causa tacita, aut alias suppressa veritate, & per subreptionem impetratur, nulla, & irrita est.

HAnc Regulam tradit *Innocentius III.* cap. *Cum pro causa*, Extra. *De Sententia Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: „ Discretioni vestræ „ mandamus, quatenus si vobis constiterit, dictum Archidiaconum ob dupli- „ cem causam excommunicatum fuisse, & expressisse tantum alteram in litte- „ ris, quas super Absolutione sua impetravit: ipsum tanquam excommunica- „ tum satisfacere Ecclesiæ suæ pro altera, Monitione præmissa, cogatis.

De Absolutione ab excommunicatione.

„ Et cap. *Officii*, sub eodem Titulo: Postremo quæsivisti, utrum is, qui „ propter plures excessus a pluribus Prælatis jus in ipsum habentibus, Ex- „ communicationis est vinculo innodatus, & uni Prælatorum de uno tan- „ tum satisfacere vult excessu, ab eo sit absolvendus, de quo satisfacere vult „ eidem, & cum de alio non satisfecerit aliis, absolutus valeat nunciari.... „ Super hoc articulo respondemus: Quod supprimenti veritatem Absolutio „ subrepta non prodest: & veritatem intelligens Absolutionem hujusmodi „ exhibere non debet.

Eadem

Eadem Regula confirmatur cap. *Ex parte tua*, Extra. *De Officio Judicis Ordinarii*, quod *Alexandri III.* Rescriptum est ad Cantuariense Archiepiscopum: *Quia* (inquit) *Nos consulere voluisti, utrum illorum Absolutio teneat, qui (occultatis excessibus, pro quibus excommunicati fuerant) Absolutionis Beneficium per Sedem Apostolicam meruerunt, suæ Excommunicationis causam aliam prætendentes: taliter respondemus. Quod si tibi ita constiterit, debes eos Ecclesiastica Censura compellere cum litteris tuis rei veritatem continentibus ad Sedem Apostolicam redire. Si vero id tibi non constiterit, & eos suspectos habueris, quod confessi non fuerint veritatem: ipsos compellere debes exinde coram te, quod veritatem confessi fuerint purgationem præstare.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* dist. XVIII. qu. II. art. V. Quæstiunc. III. Excommunicationes (*inquit*) non habent connexionem in aliquo, & ideo possibile est, quod aliquis ab una absolvatur, & in altera remaneat. Sed circa hoc sciendum est, quod aliquis quandoque est excommunicatus pluribus Excommunicationibus ab uno Judice, & tunc quando absolvitur ab una, intelligitur ab omnibus absolvi, nisi contrarium exprimatur; vel nisi in casu, quo quis Absolutionem impetrat ex una tantum causa Excommunicationis, cum pro pluribus excommunicatus sit: quandoque autem est excommunicatus a diversis Judicibus; & tunc absolutus ab una Excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera; nisi omnes alii ad petitionem ejus Excommunicationem ipsius confirmaverint; vel nisi omnes uni demandent Absolutionem.

REGULA XLIV.

Qui vi, aut metu Absolutionem ab Excommunicatione extorserit, duplicis Excommunicationis vinculo constringetur.

HAnc Regulam tradit *Gregorius X.* in Concilio Generali Lugdunensi, & refertur cap. unico, *De his, quæ vi, metusve causa fiunt*, in Sexto. *Absolutionis* (inquit) *beneficium ab Excommunicationis Sententia, vel quamcumque revocationem ipsius, aut Suspensionis, seu etiam Interdicti, per vim, vel metum extortam, præsentis Constitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem sine vindicta violentiæ crescat audacia: eos, qui Absolutionem, seu revocationem hujusmodi vi, vel metu extorserint, Excommunicationis Sententiæ decernimus subjacere.*

REGULA XLV.

Ab Excommunicatione juste lata peccatorem in contumacia perseverantem interdum Prælatus prudenter absolvet.

ITa docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XVIII. qu. II. art. V. Quæstiuncula II. ad secundum: *Manente*, (inquit) *contumacia, potest aliquis discrete Excommunicationem juste latam remittere; si videat saluti illius expedire, in cujus Medicinam Excommunicatio lata est.*

CAPUT III.

DE SUSPENSIONE.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Suspensio?

De Suspensione.

SUspensio est Censura quædam Ecclesiastica, qua Minister Ecclesiæ impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aut aliqua Potestate Ecclesiastica utatur. Est autem genus quoddam Suspensionis, quæ non per modum Censuræ, sed tantum per modum pœnæ imponitur; cujus frequens est in Jure mentio, scilicet cap. *Tam litteris*. Extra, *De Testibus*, & cap. *Cum in cunctis*, §. ultimo, Tit. *De Electione*, in Sexto, & Clementina 1. §. penult. *De Hæreticis*, & Clementina 11. *De Pœnis*. Quotiescumque enim Suspensio infligitur solum ad plectendum delictum præteritum, non ad frangendam, ac domandam contumaciam præsentem, rationem Censuræ non habet, sed pœnæ. Illud autem inter utrumque genus Suspensionis discrimen intercedit, quod illa, quæ mere pena est, ad certum tempus infligitur: quæ vero Censura est, non fertur ad certum tempus, sed tamdiu durat, quamdiu perseverat contumacia. Prima cessat elapso temporis, quo definita est, intervallo, absque alia Absolutione: altera sola absolutione tollitur. Prima nullam Monitionem præviam requirit, quam necessario postulat secunda, saltem illam, quæ includitur in illa conditione, *Si hoc feceris*; vel *Nisi satisfeceris*: Est autem Suspensio Censura quædam Clericorum propria: nam Excommunicatio, & Interdictum non solum Clericos, sed etiam Laicos ligare possunt: at Suspensio ipsos tantum Clericos attingere potest: nec enim ulli ejus Ordinis, vel Officii, cujus est pœnitus expers, administratio vetari, & interdici potest.

Quotuplex suspensio?

Suspensio alia est *A Jure*, alia *Ab homine*: a Jure, cum quis ob simoniam, vel ob aliud delictum, ipso Jure ab executione sui Ordinis, vel Officii prohibetur: ab homine, cum quis Judicis Sententia ab eadem executione ex causa removetur.

Clericus suspensus ab Ordine fit irregularis, si functiones Ordinis exerceat.

Suspensio rursus alia est *Ab Officio tantum*; alia *A Beneficio duntaxat*; tertia *Ab Officio simul, ac Beneficio*. Alia rursus integra, & totalis est, alia partialis: partialis est Suspensio ab Ordine, vel a Jurisdictione: integra, & totalis est Suspensio ab Ordine, & Jurisdictione simul: *Qui enim suspensus est ab Ordine tantum, non potest ea, quæ sunt Ordinis, sed potest ea, quæ sunt Jurisdictionis: & e converso, si sit suspensus a Jurisdictione, & non ab Ordine: si autem ab utroque, tunc neutrum potest*; (inquit S. *Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XVIII. qu. II. art. II. Quæstiuncula III.)

Suspensio ab Officio absolute lata privat omni usu Ordinis, & Jurisdictionis, omnibusque functionibus Muneris Ecclesiastici, quantum persona capax est. Quamobrem, si divinis se ingesserit manente Suspensione, fit Irregularis, ut declarat *Innocentius IV.* cap. *Cum medicinalis*, Tit. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto: *Caveant* autem (inquit) *Ecclesiarum Prælati, & Judices universi, ne prædictam pœnam Suspensionis incurrant: quoniam si contingeret eos sic Suspensos Divina Officia exequi sicut prius, Irregularitatem non effugient juxta Canonicas Sanctiones, super qua nonnisi per Summum Pontificem poterit dispensari*. Ut tamen *Irregularitatem contrahat, qui ab Officio*

suspen-

suspensus est, requiritur, ut actum exerceat alicujus Ordinis proprium tanquam Minister.

Ea autem Suspensionis ab Officio vis est, ut absolute suspensus, absque loci determinatione, ubique suspensus censendus sit, ita ut nec in aliena Diœcesi sacras functiones obire possit : sicut excommunicatus a suo Episcopo, ubique a Communione excluditur. Quod vero durationem spectat, si Suspensio proferatur absque temporis limitatione, semper durat, donec auferatur ab habente potestatem. Perpetua tamen minime censenda est, nisi causa peremptoria Sententia finita sit, delictumque adeo grave, ut Suspensionem perpetuam mereatur. At in dubio censenda est temporalis, & ad Judicis prudens arbitrium duratura, quia (secundum Regulam Juris XLIX. in Sexto.) *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* De Suspensione.

ARTICULUS II.

Regulæ circa Suspensionem.

REGULA I.

Suspensus ab Officio, consequenter ab Ordinum susceptione prohibetur.

SUspensus enim ab inferiori Ordine, consequenter suspensus est ab usu superiorum Ordinum, si ad illos promotus est, vel ab eorum susceptione, si non est promotus. Cum itaque suspensus ab Officio prohibeatur ab usu superiorum Ordinum, ita ab eorum susceptione arceri censendus est.

REGULA II.

Suspensus ab Ordine, consequenter suspensus est ab usu Jurisdictionis, cum Ordinis functione connexo.

QUamobrem Confessiones audire, & Sacramentaliter absolvere non potest.

REGULA III.

Qui a Jurisdictione suspensus, actum aliquem Jurisdictionis nihilominus exercet, non fit Irregularis.

IRregularitas enim non imponitur nisi ob violationem Suspensionis ab Ordine: nullam vero pœnam Jus decernit contra eos, qui Suspensionem a Jurisdictione violaverint, sed eam relinquit arbitrio Judicis.

REGULA IV.

Suspensus a Beneficio, solis Beneficii fructibus privatur: & tamen ad omnes Officii partes implendas obligatur.

DIstinguitur enim Beneficium ab Officio, propter quod institutum, & collatum est; adeoque Suspensio a Beneficio nullos Officii sacri actus prohibet, sed Jus tantum percipiendi fructus impedit, ne in actum prodeat; sive ne Clericus Jure Beneficii utatur ad fructus percipiendos. Nec tamen obligationem tollit implendi omnes partes Officii, propter quod sacræ militiæ stipendium Clerico collatum est: quod stipendium culpa sua non percipit: commodum porro ex culpa reportare non debet; nec Censura, quæ pœna Ecclesiastica est, tollit onus, in eorum præsertim detrimentum, qui Beneficia fundaverunt, aut Christianæ plebis, quæ sacra Ministeria suo Jure a Clericis expectat, & postulat. De Suspensione.

REGULA V.

A Beneficio simpliciter, & absolute Suspensus, censendus est suspensus ab omnibus Beneficiis.

LOcutio enim indefinita hac in materia, sicut & in aliis, æquivalet universali, nisi sensus ejus restringatur expressis verbis ad certa duntaxat Beneficia, verbi gratia, ad illa, quæ in tali Ecclesia quis possidet: quæ restrictio habetur cap. *Cupientes*, & cap. *Si compromissarius*, Tit. *De Electione*, in Sexto.

REGULA VI.

Episcopus Clericum sibi subditum suspendere potest a Beneficiis, quæ in alia Diœcesi obtinet.

CEnsura enim fertur in personam, cui Jus inhæret cujuslibet Beneficii, quamvis Jus illud sit ad fructus percipiendos in alio territorio, vel Episcopatu: at persona Clerici Episcopo domicilii subdita est. Idque confirmatur ex cap. *Postulasti*, Extra. *De Foro competenti*: cujus hæc sunt verba: *Postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, utrum Sacerdos habens Ecclesiam in una Diœcesi, & residens in eadem, domicilium vero patrimonii ratione in alia, ibi delinquens, ab eo, in cujus Diœcesi habet patrimonium, pro delicto ibidem commisso debeat judicari: præsertim in causis, quæ Officii sui, seu Beneficii privationem exposcunt. Ad quod breviter respondemus, Quod per Episcopum, in cujus Diœcesi deliquit, Sententia promulgari poterit in eumdem: sed ab eo, in cujus Diœcesi Beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda.* Sed quamvis hæc de Potestate Episcopi vera sint: in usu tamen Sententiam Suspensionis ab Episcopo prolatam, nisi amplius declaretur, ita intelligendam esse vult *Panormitanus*, ut suspendat solum a Beneficiis in sua Diœcesi sitis: nam odia, & pœnæ restringendæ sunt, quoad commode fieri potest.

REGULA VII.

Suspensio a Beneficio simplex, & absoluta novi Beneficii impetrationem, & collationem prohibet.

CUi enim aliqua functione, vel usu interdictum est, eidem interclusus censendus est aditus ad id, quod est principium talis functionis, vel usus, ut colligitur ex cap. *Si celebrat*, Extra. *De Clerico excommunicato ministrante*. Et confirmatur ex cap. *Per Inquisitionem*, Extra. *De Electione*, quo jubetur, ut qui malæ Episcopi electioni fuerat suffragatus, atque ita se Beneficiis Ecclesiasticis indignum reddiderat, alio Beneficio privetur, ad quod ipse postea electus fuerat. Hæc autem indignitas, (ut notat Glossa) in eo præcipue posita erat, quod malæ illius Electionis ratione suspensus fuerat a Beneficiis, juxta cap. *Cum in cunctis*, eodem Titulo. Collatio tamen Beneficii facta Clerico, qui a Beneficio simpliciter suspensus est, non est ipso Jure irrita, sed a Superiore potest irrita declarari, ut colligitur ex cap. *Si celebrat*, mox laudato.

REGULA VIII.

Suspensus a Beneficio, fructibus omnibus Beneficii, cujuscumque sint rationis, seu redditus annui, seu decimæ, primitiæ, oblationes: quin etiam quotidianis distributionibus privatur.

AD illa enim omnia jus tribuit Beneficium: & quamvis quotidianæ distributiones propter præsentiam, vel ministerium aliquod in Divinis Officiis dentur; illa tamen præsentia, vel ministerium sufficiens ratio non esset, distributiones illas obtinendi, nisi jus ex Beneficii titulo derivaretur. Sunt ergo distributiones illæ velut pars quædam Beneficii: quamobrem Suspensio a Beneficio ab his etiam distributionibus obtinendis impedit: non autem a fortuitis oblationibus sive extraordinariis stipendiis, & eleemosynis, quæ per se Beneficio non sunt annexæ, sed ob Missæ celebrationem, aut aliud Ministerium Ecclesiasticum Beneficio non annexum, Sacerdotibus viritim conferunt Fideles.

De Suspensione.

REGULA IX.

Qui a Beneficio suspensus, fructus illius nihilominus percipit, lethaliter peccat, & ad restitutionem tenetur, etiamsi Suspensio sit occulta.

QUi enim rem alienam usurpat, peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur; quia nemo potest juste retinere, quod suum non est: qui autem suspensus est a Beneficio, fructus suos non facit; adeoque rem alienam usurpat, cum illos percipit: graviter itaque peccat, & ad illorum restitutionem obligatur. Nec refert, quod occulta sit Suspensio, quia suum nihilominus consequitur effectum, prohibetque, ne sic suspensus fructuum dominium acquirat. Nec vero contrarium colligi potest ex Constitutione *Ad evitanda*, tum quia ibi solum de communicatione agitur, non de fructuum perceptione; tum etiam quia homini Censura vincto nullum beneficium vel privilegium per illam concessum est.

REGULA X.

Suspenso ab Ordine Beneficium conferri valide, ac juste potest.

NOn est enim incapax obtinendi Beneficii, cum aliud sit Suspensio a Beneficio, & Suspensio ab Officio. Unde *Honorius III.* cap. *Vel non est compos*, Extra. *De tempore Ordinationum*, suspendit puerum tredecim annorum usque ad legitimam ætatem; & tamen præcipit, ut ei Beneficium Ecclesiasticum competens conferatur.

REGULA XI.

Prælatus ab Ordine suspensus, nihilominus Beneficia conferre potest, ad quorum collationem jus habet.

BEneficiorum enim collatio nullius Ordinis, sed solius Jurisdictionis actus est. Ob eamdem rationem ferre potest Excommunicationem, aliasque Censuras Ecclesiasticas, & ab illis absolvere: & Canonicam illam Absolutionem tribuens non fit Irregularis, nisi id præstet tanquam Sacerdos, & cum solemnitate, quam præscribunt cap. *A nobis*, secundum, Extra. *De Sententia Excommunicationis*, & Ritualia.

RE-

REGULA XII.

Episcopus ab Ordinum collatione suspensus, ipsos conferendo fit Irregularis.

EPiscopatus enim Ordo sacer est, cujus præcipuus actus est consecratio Sacerdotum, & Ministrorum Ecclesiæ: itaque Suspensio ab Ordinum collatione est vere, & proprie Censura Ecclesiastica, quippe quæ privat Episcopum præcipua sui Ordinis functione. Quamobrem si Ordines conferat, sive Majores, sive Minores, sicque tamquam Minister functionem Ordinis Episcopalis exerceat, Irregularis efficitur, juxta cap. *Cum æterni*, tit. *De Sent. & Re judicata*, in Sexto, & cap. *Cum medicinalis*, tit. *De Sententia Excommun.* ibidem.

REGULA XIII.

Episcopi, iisque Superiores, nunquam incurrunt in Suspensionem, vel interdictum ipso Jure, nisi de illis expressa mentio fiat.

De Suspensione.

HAnc Regulam tradit *Innoc. IV.* in Conc. Lugdunensi, & habetur cap. *Quia periculosum*, tit. *De Sententia Excommunicat.* in Sexto. *Quia* (inquit) *periculosum est Episcopis, & eorum Superioribus, propter executionem Pontificalis Officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu Interdicti, vel Suspensionis incurrant Sententiam ipso facto: nos deliberatione provida duximus statuendum, ut Episcopi, & alii Superiores Prælati, nullius Constitutionis occasione, Sententiæ, sive Mandati, prædictam incurrant Sententiam ullatenus ipso Jure: nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur.* Quo privilegio gaudent etiam Episcopi electi, & confirmati, quamvis nondum consecrati: siquidem actus Jurisdictionis exercere possunt. Favores enim convenit ampliari, & Privilegia præsertim a Principe concessa, ut habent Regulæ Juris.

REGULA XIV.

Suspensio generatim lata in Clericos, non minus Regulares quam Sæculares Clericos complectitur.

NOmen enim, & Officia Clerici Regularibus, & Sæcularibus Clericis communia sunt. Unde quæ de vita, & honestate Clericorum in sacris Canonibus sunt sancita, & quæcumque Conciliorum, aut Summorum Pontificum Decretis prohibita sunt velut Ordini Clericali indecentia, non minus Regulares Clericos spectant, obligantque, quam Sæculares. Si ergo Constitutio aliqua, vel Mandatum Clericis aliquid jubeat, vel prohibeat sub pœna Suspensionis, in eam incurrere pariter censendi sunt Regulares, & Sæculares Clerici, nisi materia Legis, Constitutionis, aut Mandati ad Sæculares tantum pertineat: vel potestati ferentis Constitutionem, aut Mandatum, v. g. particularis Episcopi, Regulares non subjaceant ob Exemptiones, & Privilegia.

REGULA XV.

Suspensio in Communitatem, seu Capitulum, aut Conventum jure ferri potest.

HÆc Regula ex Ecclesiæ usu perspicua est, & confirmatur, cap. *Quia sæpe*, tit. *De Electione*, in Sexto, quod contra Capitula, Conventus, & Col-

& Collegia, & singulares eorumdem personas editum est, quæ Cathedralibus, & Regularibus, ac Collegiatis Ecclesiis vacantibus, bona a Prælatis dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, quæ in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris Successoribus reservari debuissent, occupabant, inter se dividebant, surripiebant, dilapidabant, dissipabant. Decernit autem Pontifex, *Ut hi, qui præmissa de cætero præsumpserint*, (nempe Capitula ipsa, Conventus, Collegia, & singulares eorundem personæ) *eo ipso sint, & tamdiu maneant ab Officio, & Beneficiis quibuscumque suspensi, donec plene restituerint quicquid de bonis perceperint supradictis.*

Idem rursus confirmatur ex cap. *Si ad Episcopum*, tit. *Ne sede vacante aliquid innovetur*, in Sexto. *Si* (inquit) *ad Episcopum, & Capitulum communiter pertineat collatio Præbendarum: mortuo Episcopo, vel a Beneficiorum collatione suspenso, poterit Capitulum vacantes conferre Præbendas: etiamsi Episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi, ut Prælatus. Idem poterit Episcopus, si Capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat, vel singulariter omnes de Capitulo majoris Excommunicationis vinculo innodari.*

Denique idem confirmatur ex Concil. Tridentino sess. XXIV. *De Reformatione*, cap. XVI. ubi Capitulum quod Sede vacante non constituit Oeconomum, & Vicarium Generalem tempore, & modo ibi præscriptis facultate constituendi eos Ministros privatur, quod est ab eo Munere pro hac vice suspendi: jusque deputationis hujus ad Metropolitanum devolvitur: vel, si Ecclesia Metropolitana fuerit, ad antiquiorem Episcopum ex Suffraganeis; si vero Exempta, ad propinquiorem.

REGULA XVI.

Sine peccato proprio aliquis suspendi potest; non tamen sine causa.

ITa docet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XVIII. qu. II. art. III. quæst. II. ad II. *Suspensio* (inquit) *non tanta pœna est, quanta Excommunicatio; quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis sicut excommunicati: unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur.* De Suspensione.

Idem confirmatur ex cap. *Requisivit*, Extra. *De Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui*, ubi qui ab hujusmodi Episcopo ignorans ordinatus est, ab executione Officii suspenditur, nisi prudens Pontifex cum eo dispensaverit. Et cap. *Vel non est compos*, Extra, *De Temporibus Ordinationum*. Puer tredecim annorum in Diaconum ordinatus ab executione Officii Diaconi usque ad ætatem legitimam suspenditur *In injuriam Ordinantis.*

Quod autem objici potest, Pœnam juste non infligi sine culpa propria, falsum esse docet Regula Juris, hanc exceptionem apponens: *Nisi subsit causa*. Cap. *Sine*, tit. *De Regulis Juris*, in Sexto: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

REGULA XVII.

Suspensionem, quæ fertur ad frangendam contumaciam, præcedere canonica Monitio debet.

NEmo enim contumax est, & habetur, nisi monitus fuerit.

RE-

REGULA XVIII.

Suspensio, quæ fertur, ut pœna dumtaxat delicti præteriti, sine prævia Monitione infligi potest.

ID colligitur ex cap. *Tam litteris*, Extra. *De Testibus*, ubi Summus Pontifex *Innoc. III.* Archipresbyterum Lucanum, & Sacristam, qui Litteras contra Lucanum Episcopum electum sub nomine majoris partis Capituli ad ejus Sanctitatem falso scripserant, propter istud crimen ab Officio, & Beneficio suspendit, etiamsi Monitio nulla præmissa esset, neque ab homine, neque a Jure per Legem aliquam, quæ tale delictum sub pęna Suspensionis prohiberet.

REGULA XIX.

Fideles non tenentur vitare suspensum Clericum in iis, in quibus suspensus est, nisi sit denuntiatus.

HÆc Regula colligitur ex Constitutione, *Ad vitanda*. Quamobrem Sacerdotem ab Officio suspensum & non denunciatum, inducere possunt absque mortali peccato ad celebrandum, ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ administrandum, ad Sententiam in foro exteriori ferendam, ob necessitatem suam, vel commodum, si ratione Officii ad hæc Ministeria in eorum utilitatem obeunda teneatur. Possunt etiam suspensum a Beneficio participem facere fructuum ejusdem, si non sit nominatim denuntiatus. At denuntiatum in his vitare tenerentur; alioquin Claves Ecclesiæ contemnerent, & contra obedientiam Ecclesiæ debitam peccarent: & cum Clerico contumace, & suspenso ad peccatum mortale cooperari censerentur.

REGULA XX.

Suspensio in pœnam delicti præteriti ad certum tempus lata, elapso tempore ipso jure tollitur absque Absolutione.

SUblato enim impedimento, res per se ipsam redit ad pristinum statum; & qui non est impeditus, potest uti jure suo: at suspensus non privatur Officio, vel Beneficio suo, sed functionibus dumtaxat, ubique impeditur: cum ergo hoc impedimentum cesset elapso tempore; Officium ut prius exercere, ac Beneficii fructus percipere potest, ut Juris Canonici Consulti observant.

REGULA XXI.

Suspensio ad certum tempus, vel etiam in perpetuum explicite lata, Superioris dispensatione, vel Absolutione tolli potest.

De Suspensione. MAnet enim semper potestas penes Superiorem solvendi subditum ab hac pœna, nondum licet elapso tempore, quo definita est: vel licet in perpetuum lata sit; cum a Depositione, & exauctoratione, sive degradatione differat.

REGULA XXII.

Suspensio a Jure lata in pœnam delicti, sive perpetua, sive ad certum tempus, ab Auctore tantum Canonis ante tempus elapsum solvi potest, si publica sit, & ad forum contentiosum delata.

HUjus enim pœnæ condonationem, sive Absolutionem tacite sibi reservasse censetur; a qua proinde nullus inferior potest absolvere secundum cap.

cap. *Nuper*, Extra. *De Sententia Excommun.* Atque ita sentiunt Juris Canonici Consulti cum Glossa in cap. *Cupientes*, §. *Ceterum*, tit. *De Electione*, in Sexto. Idque locum habet non solum in Suspensionibus latis ipso Jure, sed etiam ferendis secundum Jus. Verbi gr. si lex in delicti alicujus reos triennalem Suspensionem decernat, (ut cap. *Cum inhibitio*, Extra. *De Clandestina Desponsatione*:) non poterit Episcopus illam infligendo minuere, nec in illa inflicta dispensare: quia inferior Judex in Lege Superioris dispensare non potest, nec reum convictum a pœna Legis absolvere. Nam *Facti quæstio in arbitrio est judicantis; pœnæ vero prosecutio non ejus voluntati mandatur, sed Legis auctoritati reservatur*; (inquit *Papinianus* L. 1. Digest. *Ad Senatusconsf. Turpil.*) Idque confirmat *S. Thomas* 2. 2. qu. LXVII. art. IV. *Judex* (inquit) *inferior non habet potestatem absolvendi reum a pena contra Leges a Superiore sibi impositas.* At vero si Jus Canonicum, sive Constitutio Pontificia decernit Suspensionem ferri in eum, qui tale delictum commisit, nulloque tempore illam definiat, nec perpetuam fore significet, integrum erit Judici eam ferenti ad certum tempus restringere, vel latam ante tempus elapsum remittere: quia tunc non in Lege Superioris dispensare, sed Sententiam suam temperare censebitur.

REGULA XXIII.

Quamlibet Suspensionem ex delicto occulto provenientem, & ad forum contentiosum non delatam, Episcopi solvere possunt.

ITa declarat Conc. Tridentinum, sess. XXIV. *De Reformatione*, cap. VI. *Liceat* (inquit) *Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & Suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ, gratis absolvere, imposita Pœnitentia salutari.*

REGULA XXIV.

Suspensio quælibet a Jure lata ob contumaciam, nisi Summo Pontifici reservata sit, ab Episcopo, aut Prælato auctoritatem quasi Episcopalem habente solvi potest.

HÆc Regula colligitur ex cap. *Nuper*, Extra. *De Sent. Excommunicationis*, cujus hæc sunt verba: *Quia Conditor Canonis ejus Absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Quæ tametsi de Excommunicatione sola dicta sint, a Juris tamen Canonici Consultis ad Suspensionem extenduntur, cum hoc discrimine, quod ab Excommunicatione a Jure lata quilibet Sacerdos ad Confessiones audiendas approbatus, a Suspensione vero solus Episcopus, aut Vicarius ejus absolvere possit. Ratio discriminis est, quod Absolutio ab Excommunicatione multo magis sit ad salutem animæ necessaria: siquidem Excommunicatio participatione Sacramentorum, & communione suffragiorum privat: non vero Suspensio. De Suspensione.

RE-

REGULA XXV.

Suspensionem ab homine latam solus ille per Absolutionem auferre potest, qui eam tulit.

ARTICULUS III.

Quæ Suspensiones ipso Jure latæ?

Suspensiones a jure latæ.

I. AB Ordinis suscepti executione suspenduntur, qui Sacrum Ordinem scientes susceperunt ab Episcopo, qui loco simul, & dignitati renunciavit. Si autem renunciationem hujusmodi ignoraverint, cum ipsis dispensari poterit ab Episcopo proprio, nisi ignorantia crassa fuerit supina. (cap. *Requisivit*, Extra. *De Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui.*)

II. Ab Ordinum executione suspenduntur ordinati ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto, denunciato, ut colligitur ex cap. *Quod a Prædecessore*, & cap. *Fraternitati*, Extra, *De Schismaticis*. Idem esto judicium de eo, qui ab Episcopo Simoniaco per Sententiam declarato est ordinatus. Can. *Si qui a Simoniacis*, causa 1. qu. 1. & cap. *Per tuas*, Extra, *De Simonia*.

III. Qui Ecclesiasticos Ordines in Excommunicatione positi scienter acceperunt. Quæ Suspensio Summo Pontifici reservata est. (cap. *Cum illorum*, Extra, *De Sententia Excommun.*)

IV. Qui aliquem Ordinem simoniace susceperint. (cap. *Per tuas*, 37. Extra. *De Simonia*, & Extrav. *Cum detestabile*, Lib. v. Extravag. comm. tit. *De Simonia*.)

V. Qui per saltum ordinantur, idest, superiorem Ordinem inferiore prætermisso suscipiunt, ab Ordine sic suscepto sunt suspensi. Potest tamen Episcopus cum sic promotis dispensare *ex legitima causa, si non ministraverint*; modo prætermissum Ordinem prius susceperint. Cap. *Tuæ*, Extra, *De Clerico per saltum promoto*, & Concilii Tridentini sess. XXIII. *De Reformatione*, cap. XIV.

VI. Qui duos Ordines sacros una die, aut duobus diebus immediate consecutis susceperunt, ab Ordinis postremo suscepti executione: qui vero eosdem ita contulerunt Episcopi, ab utriusque Ordinis collatione suspenduntur. (cap. *Litteras*, Extra, *De Temporibus Ordinationum*.)

VII. Qui majores Ordines ante legitimam ætatem, vel extra tempora ab Ecclesia constituta, vel sine litteris dimissoriis ab alieno Episcopo suscipiunt, Suspensione mulctantur Constitutione *Pii II.* quæ incipit, *Cum ex Sacrorum*, & altera *Sixti V.* quæ incipit, *Sanctum, & salutare*. Quam Suspensionem etsi Summo Pontifici reservaverit *Sixtus V.* ab ea tamen, si sit occulta, Episcopus absolvere potest, quia *Clemens VIII.* Constitutione, quæ incipit, *Romanum Pontificem*, Decretalem *Sixti V.* moderatus est, secundum Tridentini Concilii Decreta.

VIII. Qui sacros Ordines suscipiunt conficto Titulo patrimonii, vel Beneficii, atque ita fallunt Ordinantem. Quamvis enim Conc. Tridentinum sess. XXI. cap. II. statuat, ut nemo ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere, vel aliunde habeat, unde vivere possit: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando*; & Sacra Congregatio Tridentini Concilii Interpres declaraverit, isto Concilii Decreto innovatam quidem esse pœnam cap. *Cum secundum*, Extra. *De Præbendis*, quæ mensam Episcopalem obligat ad alimenta præbenda sic ordinato, non autem pœ-

nam

nam Sufpenfionis in Epifcopum latam can. *Neminem*, & can. *Sanctorum* dift. LXX. Eadem tamen Sacra Congregatio die XXVII. Novembris MDCX. refpondit, pœnam Sufpenfionis antiquis Canonibus latam, a Tridentino Concilio innovatam fuiffe in Clericum, qui conficto Beneficii, aut patrimonii Titulo Ordinatorem decepit.

IX. Sufpenduntur Clerici, qui ante Ordinationem, vel cum Epifcopo ordinante, vel cum Patrono ad Ordines præfentante pacifcuntur, quod alimenta, aut provifionem ab iis non poftulabunt. Ordinator item a collatione, Præfentator vero ab executione Ordinum funt fufpenfi: omnium abfolutione, five difpenfatione Sedi Apoftolicæ refervata. (cap. *Si quis ordinaverit*, Extra. *De Simonia*.)

Sufpenfiones a jure latæ.

X. Qui furtive, ideft, infcio Epifcopo, nec approbante, nec examinante, Ordines fufceperunt; five non vocati, aut non approbati inter Ordinandos irrepferunt, aut alium in fui locum, fuoque nomine fubmiferunt examini (cap. *Veniens*, cap. *Cum lator*, & cap. *Innotuit*, Extra, *De eo, qui furtive Ordinem fufcepit*.)

XI. Qui vacante Epifcopatu, *& Beneficii Ecclefiaftici recepti, vel recipiendi occafione non arctati*, Sacros Ordines fufceperint cum litteris dimifforiis a Capitulo *Infra annum vacationis* conceffis. Sufpenfi funt (inquam) ipfo Jure fic ordinati ab executione Majorum Ordinum, ad beneplacitum Epifcopi futuri. *Capitulum* vero *contraveniens Ecclefiaftico fubjacet Interdicto*. Qui autem Minores Ordines cum dimifforiis hujufmodi fufceperunt, nulla Cenfura plectuntur, fed excidunt Privilegio Clericali, præfertim in criminalibus: Ita fanxit Conc. Tridentinum fefs. VII. *De Reformatione*, cap. x. Quam pœnam eadem Sacra Synodus fefs. XXIII. *De Reformatione*, cap. x. ad illos extendit, *Qui eafdem litteras non a Capitulo, fed ab aliis quibufvis in Jurifdictione Epifcopi, loco Capituli, Sede vacante, fuccedentibus obtinerent. Concedentes autem dimifforias contra formam Decreti, ab Officio, & Beneficio per annum ipfo jure funt fufpenfi*. Quinam porro cenfendi fint arctati occafione Beneficii recepti, vel recipiendi, explicabitur in Tractatu *De Sacramento Ordinis*.

XII. Qui poft Matrimonium contractum etiam non confummatum, exceptis cafibus a Canone conceffis, Ordinem Sacrum fufceperit, ab Ordine fic fufcepto ipfo Jure fufpenfus eft, nec ad fuperiores Ordines provehi, nec ad aliquod Beneficium, vel Officium Ecclefiafticum valet promoveri, ut declaravit *Joannes XXII.* Extrav. *Antiquæ*, tit. *De Voto*. Nifi forte folvatur Matrimonium Religiofa Profeffione canonice emiffa, quo cafu Epifcopus difpenfare cum ipfo poterit.

XIII. In Sufpenfionis pœnam incurrit Presbyter, qui Miffam celebrat, & Chrifti Corpus, ac Sanguinem in ea non fumit. (Can. *Relatum*, dift. II. *De Confecratione*.) Item qui Miffam incompletam fine gravi caufa dimittit. (Can. *Nullus Epifcopus*, dift. I. *De Confecratione*.)

XIV. Ab ingreffu Ecclefiæ funt fufpenfi, quicumque in loco interdicto celebrant, aut celebrari jubent, donec ad arbitrium Epifcopi fatisfecerint. Item quicumque Clerici, etiam Regulares, & Exempti, admittunt ad Sacramenta, vel ad divina Officia, aut Ecclefiafticam Sepulturam publice excommunicatos, fufpenfos, vel interdictos. (Cap. *Epifcoporum*, tit. *De Privilegiis*, in Sexto.)

XV. Qui manifeftos Ufurarios ad Communionem Euchariftiæ, vel ad Sepulturam Ecclefiafticam admittunt, vel recipiunt eorum oblationem. Hi (inquam) ipfo jure ab Officio funt fufpenfi, donec ad arbitrium Epifcopi fatisfecerint. (Cap. *Quia in omnibus*, Extra, *De Ufuris*.)

XVI. Parochus, vel alius Sacerdos, five Regularis, five Sæcularis, etiamfi

id

id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, qui alterius Parochiæ Sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus manet, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Ita statuit Sacra Synodus Tridentina sess. XXIV. *De Reformatione Matrimonii*, cap. I.

XVII. A Beneficiis suspenduntur ad triennium, quivis eligentes indignum ad Episcopatum, aut ad inferiora beneficia, quibus animarum cura annexa est. (Cap. *Cum in cunctis*, tit. *De Electione*, in Sexto.) Item qui per abusum sæcularis Potestatis contra canonicam libertatem, aliquem ad Ecclesiasticam Dignitatem eligere ausi fuerint, ab Officiis, & Beneficiis ad triennium suspensi sunt, & hac vice privantur eligendi potestate, adeoque facta ab illis electio irrita est. Qui vero electioni sic de se factæ consensit, ineligibilis, nec absque dispensatione ad aliquam eligi valet Dignitatem. (Cap. *Quisquis*, Extra. *De Electione*.)

XVIII. Qui Sede vacante Ecclesiæ Cathedralis, Collegiatæ, aut Regularis, occupant bona pertinentia ad Prælatum defunctum, vel ad Successorem, vel ad ipsam Sedem suspenduntur ab Officiis, & beneficiis, donec integre restituant. (Cap. *Quia sæpe*, tit. *De Electione*, in Sexto). Similis Suspensio fertur in Clericos Episcopis inferiores, qui bona vacantium Ecclesiarum sibi subjectarum in suos usus convertunt. Episcopi autem id facientes, ab ingressu Ecclesiæ suspenduntur. (Cap. *Præsenti*, tit. *De Officio Ordinarii*, in Sexto.)

Suspensiones a jure latæ.

XIX. Episcopus conferens Ordines, aut Tonsuram extraneo absque proprii Episcopi licentia, aut etiam subdito in aliena Diœcesi sine expressa licentia Ordinarii, suspensus est ipso jure a Pontificalibus: Clericus vero recipiens, est suspensus ab Ordine suscepto ad arbitrium proprii Episcopi (ex Conc. Tridentino sess. VI. *De Reformatione*, cap. V. & sess. XXIII. Cap. VIII.)

XX. Episcopus ordinans Religiosum non professum, suspensus est per annum a collatione Ordinum quos ei contulit, ut sanxit *S. Pius V.* Clericos Societatis Jesu, qui in ea vota simplicia emiserunt, *Gregorius XIII.* exceptos voluit. Novitii sic ordinati suspensi sunt ab Ordinum executione.

XXI. Qui bigamum ad Ordines promovet, vel quemlibet invitum, a celebratione Missæ per annum suspenditur. (Can. *Nullus*, dist. LV. can. *Episcopus*, & can. *Gesta*, dist. LXXIV.) Qui vero sciens volens Sacerdotalem Ordinem confert indigno, seu suspenso ab illius Ordinis receptione, suspenditur a collatione Ordinis Sacerdotalis. (Can. *Si qui Episcopi*. Causa II. qu. II.)

XXII. Episcopus, qui Tonsuram Clericalem confert infanti, nondum scilicet septenni illiterato, idest, qui legere nesciat, & scribere, Doctrinæque Christianæ sit ignarus; conjugato, nisi volenti Religionem intrare secundum Canones; vel homini Diœcesis alienæ absque sui Superioris licentia, per annum a collatione Clericalis Tonsuræ dumtaxat suspensus est. (Cap. *Nullus*, tit. *De Temporibus Ordinationum*, in Sexto.)

XXIII. Episcopus conferens Ordines simoniace, sive cum pacto, ut Ordinatus ab ipso non petat alimenta in defectu beneficii, aut Patrimonii, suspenditur per triennium a collatione Ordinum. (Cap. *Si quis ordinaverit*, Extra. *De Simonia*.)

XXIV. *Episcopus, aut quivis alius Beneficiorum Collator*, qui beneficii Resignationem admittit contra formam Constitutionis *S. Pii V.* quæ incipit, *Quanta Ecclesiæ Dei*, estque inter ejus Diplomata LVIII. suspensus est a col-

a collatione, præſentatione, electione, confirmatione, inſtitutione, donec a Romano Pontifice abſolvatur.

XXV. Epiſcopus, aut Abbas, alienans bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut piorum locorum, ſine Summi Pontificis licentia, ſuſpenſus eſt ab ingreſſu Eccleſiæ: ſi poſt ſex menſes non reſipuerit, ſuſpenditur ab Adminiſtratione temporali, & ſpirituali ſuæ Eccleſiæ. Inferiores vero ejuſdem criminis rei, excommunicati ſunt ipſo Jure. (Cap. *Ambitioſæ*, tit. *De rebus Eccleſiæ non alienandis*, in *Extravag. Comm.*) Ab Officio pariter, & adminiſtratione rerum temporalium commiſſæ ſibi Eccleſiæ ſuſpenduntur Epiſcopi, & alii Prælati, qui bona immobilia commiſſarum ſibi Eccleſiarum Laicis ſubjiciunt ſine Capituli conſenſu, & ſpeciali Sedis Apoſtolicæ facultate, exceptis caſibus in Jure permiſſis. (Cap. *Hoc conſultiſſimo*, tit. *De rebus Eccleſiæ non alienandis*, in Sexto.

XXVI. Epiſcopus Monaſteria Monialium abſque neceſſitate ingreſſus, prima vice in Suſpenſionem incurrit ab ingreſſu Eccleſiæ: ſecunda vice ſuſpenditur a divinis: tertia, Excommunicatione plectitur, ut ſanxit *Gregorius XIII.* Conſtitutione, quæ incipit, *De Sacris*.

XXVII. Epiſcopus permittens publicos Fœneratores alienigenas conducere domos in ſua Diœceſi ad exercendum fœnus ſuſpenſus eſt ab Officio, & beneficio, donec illos expulerit, (Cap. *Uſuras*, tit. *De Uſuris*, in Sexto.)

XXVIII. Conventus, & Capitula, quæ directe, aut indirecte aliquid exigunt ob receptionem alicuius in Monaſterium, ſive ante, ſive poſt illam, aliquid pretio æſtimandum, ſeu pecunias, ſeu convivia, ſeu vaſa argentea, ornamenta, aut quidvis aliud, etiam ad uſum Eccleſiaſticum, ſeu quemvis alium pium uſum deputata, vel deputanda, ſuſpenduntur ipſo Jure ab Officio, & beneficiis, ſingulares vero perſonæ tam dantes, quam accipientes, in Excommunicationem incurrunt ipſo facto, neque his Cenſuris extra mortis articulum ſolvi poſſunt, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia. (Cap. *Sane*, tit. *De Simonia*, Lib. v. *Extravag. Commun.*)

XXIX. Superiores Ordinum Mendicantium, qui aliquem admittunt ad Profeſſionem, nondum expleto Probationis anno, ipſo Jure ſunt ſuſpenſi. (Cap. *Non ſolum*, tit. *De Regularibus*, in Sexto.) Suſpenſiones a jure latæ.

XXX. Ab Ordine Religioſo Apoſtata, qui Ordinem ſacrum in Apoſtaſiæ ſtatu ſuſcepit, ab illius Ordinis functionibus, & ab aliorum ſuſceptione ſuſpenſus eſt, donec Summus Pontifex cum ipſo diſpenſaverit; etiamſi ad alium Ordinem abſque neceſſaria licentia tranſierit, in eoque Sacrum Ordinem ſuſceperit. (Cap. *Conſultationi*, Extra. *De Apoſtatis*.)

XXXI. Ab Officiis, Adminiſtrationibus, & Beneficiis ſuſpenſis ſunt ipſo Jure Regulares defraudantes Eccleſias decimis eis debitis, vel eas uſurpantes, niſi intra duos menſes ſatisfaciant. Qui autem, nec Officia, nec Beneficia, nec Adminiſtrationes habent, Excommunicationis vinculo conſtringuntur. (Clement. 1. *De Decimis*.)

XXXII. Prælati Regulares, ad quos aliquid quovis modo pervenerit occaſione certorum damnorum ab eorum ſubditis illatorum Eccleſiis, aut Perſonis Eccleſiaſticis, niſi ſatisfactionem plenariam illis exhibuerint intra menſem, poſt quam id ab ipſis fuerit poſtulatum, Suſpenſionis Sententiam uſque ad ſatisfactionem debitam eo ipſo incurrunt. Damna autem illata hæc ſunt: Prælatis Eccleſiarum in ſuis Concionibus detrahere, aut etiam retrahere Laicos ab Eccleſiarum ſuarum frequentia, vel acceſſu: cum teſtamentorum confectionibus interſunt, a reſtitutionibus debitis, aut legatis Matricibus Eccleſiis faciendis retrahere teſtatores: legata, vel debita, aut male ablata incerta, ſibi, aut aliis ſingularibus Ordinis ſui Fratribus, vel Conventibus, ut in aliorum damnum fiant,

seu erogentur, procurare: a Casibus Sedi Apostolicæ, aut locorum Ordinariis reservatis quemquam absolvere: indiscretas, sive falsas, & non concessas Indulgentias promulgare: Personas Ecclesiasticas, præsertim coram Judicibus a Sede Apostolica delegatis Jus suum prosequentes, vexare indebite, aut ad loca plura, & multum remota convenire. (Clementin. *Religiosi*, tit. *De Privilegiis, & excessibus Privilegiatorum.*)

XXXIII. Confessarii Regulares, qui Pœnitentibus apud eos peccata sua deponentibus non suaserint eos teneri ad solvendas decimas Rectoribus Parochialium Ecclesiarum, suspenduntur ab Officio concionandi, donec eosdem Pœnitentes docuerint, quam primum opportunitate data ipsos ad id obligari, nec tuta conscientia decimas hujusmodi retinere, aut eorum solutionem recusare, vel differre posse. (Clement. *Cupientes*, tit. *De Pœnis.*)

XXXIV. Clerici concubinarii, quorum crimen notorium est per Sententiam, seu per Confessionem factam in Jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, olim suspensi erant, non solum quoad se (quæ Suspensio mortale quodlibet peccatum sequitur) sed etiam quoad alios, itaut in divinis Officiis vitandi essent; ut habetur) cap. *Quæsitum*, Extra. *De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.*) Sed hæc Censura Jure novo sublata est, secundum, quod Clerici concubinarii, quorum crimen notum est, & publicum, suspensi non sunt, nisi Suspensionis Sententia in eos, prævia monitione Canonica, ab Ecclesiastico Judice lata sit, nominatimque fuerint denunciati; ut colligitur ex Constitutione, *Ad vitanda*: & ex Conc. Tridentino sess. XXV. *De Reformatione*, cap. XIV. Primo namque prohibet sacra Synodus, ne Clerici concubinas, aut alias mulieres suspectas in domo, vel extra retineant; aut cum iis ullam consuetudinem habeant: alioquin penis a Jure, vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Secundo, ut si a Superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum Beneficiorum suorum quorumcumque, & Pensionum, ipso facto sint privati. Tertio, si in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perseverantes, secundæ Monitioni adhuc non paruerint, a Beneficiorum administratione, quoad Ordinarius arbitrabitur, suspendantur. Quarto si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc Beneficiis, Portionibus, ac Officiis, & Pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles, & indigni quibuscumque honoribus, Dignitatibus, Beneficiis, ac Officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem, ab eorum Superioribus, cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Quinto, ut si intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, Excommunicationis gladio plectantur. Sexto, ut Clerici Beneficia Ecclesiastica, aut Pensiones non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perseverantiam, & qualitatem, & ab ipso Episcopo carceris pœna, Suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros Canones, puniantur. Postremo, ut Episcopi, si ab hujusmodi crimine (quod absit) non abstinuerint; & a Synodo Provinciali admoniti, se non emendaverint; ipso facto sint suspensi. Ex quo Tridentinæ Synodi Decreto colligitur, Clericos concubinarios, quorum publicum, & notum crimen est, non esse ipso Jure suspensos: tum quia post secundam monitionem amittunt solum fructus, & ab administratione Beneficiorum arbitrio Ordinarii suspenduntur; & si postea non paruerint, Concilium præcipit, ut Beneficiis priventur, lata scilicet ab Episcopo, vel ejus Officiali Sententia: non sunt itaque ipso Jure suspensi a Beneficio; consequenter, nec ab Officio; quia suspensus ab Officio, si sit suspensus propter crimen grave, & sit in mora petendi Absolutionem, censetur

Suspensiones a jure latæ.

tur

tur etiam suspensus a Beneficio, ut Juris Canonici Periti colligunt cum Auctore Glossæ in Clementinam *Cupientes*, tit. *De Pœnis*: tum quia Clericos non beneficiatos, pro qualitate delicti, & contumaciæ, Concilium puniri præcipit ab Episcopo pœna Suspensionis ab Ordine: non sunt igitur ipso Jure suspensi.

XXXV. De Suspensione, in quam incurritur, asserendo Virginem Deiparam in peccato originali fuisse conceptam, sive in Concionibus, sive in Lectionibus, aut publicis Actibus; aut opinionem contrariam tenentibus notam hæresis, aut mortalis peccati inurendo, &c. videris quæ dicimus Lib. III. hujus Operis, cap. I. art. I. n. XI.

CAPUT IV.

DE INTERDICTO.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Interdictum? Et a quo hæc Censura ferri possit?

Interdictum est Censura Ecclesiastica, qua certis personis, locisve interdicitur, & prohibetur divinorum Officiorum celebratio publica, & Sacramentorum administratio, quæ ad nascentium, vel morientium salutem necessaria non sunt, & Ecclesiastica Sepultura. Quid est Interdictum.

Ad hanc Censuram spectare videtur exemplum a S. Gregorio Turonensi relatum Lib. VIII. Historiæ Francorum, cap. 31. scilicet, cum Prætextatus Rotomagensis Episcopus in Ecclesia sua die Paschatis Sacris operans ab impiis trucidatus fuisset, Lendovaldus Episcopus Epistolas ad omnes Sacerdotes direxit, & accepto consilio *Ecclesias Rotomagenses clausit, ut in his populus solemnia Divina non spectaret, donec indagatione communi reperiretur hujus auctor sceleris.*

Hujus Censuræ vestigia quædam videre est in Conc. Triburiensi can. XXXII. & Cabilonensi II. can. XXVI. Meminit ejusdem *Ademarus* S. Eparchii Engolismensis Monachus in Chronico ad annum nongentesimum nonagesimumquartum de Alduino Lemovicensi Episcopo scribens: *Sæpe idem Alduinus pro nequitia Populi novam observantiam constituit, scilicet Ecclesias, & Monasteria cessare a divino cultu, & S. Sacrificio, & Populum quasi Paganum a divinis laudibus cessare: & hanc observantiam Excommunicationem censebat.* Ejusdem Censuræ sub Excommunicationis nomine meminerunt *Fulbertus* Carnotensis Episcopus Ep. III. ad *Robertum* Regem Francorum, & Epist. XCIII. ad eumdem Regem, & Conc. Lemovicense anno MXXXI. Ejusdem meminit sub proprio nomine *Interdicti*, & *Suspensionis a divino servitio*, Yvo Carnotensis Episcopus Ep. III. L. LXII. CCLXIV. & CCLVI. Ante Yvonem vero Interdicti Censuram sæpius commemorat *Gregorius VII.* Lib. I. Ep. LXXXI. Lib. II. Epist. V. & XXIII. & Lib. VII. Epist. XVI. & XVII. Perperam itaque, & imperite nonnulli scripserunt, ante *Alexandri III.* Pontificatum Interdicti memoriam nullam extare; unico argumento freti, quod interdicti apud *Gratianum* nulla mentio fiat: huic siquidem argumento certissimis testimoniis facile præscribitur.

Interdictum aliud est *Locale*, aliud *Personale*. Locale directe fertur in loca, in quibus divinorum Officiorum celebratio, Sacramentorumque confectio, & administratio & Ecclesiastica Sepultura prohibentur. Personale immediate dirigitur ad personas, eisque interdicit certo quodam usu divinarum rerum; differtque ab altero quod certo loco non definiatur: personæ enim simpli- Quotuplex interdictum. Cap. Præsenti. Cap. Si Sententia. Cap. Si civitas. Tit. De

Sententia Excom. in Sexto. Cap. Cum in partibus, Extra de verb. signif.

citer interdictæ prohibitus est certus rerum divinarum usus, ubicumque sit.

Utrumque dividitur in *generale*, *&* *speciale*. Generale locorum Interdictum est, non solum cum Regno, & Provinciæ, sed etiam cum Castro, & Villæ divinis interdicitur. Speciale est, cum inter plures Ecclesias paucæ, vel una interdicitur. Generale personarum Interdictum respicit corpus aliquod politicum plurium personarum collectivum, & personas singulas quatenus partes sunt talis communitatis, juxta cap. *Si Sententia*, tit. *De Sententia Excommunicat.* in Sexto. Particulare personarum Interdictum est, quod in determinatam, vel determinatas personas fertur. Interdictum rursus aliud est a Jure, aliud ab homine.

De Interdicto.

Interdicti Ecclesiastici effectus.

Effectus Interdicti ad tria capita revocantur, scilicet privationem activam, & passivam quorumdam Sacramentorum, divinorum Officiorum, & Ecclesiasticæ Sepulturæ. Quæ omnia complectitur interdicto divinorum, quando sub hac forma fertur Interdictum, ut colligitur ex cap. *Ex Rescripto*, Extra. *De Jurejurando*, Baptismi tamen, & Confirmationis administratio, & susceptio tempore interdicti non sunt prohibitæ, ut constat ex cap. *Responso* 43. Extra. *De Sententia Excommunicat.* & cap. *Quoniam*, eodem tit. in Sexto. Concessa quoque est Interdicti tempore Chrismatis confectio in die Cœnæ Domini, quia necessarium est ad Baptismi, & Confirmationis administrationem, & veteri ante annum confecto uti nefas, cap. *Quoniam*, tit. *De Sententia Excommunicat.* in Sexto. Permissa est etiam administratio Sacramenti Pœnitentiæ, cap. *Alma mater*, tit. *De Sententia Excommunicat.* in Sexto. Item Eucharistiæ per modum Viatici, juxta *Innocent. III.* Decretum cap. *Quod in te*, Extra. *De Pœnitent. & Remissionibus*. Ab illorum tamen Sacramentorum administratione excluduntur, qui causam Interdicto directe, vel indirecte dederunt, nisi necessitas urgeat, nec præsto sint alii Ministri.

Excluduntur etiam a Pœnitentiæ Sacramento tempore Interdicti Excommunicati, præterquam in mortis articulo: necnon illi, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est Sententia Interdicti; vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione ipsum Interdictum latum est, præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem: nisi de ipso delicto, (si sint tales, qui id facere valeant) prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem: aut si satisfacere nequeunt, vel hujusmodi cautionem præstare juraverint, quod cum poterunt, satisfacient: & ad satisfactionem hujusmodi per eum, vel per eos, qui facere ipsam debent, & possunt, præstandam, dabunt consilium, & auxilium, ac pro virili laborabunt. (Cap. *Alma mater*, supra laudato.) Indulget *Bonifacius VIII.* eadem Constitutione, ut singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur divina Officia sicut prius, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. In Festivitatibus vero Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Deiparæ Virginis Mariæ, campanæ pulsentur, & januis apertis, alta voce divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed Interdictis admissis. Corporis Christi Solemnitatem addidit *Martinus V.*

Interdictum locale privat Fideles Ecclesiastica Sepultura in tali dumtaxat loco: personale vero in quolibet loco. Clericis tamen, qui Interdictum servarunt, Ecclesiasticæ Sepulturæ honor conceditur, cap. *Quod in te*, Extra. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, ea lege, ut campanæ non pulsentur, solemnitas omnis omittatur, & cum silentio eorum corpora terræ mandentur.

Interdi-

Interdictum personale speciale nonnisi propter gravem culpam ejus, qui divinis interdicitur, ferri potest: generale vero propter gravius, & commune delictum. Commune autem censetur quodammodo, cum Princeps, vel Rector Populi causam dedit Interdicto: culpa namque capitis quodammodo refunditur in corpus: sicut & pœna corporis in caput redundat: vel cum delictum ipsum a Communitate procedit, v. g. a Capitulo, Collegio, Urbe, Republica, aut ab iis, qui Communitatem ipsam repræsentant, & nomine illius agunt: vel si majori ex parte talis delicti reæ sint illius Communitatis personæ, nec Princeps, Respublica, Gubernator, Prælatus illud prohibeant, vel peccantes coerceant, sed conniveant ipsis, vel faveant.

Localia etiam interdicta ob gravia dumtaxat delicta ferri possunt, quale est corporalis injuria Cardinali, vel Episcopo illata, ut habetur cap. *Felicis*, tit. *De Pœnis* in Sexto, & in Clementina I. *De Pœnis*; vel Usurariorum publicorum alienigenarum receptio in aliquam civitatem, aut locum, ad fœnus exercendum; ut habetur cap. *Usurarum*, tit. *De Usuris*, in Sexto. Localia Interdicta quibus de causis ferri possunt?

Interdicti Sententiam ferre possunt Episcopi, illisque Superiores, & quicumque Prælati territorium habent, in quo Jurisdictionem contentiosam (ut ita loquar) exerceant: Prælati vero Regulares, licet subditos suos Interdicto personali plectere possint ob grave delictum, vel contumaciam, non tamen interdictum locale ponere; quia Jus, & consuetudo id solis Episcopis vindicant. Qui autem Interdicti Sententiam ferre possunt, iidem possunt ab illa absolvere. Qui ferre possunt Interdicti Sententiam?

Interdicto affinis est cessatio a divinis, quam pro gravioribus Laicorum in Clericos injuriis Ecclesia introduxit: iisdemque privat Beneficiis spiritualibus, quibus Interdictum, cum hoc tamen discrimine, quod tempore cessationis celebrans divina Officia, vel administrans Sacramenta, non incurrat in Irregularitatem, sicut ille, qui tempore interdicti sacras illas functiones exercet. De hoc vinculi, sive pœnæ genere statuit cap. *Si Canonici*, tit. *De Officio Ordinarii*, in Sexto, ut absque publica, & authentica Monitione eorum, quorum interest, ad hujusmodi cessationem non veniant Canonici, qui id Juris sibi vindicant in aliquibus Ecclesiis ex consuetudine, vel alias, causamque cessationis exprimant, ac significent instrumento publico. Quod si hoc prætermisso cessaverint, vel causa, quam expresserint, non fuerit inventa canonica: omnia, quæ de quibuscumque proventibus illius Ecclesiæ, in qua cessatum a divinis fuerit, cessationis tempore perceperint, restituere tenebuntur: illa vero, quæ pro eodem tempore illis debentur, nullo modo percipient, sed ipsi Ecclesiæ cedere, ac ei, cujus occasione cessaverant, de damnis, & injuriis satisfacere cogentur. Quid cessatio a Divinis & quomodo ab Interdicto differat?

Superest, ut Regulas quasdam de Interdicto Ecclesiastico tradamus ad plenam hujus argumenti tractationem.

ARTICULUS II.

CONSECTARIA PRAXIM SPECTANTIA

Circa Interdictum.

REGULA I.

Interdicto loco principali, censetur interdictus accessorius, vicinus, & contiguus.

HAnc Regulam tradit *Bonifacius VIII.* Cap. *Si civitas* tit. *De Sentent. Excommun.* in Sexto. *Si Civitas* (inquit) *Castrum, aut Villa subjiciantur* De Interdicto.

Ecclesiastico Interdicto, illorum suburbia, & continentia ædificia eo ipso intelligi volumus interdicta. Nam licet prædicta videantur alias murorum ambitu terminari: hoc tamen casu, ne vilipendi valeat Sententia Interdicti (quod fieret, si posset in ipsorum suburbiis, vel continentibus ædificiis licite celebrari ut prius) expedit interpretationem fieri latiorem. Ratione quoque simili, si sit Ecclesia Interdicto subjecta, nec in Capella ejus celebrari, nec in Cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis poterit sepeliri: secus si ei contigua non existant.

REGULA II.

Si Sententia Interdicti lata sit in Populum, Clerus interdictus non censetur; nec interdicto Clero, Populus.

De Interdicto.

HÆc Regula traditur cap. *Si Sententia*, tit. *De Sent. Excommun.* in Sexto. *Si Sententia*, inquit, *Interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur, nisi aliud sit expressum in ea, interdictus Populus, nec etiam e converso. Unde uno interdicto ipsorum, alius licite admittitur ad divina.*

REGULA III.

Interdicta Civitate, vel alio loco propter delictum Domini, Rectoris, vel Prælati, cives non Interdicti extra ipsam divina Officia audire, Sacramenta percipere, & Ecclesiastica Sepultura mortui donari possunt.

HÆc Regula traditur eodem cap. *Si Sententia*, mox laudato: *Ceterum* (inquit) *cum propter delictum Domini, vel Rectoris est civitas interdicta, cives ejusdem, qui culpabiles non existunt (dummodo & ipsi propter Dominum, vel Rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti) possunt extra ipsum licite interesse divinis.*

REGULA IV.

Interdicta Communitate, & singuli de Communitate censentur Interdicti; ita ut alicubi divinis Officiis interesse, vel Ecclesiastica Sacramenta recipere non valeant.

HAnc Regulam eodem Capite expressam habemus. *Cum vero alicujus terræ populus Interdicto innodatur, singulares ex eo personæ, quas interdictas esse constat, (ne Sententia effectu careat, cum divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo ut universis non competant) non debent alicubi (casibus expressis a jure dumtaxat exceptis) audire divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta.*

REGULA V.

Clerici personali Interdicto ligati, si illud violaverint, sacra suorum Ordinum exercendo Ministeria sicut prius, in Irregularitatem incurrunt, etiamsi ab Interdicti Sententia appellaverint.

NItitur hæc Regula cap. *Is cui*. Tit. *De Sentent. Excom.* in Sexto, cujus hæc sunt verba: *Is, cui est Ecclesiæ interdictus ingressus (cum sibi per consequens censeatur et ipsa divinorum celebratio interdicta) Irregularis efficitur, si contra Interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat, in suo agens Officio sicut prius. Talis quoque si hoc Interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico (nisi pœnituerit) sepeliri. Sane sicut*

Excom-

Excommunicatio, sic ab Officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata Suspensio, aut ipsius effectus per Appellationem sequentem minime suspenduntur.

REGULA VI.

In Excommunicationis Summo Pontifici reservatæ Censuram ipso facto incurrunt, qui Ecclesiasticum Interdictum servari prohibent, aut moniti servare pertinaciter renuunt.

ITa sanxit *Clemens V.* sacro approbante Conc. Viennensi, ut habetur in Clementina, *Gravis*; tit. *De Sententia Excommunic.* qua Excommunicationis Sententia innodatos declarat Dominos temporales, & alios quoslibet, *Qui locis Interdicto suppositis quemquam divina celebrare Officia quomodolibet cogere: aut qui ad Officia eadem audienda aliquos Excommunicationis præsertim, vel Interdicti ligatos Sententia evocare: seu, qui excommunicati publice, aut interdicti de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum aguntur solemnia, a celebrantibus moniti, ut exeant, prohibere: necnon excommunicatos publice, & Interdictos, qui in ipsis Ecclesiis nominatim a celebrantibus, ut exeant, moniti remanere præsumpserint.*

REGULA VII.

Interdictum a Religiosis quibuscumque, etiam Exemptis, servandum est, necnon cessationes a divinis, sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ.

ITa sanxit *Clemens V.* Clementina, *Ex Frequentibus*, tit. *De Sententia Excommun.* Prohibuitque, ne interdictum *Ecclesiarum nervum Disciplinæ* infringant, sed illud religiose observent, *Cum Cathedralem, vel Matricem, sive Parochialem loci Ecclesiam, illud viderint, aut sciverint observare*, non obstantibus quibuscumque Appellationibus antea etiam ad Sedem Apostolicam interjectis, cum moderatione tamen Decretalis, *Alma*. Idemque præcipit observari in cessationibus generalibus a divinis civitatum, terrarum, & aliorum locorum, quas aliquando ex consuetudine Capitula, Collegia, vel Conventus Sæcularium, aut Regularium Ecclesiarum sibi vindicant ad repellendas injurias sibi factas. Nulla porro privilegia, statuta, conventiones nullas, vel consuetudines Religiosis ipsis contra Constitutionem istam suffragari declarat. De Interdicto.

REGULA VIII.

Interdictum servare nemo tenetur, nisi sit expresse denuntiatum.

ITa quippe declaratum est a Conc. Basileensi, & Lateranensi, Constitutione, *Ad vitanda scandala*, quæ pactis inter *Leonem X.* & *Franciscum I.* Concordatis etiam inserta est.

REGULA IX.

Interdictum nisi servent illi, in quorum gratiam positum est, alii servare non tenentur.

SI enim perseveranter non servent, non merentur, ut Ecclesia alios in eorum gratiam a divinis prohibeat, ut colligitur ex cap. *Petistis*, Extra. *De Privilegiis*, cujus hæc sunt verba: *Si præfati Hospitalarii, vel Templarii, Privilegiorum suorum fines excesserint, violando temere Interdictum, quod pro eis fuerat promulgatum: ne videantur de aliorum fletu ridere, vos in pœ-*

nam præsumptionis eorum, quandiu ipsi violaverint Interdictum, de nostra licentia celebretis.

REGULA X.

Laicus tempore Interdicti divinis interesse potest, sive ratione Privilegii, seu ob aliam causam legitimam.

TRes namque Casus vulgo proferuntur, in quibus id Laico licet. Primus est, cum Privilegium a Romano Pontifice ea de re obtinuit. Secundus, cum Laicus est de familia singularis alterius personæ, quæ privilegium habet, eamque comitatur. Tertius, cum Clericus indiget ministerio Laici, ut sacrum Officium modo sibi licito peragat. De secundo casu sic loquitur *Bonifacius VIII.* cap. *Licet*, tit. *De Privilegiis*, in Sexto. *Cum* (inquit) *conceditur singulari personæ, ut tempore Interdicti celebrare valeat, vel audire divina: ejus familiares domestici ad audiendum cum ea, & celebrandum sibi divinum Officium licite admittuntur. Non sic autem in familiaribus alicujus Conventus, seu Collegii est censendum: illi enim nisi privilegiati fuerint, admitti non debent. Hujusmodi quoque concessione gaudere non potest is, cujus causa, seu culpa, dolo, vel fraude, fuit Sententia Interdicti prolata, seu qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione lata extitit, præbuit consilium, auxilium, vel favorem.*

REGULA XI.

Interdicto generali personarum, non loci durante, infantes Ecclesiastica Sepultura non privantur.

De Interdicto. INterdictum scilicet personale personas tantum doli capaces afficit: Censuris namque ligari non possunt infantes, qui nondum ad usum rationis pervenerunt: in loco autem Interdicto non possunt sepeliri, sicut nec adulti. Si autem durante Interdicto generali personarum ad usum rationis perveniant, Interdicto ligantur, statim atque ratione uti incipiunt. Idem esto judicium de eo, qui durante Interdicto fit membrum Communitatis interdictæ.

REGULA XII.

Interdictum generale loci propter temporale debitum Episcopi, vel Principis poni non potest, nisi de licentia speciali Sedis Apostolicæ, & per Litteras ejus Patentes expressa.

ITa sanxit *Bonifacius VIII.* cap. *Provide*, inter *Extravag. Comm.* tit. *De Sententia Excommunicat.*

REGULA XIII.

Quamvis terra interdicta alienetur, adhuc remanet Interdictum.

INterdictum enim locale est velut onus quoddam loci interdicti: cum autem res alienatur, ad alium transit cum suo onere, ut colligitur ex cap. *Ex litteris*, Extra. *De Pignoribus*, & cap. *Pastoralis*, Extra. *De Decimis*. Deinde hic modus tollendi Interdictum non est usu receptus quia ad Ecclesiasticam Censuram eludendam, & contemnendam aditum aperiret.

RE-

REGULA XIV.

Interdictum generale personarum tollitur destructa Communitate.

DEstruitur enim subjectum, in quod per se primo latum erat: cum igitur *Destructis nobis, destruantur ea quæ sunt in nobis*, destructa Communitate, in quam generale Interdictum latum erat, cessat Interdictum ipsum in singulis hominibus, qui ad illam pertinebant, & jam illius esse membra desierunt, ipso corpore politico destructo.

Atque hinc etiam colligitur, istius generalis Interdicti vim ipso facto desinere in qualibet illius Communitatis persona, cum illius membrum esse desinit, etiamsi tota Societas, Collegium, vel Capitulum interdicta maneant. Similiter interdicta Civitate, si quis domicilium mutet, Interdicto liberatur. Cum enim Civitatis, Capituli, Collegii, seu Societatis, a quibus separatur, Privilegiis non gaudeat, nec eorum oneribus premi debet. Excipiendus ille tamen est, qui causam Interdicto dedit: cum enim hæc Censura per se lata sit ad illius plectendam contumaciam, ab eoque in Communitatem redundet; haud æquum est, ut in contumacia perseverans pœnam evadat cui Communitatem totam obstrinxit, quamvis ab ea separetur. Unde generale Personarum Interdictum Censuræ specialis vim habere respectu illius, pro pter cujus crimen latum est, Theologi docent.

REGULA XV.

Qui Pœnitentiæ signa moriens exhibuit, Ecclesiastica Sepultura non est donandus, nisi prius ab Interdicto fuerit absolutus.

EAdem enim est quoad hoc Excommunicationis & Interdicti ratio. Unde sicut Ecclesiasticæ Sepulturæ tradi vetat Canon eum, qui excommunicatus est, quamvis Pœnitens obierit, nisi fuerit Excommunicationis vinculo solutus; ita & Sacris interdictus, nisi hac censura solutus fuerit. Nec alius sensus est cap. *Is cui*, tit. *De Sent. Excommun.* in Sexto, cujus hæc sunt verba: *Talis quoque si hoc Interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cæmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri.* De interdicto.

REGULA XVI.

Interdictum latum ab homine ab eo dumtaxat auferri potest, qui Sententiam tulit, vel ab ejus Superiore post cognitionem causæ canonicam; vel ab eo, cui munus vinculum illud solvendi demandaverint.

REGULA XVII.

Interdictum locale a Jure latum, solius Episcopi, vel ejus, qui Episcopalis Auctoritatis particeps est, Absolutione tolli potest.

SOlus namque Episcopus, vel qui Jurisdictionem Episcopalem participat, respectu loci ordinarius Judex est, Jurisdictionemque habet in foro contentioso, quæ ad interdictum illud relaxandum est omnino necessaria.

REGULA XVIII.

Interdictum generale personarum solus Episcopus tollere potest

ILle quippe solus respectu Communitatis ordinarius in foro Ecclesiastico externo Judex est. Neque enim fori interioris Jurisdictio in totam Communitatem potest exerceri, cum tota per se Communitas Sacramenti Pœnitentiæ capax non sit, sed personæ singulæ.

REGULA XIX.

A speciali personæ Interdicto a Jure lato absolvere potest quilibet Sacerdos ad audiendas Confessiones approbatus.

QUia enim *Conditor Canonis ejus Absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso aliis concessisse videtur*, (ut habetur cap. *Nuper*, Extra. *De Sententia Excomm.*

REGULA XX.

Absolutio ab Interdicto iisdem legibus, quibus Absolutio ab Excommunicatione dari debet.

ID tamen observandum ex institutione Juris, ut a locali Interdicto Absolutio ad cautelam dari non valeat, ut habetur c. *Præsenti*, tit. De *Sententia Excomm.* in Sexto.

TRACTATUS
DE INDULGENTIIS.

Quid Indulgenzia.

CUm Ecclesiæ concessa sit a Christo ligandi potestas, & solvendi, non solum condignam Satisfactionem Pœnitentibus injungere, sed & pœnam temporalem eorum peccatis debitam moderari, & relaxare potest: quam moderationem, condonationem, & remissionem Indulgentiæ nomen usu Ecclesiastico significat. Quamobrem definitur *Indulgentia*, *Absolutio a Pœnitentiis a Sacerdote, aut a Canone injunctis*. Sive, *Remissio pœnæ temporalis, quæ post remissionem peccatorum luenda superest, extra Sacramentum facta ab eo, qui spiritualem Jurisdictionem habet cœlestem Ecclesiæ Thesaurum dispensandi*: Quod ut intelligatur, inconcussum illud principium recolendum est, quod ex Concilio Tridentino superius posuimus, non similiter in Pœnitentiæ Sacramento, atque in Baptismo peccatorum omnium remissionem conferri. Nam in Baptismo ita Christo commorimur, & ad vitam renovamur perfecta peccatorum remissione, ut pro iis nulla omnino pœna supersit in futuro sæculo luenda. At in Pœnitentiæ Sacramento sic remittuntur peccata quoad culpam, ut tamen adhuc restet terribilis quædam expectatio Judicii in futuro sæculo, nisi per dignos fructus, & opera Pœnitentiæ in hac vita divinæ Justitiæ satisfiat. Cum igitur illa futuri sæculi pœna dignis Pœnitentiæ operibus redimitur, Satisfactio est. Cum vero ea Pœnitentiæ opera ex causa legitima ab eo, qui spiritualem Jurisdictionem habet Pœnitenti remittuntur, Satisfactionis remissio, donatio, seu relaxatio est, quam Ecclesiastico usu Indulgentiam vocamus.

Duo de Indulgentiis credenda.

Duo autem dumtaxat de Indulgentiis credenda proponuntur ab Ecclesia: Primum; Potestatem concedendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessam

ſam eſſe. Secundum, Eas Chriſtianis utiles eſſe, ac ſalutares. Ita docet ſacra Synodus Tridentina ſeſſ. xxv. in Decreto de indulgentiis. *Cum* (inquit) *poteſtas conferendi Indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit; atque hujuſmodi Poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit, ſacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum, Chriſtiano Populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit: eoſque Anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt; vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant.* Quam poteſtatem *Vviclefus* in Concilio Conſtantienſi damnatus, *Lutherus*, & *Calvinus* præfracte negarunt. Quamobrem totam de Indulgentiis tractationem ad hæc duo Capita revocamus, Regulas quaſdam praxim, & diſciplinam ſpectantes pro more ſubjecturi.

CAPUT I.

DE POTESTATE CONCEDENDI INDULGENTIAS.

ARTICULUS UNICUS.

An Poteſtas concedendi Indulgentias ſit in Eccleſia?

PROPOSITIO UNICA.

Poteſtas Indulgentias concedendi a Chriſto tradita eſt Eccleſiæ, quæ antiquiſſimis etiam temporibus ſacra illa poteſtate uſa eſt.

POteſtas illa colligitur ex Chriſti Domini verbis Matth. xvi. & xviii. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Quibus verbis cum Apoſtoli, eorumque Succeſſores poteſtatem acceperint imponendi pęnitentibus pęnas ſatisfactorias, illoſque ad eas ſubeundas obligandi; poteſtatem pariter acceperunt impoſitas, vel imponendas ex cauſa legitima condonandi, vel remittendi.

Præterea, ex Scripturis ſacris perſpicuum, & exploratum eſt Deum intuitu alienæ fidei, orationis aliorumque meritorum, ſeu bonorum operum, aliis peccata remittere, pęnaſque condonare, ut obſervat etiam *S. Ambroſius*, in illud S. Lucæ, *Quorum fidem ut vidit, dixit Paralytico, Remmittuntur tibi peccata tua.* Et in Veteri Teſtamento legimus, propter Abraham, Iſaac, & Jacob; item propter Moyſen, Samuelem, Davidem, ſæpe Deum populo peccata condonaſſe. Quocirca Paſtores ligandi, ſolvendique Poteſtate a Chriſto adaucti non ſolum propria cujuſque hominis Pœnitentis opera intueri debent; ſed etiam more, & exemplo Chriſti Domini ſui attendere, quinam pro eo ſint ſolliciti, quinam illum orationibus, aliiſve piis operibus adjuvent; ac prudenter dijudicare, quouſque illi ad remiſſionem pęnarum ſuccurrere, & applicari valeant. Luc. 5.

Quod autem ſacra illa poteſtate Indulgentias concedendi antiquiſſimis temporibus uſa ſit Eccleſia, conſtat ex Apoſtolo 2. ad Corinthios cap. 11. de Inceſtuoſo Corinthio ſcribente: *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt.* Inceſtuoſo illi homini jam pęnitenti aliquid de impoſitæ pęnitentiæ ſeveritate remitti jubet Apoſtolus, ne forte auſteriori diſciplina in deſperationem compulſus, ac merore dejectus, a Chriſtiana Religione deficiat. Ea igitur donatio, ſeu condonatio, cujus Apoſtolus

Indulgentiarum uſus Eccleſiæ coęvus. Indulgentia Inceſtuoſo Corinthio ab Apoſtolo conceſſa auctoritate Chriſti

ſtolus meminit, non aliud fuit, quam Indulgentię conceſſio, de qua ibidem ſubdit: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego, quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti, ut non circumveniamur a Satana.* Quibus verbis ſignificat S. Paulus, eam donandi, ſeu indulgendi poteſtatem ſe a Chriſto accepiſſe, & vice Chriſti exercere. Atque ita hunc Apoſtoli locum *S. Jo: Chryſoſtomus* interpretatur Hom. IV. in 2. ad Corinth. Epiſtolam. *Non enim* (inquit) *quod dignus ſit, neque quod ſufficientem exhibuerit Pœnitentiam, ſed quod infirmus ſit, ideo* (inquit) *dignor illum venia. Unde & adjecit*: Ne abundantiori triſtitia abſorbeatur. *Qui ſermo declarat illius vehementem pęnitentiam, quem Paulus non ſit paſſus in deſperationem venire.* Et infra: *Ex ea re docemur, quod non ſolum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem, habitumque peccantium oporteat moderari Pænitentiam.* Quam interpretationem ſuffragio quoque ſuo roborant *Theodoretus*, *Oecumenius*, & *Theophilactus*: & ex Latinis *S. Pacianus* Epiſt. III. & *S. Ambroſius* Lib. I. *De Pęnitentia*, cap. 6. & ult. qui & *Indulgentiæ* ab Apoſtolo conceſſæ expreſſe meminerunt.

Indulgentiæ ad Martirum interceſſionem olim ab Epiſcopis datæ.

Indulgentiarum uſum primis Eccleſiæ ſæculis *Tertulianus*, & *S. Cyprianus* frequentiſſimum fuiſſe teſtantur. Ex *Tertulliano* diſcimus Lib. *Ad Martyres*, cap. I. quoſdam perſecutionis tempore in Idololatriam lapſos, & nondum in Eccleſia pacem habentes, ideſt, nondum reconciliatione donatos, pacem a Martyribus in carcere conſtitutis exorare conſueviſſe. Cum enim Pœnitentiæ tempus nondum impleviſſent, Martyum interceſſione condonationem reſiduę Pœnitentię ab Eccleſia impetrabant; atque ita ſtatim ad pacem, ideſt, Reconciliationem, & Euchariſtiæ Communionem admittebantur, quæ Pœnitentia dumtaxat functis dari ſolebat ex priſca Eccleſiæ Diſciplina. *Quam pacem*, inquit Tertullianus, *quidam in Eccleſia non habentes, a Martyribus in carcere exorare conſueverunt.* Idem vero *Tertullianus*, cum ad Montaniſtas poſtea defeciſſet, Lib. *De Pudicitia*, cap. ult. Catholicæ Eccleſiæ id vitio vertit, quod antea laudaverat; nempe quod ad Martyrum petitionem relaxata Lapſis Pænitentia pacem daret. *At tu jam* (inquit) *& in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem, ut quiſque ex conſenſione vincula induit adhuc mollia, in novo cuſtodiæ nomine, ſtatim ambiunt mœchi, ſtatim adeunt fornicatores, jam preces circumſonant ∴ Et pacem ab his quęrunt, qui de ſua periclitantur.* Ex utriuſque porro loci collatione perſpicuum eſt, jam tunc in Eccleſia conſuetudinem obtinuiſſe Lapſis partem aliquam Pœnitentiæ præcibus Martyrum condonandi.

Martyrum preces examinatæ.

Idem ex *S. Cypriano* colligitur, qui Epiſtola 9. quorumdam Presbyterorum temeritatem reprehendit, qui inconſulto Epiſcopo, & non expectato *juſto tempore*, contra Diſciplinæ Eccleſiaſticę ordinem Lapſis nedum ulla Pœnitentia functis pacem, & Euchariſtiam tribuebant, & Chriſti Martyres, cum Epiſcopo committebant, & invidiæ exponebant. Petierant quippe Martyres litteris honorificis ad Epiſcopum ſcriptis, tunc deſideria ſua examinari, cum pax Eccleſiæ reſtituta fuiſſet: imprudentes vero Presbyteri ante extinctum perſecutionis metum, ante ipſum pene Martyrum obitum, cum Lapſis communicabant, illiuſque Euchariſtiam dabant: cum potius Martyres admonere debuiſſent, ſi plus aliquid peterent, quam concedi æquum eſſet;

Martyrum libellos habentibus non dabatur Indulgentia ante actam pęnitentiam & ante ſedatam perſecutionem, niſi periculo mortis imminente.

„ Sicut (inquit) ſemper in præteritum factum eſt. *Et Epiſt.* X. *ſic Martyres ipſos, ſive Confeſſores compellat*: Et credideram quidem Presbyteros, &
„ Diaconos, qui illic præſentes ſunt, monere vos, & inſtruere pleniſſime
„ circa Evangelii legem, ſicut in præteritum ſemper ſub Anteceſſoribus
„ noſtris factum eſt, ut Diaconi ad carcerem commeantes Martyrum deſide-
„ ria conſiliis ſuis, & Scripturarum præceptis gubernarent: ſed nunc cum maxi-
„ mo animi dolore cognoſco, non tantum illic vobis non ſuggeri divina Præ-
„ cepta

» cepta, sed adhuc potius inveniri, ut ea, quæ a vobis ipsis & circa Deum » caute, & circa Sacerdotem Dei honorifice fiunt, a quibusdam Presbyteris » resolvantur, qui nec timorem Dei, nec Episcopi honorem cogitantes, cum » vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari desideria vestra, & quibus- » dam Lapsis pacem dari postulastis, cum persecutione finita convenire in » unum cum Clero, & recolligi cœperimus: illi contra Evangelii legem, con- » tra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam Pœnitentiam, an- » te Exomologesim gravissimi, atque extremi delicti factam, ante manum » ab Episcopo, & Clero impositam, offerre Lapsis pacem, & Eucharistiam » dare, ideft, Sanctum Domini Corpus profanare audeant.

Et inf. „ Oro vos, quibus possum precibus, ut Evangelii memores, & „ considerantes, quæ, & quanta antecessores vestri Martyres concesserint, „ quam solliciti in omnibus fuerint, vos quoque sollicite, & caute petentium „ desideria ponderetis, utpote amici Domini; & cum illo postmodum judica- „ turi, inspiciatis & actum, & opera, & merita singulorum: ipsorum quo- „ que delictorum genera, & qualitates cogitetis, ne si quid abrupte, & in- „ digne, vel a vobis promissum, vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles „ quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat. Sed & illud ad diligen- „ tiam vestram redigere, & emendare debetis, ut nominatim designetis eos, „ quibus pacem dari desideratis ∴ Et ideo peto, ut quos ipsi videtis, quos no- „ stis, quorum Pœnitentiam scitis, designetis nominatim libello.

Et Epist. XIII. sic Presbyteros, & Diaconos alloquitur: *Qui libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, Exomologesi facta, & manu eis a vobis in Pœnitentia imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.* Ex quibus omnibus colligitur, & ante *S. Cypriani* tempora, & ipsius ætate, Ecclesiam ob preces, ac merita Martyrum Pœnitentibus Pœnitentiæ tempus contraxisse, laborumque pœnitentialium partem condonasse. Indulgentiarum igitur usus in Ecclesia frequens erat. In illis vero concedendis moderationem servari sanctissimi, & vigilantissimi Præsules curabant, ne nimia facilitate Ecclesiastica Disciplina solveretur.

Episcopi pœnitentiæ tempus publicis pœnitentibus contrahere poterant.

Eumdem usum antiquiora Concilia confirmant, quæ in Episcopi arbitrio esse voluerunt, ut Pœnitentiam vita priori, ac posteriori discussa, lachrymisque, patientia, & bonis operibus spectatis, Pœnitentiæ tempus ipsis contraheret, eorumque pœnas moderaretur, ut loquitur Conc. Ancyranum, can. V. sive ut *De his aliquid humanius cogitaret*, ut loquitur Concilium Nicænum, can. XII.

Indulgentiæ Plenariæ.

Indulgentias amplissimas, ac plenarias iis, qui Expeditionem bellicam in Terram Sanctam contra Saracenos pugnaturi susciperent, Concil. Claromontanum Præside *Urbano II.* can. II. concessit. Easdem indulgentias confirmavit, & ad Expeditionem Hispanicam contra Mauros prorogavit Concil. Oecumenicum Lateranense I. Præside *Callisto II.* can. XI. Easdem confirmarunt *Eugenius III.* & *Clemens III.* ut similes Expeditiones promoverent. *Alexander III.* in Conc. Lateranensi III. duorum annorum Indulgentiam concessit iis, qui contra Hæreticos arma susceperint. Si autem longiorem ibi moram fecerint, Episcoporum prudentiæ committit, ut ad eorum arbitrium, secundum modum laboris major eis Indulgentia tribuatur. *Innoc. III.* in Concilio Lateranensi IV. can. LXII. *Indiscretas, & superfluas Indulgentias* moderatur, a quibusdam Ecclesiarum Prælatis concedi solitas, ob quas *Claves Ecclesiæ contemnuntur, & Pœnitentialis Satisfactio enervatur.*

Ob opus laboriosum concessæ.

Bonifacius VIII. cum Antiquorum fida relatione didicisset, Romam ad Basilicam Principis Apostolorum accedentibus magnas Remissiones, & Indulgen-

Institutio Jubilæi.

dulgentias peccatorum esse concessas; anno millesimo trecentesimo, & quolibet anno centesimo secuturo, ad *Basilicas ipsas* Principum *Apostolorum accedentibus reverenter, vere Pœnitentibus, & confessis, non solum plenam, & largiorem, imo plenissimam omnium suorum veniam peccatorum concessit*. (Extrav. *Antiquorum*, tit. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*.) Hæc epocha Jubilęi, quod *Clemens VI.* anno quolibet quinquagesimo concedi voluit Christi Fidelibus universis, attendens, quod annus quinquagesimus in Lege Mosaica, quam non venit Dominus solvere, sed spiritualiter adimplere, „ Jubilæus remissionis, & gaudii, sacerque dierum numerus, quo Lege fit remissio, censebatur: quodque ipse quinquagesimus numerus in Testamentis, Veteri quidem ex Legis datione, Novo ex visibili Spiritus Sancti in Discipulos Missione, per quem datur peccatorum remissio, singulariter honoratur: & quod pauci propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centesimum pervenire. (Extrav. *Unigenitus*, tit. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*.) In trigesimum tertium annum universalem hanc Indulgentiam transtulit *Gregorius XI.* ac tandem ad vigesimum quintum quemque annum *Paulus II. & Sixtus IV.* contraxere. (Extravag. *Quemadmodum*, sub eodem Titulo.) A Plenaria autem Indulgentia non difert indulgentia Jubilæi, nisi ratione facultatis amplissimæ, quam Summus Pontifex concedit Confessariis quibuslibet approbatis absolvendi a Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, & Vota quælibet commutandi, votis Castitatis, & Religiosæ Vitæ amplectendæ duntaxat exceptis.

Fons Indulgentiarum.

Clemens VI. Extrav. *Unigenitus*, mox laudata, fontem Indulgentiarum indigitat, *Thesaurum* scilicet, quem copioso pretiosi Sanguinis sui profluvio unigenitus Dei Filius Redemptor noster „ Militanti Ecclesiæ aquisivit, volens suis „ thesaurizare filiis piis pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui „ usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non „ in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cęli Clavigerum, ejusdem Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum, & propriis, & rationabilibus causis, nunc pro totali, „ nunc pro partiali remissione pęnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere Pœnitentibus, & confessis misericorditer applicandum. Ad cujus quidem thesauri „ cumulum, Beatæ Dei Genitricis, omniumque Electorum a primo Justo usque „ ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumptione, „ seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi „ merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad „ justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

Solvitur Hæreticorum objectio contra Indulgentias.

Ne vero cavillentur Hæretici, objiciantque Indulgentias vergere in Christi Salvatoris injuriam, cum ad remissionem peccatorum nostrorum concurrere pariter Sanctorum merita, satisfactiones, passionesque doceamus; quasi Christi Sanguis ad remissionem peccatorum omnium non sufficiat, & Martyrum sanguine ad Indulgentias profundendas adjuvetur: vel ad aquirendum Ecclesiæ Militanti perennem gratiarum thesaurum non satis opum spiritualium, & virtutis habuerit, qui dives est in misericordia, & apud quem copiosa est redemptio, de cujus plenitudine omnes accipimus; & necesse fuerit, ut Sancti thesaurum illum suis meritis implerent, satisfactionibus cumularent.

Respondemus enim, Sanctorum merita, satisfactiones, passiones, in Ecclesiæ thesaurum eo nomine non conferri, quod Christi Sanguis minus sufficiens sit ad remissionem peccatorum nostrorum, aut quod Martyrum sanguine, ac meritis adjuvetur; vel quod ab ipsis remissionem peccatorum expectemus, & accipiamus; aut quod denique eadem ratione ad Ecclesiæ spiritualem the-

thesaurum conflandum concurrant, ac Sanguis Christi, ejusque passiones, ac merita. Agnoscimus enim, credimus, & prædicamus, quod solus *Christus lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo*: Quod solus Christus *Est propitiatio pro peccatis nostris*: Quod solus Christus *Semetipsum redemptionem dedit pro omnibus*: Quod solus Christus *Aquisivit Ecclesiam sanguine suo*: Quod solus Christus *Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos*. Quod Sancti *Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni*. Asserimus cum *S. Augustino* Lib. II. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. IV. quod *Solus Christus suscepit pro nobis sine malis meritis pœnam, ut nos per illum consequeremur gratiam*. Et Tract. LXXXIV. in Joannem. Quod *In fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis Martyris funditur*. Asserimus cum *S. Leone* Epist. XCVII. alias LXXXIII. *Mortis vinculum unius prævaricatione contractum, unius morte, qui solus morti nihil debuit, solutum esse. Effusio enim pro injustis sanguinis Justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent*. Scimus nullum unquam Sacrificium sacratius fuisse quam quod verus Pontifex Altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit. *Quamvis enim multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit Mundi. Acceperunt Justi, non dederunt coronas; & de fortitudine Fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit: cum inter filios hominum unus solus Dominus noster Jesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati*. Sanctorum itaque merita concurrunt solum ad remissionem peccatorum nostrorum, & ad spiritualem Ecclesiæ thesaurum, ex quo Indulgentiæ profunduntur, per modum impetrationis. Veniam enim a Deo nobis impetrant, obtinentque, ut Indulgentiæ nobis ex Christi merito applicentur; ut idonei efficiamur, quibus fructus mortis Christi copiose communicetur: præparant nos, ac disponunt ad uberiorem gratiam Dei digne percipiendam: sicut eleemosynæ, jejunia, orationes nostræ, & alia Pœnitentiæ opera nos redimere, solvere, & peccatorum veniam nobis procurare dicuntur. Et quemadmodum hæc satisfactoria sunt pro peccatis, quia Deus satisfactionis loco illa accepta habet; ita merita Sanctorum nobis apud Deum succurrunt, quatenus illa Deus tanquam amicorum suorum pro nobis suffragia benigne accipit, illorumque intuitu nobis peccata, penasque peccatis debitas condonat, sicut intuitu orationis Moysis Populo pepercit, & merito Pauli ducentas septuaginta sex animas a perditione servavit. Docet itaque *Clemens VI.* ad cumulum Thesauri Passionis Christi Beatæ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum merita adminiculum præstare, non quasi meritum Passionis Christi non sit copiosissimus, sufficientissimus, ac semper inexhaustus Thesaurus, ex quo profundantur Indulgentiæ; aut Sanctorum meritis augeri, ac juvari debeat: sed quod Virginis Deiparæ, omniumque Sanctorum merita nobis adminiculum præstent, quo Thesauri illius infiniti Dominicæ Passionis simus participes. Præstant nobis adminiculum præparationis, ac dispositionis, idest, reddunt nos aptos, & idoneos intercessione sua ad fructum indulgentiarum percipiendum faciuntque, ut simus digni, quibus Thesaurus meritorum Christi communicetur: sicut S. Paulus ait, *Dei adjutores sumus*: non quod Deus adjutorio Pauli, aut alterius cujuscumque Apostoli indigeat, quasi per se sufficiens aut omnipotens non sit ad operandum, quodcumque vult fieri: sed quia Paulus prædicando, monendo, corripiendo, plantando, rigando, homines divinæ operationis capaces reddit, præparat, disponit, idoneos facit ad gratiam suscipiendam.

Apoc. 1. 1. Joan. 2. 1. Tim. 2. Act. 20. Hebr. 10. Apoc. 7.

Qua ratione Sanctorum satisfactiones, & merita ad cumulum spiritualis Thesauri accedant, & per Indulgentias applicentur.

Exod. 32. Act. 17.

1. Cor. 9.

Quam-

Quamquam, & Scholastici vulgo doceant, Satisfactiones Sanctorum, quas multi in operibus Pœnitentiæ supererogoverunt ultra mensuram peccatorum suorum, cum meritis, & satisfactionibus Christi nobis per Indulgentias applicari in solutionem pœnarum, quæ abstersis culparum nostrarum maculis luendæ supersunt in hoc sæculo, vel in futuro. Hujus vero rei causam arcessunt ex Communione Sanctorum, quam in Symbolo profitemur; qua fit, ut in Ecclesia Dei aliorum merita, & passiones aliis tanquam ejusdem corporis membris applicari, & prodesse possit, ut sic aliorum abundantia sit aliorum inopiæ supplementum, ut loquitur Apostolus II. ad *Cor.* VIII. Hortatur enim eo loci Corinthios terrenis opibus abundantes ad conferendam liberaliter eleemosynam in Sanctos quosdam secundum sæculum quidem inopes, sed apud Deum bonis operibus divites; vicissim promittens fore, ut spiritualis horum abundantiam suppleat illorum inopiam; ut quibus ad Deum placandum, & promerendum propria minus sufficiunt, ad id alienorum operum Communione juventur. Huc etiam referri potest, quod idem Apostolus ad Colossenses scribit cap. II. *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Ideo enim se adimplere dicit ea, quæ desunt Passionem Christi, non quasi Passio Christi sufficientissimum pretium non fuerit ad totius mundi exhaurienda, & expungenda peccata; sed quia cum totus Christus sit Caput, & Corpus, (ut sæpe *S. Augustinus* repetit) ad passiones Capitis passiones quoque membrorum accedere oportet, ut suo Capiti conformentur, ut docet sacra Synodus Tridentina sess. XIV. cap. VIII. Passiones itaque & satisfactiones Sanctorum, Communione Charitatis nostræ fiunt: unde sicut satisfactoriis operibus nostris redimere peccata nostra dicimur, & solvere, quod divinæ justitiæ debemus; ita satisfactiones Sanctorum, passionesque nobis per Indulgentiam applicatæ, cum defectum nostrarum satisfactionum suppleant; valent etiam quodam modo ad solutionem debitorum, & redemptionem pœnarum, quibus obstricti post remissionem culpæ manemus. Hinc *Origenes* Hom. x. & XXIV. in *Numeros*, expendens Apostoli verba, I. Cor. XII. *Libenter impendar, & superimpendar pro animabus vestris*, observat, Apostolum se quasi victimam pro eorum, ad quos scribit, salute devotam profiteri. *Hostia autem cum immolatur, ad hoc immolatur, ut eorum, pro quibus jugulatur, peccata purgentur.* Sed tamen *Origenes* Scholasticorum assertioni suffragari his locis non videtur; nec aliud ex illius verbis extundi potest, quam Sanctorum passiones, & satisfactiones per modum impetrationis, non per modum solutionis ad pœnarum nobis debitarum condonationem, ac remissionem concurrere. Unde subdit postremo loco: *Sed in his omnibus unus est Agnus, qui totius Mundi potuit auferre peccatum, & ideo cessaverunt cæteræ hostiæ, quia talis hæc fuit hostia, ut una sola sufficeret pro totius Mundi salute. Ceteri enim precibus peccata, hic solus potestate dimisit.* Quocirca *S. Thomas*, III. p. quæst. XLVIII. art. v. ad III. ait: *Passiones Sanctorum proficiunt Ecclesiæ, non quidem per modum redemptionis, sed per modum exempli, & exhortationis, secundum illud* II. *ad Cor.* I. *Sive tribulamur pro vestra exhortatione, & salute.* Nec aliud etiam colligi potest ex illo *S. Augustini* principio, Christum pati quotidie in membris suis, & ad finem usque sæculi passurum; ideoque deesse aliquid Passionibus Christi in ejus corpore, quamvis nihil desit ejus Passionibus quatenus caput est. Id enim non aliud omnino probare videtur, qua teneri unumquemque Fidelium ad exsolvendum aliquid, & inferendum quemdam (ut ita loquamur) passionum canonem, ut quod Christus in Corpore suo Mystico pati debet, impleatur, & Ecclesia quasi communis quædam Respublica Christianæ patientiæ exemplis edificetur. *Unus enim homo-*

imo cum capite, & corpore suo Jesus Christus, (inquit *S. Augustinus*, Enarratione in Ps. LXI.) *Salvator corporis, & membra corporis, duo in carne una, & in voce una, & in Passione una, & cum transierit iniquitas, in requie una. Passiones itaque Christi non in solo Christo, imo Passiones Christi non nisi in Christo. Si enim Passiones Christi in solo Christo, imo in solo capite, unde dicit quoddam* Coloss. 1. „ *membrum ejus Paulus Apostolus*, Ut suppleam, quæ desunt pressurarum Christi in carne mea? *Si ergo in membris Christi es quicumque homo, quisquis hæc audis, quisquis hęc nunc non audis: (sed tamen audis, si in membris Christi es:) quidquid pateris ab eis, qui non sunt in membris Christi, deerat Passionibus Christi. Ideo additur, quia deerat; mensuram imples, non superfundis: tantum pateris, quantum ex passionibus tuis inferendum erat universæ Passioni Christi, qui passus est in Capite nostro, & patitur in membris suis, idest, in nobis ipsis. Ad communem hanc quasi Rempublicam nostram, quisque pro modulo nostro exsolvimus, quod debemus, & pro possessione virium nostrarum quasi Canonem Passionum inferimus. Pariatoria plenaria omnium passionum non erit, nisi cum sæculum finitum fuerit.* Sic *patiebatur Christus a Saulo; quando audivit Saulus:* Saule, Saule, quid me persequeris? *Quomodo lingua solet dicere calcato pede, Calcas me. Linguam nullus tetigit compassione clamat, non attritione:* (inquit *S. Augustinus* Enarratione in Psalm. LXXXVI.) Sed ut se habeat probabilitas opinionis Scholasticorum, qui Sanctorum passiones, & satisfactiones per modum solutionis nobis applicari censent, & in thesaurum Ecclesiæ inferri, quatenus eorum satisfactiones mensuram superabant delictorum, propter quæ divinæ justitiæ debitores erant, (ut cum duplex sit in bonis operibus ratio una meriti, satisfactionis altera; meritum cumulatissime sit a Deo remuneratum; quod vero satisfactionum residuum erat præter mensuram debitorum, in commune velut ærarium Ecclesiæ ita statuente Deo illatum sit;) Quamvis (inquam) ita doceant Scholastici plerique inter Catholicos tamen omnes convenit, quicquid illud sit, quod conferunt Sancti ad Indulgentiarum Thesaurum, totum illud niti meritis Christi, a quibus satisfactiones Sanctorum, & nostræ pretium omne suum, & valorem accipiunt. *In Christo enim meremur, in illo satisfacimus, facientes fructus dignos Pœnitentię, qui ex illo vim habent: ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre*, (ut docet sacra Synodus Tridentina sess. XIV. cap. VIII.)

Quicquid Sancti ad Indulgentiarum thesaurum conferunt, meritis Christi totum nititur.

Quamvis porro Ecclesiasticum Dogma sit, *Ad cumulum Thesauri* Passionis, & meritorum Christi, *Beatæ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum merita adminiculum præstare*, ut *Clemens VI.* docet, Extravag. *Unigenitus*; & *Leo X.* inter Lutheri Articulos istum quoque merito damnaverit, *Indulgentias non pendere ex Christi meritis, & Sanctorum:* Dogma tamen Ecclesiasticum non est, quod Sanctorum merita per modum solutionis nobis in Indulgentiis applicentur: aut quod superabundantes satisfactiones Sanctorum, & Passiones Martyrum in Ecclesia spirituale conferantur ærarium, ut eas applicet opportuno tempore pia Mater ad solutionem debitorum, quibus divinæ Justitiæ post remissionem offensarum obstricti manemus, Nullum enim de superabundantibus illis Sanctorum Passionibus verbum habet *Clemens VI.* imo Scholasticorum ea de re commentationem sequi non videtur, cum *Ad thesauri cumulum, omnium Electorum merita, a primo Justo usque ultimum, adminiculum præstare* docet. Omnes autem, & singulos Electos superabundantes satisfactiones, & redundantia merita non habere, certissimum est, cum plurimi pœnas temporales peccatis suis debitas in Purgatorio luant: & nos, qui in Electorum grege divina miseratione nos collocandos speramus, superabundantes satisfactiones, & redundantia merita non habere nos agnoscamus, & profiteamur. Adminiculum itaque ad spiritualis The-

Thesauri cumulum præstant merita Sanctorum, quatenus Sancti suis meritis, & intercessione a Deo impetrant, ut fructus Passionis Christi ad debita nostra spiritualia expungenda nobis per Indulgentias applicetur.

Quod ergo Christi, Sanctorumque merita conjunxerunt Summi Pontifices *Clemens VI.* & *Leo X.* cum de Indulgentiarum fonte sermonem habuere, non est argumento, quod eodem loco Christi, Sanctorumque merita habuerint. Pessima hæc olim erat Macedonianorum Hęreticorum argumentatio: Christus connumerat Spiritum Sanctum creaturæ, dicens, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, &c. Sicut ergo aqua est creatura, ita & Spiritus Sanctus, Spiritum Sanctum pariter sibi connumerarunt Apostoli, dicentes: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis:* sicut ergo ipsi creaturæ erant, ita & Spiritus Sanctus. Horum argumentorum vanitatem ostenderunt SS. Patres, responderuntque, Non esse a Scripturæ sacræ locutione alienum, ut ea sermone conjungantur, quorum longe diversa ratio est, ut cum dicitur Exodi XIV. *Crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.* Et IV. Reg. XIX. *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.* Et Joan. XX. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et ad Philipp. I. *Hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Jesu.* Et I. ad Tim. V. *Testificor coram Deo, & Christo Jesu, & electis Angelis, ut hæc custodias.* Quamvis ergo Christi, Sanctorumque merita conjungamus, cum de Indulgentiis agimus, non tamen utraque eodem loco, & numero habemus, non idem utrorumque pretium, aut eamdem virtutem agnoscimus: sed spiritualis Ecclesię thesauri pretium omne, ac superabundantes, & semper inexhaustas opes ex Passione, meritisque Christi, & pretiosissimi Sanguinis illius virtute constare credimus. Sanctorum autem merita ad eumdem thesaurum eatenus adminiculum præstare, quatenus Sancti a Deo impetrant, ut Passionis Christi virtus nobis per Indulgentias applicetur.

CAPUT II.

DE INDULGENTIARUM UTILITATE.

Indulgentiæ non solum in foro Ecclesiæ ad Pęnarum Canonicarum remissionem sed etiam in Judicio Dei plurimum valent ad pęnas futuri sęculi remittendas.

INdulgentiarum utilitas in eo posita est, quod Indulgentiæ condonationes sint, ac remissiones pęnarum temporalium, laborumque pęnitentialium, sive per Sacerdotes Pęnitentiæ Administros in sacro Tribunali impositorum, sive per Canones præscriptorum. Secundo, quod non in foro dumtaxat Ecclesiæ, sed etiam apud Deum valeant, ut debitum pœnæ temporalis in futuro sæculo subeundæ per illas expungatur, & remittatur.

Cujus quidem Dogmatis Ecclesiastici veritatem Christi verba confirmant, quibus potestas nititur Indulgentias concedendi: Matth. XVIII. *Quæcumque solveritis super terram, soluta erunt & in cęlo.* Si enim, qui potestate a Christo accepta satisfactorias pęnas relaxat, ita solvit eas in terra, ut solutæ sint & in cęlis, certum est, fructum Indulgentiarum ad futurum sæculum pertinere.

Idem confirmant Apostoli verba II. ad *Corinth.* cap. II. scribentis, Incestuoso illi Corinthio se donasse, idest, pęnam eius crimini debitam condonasse propter ipsos *In persona Christi*: ex quibus verbis colligitur, condonationem illam in Judicio Dei valere, ac ratam esse, perinde ac si Christus ipse, qui Pater est futuri sęculi, & Pontifex futurorum bonorum, condonasset.

Ter-

Tertio, *S. Cyprianus* statuit, *Ut qui libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis poscunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, Exomologesi facta, & manu eis in Pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.* (Epist. XIII. Et Tract. de Lapsis: *Credimus quidem* (inquit) *posse apud Judicem plurimum valere Martyrum merita, & opera Justorum*, &c. Concilia etiam superius laudata, & præsertim Nicænum, quæ permittunt Episcopis, ut circa Pęnitentes, eo quo par erat fervore Pęnitentiæ stadium decurrentes, *Humanius aliquid cogitent*, pessime Pęnitentibus illis consuluissent, si nihil de futuri sæculi pęnis Indulgentia illa fuisset ipsis condonatum; multoque melius actum cum illis fuisset, si totam satisfactionem implere, pęnasque omnes Canonibus præscriptas subire jussi, pęnas futuri sæculi redemissent. Indulgentiarum utilitas.

Denique Christianos Ecclesia deciperet, (quod absit) si pęnis satisfactoriis in hoc sæculo condonatis, & relaxatis, pęnas longe acerbiores in Purgatorio subire cogerentur. Dicere autem, quod Ecclesia pia fraude homines ad bonum alliciat, sicut mater; quæ promittens filio pomum ipsum ad ambulandum provocat; hæreticum est. Sicut enim ait *S. Augustinus*, Epist. XXVIII. alias VIII. ad S. Hieronymum, *Fluctuare auctoritatem Scripturarum Divinarum, ut in eis quod vult quisque credat, quod non vult non credat, si semel fuerit persuasum, aliqua illos viros, per quos nobis hæc ministrata sunt, in scripturis suis officiose potuisse mentiri* ∴ Et, *Admisso semel in tantum Auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum Librorum particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis Auctoris consilium, officiumque referatur* ∴ *Atque ita nusquam certa erit in Libris Sanctis castæ veritatis Auctoritas.* Similiter (inquit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XX. q. I. art. III. qu. II.) *Si in prædicatione Ecclesiæ aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiæ alicujus auctoritatis ad roborandam fidem.* Cum itaque doceat, & prædicet Ecclesia Indulgentias plurimum valere in Judicio Dei ad pœnas futuri sæculi remittendas, id omnino censendum, & asserendum est. Sane inter *Petri Oxomensis* Propositiones, quas Toletanus primum Archiepiscopus, deinde *Sixtus IV.* confixerunt, ut *Erroneas, scandalosas, a fidei veritate alienas, ac manifestam hæresim continentes*, hæc damnatur: *Romanum Pontificem Purgatorii pœnam remittere non posse.* Et inter Articulos *Lutheri*, quos *Leo X.* tanquam *Hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, & Veritati Catholicæ obviantes* damnavit, hi duo leguntur: 1. *Indulgentiæ sunt piæ fraudes Fidelium.* 2. *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.* Sixtus IV. Constit. quę incipit, *Licet ea.*

Adde, Merita Christi, vimque Passionis ejus infinitam, quæ per Indulgentias nobis applicantur, non solum ad pœnas canonicas, sed ad pœnas futuri sæculi remittendas, & sufficere, & operari. *Quidam* (inquit *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* dist XX. qu. I. art. III. qu. II.) „ quod Indulgentiæ non valent ad „ absolvendum a reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio secundum Judicium Dei „ meretur; sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit „ penitentem ad pœnam aliquam; vel ad quam etiam ordinatur ex Canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Primo, quia est expresse contra „ Privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret, & in cœlo remitteretur: unde remissio, quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi Indulgentias dans, magis „ damnificaret, quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet „ Purgatorii, absolvendo a Pœnitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod

„ valent, & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad Judicium Dei, ad „ remissionem pœnæ residuæ post Contritionem, & Absolutionem, & Confessionem, sive sit injuncta, sive non.

APPENDIX DE JUBILÆO.

INter Indulgentias omnes celeberrima est Anni Sancti seu Jubilæi Indulgentia, quam se concedere *Clemens VI.* Extrav. *Unigenitus*, ait, *Ut cunctorum Fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementius incalescat.* Cum autem Jubilæum analogia quadam a Mosaicæ Legis Jubilæo dicatur, observandum est, varias istius vocis origines assignari. Nonnulli Jubilæum derivant a voce *Jobel*, quæ arietem significat, qui scilicet Annus Jubilæus clangore tubæ, seu cornu arietis promulgari solebat. Alii vocem illam derivant a voce *Jobal*, quæ *dimissionem*, sive *remissionem* significat. *Jubilæus, idest remissionis annus*, (inquit *S. Hieronymus* in cap. III. *Isaiæ.*) Josephus, Lib. III. *Antiq. Judaic.* Jubilæi voce *Libertatem* significari docet, quia eo anno Judæi ab omni labore vacantes, neque serebant, neque metebant, a debitis etiam omnibus absoluti; servique e Judaica Gente cum liberis suis libertate donabantur. *R. Moses Maimonides* hanc vocem derivat a verbo *Jobal*, non quatenus significat *dimittere*, sed *adducere*, quia hoc anno adducebatur unusquisque ad possessionem suam, & ad familiam suam. Atque hæ significationes omnes cum iis optime conveniunt, quæ Lex de Jubilæo tradit, Lev. XXV. „ Clanges buccina mense septimo, decima die mensis, pro- „ pitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabisque annum quin- „ quagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse „ est enim Jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, & unusquis- „ que rediet ad familiam pristinam: quia Jubilæus est, & quinquagesimus an- „ nus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia ∴ Si pauper- „ tate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute „ famulorum, sed quasi mercenarius, & colonus erit: usque ad Annum Ju- „ bilæum operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & rever- „ tetur ad cognationem, & ad possessionem patrum suorum.

Unde Jubilæi nomen? *Jubilæum Legis Mosaicæ.* *Evangelici Jubilæi typus.*

Judaicus ille Jubilæus typicus erat, verumque Legis Evangelicæ Jubilæum, qui a Christi Adventu sumpsit exordium, significabat. Ad hoc enim Christus venit, ut spiritualium debitorum, scilicet peccatorum Indulgentiam, ac remissionem prædicaret. Unde *Isaiæ* cap. LXI. ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me: ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, prædicarem captivis Indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem Annum placabilem Domino.* Annus Jubilæus a Festo Expiationis, pœnitentiæ dicato, incipiebat, ut ex R. *Abrabanele* discimus; Jubilæum Evangelicum prædicatione Pœnitentiæ Christus aperuit: Matt. IV. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum cœlorum.* Clangore tubæ Judaicus Jubilæus nunciabatur; Jubilæum Evangelicum nunciavit *Joannes*, cujus quasi tubæ vox insonuit in deserto: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum cœlorum.* Nunciarunt & Angeli laudantes Deum, & dicentes: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quamdiu enim homo in peccato versatur, pacem cum Deo non habet, quia *Non est pax impiis*, ut dicitur *Isa.* XLVIII. Sed etsi remissum sit peccatum, absterfaque per gratiam sanctificantem culpæ labes, pœnæ tamen debito remanente nondum est pax perfecta hominis cum Deo; sed pax omnibus modis perfecta, & absoluta, utriusque remissione culpæ scilicet, ac pœnæ procuratur; quod per Indulgentiam Christiani Jubilæi obtinetur. Legali Jubilæo servi manumittebantur; possessiones dominis restituebantur: Christia-

stiano Jubilæo a servitute peccati redempti; ad æternam hæreditatem reducimur. Quemadmodum vero, licet omnes vitæ Christianorum dies perpetuum Sabbatum, sive Dies Dominicus esse debeant, ut docet *Clemens Alexandrinus*, Libr. VII. *Stromatum*; nihilominus tamen spiritale Sabbatum sive diem Dominicum statis diebus rite celebramus; ita licet totum Legis Evangelicæ tempus Jubilæus sit perpetuus; ipsum tamen rite selectis temporibus celebrat Ecclesia, quibus cęlestis Thesaurus pretioso Christi Sanguine comparatus a Summo Pontifice, qui Ecclesiæ universæ Christi vice præest, aperitur, & Fidelibus Pœnitentia prius expiatis, ac recte diposițis dispensatur.

Per Indulgentiam Jubilæi ab agenda pro viribus Pœnitentia nemo dispensatur.

Ceterum Jubilæi gratiam sine vera, & omnibus partibus suis absoluta Pœnitentia consequi nemo potest: nec per hanc Indulgentiam ab agenda pro viribus Pœnitentia peccatores, graviorum criminum rei dispensantur. Magni & universalis Jubilæi prædicandi normam a S. Jo: Baptista, imo a Christo Jesu Domino nostro Pastores, ac Prædicatores Evangelici acceperunt. Uterque, scilicet Salvator noster, & ejus Præcursor; ille suo, iste Salvatoris nomine remissionem peccatorum, condonationem pęnarum, solutionem captivitatis, restitutionem in libertatem gloriæ filiorum Dei, in hæreditatem æternam conservatam in cœlis, nonnisi Pœnitentiam agentibus prædicavit, ac promisit. *Pœnitentiam agite* (inquit S. Joannes) *appropinquavit enim regnum cœlorum* ∴ *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ* ∴ *Pœnitentiam agite* (ait Christus) *appropinquavit enim regnum cęlorum* ∴ *Si pęnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. Plenariam Indulgentiam, etiam Anni Sancti, Summi Pontifices (tametsi plenitudinem potestatis habeant in Ecclesia universa, & Sacri Thesauri supremam dispensationem) donare nec possunt, nec volunt in persona Christi, nisi ea lege, qua dat Christus Jesus, ut scilicet Pęnitentiam pro viribus agamus, & offenso Deo, quoad possibile nobis est, satisfaciamus: uno Dei, & hominum Summo Mediatore per suam satisfactionem infinitam supplente, quod non possumus ob vitæ brevitatem, ac infirmitatem. Quæ quidem Redemptoris nostri satisfactio, & merita, Deipara Virgine, Sanctisque omnibus intercedentibus, per Indulgentiam applicantur iis, qui sinceram, & congruam pęnitentiam agunt, & divinæ Justitiæ, cujus sarta tecta sunt jura etiam ipso misericordiæ tempore, satisfacere pro viribus proponunt, ac nituntur.

Matth. 3. 4. Luc. 13.

Plenariæ Indulgentiæ, & Jubilæi fructum pro ut dispositionis mensura quisque consequitur.

Plenariæ certe Indulgentię, & Jubilæi plenum fructum non consequitur quisquis opera facit, quorum intuitu conceditur; sed pro mensura piæ dispositionis, devotionis, ac fervoris, quo illa facit, majorem, vel minorem pęnarum peccatis suis debitarum remissionem obtinet, ut colligitur ex Bonifacii VIII. Constitutione Extrav. *Antiquorum*, cujus hæc sunt verba: *Unusquisque plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit*. Idem colligitur ex Innoc. IV. in cap. Quod autem, Extra. *De Pęnitentiis*, dicente: *Licet generaliter fiat Indulgentia propter laborem, propter devotionem, & propter pericula: tamen unus plus alio habet intra metam a Prælato constitutam, secundum quod plus devotus est, vel plus laborat, vel majoribus periculis se exponit*.

Hæc doctrina probabilior, imo sola vera mihi videtur, quam propugnant S. Thomas in IV. Sententiarum, dist. XX. qu. I. art. III. quæst. II. ad III. cujus verba descripta habes infra Regula XIII. S. Bonaventura eadem dist. qu. ultima. Adrianus VI. Dominicus Soto. Estius. Sylvius. Molanus. Neque „ vero (inquit Estius) quidquam id derogat Indulgentiis, quæ Plenæ, seu „ Plenariæ conceduntur. Plenæ enim dicuntur Indulgentiæ, quarum ea vis „ est ut Plenam is, qui sit præparatus, accipere queat peccatorum remissionem.

„ nem. Per quod in primis certum eſt, non omnem ſatisfactionem excludi, „ quandoquidem præparatio, ſeu diſpoſitio quædam ſatisfactoria requiritur ex „ parte ſuſcipientis, idque ex Lege divina, cui Beneficium hoc Indulgentiæ „ Plenariæ non eſt contrarium. Quocirca Pontifex hujuſmodi Indulgentiam „ concedens non Legem divinam infringit, ſed ea præſuppoſita de plenitu- „ dine poteſtatis Indulgentiam diſpenſat nulla temporis menſura limitatam; „ tantum videlicet largiens, quantum quiſque ſecundum præparationem ſuam „ capere poteſt; & totam condonans pęnam, ſi totalis condonationis ſecun- „ dum præparationem ſuam capax eſt pęnitens. Unde vere dicitur, quod „ Indulgentia etiam Plenaria tantum valet quantum ſonat: tametſi non o- „ mnis, qui eam participat, plenum inde fructum conſequatur.

Error in Jubilęi, & Plenariæ Indulgentiæ prædicatione cavendus.

Procul ergo, qui prædicare populo Chriſtiano non dubitant, quod non ex Scriptura ſacra, vel Traditione hauſerunt, nec ab Eccleſia didicerunt, ſed inerudita cordis ſui viſione finxerunt, Omnes, qui Plenariam Indulgentiam, aut Jubilæum quomodocumque conſequuntur, in ſtatum innocentię baptiſmalis reſtitui, & ſi continuo moriantur, poſtquam omnia, quę Bulla Pontificia præſcripta ſunt exterius impleverint, utcumque tepido licet languentis pietatis affectu, nullis Purgatorii pęnis obnoxios eſſe, ſed recte in cęlum evolare; quamvis nullam aliam pro innumeris, gravibuſque peccatis exhibere ſatisfactionem propoſuerint, nullam aliam egerint Pœnitentiam, cum poſſent. Qui Jubilæum ita prædicant, caupones ſunt *miſcentes vinum aqua*, ut loquitur Iſaias Propheta. Hi nempe, ut S. Baſilius explicat, *Documenta Scripturarum præcipuam animæ facultatem, ſcilicet mentem exhilarantia, per S. Prophetas, & Apoſtolos vinum illud cęleſte fundente nobis Spiritu Sancto ad percipiendum jucunditatem æternam, cauponum inſtar adulterant, & corrumpunt, proprii ingenii commenta permiſcentes ad perniciem auditorum. Dum enim ſtudioſe adnituntur, ut indulgendo eorum voluptatibus demereantur ipſorum gratiam, per blandiloquia, & ſuaves ſermones aſſentando alunt illorum vitia in perditionem, per hæc enervantes auſteritatem, & vigorem Scripturarum vitioſos utiliter perſtringentem; ad auditorum ſubverſionem enarrantes multimodam erga homines benignitatem plane ineruditam; condonationes item peccatorum nullo diſtrictionis ſale conditas, & talia quædam ad capiendam multorum gratiam; quibus maximopere effeminant animas eorum, qui ſtudioſe voluptates conſectantur.*

Iſaiæ 22.
S. Baſilius in Iſaiam Viſione 2.

Nemo ergo Chriſtianus, pernicioſa ſecuritate ſe deludi patiatur, ſeque ab agenda, & ante Jubilæum, & poſt acceptum Jubilæi tempus, Pœnitentia immunem exiſtimet, quamvis gravia peccata veteribus non adjecerit: quia Catholica, æternæque veritatis ſententia eſt a Sacra Synodo Tridentina auctore Spiritu Sancto tradita, & promulgata: *Tota vita Chriſtiani perpetua pęnitentia eſſe debet*. Vide Regulam XII. Capitis III. hujus Tractatus.

Seſſ. 14. De Sacram. Extremæ Unctionis.

CA-

CAPUT III.

REGULÆ INDULGENTIARUM DISPENSATIONEM, USUMQUE SPECTANTES.

REGULA I.

Indulgentias concedere possunt Summus Pontifex, & Episcopi: Ille quidem Plenarias toto qua late patet Orbe Christiano; isti vero in Diœcesibus suis, & secundum mensuram Canonum.

Cum enim Thesaurus Indulgentiarum commune sit Ecclesiæ bonum, ab iis solis dispensari potest, qui Ecclesiæ præsunt. *Ea enim, quæ sunt multitudinis alicuius, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus, qui multitudini præest.* Cum igitur Summus Pontifex universæ præsit Ecclesiæ cum plenitudine Potestatis, Indulgentias toto qua late patet orbe Christiano concedere potest.

Episcopus vero Christi vice, & ordinatione Ecclesiæ portioni præest, *Solusque proprie Prælatus Ecclesiæ dicitur, ideoque solus quasi Sponsus Ecclesiæ annulum recipit: quamobrem & ipse solus habet plenam potestatem in dispensatione Sacramentorum, & Jurisdictionem in foro causarum, quasi persona publica; alii autem secundum, quod ab eo eis committitur. Sed Sacerdotes, qui plebibus præficiuntur; non sunt simpliciter Prælati, sed quasi Coadjutores: unde in consecratione Sacerdotum Episcopus dicit:* Quanto fragiliores sumus, tanto magis his auxiliis indigemus: *& propter hoc etiam non omnia Sacramenta dispensant. Unde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alii huiusmodi Prælati non possunt Indulgentias dare.* Verba sunt *S. Thomæ* in IV. *Sententiar.* dist. XX. q. I. art. IV. q. I. Hinc Abbatibus prohibetur Indulgentiarum concessio cap. *Accedentibus*, Extra. *De Excessibus Prælatorum*.

Confirmatur ex *Martini V.* Constitutione in Conc. Constantiensi edita, qua suspectos de Vviclefiana Heresi inter cetera interrogari jubet. *Utrum credant, quod Papa omnibus Christianis vere contritis, & confessis, ex causa pia, & justa, possit concedere Indulgentias in remissionem peccatorum: & quod singuli Episcopi suis subditis, secundum limitationem sacrorum Canonum possint etiam illas concedere.*

Modus porro Indulgentiis ab Episcopo concedendis prescribitur cap. *Cum ex eo*, Extra. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, quod ex Conc. Lateranensi sub *Innoc. III.* sumptum est. *Quia* (inquit) *per indiscretas, & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & penitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno, sive a pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in Anniversario Dedicationis Tempore quadraginta dies de iniunctis Penitentiis Remissio indulta non excedat.* Et infra: *Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibus libet casibus aliquoties conceduntur: cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.* Idemque confirmatur cap. *Indulgentiæ*. in Sexto.

Ecclesiæ in dandis Indulgentiis moderatio.

REGULA II.

Archiepiscopus Indulgentias in tota Provincia sua concedere potest secundum mensuram Canonibus præscriptam, etiam si sacram Provinciæ Visitationem actu non obeat

HÆc Regula traditur cap. *Nostro*, Extra. *De Pœnitentiis, & Remissionibus*, quod est *Honorii III* ad quendam Archiepiscopum Rescriptum. *Nostro* (inquit) *postulastis certificari Responso, utrum per tuam Provinciam possis concedere Remissionis litteras generales: nos igitur tuæ Fraternitati breviter respondemus; Quod per Provinciam tuam libere potes hujusmodi concedere litteras: ita tamen, quod Statutum Generalis Concilii non excedas.* Nec ad tempus, quo Provinciam lustrat Archiepiscopus, hanc facultatem Jus restringit.

REGULA III.

Indulgentiæ ab Episcopis concessæ, eorum dumtaxat Diœcesanis prosunt.

Ad quos pertinet indulgentiarum concessio.

ITa constat ex c. *Quod autem*, quod Responsum est *Alexandri III* Cantuariensi Archiepiscopo datum. *Cum* (inquit) *a non suo Judice ligari nullus valeat, vel absolvi, Remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint, proprii Judices specialiter indulserunt.*

REGULA IV.

Episcopi in foro Pœnitentiæ non solum quadraginta dierum, sed plurium dierum, & annorum Indulgentias, justa de causa, largiri possunt.

SAcris namque Canonibus, & Summorum Pontificum Decretis modus præscriptus non est Episcopalibus Indulgentiis, nisi quæ publice, ac solemni ritu in foro externo conceduntur; non autem iis, quæ in foro Pœnitentiæ dispensantur: quod Prosper *Fagnanus* ex *Innoc. IV.* interpretatione confirmat, cap. *Cum ex eo*, Extra. *De Pœnitentiis, & Remissionibus.*

REGULA V.

Episcopus Electus, atque confirmatus, & Legati Apostolici, quamvis Sacerdotes non sint, possunt Indulgentias concedere.

POtestas enim Indulgentias concedendi Jurisdictionem sequitur: & quia Diaconi, & alii non Sacerdotes possunt habere Jurisdictionem, vel commissam sicut Legati; vel ordinariam sicut Electi; ideo possunt Indulgentias concedere etiam non Sacerdotes; quamvis non possint absolvere in foro Pœnitentiali, quæ functio est Ordinis.

REGULA VI.

Summus Pontifex, & Episcopi peccati mortalis rei Indulgentias nihilominus concedere possunt.

INdulgentiarum enim concessio est actus Jurisdictionis: peccatum porro non privat hominem Juridictione, ut Sac. Conc. Oecumenicum Constantiense contra *Vviclefi*, & *Jo: Hus* errores declaravit: & ideo Indulgentiæ æque prosunt, si ab eo concedantur, qui lethalis peccati reus est, ac si ab eo concederentur, qui est sanctissimus. *Cum non remittat pœnam ex vi suorum meritorum, sed vi meritorum reconditorum in Thesauris Ecclesiæ:* (inquit S. *Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XX. qu. I. art. IV. quæst. IV.)

RE-

REGULA VII.

Ad Indulgentiæ valorem causa justa, & legitima requiritur.

INdulgentiarum enim concessio est Thesauri spiritualis dispensatio, quæ pro mero Summi Pontificis, & Episcoporum arbitrio fieri non potest. Qui enim communia Ecclesiæ bona temporalia donare non possunt solo imperio, multo minus bona communia spiritualia solo ex imperio possunt effundere, cum hæc maioris sint pretii, & excellentiæ, & sint illorum non minus quam illorum dispensatores, non domini. Hinc *S. Thomas* in IV. *Sentent.* dist. XX. qu. II. art III. qu. II. tria necessaria esse docet ad Indulgentiarum valorem, scilicet Auctoritatem in dante, charitatem in recipiente, pietatem in causa. Quæcumque autem causa vergit in honorem Dei, & utilitatem proximi, pia censetur. Quod autem vulgo dicitur in Scholis, Indulgentias indiscretas nihilominus validas esse, verum est (inquit Cardinalis *Caietanus*) de indiscretis quoad eventum, non autem de indiscretis quoad causam. *Sunt enim Indulgentiæ indiscretæ ratione eventus, quando Indulgentiæ alias bene concessæ, pariunt propter earum multitudinem quasi contemptum aut ipsarum, aut satisfactionum pœnitentialium, & tales sunt validæ. Sed si sunt indiscretæ, quia carent rationabili causa, aut omnino, aut quoad tantam quantitatem, sunt invalidæ.* Atque hoc sensu intelligendus est *S. Thomas* loco proxime citato ad primum dicens: *In arbitrio dantis Indulgentiam est taxare, quantum per Indulgentiam de pœna remittatur. Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus Pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales Indulgentias: nihilominus quis plenam Indulgentiam consequitur* Quamobrem sacra Synodus Tridentina sess. XXV. *In Indulgentiis concedendis moderationem juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit; ne nimia facilitate Ecclesiastica Disciplina enervetur.*

De causis, propter quas dantur Indulgentiæ.

Tract. IX. De suscipientibus Indulgentias, q. IV.

Vetus Ecclesiæ in concedendis Indulgentiis moderatio.

REGULA VIII.

Causa legitima concedendi Indulgentias censendum est temporale subsidium ad spiritualia ordinatum.

SIc respondet *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* dist. XX. qu. II. art. III. qu. III *Temporalia* (inquit) *ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia temporalibus uti debemus: & ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri Indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant; vel sicut constructio Ecclesiarum, & pontium, & aliarum eleemosynarum collatio. Nec fit ibi simonia; quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali.* Sic Indulgentiæ Plenariæ generatim primum concessæ sunt Cruce Signatis, qui contra Turcas, aut Mauros pugnaturi, in Terram Sanctam, vel in Hispaniam proficiscerentur, aut pecunia, vel qualibet opera præstita tam sanctum opus promoverent. Sic Episcopus Andegavensis quintam partem Pœnitentiæ peccatorum Confessione expiatorum relaxavit iis, qui Templi Militibus beneficia sua obtulissent, ut testatur *Sugenius* Abbas, Epist. XXI. apud *Duchesnium* Tom. II. Collectionis *Historiæ Francorum*. Sic *Mauritius* Parisiensis Episcopus Indulgentias concessit iis, qui ad Cathedralis Ecclesiæ Sanctissimæ Virginis Deiparæ sacræ fabricam nummos conferrent. Sic *Innoc. IV.* Indulgentiam contulit iis, qui eleemosynam erogarent in Ecclesiæ fabricam, quam Anglorum Rex magnificentissime exstruebat, ut ex ipsius Epistola CIV. colligitur. Provide tamen statuit Sacra Synodus Tridentina, *Pravos quæstus*

omnes

Pravi quæstus abolendi.

omnes pro Indulgentiis consequendis, unde plurima Christiano Populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Et Quæstorum nomen, & usum penitus abolevit: ac decrevit, ut Indulgentiæ deinceps per Episcopos adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus publicarentur, session. XXI. caput. IX. *De Reformat.*

REGULA IX.

Pro causis mere spiritualibus multo magis concedi possunt Indulgentiæ.

ITa respondet *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* dist. XX. q. I. art. III. qu. III. ad II. *Dicendum* (inquit) *quod etiam pro pure spiritualibus potest fieri Indulgentia, & fit quandoque, sicut quicumque orat pro Rege Franciæ, habet decem dies de Indulgentia a Papa Innoc. IV.* ob insignia nimirum officia, & beneficia, quæ olim erga Sedem Apostolicam Christianissimi, & Piissimi Principes præstiterunt; quia septem, vel octo Pontifices Apostolica Sede deturbatos suis impensis, & suorum sanguine restituerunt, ut ait *Navarrus*, in Tract. *De Oratione, & Horis Canonicis*, cap. XVII. n. 90. & Urbes, ac Provincias, Romamque ipsam Orbis Christiani caput Ecclesiæ Romanæ Regia munificentia contulerunt. *Clemens* quoque *VII.* pro Rege Christianissimo preces Deo fundentibus centum dies, *Leo X.* annum Indulgentiarum concessit, ut refert *Durandus* Lib. II. *De Ritibus Ecclesiæ*, cap. XXXIII. n. 18. *Et similiter Crucem prædicantibus datur quandoque eadem Indulgentia, quæ Crucem accipientibus.*

REGULA X.

Existentibus in peccato mortali Indulgentiæ non prosunt.

INdulgentiæ namque sunt Relaxationes pęnæ temporalis peccato debitæ: nulli autem potest dimitti pęna, nisi cui jam dimissa est culpa. *Qui enim non est consecutus operationem Dei in remissione culpæ, non potest consequi remissionem pœnæ a Ministro Ecclesiæ, neque in Indulgentiis, neque in foro Pœnitentiali* (inquit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. & quæst. citatis, art. V. q. I.) Unde Indulgentias Ecclesia non concedit nisi *Contritis, & Confessis*, ut patet ex Pontificiis Diplomatibus. Qui enim non est contritus, & confessus, non potest absolvi. Indulgentia autem Absolutio quædam est.

REGULA XI.

Opus, cujus intuitu conceditur Indulgentia, fieri debet ab homine in gratia existente.

De dispositionibus ad consequendam Indulgentia.

HAnc opinionem, & tutiorem, & rationi magis consentaneam esse probat Cardinalis *Cajetanus*, primo ex Indulgentiarum formulis, quibus Indulgentia concedi solet: *Omnibus vero pęnitentibus, & confessis*, qui talem Ecclesiam visitaverint, qui toties jejunaverint, & pro his, & illis Ecclesiæ necessitatibus oraverint, vel ad tale opus manus porrexerint adjutrices. Præterea, sicut thesaurus civilis pro causa dumtaxat civili; ita thesaurus vitalis pro causa tantum vitali dispensatur. Thesaurus porro Indulgentiarum est thesaurus vitalis, utpote ex Passionibus Christi, meritisque Sanctorum constans, æternæque vitæ tollens impedimenta: igitur pro causa dumtaxat vitali dispensatur. Cum igitur opus extra gratiam factum non sit vivum, sed mortuum; ad Indulgentiam obtinendam non sufficit. Viva certe sunt quæcumque ad dispensationem thesauri Indulgentiarum concurrunt. Vivit

Chri-

Christus Summus Sacerdos, qui præcipuus est Indulgentiæ dispensator: vivunt Sancti, quorum meritis Indulgentiæ: fructus impetratur: vivit, qui particeps est indulgentiæ: vivat ergo necesse est & Indulgentiæ causa, sive opus, cujus intuitu confertur, & quod ad illius participationem imperatur. Quæ est enim conventio lucis ad tenebras, & vitæ ad mortem? Nec obstat, quod Pontifex dans Indulgentiam mortuus esse possit morte peccati, quoniam ipse Minister tantum est, & velut instrumentum Christi ad cœlestis Thesauri dispensationem concurrit. Ad causam enim principem respiciendum est, ut exemplum confirmat domini in gratiæ statu constituti, qui per improbum dispensatorem eleemosynas distribuit: opus enim illud vivum est, non obstante spirituali morte ministri. Cum igitur conceditur Indulgentia iis, qui tot Ecclesias visitaverint, & in iis pro his, & illis Ecclesiæ necessitatibus Deum oraverint, qui toties jejunaverint, qui eleemosynas erogaverint, necesse est, ut opera illa fiant ab homine in gratiæ statu existente; alioqui non consequitur Indulgentiam, etsi sit in gratia constitutus, cum Indulgentiæ fructus percipiendus est.

Ne vero quis obstrepat, ad Indulgentiam sufficere auctoritatem in dante, gratiam in recipiente, pietatem in causa: ex hoc enim, quod exigitur pietas in causa, hoc est, in opere, pro quo datur Indulgentia, consequens est, quod exigatur etiam vita, nam pietas ipsa, nisi sit viva, pietas non est, cum nulla sit Christiana virtus sine charitate; (inquit Cardinalis *Cajetanus* Tract. x. *De Suscipientibus Indulgentias*, q. 11.)

Pastores itaque, Concionatores, & conscientiarum Moderatores auctores esse debent Fidelibus, eosque adhortari, ut Jubilæi, vel aliarum Indulgentiarum tempore ante omnia Sacramentali Confessione conscientiam expurgent, deinde opera faciant Pontificio Diplomate, aut Episcopi Mandato præscripta ad Indulgentiam consequendam.

Han Regulam confirmat S. Carolus Borromæus in Ordine, & Instructione pro S. Jubilæo consequendo, Auctor. Eccles. Mediol. par. VII. p. 942. *Curent singuli*, inquit, *omnes a Sanctitate sua impositas pro lucrando Jubilæo conditiones observare, illud alias non consecuturi, si eas omiserint. Prima est, ut vere contriti peccata deponant; quod sane omnes, prius quam Ecclesiarum visitationem incœperint, juvat egisse, ut Jubilæi consequendi legibus se satisfecisse hoc modo certiores fiant. Eademque de causa, si quis postquam peccata deposuisset, incboatamque post Ecclesiarum visitationem, in mortale peccatum (quod Deus avertat) prolapsus fuisset, illud confiteri deberet, & cœptum visitationis dierum numerum, qui præscriptus est, continuare.*

REGULA XII.

Ad Plenariam Indulgentiam, etiam Jubilæi consequendam, totis viribus eniti, & omni studio contendere necesse est ad satisfaciendum Justitiæ Divinæ congruis, & diuturnis Pœnitentiæ laboribus.

HÆc Regula colligitur ex *S. Cypriano*, qui Indulgentias illis dumtaxat Lapsis concedi voluit, qui Pœnitentiæ maximam partem implevissent. Sic enim scribit ad Confessores Epist. x. *Et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum Pœnitentiam scitis, designetis nominatim libello*, &c. Aliter concessam Indulgentiam esse ait contra Ecclesiæ Disciplinam, *Contra Evangelii legem*. Provisorium denique Decretum Africana simul, & Romana Ecclesia ediderunt, ut iis dumtaxat Indulgentia, quam Martyres pro ipsis postulaverant, concederetur, qui in ipso Pœnitentiæ stadio morte interciperentur. Ita enim scribit Romanus Clerus Epistola inter Cyprianicas

De dispositionibus ad consequendum Indulgentiam.

CAS XXXI. *Eorum autem quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta Pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis, ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla extiterit, ita demum caute, & sollicite subveniri, Deo ipso sciente, quid de talibus faciat.*

Indulgentiæ prosunt Pœnitentibus, orantibus, operantibus.

Eandem Regulam confirmat præclara hæc ejusdem SS. Episcopi, & Martyris Sententia, in Tractatu de Lapsis: *Si precem toto corde quis faciat, si veris Pœnitentiæ lamentationibus, & lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis, & continuis operibus inflectat, misereri talium potest.·. Potest ille Indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

Sed & Nicæna Synodus can. XII. iis tantum Indulgentias ab Episcopis concedi statuit, qui in Pœnitentia implenda fervorem maximum præ se tulissent, non qui negligenter se gessissent. *Quotquot* (inquit) *metu, & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant; hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum Fidelibus in oratione communicent: postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque vero indifferenter tulerunt, & aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere; hi definitum modis omnibus tempus impleant.*

Hinc Conc. Saleguntstadiense, can. XVIII. Indulgentias illis nequaquam profuturas declaravit, qui ut pœnis satisfactoriis a Confessario suo, aut ab Episcopo pro peccati gravitate sibi imponendis se liberarent, Romam pergebant, Plenam Indulgentiam a Summo Pontifice impetraturi. *Quia* (inquit) *multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati Pœnitentiam a Sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maxime confisi; ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi peccata dimittat: Sancto visum est Concilio, ut talis Indulgentia illis non prosit, sed prius juxta modum delicti Pœnitentiam sibi datam a suis Sacerdotibus adimpleant: & tunc Romam si velint ire, ab Episcopo proprio licentiam, & litteras ad Apostolicum ex eisdem rebus deferendas accipiant.*

Propter Indulgentias non minus tenentur fideles agere Pœnitentiam.

Hinc *Gregorius VII.* Lincolniensi Episcopo Indulgentiam delictorum roganti, ea lege concessit, ut Pœnitentiam pro viribus ageret. *Absolutionem prætereà peccatorum tuorum* (inquit) *sicut rogasti, auctoritate Principum Apostolorum Petri, & Pauli fulti, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus: si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.*

„ Ex quibus apparet (inquit Cardinalis *Baronius* hæc referens ad an-
„ num MLXXIII. num. 71.) Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communica-
„ ri, qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non
„ autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus.

Hinc *Gregorius VII.* cum Ecclesiam Beneventi devastasset, ait Populo: *Tutius est, ut agatis Pœnitentiam, quam vel tertiam partem, vel aliquotam vobis remittam.* Refert *Petrus Cantor* Parisiensis in Summa *De Sacramentis, & Animæ Consiliis.*

Hinc *S. Antoninus*, I. p. tit. X. cap. III. §. III. ait: *Nec credunt, quod propter has Indulgentias generales minus teneatur agere Pœnitentiam in hac vita; & horum dictum satis videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius.*

Quibus prosunt, vel non prosunt Indulgentiæ?

Hanc Regulam confirmat Cardinalis *Caietanus*, qui hanc de Indulgentiis quæstionem, Luthero contra Indulgentias prædicante, & scripturiente, quam

quam accuratissime tractavit, Tract. x. *De Suscipientibus Indulgentias*, qu. I. *Sunt*(inquit) *confessi in gratia duplicis ordinis: quidam soliciti ad satisfaciendum per se ipsos pro peccatis suis; quidam negligentes satisfacere per se ipsos. Primi condignas Pœnitentias vel petunt a Confessoribus sibi imponi, parati eas implere, vel sponte illas assumunt, dum continuo student per sua sancta opera satisfacere, jejunando, orando, eleemosynas dando, &c. Secundi vero levissimam Pœnitentiam aut rogant, aut læti suscipiunt; & cum illam impleverint, quam sciunt esse minimam, non curant amplius de satisfaciendo. Et hi sunt, quibus Indulgentiæ non prosunt, judicio meo. Nullus enim indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita consequitur veraciter fructum Indulgentiæ; sed quilibet in gratia constitutus, negligens satisfacere per se ipsum, est indignus aliena satisfactione pro pœna propriis peccatis debita: ergo nullus constitutus in gratia, negligens satisfacere per se ipsum, acquirit fructum Indulgentiæ.*

Præterea, in qualibet bene ordinata Republica, quantumcumque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos ære alieno; negligentes tamen solvere, indigni censerentur adjutorio thesauri: ex eo enim, quod possunt de suo solvere, & non curant, indignos se reddunt tali sublevamine. Et nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia, quoniam alii horum exemplo ad similem negligentiam provocarentur: legis autem est facere non negligentes, sed virtuosos. Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, æquum non est, ut spiritualis dispensatio Thesauri negligentes satisfacere pro dignis habeat. Hoc enim vere esset enervare Satisfactiones Pœnitentiales. Non prosunt igitur Indulgentiæ constitutis in gratia negligentibus satisfacere per se ipsos, quoniam indigni sunt Indulgentia. Parati autem ad satisfaciendum per se ipsos sunt, non qui negligunt per se ipsos satisfacere, sed illi soli, quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardat opus nisi impedita.

Id confirmatur ex antiqua forma Indulgentiæ, qua dicitur concedi *Vere Pœnitentibus*, quibus verbis significatur, *Indulgentias non consequi Pœnitentes negligentes, sed Pœnitentes solicitos, qui soli sunt vere Pœnitentes.*

Denique, (inquit Piissimus, & Doctissimus Cardinalis) secundum hanc sententiam *solvuntur omnes quæstiones tam de nimis largo Dei foro, quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte, quam de admiratione Sapientium, & oblocutionibus detrahentium, & excitantur Christi Fideles ad Pœnitentiæ opera. Nec aliquid adimitur efficaciæ Indulgentiarum; sicut nihil adimitur efficaciæ Sacramentorum ex hoc, quod oportet accedentes ad illa esse digne dispositos, si fructuosa sibi esse volunt: soli siquidem indigni Indulgentia ab illius fructu juxta hunc dicendi modum excluduntur.*

Pœnitentes negligentes Indulgentiarum fructum non plene consequuntur.

Hanc Regulam pariter confirmat *Jo: Hesselius* Doctor, & Professor Lovaniensis Academiæ, unusque e Concilii Tridentini Theologis, part. II. Catechismi, cap. XLVI. *Si Plenariam* (inquit) *Indulgentiam acciperet omnis, qui utcumque contritus est, & confessus, qui est in statu gratiæ, male diceret Bonifacius VIII. Extravag.* Antiquorum, *quod unusquisque plus mereretur, & efficacius consequeretur Indulgentias, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentaret. Quare non est putandum, ut quidam docent, quod quicumque Indulgentiarum particeps fuerit, si statim moreretur; absque ulla pœna continuo ad cœli gaudia transiturus sit. Multum oportet pro peccato pœniteat, & valde pie, perfecteque participet Indulgentias, cui hoc contingit. Et revera si ad hoc, ut plenarias Indulgentias homines acciperent, sufficeret eos esse in statu gratiæ; plurimum evacuaretur studium Pœnitentiæ, & satisfactionis, nec vellent homines ullam subire Pœnitentiam, si putarent se alioquin Plenarias Indulgentias & totius promeritæ pœnæ condonationem esse accepturos.*

Ad Praxim igitur quod attinet, *Consulendum est eis, qui Indulgentiam conse-*

consequuntur, ne propter hoc ab operibus Pœnitentiæ injunctis abstineant; ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito pœnæ essent immunes; præcipue, quia quandoque sunt plurium debitores quam credant; (inquit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XX. quæst. I. art. III. quæst. I. ad IV.) Et ante ipsum *Guilielmus Parisiensis* Tract. *De Sacramento Ordinis*, cap. IV. *Cum* (inquit) *certum sit eos solos Indulgentias percipere, qui mundi sunt, & immunes a mortalibus peccatis, nulli autem est certum, quod immunis sit, & mundus ab illis: nulli ergo certum est, quod Indulgentias percipiat. Certum est autem unicuique se esse debitorem injunctæ Pœnitentiæ, vel injungendæ: quare certum est, neminem debere propter hujusmodi Indulgentias cessare ab agenda Pœnitentia, ne committat se periculo, & inæstimabilem acerbitatem ignis Purgatorii incurrat.*

R E G U L A XIII.

Totam Indulgentiam non consequitur quicumque facit opus, cujus gratia Indulgentia concessa est, sed qui meliori, quo potest, modo, studioque ferventiore facit.

HÆc Regula colligitur ex *S. Thoma*, in IV. *Sententiarum* distinct. & qu. mox indicatis, art. III. quæst. II. ad III. *Quando* (inquit) *datur Indulgentia indeterminate ei, qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium, quod sit conveniens ei, qui auxilium dat; & secundum hoc plus, vel minus de Indulgentia consequitur: unde etiam aliquis pauper dans unum denarium consequitur totam Indulgentiam; non autem dives, quem non decet ad opus tam pium, & fructuosum ita parum dare: sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere, si ei obolum daret.*

R E G U L A XIV.

Aliis operibus satisfactoriis Deum magis promeremur, quam Indulgentiis.

ITa docet *S. Thomas* loco mox citato, ad secundum: *Quamvis* (inquit) *hujusmodi Indulgentiæ multum valeant ad remissionem pœnæ, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu præmii essentialis; quod in infinitum melius est quam dimissio pœnæ temporalis.*

Et art. V. quæst. II. ad II. *Propter Indulgentias* (inquit) *non debet dissolvi Regularis observantia: quia Religiosi magis merentur Religionem suam servando, quantum ad præmium vitæ æternæ, quam Indulgentias exquirendo; quamvis minus quantum ad dimissionem pœnæ, quod est minus bonum.*

R E G U L A XV.

Non Vivis solum, sed etiam Defunctis prosunt Indulgentiæ a Summo Pontifice pro illorum levamine concessæ, illisque speciatim a Fidelibus vitam hic mortalem agentibus applicatæ.

Indulgentiæ quomodo prosunt Defunctis.

ID antiquus Ecclesiæ usus probat, Indulgentias pro Defunctis concedentis. *Si quid autem tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est*: (inquit *S. Augustinus* Epist. LIV. olim CXVIII. ad *Januarium*.) Indulgentias Defunctis prodesse declaravit Sixtus IV. Confirmarunt Innocent. VIII. Alexander VI. Clemens VII. Julius III.

III. & Greg. XIII. in Bullis Jubilæi, &c. Contrarium errorem a ſacra Facultate Pariſienſi damnatum Jo: Major teſtatur in IV. Sentent. diſt. xx. qu. II. Seque interfuiſſe eruditi Ordinis Deliberationi. Leo X. in Conſtitutione contra Lutheri errores hunc inter alios damnat Articulum: *Sex generibus hominum Indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec utiles videlicet Mortuis, &c.* Iis autem dumtaxat proſunt, qui in Eccleſiæ Communione, & in gratiæ ſtatu obiere, cum nondum divinæ juſtitiæ pro peccatis plene ſatisfeciſſent; ac propterea in Purgatorium ad reliquas pœnas exſolvendas ſunt relegatæ. Proſunt autem ipſis, non per modum Abſolutionis, quia Summi Pontificis Juriſdictioni non ſubſunt amplius, ſed per modum ſuffragii, (ut loquuntur Pontifices, & Theologi:) ideſt, eo modo quo cetera piorum bona opera ſatisfactoria, ſcilicet orationes, jejunia, flagellationes, peregrinationes, eleemoſynæ defunctis ſuffragantur, non via juſtitiæ, ſed quatenus Divina Miſericordia pro illorum Animabus hæc accepta habet. Cujus rei duplicem rationem affert Cardinalis *Cajetanus* Tract. XVIII. *De Indulgentiis*, quæſt. v. Prima eſt, quod pœnæ noſtræ ſint alterius rationis a pœnis Animarum ſeparatarum, nec cum illarum acerbitate valeant comparari: ſicut pœna pecuniaria eſt alterius omnino rationis a pœna ſervitutis, longeque levior, quo fit, ut ſicut ſervitus pecunia non redimitur ſecundum juſtitiæ rigorem, ſed ſecundum acceptationem domini; ita penæ Animarum ſeparatarum pœnis, ac ſatisfactionibus noſtris non redimantur ſecundum juſtitiæ rationem, ſed ſecundum divinæ Miſericordiæ diſpenſationem. Secunda ratio eſt, quod forum noſtrum, in quo hic patimur, longe ſit diverſum a foro, in quo Animæ ſeparatæ puniuntur. Forum noſtrum lene eſt, quaſi canonicum, aut civile; iſtud ſeverum, quaſi forum rerum capitalium. Quemadmodum igitur, ſi quis hic ob debita ſervituti mancipatus eſſet, (ut olim fiebat) aut Clericus in forum rerum capitalium incidiſſet, non ſufficeret pecunia ad illum redimendum a ſervitute; nec pœnæ canonicæ ſufficerent ad Clerici vitam redimendam: ita non ſufficiunt pœnæ noſtræ, laborioſaque Pœnitentiæ opera ad ſatisfaciendum juſtitiæ divinæ pro Animabus in Purgatorio detentis; quæ tamen ſuffeciſſent ad ſatisfaciendum pro ipſis, antequam corporibus ſolutæ, & in forum iræ, ac ſeveritatis divinæ juſtitiæ tranſlatæ eſſent. Non enim patet nobis via Juris aliqua, ut forum illud adeamus ad cujuſque redemptionem; ſed una divinæ Miſericordiæ fiducia ſuffragia noſtra, ſatisfactioneſque Deo ad Animarum patientium levamen offerimus. Summus tamen Pontifex eadem auctoritate ſibi a Chriſto commiſſa confert Indulgentias ex Eccleſiæ Theſauro pro defunctis, ac pro vivis, ſed longe diverſo modo: vivos ſiquidem abſolvit, ut Judex: defunctis auxiliaria ſuffragia confert, divinæ Miſericordiæ confidens, futurumque ſperans, ut pro illorum levamine hæc accepta habeat. Id exemplo illuſtremus. Princeps civitatis alicujus ex ærario publico cives omnes ære alieno gravatos liberare decrevit, quorum aliqui ejus dominio ſubditi maneant; alii ſub alieno verſentur, propter debita ſervituti addicti: in eo caſu eadem auctoritate pecuniam diſpenſat ex publico ærario pro utriſque; ſed Juriſdictioni ſuæ ſubditos judiciaria etiam poteſtate abſolvit a debito; alienæ vero ſervituti mancipatis ſubvenire non poteſt, niſi pecuniam in modum auxilii mittendo, ſi forte eam acceptam habeat dominus, ipſoſque libertate donet. Pari quodam modo Summus Pontifex pœnas vivorum, ac defunctorum peccatis debitas ex Eccleſiæ Theſauro ſoluturus, utriſque cœleſtis Theſauri opes diſpenſat; ſed vivis applicat abſolvendo; defunctis ſuccurrendo, ſive ſatisfactoria fidelium ſuffragia ad illorum liberationem, vel levamen Deo offerendo.

Indulgentiæ quomodo proſint Defunctis?

RE-

REGULA XVI.

Quibuscumque Purgatorii Animabus plenaria Indulgentia applicatur, non ideo a pęnis statim liberantur.

NOn enim certum est, an hujusmodi suffragium divina Misericordia pro illarum liberatione acceptum habuerit. Deinde id suffragiorum genus illis solis prodest, qui in hac vita, ut sibi prodessent meruerunt. Quamvis autem meruerint omnes, qui in gratia, & charitate objerunt, ut hæc sibi possent prodesse, non tamen, ut hæc sibi reipsa prodessent; sed illi soli, qui reverentia, ac devotione singulari erga claves Ecclesiæ, & Indulgentias affecti fuere, qui misericordia, solicitudine ad satisfaciendum pro peccatis, studio ad suffragandum Defunctis insignes extitere, (inquit Cardinalis *Cajetanus*.) In hujusque rei confirmationem affert verba *S. Thomæ*, III. par. quæst. LII. art. VIII. ad I. scribentis, ex testimonio *S. Augustini* in Epist. ad *Evodium*, quod sibi objecerat, non posse concludi, *Quod omnes illi, qui in Purgatorio erant*, cum Christus descendit ad Inferos, *fuerint a Purgatorio liberati, sed quod aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatum, illis scilicet, qui jam sufficienter purgati erant: vel etiam, qui dum adhuc viverent, meruerunt per fidem, & devotionem ad Mortem Christi, ut eo descendente, liberarentur a temporali Purgatorii pœna*. Quod si Christus Pontifex futurorum bonorum, Plenariam Indulgentiam Sanguine suo partim illis dumtaxat Animabus indulsit, qua liberarentur a Purgatorii pœna, cum descendit ad Inferos, quæ id singulari fide, & devotione ad mortem ejus futuram meruerant: non est existimandum, Indulgentiam Plenariam a Romano Pontifice Christi in terris Vicario Animabus Purgatorii concessam, & a Fidelibus in hac vita constitutis aliquibus speciatim applicatam, illis ad pœnæ totius relaxationem plenamque liberationem suffragari, nisi fide, & devotione ad Indulgentias singulari solicitudine ad satisfaciendum pro peccatis, misericordia, studioque suffragandi defunctis; aliisve piis operibus Deo hunc in finem acceptis, æternoque ejus consilio prædestinatis, (inter quæ pietatem, ac devotionem singularem erga Passionem Christi, erga SS. Sacramentum, erga Deiparam Virginem, numerari pie existimaverim,) ut sibi Plenariæ Indulgentiæ ad plenam liberationem suffragarentur, dum hic viverent, meruerunt.

Ex quibus patet, quid de Bullæ Sabbathinæ Privilegio, & de Altaribus Privilegiatis sentiendum, ac dicendum sit, & quanta sobrietate prædicandæ sint hujusmodi Indulgentiæ a Viris Religiosis, quibus *Clemens V.* in Conc. Viennensi prohibuit *In virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, ne in Sermonibus suis Indulgentias pronunciet indiscretas.*

REGULA XVII.

Tempore Jubilæi quilibet tam Sæcularis, quam Regularis Confessarium eligere potest, quem voluerit, ex approbatis ad hunc effectum. Unde Viri Religiosi, & Sanctimoniales Sacerdoti sæculari, aut alterius Ordinis Regulari peccata sua confiteri possunt, & ab iis absolvi, repugnantibus etiam Superioribus Regularibus.

De facultate eligendi Confessarium tempore Jubilæi.

FAcultas enim eligendi Confessarium Pontificiis Diplomatibus sub hac forma conceditur tempore Jubilæi: *Omnibus, & singulis Christi Fidelibus utriusque sexus, tam Laicis, quam Ecclesiasticis, sæcularibus, & Regularibus*

laribus cujusvis Ordinis, & Congregationis, & Instituti, tam in Urbe, quam extra eam, ubique locorum degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint, quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Sæcularem quam cujusvis Ordinis, & instituti Regularem ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab Excommunicationis, Suspensionis, & aliis Ecclesiasticis Sententiis, & Censuris, a Jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantum, absolvere, & liberare valeant.

Contrarium quidem *Clemens VIII.* declaravit olim Decreto, quod incipit, *Ad perpetuam rei memoriam:* sed supponebat facultatem tam amplam, & tam expressis verbis conceptam Pontificiis Litteris non concedi, sed solum eligendi quemcumque idoneum Confessarium, ut colligitur ex *Barbosa* Decretum illud commemorante Libro *De Officio, & Potestate Episcopi*, P. II. Allegatione XXV. §. 64. *Utrum autem* (inquit) *quando tempore Jubilæi cuilibet tam Sæculari, quam Regulari facultas eligendi quemcumque idoneum Confessorem conceditur, integrum sit ipsi Regulari extra Religionem confiteri? Non posse, ex Decreto Clementis VIII. quod incipit*, Ad perpetuam rei memoriam, *resolvunt Ugolinus*, &c. Suas, & Decessorum suorum Constitutiones interpretari potuit *Clemens VIII.* non Successorum Pontificum, qui facultatem concedunt quibuslibet Fidelibus, etiam cujusvis Ordinis, & Congregationis Regularibus, eligendi tempore Jubilæi *Quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Sæcularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis a locorum Ordinariis.* Cum itaque *Favores conveniat ampliari*, ut habet Regula Juris, *& Beneficia Principum, quam latissime deceat interpretari*: non est, cur gratiæ Regularibus tempore Jubilæi Pontificiis Litteris concessæ restringantur: nec a quovis Superiore Regulari prohiberi possunt Viri Religiosi, aut Moniales, ne illis fruantur.

REGULA XVIII.

Jubilæi tempore semel tantum hac gratia frui possunt Regulares, Confessariumque Sæcularem, aut alterius Ordinis Regularem eligere. Unde Viri Religiosi, aut Moniales exemptæ Confessionem invalidam, ac nullam ederent, si altera vice peccata deponerent apud sæcularem Sacerdotem, aut alterius Ordinis Regularem a Prælatis suis Regularibus non approbatum, sive absque eorum licentia.

Pontificiis enim Diplomatibus hæc eligendi Confessarium tam ampla facultas ipsis conceditur *Ad hunc effectum*, id est, ad Indulgentiam Jubilæi consequendam, *& hac vice tantum.* De Jubilæo.

REGULA XIX.

Cum Jubilæum pluribus hebdomadibus durat, Indulgentiam Jubilæi bis non consequitur, qui opera Pontificio Diplomate præscripta bis peragit; verbi gratia, qui prima, & altera hebdomade stata Jejunia observat, Ecclesias adit Stationibus destinatas, preces fundit, peccata confitetur, & Sacram Eucharistiam percipit.

HÆc Regula colligitur, tum ex Pontificiis Diplomatibus, quæ hanc Indulgentiam semel tantum obtineri significant, tum ex *S. Thoma* in IV. *Sentent.* Dist. XX. qu. I. art. III. qu. II. ad quartum. *Quandocumque* (in-

quit) *Indulgentia ad determinatum tempus datur ; ut cum dicitur* , Quicumque vadit ad Ecclesiam talem usque ad tale tempus , habeat tantum de Indulgentia ; *intelligitur semel tantum : sed si in aliqua Ecclesia sit Indulgentia perennis , sicut in Ecclesia Beati Petri quadraginta dierum , tunc quoties vadit aliquis , toties Indulgentiam consequitur .*

REGULA XX.

Probanda , & laudanda est Piorum solicitudo , qui opera Pontificio Jubilæi Diplomate præscripta bis faciunt .

HÆc enim repetitio ipsis prodest ad accuratiorem , & pleniorem satisfactionem , ampliusque meritum , & ad ejusdem Indulgentiæ fructum uberiorem consequendum , si forte prima vice non ita dispositi fuerint , ut totum a Deo obtinerent . Atque piæ illi devotorum Christi famulorum , ac famularum consuetudini , praxique favet *Bonifacius VIII.* Extravag. *Antiquorum* , Extra . *De Pœnitentiis , & Remissionibus* , dicens : *Unusquisque tamen plus merebitur , & Indulgentiam efficacius consequetur , qui Basilicas ipsas amplius , & devotius frequentabit .*

REGULA XXI.

Sacerdotes , & Clerici , Virique Religiosi , & Sanctimoniales , adeuntes Ecclesias suas , quarum Visitationi annexa est Indulgentia vel in perpetuum , vel statis temporibus , non minorem (si cætera sint paria) consequuntur Indulgentiam iis , qui e locis remotissimis ad easdem accedunt eum in finem oraturi .

HAnc Regulam tradit *S. Thomas* , in IV. *Sentent.* Dist. XX. quæst. I. art. III. Quæstiuncula II. ad quartum : *Ille* (inquit) *qui est vicinus Ecclesiæ , & etiam Sacerdos , & Clerici , consequuntur tantam Indulgentiam , sicut illi , qui venirent a mille dietis ; quia remissio non proportionatur labori , sed meritis , quæ dispensantur : sed ille , qui plus laboraret , plus de merito acquireret .*

REGULA XXII.

Jubilæum , aut Indulgentias aliis , seu vivis , seu defunctis applicare , aut fructum earum ad illos transferre Fideles non possunt , qui opera peragunt pro illis consequendis præscripta , nisi Pontificiis Litteris id exprimatur .

HÆc Regula colligitur ex *S. Thoma* , in IV. *Sententiarum* , dist. XX. qu. I. art. V. Quæstiuncula III. ad secundum : *Opus proprium* (inquit) *potest quis applicare per intentionem cuicumque voluerit ; & ideo potest pro quocumque vult satisfacere : sed Indulgentia non potest applicari ad aliquem , nisi ex intentione ejus , qui dat Indulgentiam : & ideo cum ipse applicet ad facientem , vel dantem (hic autem illud non potest) ille , qui hoc facit , ad alterum hanc intentionem transferre non potest . Si tamen fieret sic Indulgentia ,* Ille , qui facit , vel pro quo hoc fit , habeat tantam Indulgentiam , *valeret ei , pro quo fit : nec tunc iste , qui facit hoc opus , daret alteri Indulgentiam , sed ille , qui Indulgentiam sub tali forma facit .*

TRACTATUS
DE EXTREMA UNCTIONE.

DAvidem Regem tribus vicibus unctum esse legimus . Primum in domo patris sui : secundo in Hebron , ut regnaret super Domum Juda , post quam unctionem multa mala , & adversa passus est . Tertio iterum unctus est

est in Regem super omnem Israelem; post quam unctionem in pace regnavit. Prima significabat unctionem, quæ fit in Baptismo, quæ & ipsa signum est futuros nos Regni illius participes, quod expectamus, Regni sempiterni, Regni, cujus non erit finis, Regni, quod paravit nobis Deus a constitutione Mundi. Altera significabat unctionem, quæ fit in Sacramento Confirmationis, per quam nobis confertur Spiritus Sanctus ad resistendum diaboli tentationibus, qui nos per omne vitæ nostræ tempus graviter oppugnare numquam intermittit, cum nihil aliud sit vita hominis super terram, quam Militia. Tertia significabat Unctionem nostram Extremam, post quam, superatis hostibus, divino beneficio nobis datur, ut in Regno illo, ad quod in Baptismo inuncti sumus, & inaugurati, pace fruamur sempiterna. Quemadmodum autem Baptismi Sacramento Christus Jesus Redemptor noster aditum ad veram vitam nobis patefecit; & auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus nos conservaremus integros, dum vivimus, ab omni graviore spiritus incommodo: ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit, ut ad propellendos Dæmonis impetus firmiores efficeremur, utque expeditiorem ad cœlum viam haberemus.

Multis autem nominibus hoc Sacramentum ab Antiquis vocatum est; primo *Sacramentum Unctionis Infirmorum*: secundo, *Sacramentum exeuntium*: tertio, *Extrema Unctio*, quod hæc *Omnium sacrarum Unctionum*, quas Salvator noster Ecclesiæ suæ commendavit, *ultima* administranda sit: quarto, *Pœnitentiæ complementum*, & *consummatio*; nam hoc Sacramentum (ut ait Synodus Tridentina) *non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus*. Quinto, *Cœlestis Medicina*, quod animæ, corporisque morbos propulset; animæ quidem cum peccata remittit, quibus nulli possunt esse morbi graviores, eorumque reliquias abstergit; corporis autem cum hominem allevat, eique sanitatem interdum restituit, quando nimirum id ipsi profuturum est ad æternam salutem.

CAPUT I.
DE NATURA UNCTIONIS EXTREMÆ.
ARTICULUS I.
Utrum Extrema Unctio sit Novæ Legis Sacramentum?
PROPOSITIO UNICA.
Extremæ Unctioni propria Sacramenti ratio convenit.

ID perspicuum fiet, si verba, quibus *S. Jacobus* Apostolus hujus Sacramenti Legem promulgavit, attendamus. Sic autem habet Epistolæ suæ Catholicæ cap. v. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei*. Signum enim sensibile perpetuum, vim habens condonandi peccata, & & gratiam sanctificantem conferendi, verum, ac proprie dictum Sacramentum est: atqui ex his *S. Jacobi* verbis perspicuum, ac exploratum est, Extremam Unctionem esse signum sensibile, perpetuum, vim habens conferendi gratiam sanctificantem. Signum enim sensibile est, cum materia sensibili, scilicet oleo, unctioneque, & præscripta verborum forma constet: per-

Unctionis Extremæ Sacramentum a S. Jacobo Apostolo promulgatum.

petuum ; siquidem Unctionis Ritum, cujus *S. Jacobus* meminit, non duobus tantum primis sæculis, sed sequentibus ad nostra usque tempora in Ecclesia fuisse usurpatum, veteres Patres, Synodi, Auctores Ecclesiastici testantur : vim gratiam sanctificantem conferendi habere, probatur ex eo, quod juncta orationi remittit peccata : *Ungentes eum oleo in nomine Domini : & oratio fidei salvabit infirmum : & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Ecclesiæ perpetua doctrina de Unctionis Extremæ Sacramento.

Hanc vero Catholicæ Ecclesiæ de Extrema Unctione perpetuam fuisse doctrinam, veteres Patres, & Concilia, Auctoresque Ecclesiastici testantur, ex quibus nonnulla profero. Prodeat in primis *Origenes*, Homilia II. in *Leviticum* scribens : *Est adhuc & septima, licet dura, & laboriosa per Pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die, ac nocte, & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere Medicinam, secundum eum, qui ait :* „ Dixi pronunciabo adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti „ impietatem cordis mei. *In quo impletur & illud, quod Apostolus dicit :* Si quis *autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Loquitur tibi *Origenes* de universa Christiani hominis Pænitentia, quæ complectitur Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacramentum Extremæ Unctionis, quod consummatio, atque perfectio Pœnitentiæ Christianæ a Patribus appellatur ; ad eum modum, quo Sacramentum Confirmationis consummatio, atque perfectio Baptismi nuncupatum est.

Psal. 31. 5.

Jacob 5.

Prodeat secundo *S. Jo: Chrysostomus* Lib. III. *De Sacerdotio*, ubi de potestate Sacerdotum ad remittenda peccata sic loquitur : *Neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Infirmatur, inquit, inter vos aliquis ? Accersat Presbyteros. At Sacerdotes non habent potestatem remittendi peccata regeneratis, & quidem simili modo, quo remittunt in Baptismate, nisi per Sacramentum.

Jacob 5.

Prodeat tertio *Innocentius I.* respondens *Decentio* hunc in modum : *Sane quoniam de hoc sicuti de ceteris consulere voluit Dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cœlestinus Diaconus in Epistola sua, esse a tua Dilectione positum* „ *illud, quod in Beati Jacobi Epistola conscriptum est* (si infirmus aliquis in „ vobis est, vocet Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in „ nomine Domini, & si peccata fecit, remittent ei :) *Quod non est dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere : qui Sancto Oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua, aut suorum necessitate inungendo. Ceterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum, & benedicere, & tangere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum Chrisma conficere. Nam Pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Ex hoc *Innocentii I.* testimonio colligitur, illius ætate Unctionem Infirmorum in Ecclesia usurpatam fuisse, quæ a *S. Jacobo* fuerat promulgata; & hanc Sacramentum existimatam fuisse non minus quam cetera, quæ Pœnitentibus ante Reconciliationem negabantur. Illius porro materiam *Chrisma* vocat, prout vox ista significat unguentum, seu id, quo fit unctio, non prout mixtum ex oleo, & balsamo. Oleo ab Episcopo benedicto Christianos omnes uti posse ait, in sua aut suorum necessitate inungendo, hoc est, ad recuperandam sanitatem : sed unctionem a quibuslibet Christianis, etiam

Extrema Unctio pœnitentibus publicis olim negata.

laicis

laicis factam ipsum esse Unctionis Infirmorum Sacramentum non ait. Quemadmodum scilicet Fideles olim usi sunt aqua consecrata ad restitutionem sanitatis corporeæ, cum plurimos in pristinam sanitatem Baptismate restitutos vidissent: ita cum Unctionis Infirmorum Sacramento plures convalescere novissent, Oleum illud sanctum in suis, suorumque necessitatibus adhibuerunt, ut de *Macario* testatur *Palladius*, Historiæ Lausiacæ cap. xx. de *Eutychio* Constantinopolitano *Eustachius* Presbyter in ejus Vita, de *Martino*, & *Senoch* Abbatibus *Gregorius Turonensis* in Vitis Patrum, cap. xiv. & xv. de *Hospitio* Recluso; idem Lib. vi. *Historiæ*, cap. vi. & vii. de *S. Martino* Turonensi *Sulpitius Severus*, &c. Et hæc inunctio non condonabat peccata, quod Jacobæa, seu nostra facit, secundum hæc ejusdem Apostoli verba: *Si in peccatis sit, remittentur ei*. Sed illa, quam Presbyteri, aut Episcopi administrabant ægrotantibus, ut illis peccata dimitterentur, Jacobæa erat, & nostra: idque ita certum erat, ut in dubium merito vocari non posset. *Quod non est dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere*, (inquit *Innocentius I.*)

Prodeat quarto *S. Augustinus*, in *Speculo*, verba *S. Jacobi* referens, *Infirmatur quis in vobis*, &c. Dixerat autem in Præfatione Libri: „ De his igi-„ tur, quæ ita sunt posita in Litteris Sacris vel jubendo, vel vetando, vel „ sinendo, ut etiam nunc, id est, tempore Novi Testamenti, ad vitam „ piam exercendam, moresque pertineant, hoc Opus, quod in manus sum-„ psi, componere aggressus sum, ut quantum me Deus adjuvat, omnia ta-„ lia de Canonicis Libris colligam, atque ut facile inspici possint, in u-„ num tanquam Speculum congeram. Cum itaque *S. Jacobi* locum de Unctione Infirmorum eo in Libro referat, existimavit sua ætate, generatimque tempore Novi Testamenti præceptum esse infirmis, ut vocent Presbyteros, a quibus inungantur, ut per hanc Unctionem Orationi junctam eorum peccata deleantur. Hoc vero quid aliud est, quam agnoscere Unctionem illam, ut signum perpetuum, vim habens gratiam sanctificantem conferendi?

Prodeat quinto *S. Cyrillus Alexandrinus*, Lib. vi. *De Adoratione in Spiritu, & Veritate*, ubi contra incantationes agens, sic loquitur: *Tu vero, si qua tibi pars corporis dolet, & vere credis, hæc verba*, Dominus Sabaoth, „ & alias „ hujusmodi appellationes, quas Deo, qui secundum naturam est, Divina „ Scriptura tribuit, vim habere putas pellendi malum illud, pro te ipso pre-„ ces fundens hæc verba pronuncia: sic enim rectius, quam illi facies, ne-„ que impuris Spiritibus, sed Deo gloriam tribues. Commemorabo etiam di-„ vinitus inspiratam Scripturam, quæ ait: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, &c. Duo remediorum genera contra incantationes proponit *S. Cyrillus*, Orationem, qua Dominus Sabaoth invocetur, & Unctionem, quam S. Jacobus Apostolus commendat, adeoque hujusmodi Unctio usitata erat quinto sæculo: remissionem porro peccatorum conferebat, ut docet Apostolus a *S. Cyrillo* laudatus: illam itaque Sacramentum esse proprie dictum *S. Cyrillus* agnovit.

Prodeat sexto *Victor Antiochenus*, in hæc verba S. Marci, *Et ungebant oleo multos*, scribens: „ Quæ Apostolus Jacobus in sua Canonica narrat, ab „ hoc non dissentiunt: scribit enim: Infirmatur &c. Oleum inter alia & „ laborum molestias mitigat, & lumen fovet, & hilaritatem conciliat ..... „ Oleum igitur, quod in sacra Unctione adhibetur, & Dei Misericordiam, „ & morbi sanationem, & cordis illuminationem denotat. Dici tamen po-„ test Orationem hæc omnia efficere; oleum autem eorum omnium, quæ „ fiunt, externum tantum symbolum esse. Hos effectus orationi, non oleo,

 nisi

nisi ob adjunctam orationem tribuit *Victor Antiochenus*, secundum modum loquendi Patrum, qui Sacramentorum effectus verbis, non signo sensibili, nisi ratione verborum tribuere consueverunt. Unde *S. Augustinus* de Baptismo ait: *Quæ tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? &c.*

S. Gregorii Sacramentarium Catholicam Fidem de Unctionis Extremæ Sacramento confirmat. In eo enim Ritus benedictionis Olei ad Infirmum ungendum habetur in Officio Feriæ v. in Cœna Domini: & in Ordine ad visitandum Infirmum, fit mentio Unctionis quinque sensuum, sub hac verborum forma: *Inungo te Oleo sancto, sicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Patris omnipotentis: ut non lateat illic Spiritus immundus, &c.* Morituris, seu in mortis periculo constitutis adhibitam sacram illam Unctionem, hæc Orationis alterius verba probant: *Et quem languor curvat ad exitum, & virium defectus trahit ad occasum.* Oratur Deus, ut hac Unctione peccati reliquias abstergat, his verbis: *Ut castigationibus emundata, continuo se sentiat tua medicina salvatam .... Ut medelam tuam non solum in corpore, sed in anima sentiat .... Viscerumque, ac cordium interna medica, medullarumque & cogitationum .... Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & sanet omnes languores tuos.* Poscitur quoque cœleste præsidium adversus tentationes, his verbis: *Ut mittere digneris Sanctum Angelum tuum, qui famulum tuum in angustiis, & necessitatibus laborantem, consolationibus tuis attollat, quibus & de præsenti consequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat.*

Ejusdem Catholici dogmatis veritati suffragatur *S. Eligius* Noviomensis Episcopus, in Sermone, quem habere solebat ad Populum, qui refertur in ejus Vita a *B. Audoeno* Rotomagensi Episcopo conscripta, Lib. II. cap. XV. quæ Tomo v. Spicilegii Dacheriani edita est. *Præterea* (inquit) „ quoties „ aliqua infirmitas supervenerit, non quærantur præcantores, non divini, „ non sortilegi, non caragi; nec per fontes, aut arbores, vel bivios dia„ bolica phylacteria exerceantur; sed qui egrotat, in sola Dei Misericor„ dia confidat, & Eucharistiam Corporis, & Sanguinis Christi cum fide, „ ac devotione accipiat, Oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, „ unde corpus suum in nomine Christi ungat, & secundum Apostolum, „ Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & non so„ lum corporis, sed etiam animæ sanitatem recipiet.

Eamdem veritatem confirmant Venerabilis *Beda* in cap. VI. Evangelii S. Marci, & in cap. v. S. Jacobi; *Crodogangus* Metensis Episcopus in Regula Canonicorum edita Tom. I. *Spicilegii*, Capitularia *Caroli Magni*, Lib. I. cap. CLXII. Lib. VI. cap. LXXV. & LXXVI. Concilium Cabilonense anno 813. celebratum, Can. XLVIII. Aquisgranense II. anno 836. Canone v. Moguntinum anno 847. cap. XXVI. Regiaticense anno 850. cap. VIII. Vvormatiense anno 968. Canone LXXII. *Heraldus* Turonensis, & *Hincmarus* Rhemensis, Archiepiscopi, in Capitulis, *Jonas Aurelianensis* Lib. III. *De Institutione Laicali*, cap. XIV. ubi usum Unctionis Infirmorum ad *Traditionem Apostolicam* refert; *Paschasius Radbertus* Libro *De Corpore, & Sanguine Domini*, cap. VIII. & in Vita *Adelardi* Corbejensis Abbatis, *Ratherius* Veronensis Episcopus in Sermone Synodali, *Lanfrancus* Cantuariensis Archiepiscopus in Decretis pro Ordine S. Benedicti, cap. XXIII. *B. Petrus Damiani*, Sermone in Dedicatione Ecclesiæ; *Ivo Carnotensis* Epist. XX. Lib. II. ad *Goffridum Vindocinensem*, qua Unctionem Infirmorum *Publicæ Pœnitentiæ Sacramentum* vocat, & non esse repetendam censet, sicut nec Baptismum: *Goffridus Vindocinensis*, Epist. XIX. Lib. II. & Opusculo IX. eodem fere modo loquitur: *Inunctio* (inquit) „ infirmorum magnum Sacramentum est: & ideo nulla

Disputatum olim an Unctio Extrema iteranda esset.

„ est

" est ratione iterandum. Sicut enim cetera Sacramenta per Apostolos Christiana Religio suscepisse creditur: ita & istud suscepisse ab Apostolica Traditione minime dubitatur. Omne autem Sacramentum a Spiritu Sancto, per Doctores sanctos, in quibus ipse loquitur, iterari prohibetur: idcirco videlicet, ne Medicina sancta vilesceret, & minus utilis esset: quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis invenitur. Contra vero iterandæ Unctionis Infirmorum consuetudinem vindicat Petrus Cluniacensis Epist. 1. Lib. VI. Iterari (inquit) prout mihi videtur, necesse est Infirmorum Unctionem: quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit Unctio, remissionem. Istud indicant & ipsa verba hoc præcipientis Apostoli. Infirmatur, &c. Cum igitur certum sit, causam Unctionis hanc esse, ut Oratio fidei salvet infirmum, & allevet eum Dominus, ut si in peccatis sit, dimittantur ei; cur non iterabitur Unctio, præcedente Unctionis causa? Denique *S. Bernardus* in Vita *S. Malachiæ* Episcopi, cap. XXXI. de eo scribit: *Jubet se sacro Oleo ungi. Exeunte Conventu Fratrum, ut solemniter fieret, non sustinuit, ut ad se ascenderent: Ipse ascendit ad eos. Jacebat siquidem in solario in domo superiori. Ungitur, & sumpto Viatico, Fratrum se orationibus, & Fratres commendans Deo, ad lectum revertitur.* Et cap. XXIV. refert ipsum vehementer doluisse de morte cujusdam fœminæ, quæ absque Extrema Unctione obierat; sibique imputasse, *Quod fraudata gratia Sacramenti obiret.* Et postquam retulit, quomodo suscitaverit eam Sanctus Antistes, subdit: *Et unxit eam nihilominus, sciens in hoc Sacramento remitti peccata, & quod Oratio Fidei salvet infirmum.*

Secundum hæc, Sacra Synodus Tridentina Sess. XIV. cap. 1. *De Sacramento Extremæ Unctionis*, docet, Institutam esse Sacram hanc Unctionem Infirmorum, *Tanquam vere, & proprie Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem Fidelibus commendatum, ac promulgatum*: Infirmatur quis in vobis? &c. *Quibus verbis, ut ex Apostolica Traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, & docet materiam, formam, proprium Ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti*, &c. Tribus demum Canonibus doctrinam fidei declarat, explicat, & confirmat contra Lutheri, & Calvini hæreses. De Extrema Unctione quid credendum.

1. *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a Beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed Ritum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; Anathema sit.*

2. *Si quis dixerit, sacram Infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; Anathema sit.*

3. *Si quis dixerit, Extremæ Unctionis Ritum, & usum, quem observat Sancta Romana Ecclesia, repugnare Sententiæ Beati Jacobi Apostoli; ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; Anathema sit.*

Objiciunt Hæretici: Extrema Unctio, quæ a Catholicis usurpatur, non est eadem cum Jacobæa: hæc enim dari jubetur ad sanitatem absolute conferendam: *Alleviabit eum Dominus, & oratio fidei salvabit infirmum*: ad remissionem vero peccatorum conditionate: *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Contra vero nostræ Unctionis Extremæ finis primarius, & absolutus est remissio peccatorum: restitutio autem sanitatis est finis duntaxat secundarius, & conditionatus, si expediat saluti animæ, imo nullatenus sanitas corporis est effectus nostræ Unctionis. Nam Sacramenta effectum suum conferunt ex opere (ut ajunt) operato: quo modo Unctio nostra non confert sanitatem: alioqui non morerentur quicumque Extrema Unctione fuissent delibuti. Denique Unctio Jacobæa omnibus Infirmis adhibetur; nostra solis decernitur adhibenda moribundis: illa per Presbyteros, nostra per unum Sacerdotem. Hæreticorum Objectionibus contra Unctionis Extremæ Sacramentum respondetur.

Respondetur, Sanitatem corpoream eodem modo esse effectum Unctionis nostræ, ac Jacobææ. Effectus (inquam) Unctionis Extremæ absolutus, quamvis particula conditionali ab aliquibus exprimatur, est sanitas ordinata ad salutem suscipientis, quam omnes rite dispositi recipiunt, & quando eam non recipiunt, ideo eis non confertur, quia saluti animæ illorum non expedit. Quamquam vero primo loco recenseatur restauratio sanitatis corporeæ, *Jacobi V.* non ideo primarius est effectus, Unctionis Infirmorum. Ideo enim primo loco recensetur, vel quia magis notus est, vel quia respondet magis verbis istis antecedentibus, *Infirmatur quis in vobis*; vel ob aliquam aliam causam. Sic Matthæi XIX. de eo, qui reliqueri patrem, aut matrem dicitur: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Quæ verba, *Centuplum accipiet*, exprimunt mercedem in hac vita reddendam, quæ certe minus præcipua est, quamvis primo loco nominetur, & ante vitam æternam, quæ merces præcipua est. Remissio itaque peccatorum est primarius effectus Unctionis Jacobææ, & nostræ, quæ una, & eadem est cum Jacobæa: effectus item absolutus est, non conditionatus, quamvis conditionali particula exprimatur a S. Jacobo: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*. Particula enim, *Si*, non semper significat in Scripturis conditionem rei dubiæ, sed aliquando significat concessionem rei certæ. Sic Malachiæ I. *Si Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Id est, cum ego sim Pater, cur mihi honorem non impenditis; & cum ego sim Dominus, cur me non timetis? Sic II. ad Thessalon. I. *Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant*: id est, si quidem justum est, &c. Ita Sanctus ipse Jacobus cap. I. *Si quis vestrum indiget sapientia*: id est, cum unusquisque vestrum indigeat sapientia. Sic cap. V. hæc verba, *Si in peccatis sit, remittentur ei*, concessionem rei certam significant, eorumque sensus est: Per Unctionem in Nomine Domini a Sacerdotibus factam dimittentur infirmo peccata, in quibus est. Hunc autem esse verborum S. Jacobi sensum, Patres, & Ecclesia docent, a quibus genuinus Scripturæ sensus peti debet.

Nec solis moribundis Unctio nostra, sicut nec Jacobæa adhibetur, sed aliis etiam infirmitate gravi decumbentibus. Nam Concilium Tridentinum, quod suam de Sacramento Extremæ Unctionis haurire se doctrinam profitetur ex verbis Apostoli Jacobi, ait illis declarari, *Esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur*.

Cum autem ait S. Jacobus, *Inducat Presbyteros*, plures Sacerdotes ad Unctionem Extremam administrandam necessario vocandos esse non significat. Usitatum enim est genus locutionis in Scripturis, ut pluralis numerus ponatur pro singulari; ut observat *S. Augustinus* Lib. III. *De Consensu Evangelistarum*, cap. XVI. ubi exponit illud Matth. XXVII. *Idipsum & Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*: quod S. Lucas ab uno tantum factum esse scribit cap. XXIII. *Nisi* (inquit) *intelligamus*, „ Matthæum, & Marcum breviter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse. Sicut & in Epistola ad Hebræos legimus „ pluraliter dictum; Clauserunt ora leonum, cum solus Daniel significari „ intelligatur: & pluraliter dictum, Secti sunt: cum de solo Isaia tradatur. In Psalmis etiam, quod dictum est: Astiterunt Reges terræ, & „ Principes convenerunt in unum: pluralem numerum pro singulari positum in Actibus Apostolorum exponitur. Nam Reges propter Herodem, „ Principes propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium ejusdem Psalmi adhibuerunt. Sed quia & Pagani solent calumniari Evangelio, vi-

„ deant

„ deant, quemadmodum locuti sint Auctores eorum, Phedras, Medeas,
„ & Clytemnestras, cum singulæ fuerint. Qvid autem usitatius, verbi gratia, quam ut dicat aliquis: Et rustici mihi insultant, etiamsi unus insultet? Tunc enim esset contrarium, quod Lucas de uno manifestavit, si illi dixissent, Ambos Latrones conviciatos Domino. Ita enim non possit sub numero plurali unus intelligi. Cum vero dictum est, Latrones, vel, Qui cum eo crucifixi erant: nec additum est, Ambo: non solum si ambo fecissent, posset hoc dici, sed etiam, quia unus hoc fecit, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum singularis significari.

Objiciunt Hæretici: Ritus ille, cujus nulla mentio occurit apud omnes quatuor priorum Sæculorum Patres, etiam cum accurate sacros Ecclesiæ Ritus, & Sacramenta exponunt, probari non potest ex Traditione, quod sit Novæ Legis Sacramentum: sed quatuor priorum sæculorum Patres numquam, & nullibi meminerunt Extremæ Unctionis, etiam cum Ecclesiæ Ritus, & Sacramenta exponunt. Illius non meminit *Dionysius* Libro De Ecclesiastica Hierarchia, in quo ne minimas quidem Ecclesiæ cæremonias intactas reliquit, ut nec Auctor Constitutionum Apostolicarum, quam tamen omnino commemoraturi videntur, si tum fuisset in usu Christianorum.

Secundo, *S. Augustinus* Heracleonitarum hæresim referens Lib. *De Hæresibus*, cap. XVI. ait, istos Hæreticos *novo modo Morientes suos, quasi redimere, id est, per oleum, balsamum, & aquam, & Invocationes, quas Hebraicis verbis dicunt super capita eorum*. Atqui si hodiernus Unctionis Extremę Ritus tum in Ecclesia viguisset, *S. Augustinus* debuisset superstitiosam illam Heracleonitarum Unctionem ab Ecclesiastica distinguere.

Tertio, si prioribus sæculis aliquo in usu fuisset Extrema Unctio, ejus meminissent Scriptores Ecclesiastici priorum Sæculorum, cum Piorum mortes describunt, & quæcumque gessere in mortis articulo ad pietatem pertinentia: atqui non meminerunt Unctionis Extremæ cum Piorum mortes referunt. Hujus non meminit *Eusebius*, cum *Constantini* Imperatoris suprema describit Lib. III. *De Vita Constantini*; nec *S. Athanasius* in vita *S. Antonii*; nec *S. Gregorius Nazianzenus* in Vita Sororis *Gorgoniæ*, aut in Orationibus editis in laudem Patris sui *Gregorii*, & *Basilii*; non *S. Gregorius Nyssenus*, cum *Gregorii Neocæsariensis*, *Ephremi*, & *Macrinæ* Sororis obitum describit; non *S. Ambrosius*, in Orationibus, quibus *Satyri* fratris, & *Theodosii* Augusti funera prosecutus est; non *Severus Sulpitius*, cum *B. Martini* mortem describit; non *Simeon Metaphrastes*, cum *Chrysostomi*; non *Paulinus*, cum *Ambrosii*; non *Hieronymus*, cum *Nepotiani*, *Paulæ*, & *Marcellæ* mortes celebravit; non *S. Augustinus*, cum *Monicæ* Matris; non *Possidius*, ipsius *Augustini* obitum narrans; non *Ferrandus* in *S. Fulgentii* Vita ejus obitum describens. Denique in Vitis Patrum, seu veterum Anachoretarum, nullum deprehendes vestigium Unctionis Extremæ.

Quarto, Sæculi quinti, & sequentium ad nonum usque accuratissimi Scriptores, qui in describendis piorum, & sanctorum hominum mortibus, sumptæ ab iis Eucharistiæ sæpissime meminerunt, Extremam Unctionem ab iis susceptam numquam memorarunt, ut patet ex infinitis propemodum locis apud *Surium*. Atqui si tum in usu fuisset, ac pro Sacramento habita, ejus æque ac Eucharistiæ meminissent.

Quinto, Concilia, & Pontifices qui Eucharistiam vel negarunt, vel concesserunt Pœnitentibus in exitu constitutis, pro varia Ecclesiasticæ Disciplinæ ratione, numquam de concedenda, vel neganda Unctione Extrema Canones ullos, aut Decreta ediderunt, ut constat ex Histo-

ria

ria *Serapionis* apud *Eusebium* Lib. VI. cap. XXXIV. ex Concilio Illiberitano, Canone XXXVI. ex Concilio Nicæno, ex *Innocentio I.* in Epistola ad *Exuperium*, &c. Unctio igitur Extrema tunc non erat in usu, neque Sacra ullatenus habebatur.

Ad primum respondetur, *Origenem*, qui tertio Sæculo vixit, & *S. Joan. Chrisostomum*, qui quarto floruit, Unctionis Extremæ meminisse, ut supra ostendimus. *Dionysius*, & Auctor constitutionum Apostolicarum nullos Infirmorum procurandorum sacros Ritus commemorant, non Viatici Eucharistiæ, non precum, non benedictionum ullatenus meminerunt. Ut ergo nemo recte collegerit ex eorum silentio Viaticum Eucharistiæ morituris concessum non fuisse primis Ecclesiæ Sæculis: ita nec ignotam fuisse Unctionem Extremam, eorum silentium probat. Præterea, ut *S. Thomas* respondet in IV. *Sententiarum*, dist. 22. qu. I. art. I. Quæstiuncula I. ad secundum, *Dionysius non facit aliquam mentionem de Extrema Unctione, sicut nec de Pœnitentia, nec de Matrimonio: quia ipse non intendit determinare de Sacramentis, nisi quatenus per ea innotescere potest Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinata dispositio quantum ad Ministros, & actiones Ministrorum, & recipientes.*

Ad secundum respondetur, *S. August.* Lib. *De Hæresibus*, totum esse in referendis Hæreticorum erroribus, non in refellendis, neque in Ritibus eorum a Ritibus Ecclesiæ Catholicæ discriminandis versari. Non mirum igitur, quod Heracleonitarum superstitionem erga morientes commemorans Unctionis nostræ non meminerit, cujus meminit alias, scilicet in *Speculo*.

Ad tertium respondetur primo, inanem esse objectionem petitam a silentio Auctorum, qui Piorum Vitas prioribus Sæculis scripsere, cum ex Auctoribus istorum sæculorum, *Origene* scilicet, *S. Jo: Chrysostomo*, *Innocentio I. S. Augustino*, *S. Cyrillo Alexandrino*, *Victore Antiocheno*, *S. Gregorio*, *&c.* constet Infirmorum Unctionem Extremam illis Sæculis in Ecclesia usurpatam, & pro Sacramento habitam fuisse. Unde Auctores, qui Piorum Vitas scripserunt, aut illorum obitum narraverunt, prætermisere morem illum tamquam notissimum, & quotidianum.

Secundo, qui paulo post baptisma susceptum ex hac vita migravere, Sacramentum Extremæ Unctionis non susceperunt custodita per illud breve tempus baptismali sua innocentia. Non mirum ergo, quod *Constantinus Magnus*, qui baptismum paulo ante obitum suscepit, ut refert *Eusebius* Libro IV. De ejus Vita, Unctionem Extremam non susceperit.

Tertio, Unctionem Extremam adhiberi non potuisse iis, qui morte subitanea intercepti sunt, & absque ægritudine prævia obierunt, ut *S. Joan. Chrysostomus*, *S. Paulus Eremita*, *Simeon Stylites*, *Barlaam*, *Josaphat*, *Paphnutius*, & alii, de quibus in Vitis Patrum: unde non mirum est, quod Unctionis Extremæ ab iis susceptæ non meminerint, qui Vitas illorum scripsere; cum nec eam suscipere potuerint, nec debuerint.

Quarto, Auctores plerosque in Objectione laudatos, scilicet *Gregorium Nazianzenum* in Vitis Sororis Gorgoniæ, Gregorii Patris, & Basilii; *Gregorium Nissenum* in Vitis, aut Laudationibus Gregorii Neocæsariensis, Ephremi, & Macrinæ Sororis; *S. Ambrosium* Orationibus de obitu Satyri fratris, & Theodosii Augusti; *Severum Sulpitium* in vita S. Martini; *S. Hieronymum*, cum Nepotiani, & Marcellæ mortes celebravit; *S. Augustinum*, cum mortem Monicæ matris descripsit; *Possidium*, cum S. Augustini; *Fernandum* Diaconum, cum S. Fulgentii obitum commemorarunt, nullam Viatici ab ipsis suscepti mentionem fecisse, quod tamen administrabatur morituris ex veteri Ecclesiæ Regula, de qua Nicæna Synodus Can. XIII. *De*

his,

bis, qui ad exitum veniunt etiam nunc lex antiqua, regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo, & necessario Viatico minime privetur. Quamobrem ex Auctorum illorum silentio non recte colligitur, pios homines, quorum mortes describunt, Viatico Corporis Domini in exitu munitos non fuisse. Nec ergo recte colligitur eos Extrema Unctione procuratos non fuisse, quod ejus non meminerint Scriptores laudati.

Quinto, quia Unctio Infirmorum instituta est a Christo tamquam consummatio, atque perfectio Pęnitentiæ Christianæ, forte non administrabatur primis sæculis viris justis, & sanctis, præcipue Præsulibus, in statu perfectionis constitutis, sed illis solummodo, qui in statu quodam Pœnitentiæ constituti erant, aut esse propter peccata debebant. Quod nono sæculo adhuc perseverasse, colligi videtur ex *Paschasio Rad berto* in Vita *S. Adelhardi* Corbejensis Abbatis scribente: *Interim vero audiens beatus vir Hildemanus Episcopus Sanctus ægrotare Patrem, advenit illico. Interea cum cœpisset idem sanctus Episcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, sicut a Beato Apostolo sancitum est, deberet perungi: iterrogavimus eum utrumve vellet? quem proculdubio scieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cœlum, cominus obsecrabat, ut fieret.* Cum itaque Gregorius Nazianz. Pater, Basilius, Gregorius Neocæsariensis, Martinus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius Sancti Pontifices essent, continuo Sacris incumbentes, ob hanc forte rationem illis administratum non est Unctionis Extremæ Sacramentum, qood est complementum Pęnitentiæ.

Extrema Unctio Pœnitentiæ conplementum.

Sexto, Auctores illi, qui pios homines, quorum Vitas scribebant, in Pęnitentia mortuos esse, testati sunt; sub nomine generico Pœnitentiæ Unctionem Infirmorum comprehendisse videri possunt, utpote Christianæ Pœnitentiæ consummationem: Sic *Possidius* de *S. Augustino* scribit: *Post perceptum Baptismum, etiam laudatos Christianos, & Sacerdotes absque digna, & competenti Pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit ultima, qua defunctus est, ægritudine.* Sic *Ferrandus* Diaconus de *S. Fulgentio* scribit, Ipsum *Postrema sua Pœnitentiæ consecravisse.*

Ad quartum respondetur, His ipsis Sæculis Extremam Infirmorum Unctionem in Ecclesia usitatam probari testimoniis Innocentii I. Augustini, S. Cyrilli Alexandrini, & Victoris Antiocheni, quinto Sæculo: S. Gregorii Magni, necnon Vitæ *S. Augendi*, seu *Eugendi* Abbatis Iurensis ab ejus Discipulo scriptæ, sexto Sæculo: S. Eligii Noviomensis, necnon Vitæ S. Hunegundis ab Auctore Anonymo coævo scriptæ septimo Sæculo: Vitæ Caroli Magni ab Eparchio; S. Mauræ a Prudentio Trecensi Episcopo; Adelardi Corbejensis Abbatis a Paschasio Radberto; S. Remberti Bremensis Episcopi ab Auctore coætaneo scriptæ nono Sæculo. Quamobrem ex aliorum silentio colligi non potest, illos, quorum Vitas scripsere, sacra Unctione non fuisse in extremis delibutos.

Addiderim, quod cum Viaticum Eucharistiæ susciperetur olim post Unctionem Infirmorum, hanc suscepisse intelligendi sunt, qui Viaticum suscepere, quamvis id non exprimatur: quemadmodum Sacramento Pęnitentiæ intelligitur expiatus, qui Viaticum Eucharistiæ modo suscepit, etiamsi Auctor Vitæ id non exprimat.

Ad quintum respondetur, Cum Extrema Unctio sit Pœnitentiæ consummatio, ut ex Origene, S. Jo: Chrysostomo, & Concilio Tridentino discimus, Conciliorum, & Pontificum Decreta, quæ Sacramentalem Absolutionem Pęnitentibus in exitu concesserunt, Unctionem Extremam pariter concessisse: si quæ Absolutionem negarunt temporibus illis, quibus *Observatio durior* erat (ut loquitur *Innocentius I.*) & Unctionem negasse. Certe concessa Eucharistia, concessa fuerunt, quæ illius perceptionem antecedunt, vel subsequuntur.

Obji-

Objiciunt, Unctionem Extremam non esse a Christo institutam; nihil enim de illa in Evangelio haberi.

Extrema Unctio a Christo instituta.

Respondetur, Secundum opinionem Magistri Sententiarum, S. Bonaventuræ, & Hugonis a S. Victore, a Christo saltem mediate institutam Unctionem Infirmorum Extremam. Apostolos enim ipsam instituisse ajunt instinctu Spiritus Sancti, & potestate sibi a Christo concessa. Ceteri vero Theologi a Christo immediate institutam propugnant, ut & cetera Sacramenta, cui sententię favet magis Tridentina Synodus. Nec obstat, quod expressa illius mentio in Evangelio non fiat. *Multa enim Dominus fecit, & dixit, quæ in Evangeliis non continentur: illa enim præcipue curaverunt Evangelistæ tradere, quæ ad salutis necessitatem, & ad ordinem Ecclesiasticæ dispositionis pertinent: & ideo potius institutione Baptismi, & Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & Ordinis a Christo factam naraverunt, quam Extremæ Unctionis, vel Confirmationis, quæ neque sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem, sive distinctionem Ecclesiæ pertinent. Tamen etiam de Olei Unctione fit mentio in Evangelio, Marci 9. ubi dicitur quod Apostoli oleo ungebant infirmos* (inquit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, distinctione XXIII. quęstio. I. articulo I. Quæstiunc. III. ad primum. Quamobrem sacra Synodus Tridentina hoc Sacramentum a Christo apud S. Marcum insinuatum, a Sancto Jacobo promulgatum docet.

ARTICULUS II.

De Materia Extremæ Unctionis.

PROPOSITIO I.

Oleum ab Episcopo benedictum est materia remota Extremæ Unctionis.

Materia Unctionis Extremæ.

OLeum esse hujus Sacramenti materiam, docet S. Jacobus Epistolæ suæ cap. V. *Ungentes* (inquit) *eum oleo*. Idem confirmant Patres, & Concilium Tridentinum. Quia vero oleum proprie dictum illud solum est, quod ex olivarum baccis expressum est, & nomen olei imponitur per similitudinem ceteris liquoribus, ideo hoc oleum debet esse olivarum. *Aptissime autem* (inquit Concilii Catechismus) *hæc materia significat illud, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit: ita Sacramenti virtus animæ tristitiam, ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet: tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accomodatum est. Quæ omnia quid in ægroto divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant.* Idem confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XXIII. qu. I. art. III. Quæstiunc. I. *Spiritualis* (inquit) *curatio, quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta; quia post eam alia non relinquitur; & lenis, ut spes, quæ exeuntibus maxime necessaria est, non frangatur, sed foveatur: Oleum autem lenitivum est, & penetrativum usque ad intima, & etiam diffusivum: & ideo est conveniens materia hujus Sacramenti.*

Quod oleum benedictum esse debeat, constat etiam ex Patribus, & Conciliis, præsertim ex S. Eligio, Venerabili Beda, Jona Aurelianensi, Concilio Aquisgranensi, Heraldo Turonensi, & Hincmaro Rhemensi in Capitulis; S. Bernardo in Vita S. Malachiæ, ex Eugenio IV. in Decreto pro Instructione Armenorum, & ex Concilio Tridentino. Rationem, cur in hoc Sacramento, & quibusdam aliis materiæ sanctificatio requiratur, triplicem affert *S. Thomas* loco laudato, Quæstiuncula II. Prima est, quia omnis efficacia

Sacra-

„ Sacramentorum a Christo descendit, & ideo Sacramenta, quibus ipse est „ usus, habent efficaciam ex suo usu, sicut tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis: sed hoc Sacramento non est usus, nec aliqua corporali Unctione; & ideo in omnibus Unctionibus requiritur sanctificatio materiæ. Secunda causa est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur non solum, ut culpam tollat, sed etiam reliquias, & infirmitatem „ corporis. Tertia est, quod effectus ejus corporalis, scilicet sanitas corporis, non causatur ex materiæ naturali proprietate; & ideo oportet, quod „ hæc efficacia per sanctificationem ei detur.

Hæc tamen benedictio ex necessitate duntaxat Præcepti Ecclesiastici, non ex necessitate Sacramenti requiri videtur. Non enim ad substantiam Sacramenti benedictionem illam pertinere, Patres, & Concilia docent; ita ut invalida censeri debeat Extrema Unctio, quæ ex oleo non benedicto fieret: neque his Scripturæ verbis, *In nomine Domini*, significatur Olei benedictio, sed solum Unctionem fieri debere auctoritate Christi.

Olei benedictio non est necessaria necessitate Sacramenti, sed præcepti Ecclesiastici.

Oleum benedictum ab Episcopo esse debet in Ecclesia Occidentali, ut docent *Innocentius I.* Epistola ad Decentium, *S. Gregorius* in Sacramentario, Venerabilis *Beda* in Epistolam S. Jacobi, Capitularia *Caroli Magni* Lib. VI. cap. LXXVI. Concilium Cabilonense II. Canone XLVIII. Vormatiense Canone LXXII. Decretum *Eugenii IV.* & Concilium Tridentinum. Congruam rationem affert *S. Thomas* loco laudato, Quæstiunc. III. *Minister* (inquit) *Sacramenti non propria virtute effectum Sacramenti inducit, ut principale agens: sed per efficaciam Sacramenti, quod dispensat: quæ quidem efficacia primo est a Christo, & ab ipso in alios descendit ordinate, scilicet in Populum mediantibus Ministris, qui Sacramenta dispensant, & in Ministros inferiores mediantibus Superioribus, qui materiam sanctificant: & ideo in omnibus Sacramentis, quæ indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiæ fit per Episcopum, & usus quandoque per Sacerdotem, ut ostendatur Sacerdotalis Potestas ab Episcopali derivata, secundum illud* Psalmi CXXXII. *Sicut unguentum in capite, quod prius descendit in barbam*; deinde *usque ad oram vestimenti*.

Infirmorum Oleum ab Episcopo benedictum esse debet secundum Ecclesiæ Latinæ disciplinam.

Dixi, ab Episcopo benedictum esse debere in Ecclesia Occidentali, quia alia est Ecclesiæ Orientalis disciplina, in qua Presbyteri Oleum benedicunt in ipsa Sacramenti Extremæ Unctionis administratione, ut constat ex Euchologiis in *Officio Olei Sancti*. Quam disciplinam approbavit *Clemens VIII.* in Instructione directa ad Episcopos Latinos: *Non sunt* (inquit) *cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta præter Chrisma ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere: cum ejusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri Ritu conficiantur, & benedicantur.*

Alia Ecclesiæ Græcæ disciplina.

P R O P O S I T I O II.

Materia proxima hujus Sacramenti est Unctio.

ID docet S. Jacobus: *Ungentes*, inquit, *oleo*. Idem confirmant Patres, & Concilia. Ratio suffragatur: Materia enim proxima Sacramentorum, quæ sunt in usu posita, est usus ipse, seu applicatio materiæ remotæ ad subjectum idoneum: cum igitur materia remota Extremæ Unctionis, quod Sacramentum est in usu positum, sit oleum, nec aliter applicetur illud, nisi unctione, unctio materia proxima est.

Extremæ Unctionis materia.

Apud Græcos unctio adhibetur in fronte, genis, mento, & manibus, teste *Simeone Thessalonicensi* Lib. *De Sacramentis*. Græcos nunc inungere præterea pectus, & pedes, *Arcudius* testatur. In Occidente unctio fit in quinque sensuum sedibus (secundum *S. Gregorium* in Sacramentario.) Additur

un-

unctio pedum, & etiam renum, secundum quædam Ritualia, & *Eugenium IV.* in Decreto de Unione Armenorum. Congruam rationem affert *S. Thomas*, in III. *Sententiarum*, dist. XXIII. qu. II. art. III. Quæstiunc. II. Quod scilicet triplex sit in nobis potentia, quæ est peccandi principium, scilicet potentia cognoscendi, vis appetendi, & vis exequendi. Facultatum, quibus cognoscimus, prima origo est in quinque sensibus, vis concupiscendi in renibus; vis exequendi in pedibus, quibus videlicet ad bonum, vel malum progredimur. Et quia prima origo peccati est in sensibus; *Ideo illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti: sed quidam non servant alias; quidam vero illam servant, quæ ad pedes, & non quæ ad renes, quia appetitiva, & motiva sunt secundaria principia.* Necessariam autem non esse unctionem renum, neque necessitate Sacramenti, neque universim necessitate præcepti, certum est, cum nec fœminis propter pudorem adhiberi debeat, nec soleat, nec in omnibus Ecclesiis usurpetur. Unusquisque autem Ritum Ecclesiæ suæ servare debet.

ARTICULUS III.

De Forma Extremæ Unctionis.

PROPOSITIO UNICA.

Forma Sacramenti Extremæ Unctionis est verbum, & solemnis illa precatio, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait: Per istam Sanctam Unctionem Indulgeat tibi Deus, &c.

Forma Extremæ Unctionis.

ID probat Concilii Tridentini Catechismus ex his S. Jacobi verbis: *Et orent super eum, & oratio fidei salvabit infirmum.* Ex quo perspicuum est formam precationis modo proferendam esse: tametsi quibus potissimum verbis concipienda sit, Apostolus non expresserit. *Verum* (inquit) *hoc ad nos fideli Patrum Traditione permanavit, ita ut omnes Ecclesiæ eam formæ rationem retineant; qua omnium Mater, & Magistra Sancta Ecclesia Romana utitur. Nam etsi aliqui nonnulla verba immutant, tamen quoniam nulla fit sententiæ immutatio, constat eamdem ab omnibus formam religiose servari.* Apud Græcos forma pure deprecatoria est, in hac scilicet Oratione posita, *Pater Sancte*, &c. ut patet ex Euchologio, utque testatur *Neophytus Rhodinus* in sua Synopsi vernacula, jussu, & impensis Congregationis *De Propaganda Fide* Romæ edita, & approbata. Olim forma ex absoluta, & deprecatoria mixta erat: sed absoluta, seu indicativa oratio potius erat dispositio ad formam, quam ipsa forma, ut docet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XXIII. qu. I. art. IV. Quæstiunc. II. ad tertium. *Verba illa indicativi modi* (inquit) *quæ secundum morem quorumdam præmittuntur Orationi, non sunt forma hujus Sacramenti, sed sunt quædam dispositio ad formam, in quantum intentio Ministri determinatur ad actum per illa verba.* Sic in Sacramentario *S. Gregorii* absoluta, seu indicativa Oratio deprecatoria conjungitur hunc in modum: *Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam. Operare creatura olei, in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic Spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Dei altissimi, & Spiritus Sancti, Per eumdem, &c.* In Codice Arrenarensi, in Codice S. Mariæ Rhemensis, in Codice Ratoldi, in Tiliano, seu Sagiensi, nec non in Codice Siculo, indicativa oratio deprecatoriæ formæ pariter adjungitur. Ambrosiana Unctionis Extremæ formula his verbis concepta est: *Ungo hos oculos oleo sanctificato. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:*

& sic

& sic ad omnes sensus: sed verba hæc deprecatoria sequuntur: *Ut more Militis uncti præparatus ad certamen, possis aereas Potestates superare*. Similiter in forma Veneta verbis illis indicativæ formulæ adjungitur: *Ut quidquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur, per Christum Dominum nostrum*. Quamvis ergo formulæ istæ indicativo modo incipiant, quia tamen precationis modo finiuntur, eædem quoad sensum cum nostra esse censentur.

Nec vero quisquam miretur, cur factum sit, ut aliorum Sacramentorum forma, vel absolute significet, quod efficit, ut cum dicimus: *Ego te baptizo*; aut, *Signo te Signo Crucis*: vel tanquam ab impetrantibus pronunciatur, ut cum in Sacramento Ordinis administrando dicitur, *Accipite potestatem*: hæc una vero Extremæ Unctionis forma precatione quadam absolvatur: id enim optimo jure constitutum est: nam cum hoc Sacramentum propterea adhibeatur, ut præter spiritualem gratiam, quam tribuit, sanitatem etiam restituat ægrotis: tamen, quia non semper sequitur, ut ægri a morbis convalescant, ob eam causam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti vis constanti, & perpetuo ordine efficere non solet. Ita Concilii Tridentini Catechismus. Forma Extremæ Unctionis.

Cur forma precationis in modum concepta esse debeat, rationem multiplicem affert *S. Thomas* in IV. *Sentent.* dist. XXIII. qu. II. art. IV. Quæstiunc. III. Prima est, quia *Suscipiens hoc Sacramentum est viribus propriis destitutus; unde indiget orationibus sublevari*. Secunda est, *Quia datur exeuntibus, qui jam desinunt de foro Ecclesiæ esse, & in solius Dei manu requiescunt; unde & ei per orationem committuntur*. Tertia est, *Quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione Ministri consequatur, omnibus, quæ sunt de essentia Sacramenti rite peractis, sicut character in Baptismo, & Confirmatione, & Transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in Pœnitentia existente Contritione, quæ est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, non autem de essentia hujus Sacramenti: & ideo in hoc Sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis Sacramentis*.

Convenientissima autem illa est, quam Sacra Synodus Tridentina Sessione XIV. cap. I. præscribit, & Romana Ecclesia usurpat: *Per illam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus*: quia exprimitur in illa Sacramentum, cum dicitur: *Per istam Unctionem*: & id quod operatur in Sacramento, scilicet divina Misericordia, cum dicitur, *& suam piissimam Misericordiam*: & effectus, scilicet remissio peccatorum, cum dicitur, *Indulgeat tibi Deus*. Non autem necesse est, ut in forma hujus Sacramenti corporis sanitas exprimatur. Satis enim est, quod in forma exprimatur effectus principalis, & qui semper inducitur ex Sacramento, nisi sit defectus ex parte recipientis: talis autem non est corporis sanitas, quamvis quandoque sequatur. Ita *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XXIII. qu. I. art. IV. Quæstiunc. III.

CAPUT II.

DE UNCTIONIS EXTREMÆ EFFECTIBUS

QUintuplicem Extremæ Unctionis effectum esse docet Concilii Tridentini Catechismus.

Primus est remissio peccatorum, his S. Jacobi verbis expressa: *Et si in peccatis sit, remittetur ei*: & verbis formæ significata, cum dicitur: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti*, &c. Id confirmant *Origenes*, & *S. Jo: Chrysostomus* art. I. laudati, aliique Patres, qui Unctionem Infirmorum

Unctionis Extremæ quintuplex effectus.
I. Remissio peccatorum

morum *Complementum Pœnitentiæ* vocant: *S. Eligius*, qui hoc Sacramentum *Animæ sanitatem* conferre asserit: Concilium Cabilonense secundum, quod illam appellat *Medicinam, quæ animæ, corporisque medetur languoribus*: Concilium Regiaticense, quod *Sacramentum* esse ait, per quod *Remittuntur peccata, confertur spiritualis cura*. Gofridus Vindocinensis, qui Unctionem Extremam vocat *Medicinam sanctam*, Opusculo IX. Yvo Carnotensis, qui *Publicæ Pęnitentiæ Sacramentum* nuncupat: Petrus Cluniacensis, qui institutam esse scribit *Propter peccatorum remissionem*: & sacra Synodus Tridentina Sess. XIV. cap. II. Can. II. De Extrema Unctione, docens, ac definiens hoc Sacramentum *Remittere peccata*. Remittit autem inprimis leviora, quæ communi nomine venialia appellantur. Lethales enim culpæ Sacramento Pœnitentiæ tolluntur. Neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed Baptismus tantum, & Pęnitentia vi sua hoc efficiunt, (inquit Concilii Catechismus.) Ex ipsa enim significatione Sacramenti præcipuus ejus effectus accipi debet, quia Sacramentum efficit, quod significat: adhibetur porro Extrema Unctio secundum modum cujusdam medicinæ, medicina autem datur ad pellendam infirmitatem: unde hoc Sacramentum primario institutum est ad sanandam infirmitatem peccati; ut sicut Baptismus est quædam spiritalis regeneratio, & Pœnitentia quædam spiritualis suscitatio; ita & Extrema Unctio sit quædam spiritualis sanatio. Sicut autem corporalis sanatio vitam corporis supponit in eo, cui præbetur medicina: ita spiritualis sanatio vitam animæ supponit; quare hoc Sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicet peccatum originale, & mortale, sed contra venialia, quibus spiritualiter fit infirmus. Ita differit *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXIII. qu. I. art. II. Consequenter tamen remittit etiam mortalia Sacramentum istud, si quæ forte commissa sunt a tempore susceptæ Absolutionis in infirmitate, præsertim si ea se commisisse infirmus ignoret, vel confiteri non valeat. Hinc *S. Thomas* IV. *contra Gentes*, cap. LXXIII. scribit: *Contingit, quod homo omnium peccatorum, quæ commisit, notitiam, vel memoriam non habet, ut possit per Pœnitentiam singula expurgare: sicut etiam quotidiana peccata, sine quibus præsens vita non agitur, a quibus oportet hominem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari*. Suffragatur *S. Carolus* in Instructionibus de Extrema Unctione: *Prima* (inquit) *utilitas, & effectus hujus Sacramenti est, quod peccati reliquias tollit tanquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ. Quæ reliquiæ peccata esse intelliguntur, sive mortalia, sive venialia, quæ post alia Sacramenta remanent: potest enim fieri, ut ignorante eo, qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat: in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur; ut fieri possit eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnandus.*

2. Absterfio reliquiarum peccati.

Alter Extremæ Unctionis effectus est absterfio reliquiarum peccati; quo nomine intelligitur etiam reatus pœnæ temporalis; pravæ dispositiones ad peccandum, quæ per frequentes actus peccatorum contrahuntur; animique languor, & infirmitas ex peccato relictæ. Sicut enim curata corporis infirmitate remanet in homine debilitas quædam, qua fit, ut perfectum vigorem non habeat ad exercenda vitæ opera; sic deleto peccato remaneat adhuc in homine debilitas quædam ad operationes vitæ spiritualis exercendas. Hujus autem Sacramenti vis propria est, ut eas reliquias peccati abstergat, quia totius spiritualis curationis consummatio est. *Hujusmodi quidem spirituales infirmitates per Pęnitentiam sunt curandæ, prout Pœnitens per opera virtutis, quibus satisfaciendo utitur, a malis retrahitur, & ad bonum inclinatur. Sed quia homo, vel per negligentiam, aut per occupationes varias vitæ,*

Quænam illæ?

aut

aut etiam propter temporis brevitatem, aut propter alia hujusmodi prædictos defectus in se perfecte non curat; salubriter ei providetur, ut per hoc Sacramentum prædicta curatio compleatur, & a reatu pœnæ temporalis liberetur: ut sic nihil in eo remaneat, quod in exitu animæ a corpore eam possit a perceptione gloriæ impedire. Verba sunt *S. Thomæ*, Libro IV. *Contra Gentes*, cap. LXXIII. non tamen remittitur semper omni ex parte reatus pœnæ temporalis, ita quod post mortem homo nulli pœnæ obnoxius remaneat; sed tunc tantum, cum adest interior dispositio ad remissionem talis reatus simul cum hoc Sacramento sufficiens. Denique ut ait *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XXIII. quæst. I. art. II. Quæstiuncula I. ad secundum. *Reatum pœnæ temporalis dimittit ex consequenti, in quantum debilitatem tollit, quia eamdem pœnam levius portat fortis, quam debilis*.

„ Tempus autem curationis languoris, & infirmitatis, quam anima ex „ peccatis contraxit, maxime opportunum est, cum gravi morbo affli„ ctamur, ac vitæ periculum impendet. Etenim homini a natura insitum „ est, ut nihil in rebus humanis æque ac mortem pertimescat: auget au„ tem magnopere hunc timorem præteritorum scelerum memoria: cum „ præsertim gravissima conscientiæ nostræ accusatio nos urgeat. Ut enim „ scriptum est Sap. XLI. *Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum*. Deinde illa cura, & co„ gitatio vehementer angit, quod paulo post stare oporteat ante tribunal „ Dei, a quo de nobis justissima pro eo, ac meriti fuerimus. Sententia ferenda sit. Sæpe autem evenit, ut Fideles hoc terrore perculsi, se mi„ ris modis exagitari sentiant. Ita Concilii Tridentini Catechismus P. II. „ *De Unctionis Extremæ Sacramento*, §. XXVIII.

Tertius, & quartus Extremæ Unctionis effectus est allevatio animæ, ejusque confirmatio, ut morbi incommoda levius ferat, & Adversariis salutis suæ fortius resistat. Efficit enim hoc Sacramentum, ut tristitiam abjiciamus, & læto animo Domini adventum expectemus, paratique simus depositum nostrum, quandocumque illud a nobis repetere voluerit, libenter reddere. Præterea, cum nullo tempore magis nitatur humanæ salutis Hostis, ut nos omnino perdat, spemque divinæ Misericordiæ nobis eripiat, quam cum supremum vitæ diem appropinquare animadverterit, Fidelibus arma, & vires hoc Sacramento subministrantur, quibus Adversarii vim, & impetum frangere, & illi fortiter repugnare possint. *Allevatur enim, & erigitur animus divinæ bonitatis spe, eaque confirmatus, morbi omnia incommoda fert levius, c ipsius Dæmonis calcaneo insidiantis artes, & calliditatem facilius eludit*; (inquit Concilii Tridentini Catechismus.) Hinc Extrema Unctio dicitur *Sacramentum Spei*, quemadmodum Baptismus, & Confirmatio dicuntur *Sacramenta Fidei*, Eucharistia *Sacramentum Amoris*.

3. & 4. Allevatio, & confirmatio animæ.

Quartus Extremæ Unctionis effectus est corporis sanitas, si quidem ad animæ salutem profutura sit, ut colligitur ex S. Jacobi verbis, *Et oratio fidei salvabit infirmum*, quod Patres, Concilia, & Ritualia confirmant, novissimeque Sacra Synodus Tridentina, quæ de hujus effectu Sacramenti sic loquitur: *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur*: „ Et Oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus, &, si „ in peccatis sit, dimittentur ei. *Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis*

5. Corporis sanitas si sit ad animæ salutem profutura.

facilius resistit; & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit; consequitur.

„ Quod si ægroti hoc tempore eam minus consequuntur, id quidem non „ Sacramenti vitio, sed ob eam causam evenire credendum est, quod eo„ rum magna pars, vel qui sacro Oleo inunguntur, vel a quibus admini„ stratur, infirmiorem fidem habet. Testatur enim *S. Matthæus*, cap. XIII. „ Dominum apud suos, multas virtutes non fecisse propter incredulitatem „ illorum. Quamquam etiam dici potest, Christianam Religionem, ex „ quo altius tanquam radices egit in animis hominum, minus jam hujus„ modi Miraculorum adminiculis indigere; quam olim nascentis Ecclesiæ „ initio necessaria viderentur. Ita Concilii Tridentini Catechismus.

Addendum cum *S. Thoma* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXIII. quæst. I. art. II. Quæstiuncula II. *Quod Extrema Unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, quæ operatur rationaliter: & quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem: & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.*

Extrema Unctio characterem non imprimit.

Inter Sacramenti istius effectus Character non numeratur, quia tria duntaxat Sacramenta imprimunt characterem; scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Et *Character non imprimitur, nisi in illis S. Sacramentis, quibus homo ad aliquod Sacrum deputatur: hoc autem Sacramentum est solum in remedium, & non deputatur per ipsum homo ad aliquod sacrum agendum, vel suscipiendum: & ideo non imprimitur in eo Character*: (inquit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, distinct. XXIII. quæst. I. art. II. Quæstiuncula III.)

Quamquam vero *Goffridus Vindocinensis*, & *Yvo Carnotensis* Extremam Unctionem non esse iterandam censerent, non tamen existimabant eam characterem imprimere; sed his rationibus nitebantur. 1. Quod Sacramentum sit. 2. Quod sit species publicæ Pœnitentiæ, quæ semel dumtaxat olim concedebatur. 3. Quod ceteræ unctiones non iterentur. Hæ rationes nullius sunt momenti: nam Sacramenti ratio non prohibet, quin iteretur, ut patet de Eucharistia, Pœnitentia, & Matrimonio, Pœnitentiam publicam iterari sola Ecclesiæ sanctio, non Christi institutio prohibuit. Aliæ unctiones non iterantur, quia sunt consecratoriæ: hæc autem medicinalis est. Quam rationem affert *S. Thomas* IV. *Contra Gentes*, cap. LXXIII. *Hujus Sacramenti unctio* (inquit) *non est ad consecrandum, sicut unctio Confirmationis, ablutio Baptismi, & quædam aliæ unctiones, quæ ideo nunquam interantur, quia consecratio semper manet, dum res consecrata durat, propter efficaciam divinæ virtutis consecrantis. Ordinatur autem hujus Sacramenti inunctio ad sanandum. Medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur.* Quamobrem *Petri Cluniacensis*, & *Petri Lombardi* vicit opinio, asserentium hoc Sacramentum posse iterari, non modo in diversis infirmitatibus, sed in eadem secundum diversos morbi status, puta, si cum periculose ægrotaret homo, inunctus convaluit, & postea in eumdem infirmitatis statum relapsus est. Quam opinionem suscepit Ecclesia.

CAPUT III.

DE MINISTRO UNCTIONIS EXTREMÆ.

PROPOSITIO UNICA.

Minister Unctionis Extremæ est Presbyter, vel Episcopus.

Dogma fidei est a S. Jacobo traditum: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Quo nomine Seniores e Laicis non intelligi, series contextus docet. Non enim simpliciter Presbyteri dicuntur, sed Presbyteri Ecclesiæ. Deinde, jubentur orare super infirmum ipsumque ungere in Nomine Domini: denique per eorum Ministerium remissio peccatorum obtinenda promittitur. Atque ita hunc locum exposuerunt Patres. *S. Jo: Chrysostomus.* Lib. III. De Sacerdotio, *Innocentius I.* in Epistola ad Decentium, *S. Eligius* in Sermone ad Populum, Venerabilis *Beda* in cap. V. *S. Jacobi*; Concilia, Vvormatiense cap. LXXII. Aquisgranense II, cap. V. & Tridentinum Sessione XIV. cap. III. *De Sacramento Extremæ Unctionis*, & Canone IV. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos; sed ætate Seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem; Anathema sit.* Extremæ Unctionis Minister.

Septem Sacerdotes ex consuetudine Orientalis Ecclesiæ hoc Sacramentum administrant, ut constat ex Euchologio, & Simeone Thessalonicensi. Plures etiam in Ecclesia Occidentali hoc olim obibant Ministerium, ut docent *S. Gregorii* Sacramentarium, & antiqui sacrorum Rituum Codices, necnon *S. Thomas* IV. *Contra Gentes*, cap. LXXIII. *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ: competit huic Sacramento, quod multi Sacerdotes intersint, & quod oratio totius Ecclesiæ effectum hujus Sacramenti coadjuvet.* Plures Sacerdotes ad Unctionis Ministerium ubi fieri potest intervenire decet.

Sufficit tamen unicus Sacerdos ad inungendum ægrotum, ut docet ibidem S. Thomas: *Si tamen* (inquit) *unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus Minister existit, & cujus personam gerit.* Sed & olim ab unico Sacerdote fuisse interdum administratam infirmis Unctionem Extremam probant Vita *S. Eugendi*, Vita *S. Popponis* ab Everhelmo conscripta, Vita *S. Vvolphemi* a Conrado Monacho, Vita *Hereberti* Coloniensis Episcopi a Ruperto edita, Concilium Aquisgranense II. cap. V. Hincmarus Rhemensis in Capitulis, cap. X. &c. Quamobrem merito *Alexander III.* cap. *Quæsivit*, Extra. *De Verborum significatione*, declarat, quod *Sacerdos uno præsente Clerico, & etiam solus, potest infirmum ungere.* Unicus sufficit.

Olim quidem Viros Sanctos oleum ad Infirmos transmisisse, ut se ipsos ungerent, & sanitatem hujusmodi inunctione illos recepisse legimus: Similiter *B. Genovefam* oleo infirmos inungere solitam: *Sed illæ unctiones non erant sacramentales, sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & ex meritis ungentium, vel oleum mittentium, consequebatur effectus sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non per gratiam sacramentalem*; ut respondet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XXIII. qu. II. art. I. Quæstiunc. II. ad secundum.

CAPUT IV.
DE SUBJECTO UNCTIONIS EXTREMÆ.

IN Ecclesia Græca Extrema Unctio non tantum ægrotantibus, verum etiam peccatoribus sanis, & bene valentibus confertur ad remissionem peccatorum, ut constat ex Euchologio, ex Simeone Thessalonicensi, Lib. *De* VII. *Sacramentis*, ex Jobo Monacho in Contemplatione VII. Ecclesiæ Mysteriorum, ex Jeremia Constantinopolitano Patriarcha in sua Censura adversus Augustanam Confessionem Lib. I. cap. VII. Ejusdem moris testes sunt *Arcudius*, *Jacobus Goar*, *Leo Allatius*, & alii, qui de Ritibus Græcorum scripserunt. Hunc Græcorum morem nunquam redarguerunt Latini. In Concilio Florentino de multis ab ipsis quæsierunt post Synodicam Definitionem; nullam de Unctione Extrema Quæstionem moverunt. *Innocentius IV.* Epistola ad Episcopum Tusculanum prohibet, *Ne Sacerdotes Græcorum, aut Confessores pro satisfactione Pœnitentiæ Unctionem aliquam solummodo injungant*: illos vero non redarguit, quod peccatores sanos inungerent.

Nihilominus retinenda est, & servanda Latinæ Ecclesiæ doctrina, & perpetua Disciplina solis infirmis hoc Sacramentum administrari permittens. Magis enim consona est verbis S. Jacobi, *Infirmatur quis in vobis*, &c. necnon modo loquendi Patrum, Conciliorum, Ritualium veterum, & *Innocentii III.* cap. Unico *De Sacra Unctione*, appellantium materiam istius Sacramenti *Oleum Infirmorum*. Quocirca *Eugenius IV.* in Decreto declarat, *Hoc Sacramentum nonnisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debere*. Et Concilium Tridentinum Sessione XIV. cap. III. *De Extrema Unctione* declarat, *Esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum Exeuntium nuncupatur*.

CAPUT V.
REGULÆ EXTREMÆ UNCTIONIS ADMINISTRATIONEM SPECTANTES
REGULA I.

Oleum balsamo, aut alteri liquori admixtum, non esset sufficiens Unctionis Extremæ materia, si per eam admixtionem olei natura mutaretur.

REGULA II.

Etiamsi non mutaretur Olei natura hujusmodi admixtione, tamen illicita est; graviterque peccaret, qui Chrisma, aut peregrinum liquorem, in modica licet quantitate, Oleo Infirmorum admisceret; aut eo sic mixto infirmum ungeret.

MAteriæ enim, formæque Sacramentorum, vel leviter, & quoad accidentia mutari ex industria non possunt, quin adversus institutionem Christi, adversus Ecclesiæ sanctissimam Disciplinam, & reverentiam Sacramentis ipsis debitam graviter peccetur.

RE-

REGULA III.

Cum Oleum benedictum ab Episcopo ex frequenti usu, & administratione Unctionis Extremæ deficit, oleum non consecratum admisceri consecrato potest, eoque infirmos inungi.

HÆc Regula colligitur ex cap. *Quod in dubiis*, Extra. *De consecratione Ecclesiæ*, cujus hæc sunt verba: *Nec negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Idque confirmat *Sanctus Thomas* Opuscul. LXV.

REGULA IV.

Summus Pontifex concedere potest, ut Oleum Infirmorum a simplici Presbytero benedicatur.

CUm enim in Ecclesia Orientali benedicatur a Presbyteris in ipsa Sacramenti Administratione, nulla ratio est, cur potestas Romano Pontifici negetur hanc benedictionem secundi Ordinis Sacerdotibus committendi.

REGULA V.

Si per errorem Sacerdos aliud Oleum, quam quod Infirmorum est, ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamsi Chrismatis, aut Catechumenorum sit; ut erratum emendet, Olei sacri, quod proprium Infirmorum est, Unctionem eidem adhibeat, tumque Sacramenti formam repetat.

HAnc Regulam iisdem verbis tradit *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus *De Extrema Unctione*. Et Concilium Mediolanense v. Tit. *De iis, quæ pertinent ad Sacramentum Extremæ Unctionis.*

REGULA VI.

Quamvis tot Unctiones fieri debeant, quot in Ritualibus præscribuntur, maximeque in organis quinque sensuum; nullaque prætermitti possit absque gravi peccato, cum adhiberi possunt omnes: Unica tamen sufficit ad substantiam Sacramenti.

UNica enim Unctione satisfit præcepto S. Jacobi, seu potius præcepto Domini per S. Jacobum promulgato, *Ungentes eum oleo:* sicut unica ablutione satisfit præcepto Christi, *Baptizantes eos.* 2. Græci non inungunt organa quinque sensuum, seu partes viciniores illorum, quorum tamen Unctionem Extremam Romana Ecclesia approbat. 3. Multa Ritualia id approbant, quibus permittitur inungi unica unctione, & peste laborantes, ut Ministri periculum vitent, & eos etiam quibus mors proxima non sinit fieri singulas. Ita Pastorale Mechliniense anno 1589. editum, & a Doctoribus Lovaniensibus approbatum: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum, ac detectum, dicendo: Per istam sanctam Unctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* Eamdem praxim approbant, eamdemque Regulam tradunt Cameracensis, Atrebatensis, aliarumque Ecclesiarum Manualia.

REGULA VII.

In Mutilatis debent inungi partes viciniores organis sensuum.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*. Dist. XXIII. qu. II. art. III. Quæstiunc. III. *Mutilati* (inquit) *inungi debent quanto propinquius esse potest ad partes illas, in quibus Unctio fieri debuerat; quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, saltem in radice, & interius peccare possunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius*. Et *S. Carolus* in Instructionibus De Extrema Unctione: *Si quis* (inquit) *membro aliquo careat, quod inungi præscriptum est, ungat partem ei propiorem*.

In cæcis, aut surdis a nativitate non fiat Unctio oculorum, aut aurium, nec verba iis sensibus respondentia proferantur: in mutis a nativitate fiat Unctio ad labia, & dicatur tantum, *Quicquid peccasti per gustum*.

REGULA VIII.

Reliquis infirmis manus ab interiori parte inungi debent: Sacerdotibus vero ab exteriori parte, cum prius in sacra Ordinatione unctæ fuerint.

HAnc Regulam tradunt Ritualia, & *S. Carolus* in Instructionibus *De Extrema Unctione*.

REGULA IX.

Ungendis oculis, aliisque membris, quæ in homine paria sunt, cavere debet Sacerdos, ut cum utrumque membrum unius tantum sensus sit, utriusque unctionem absolvat unica solum verborum formula, licet duas cruces faciat. Unget autem primo dexterum, deinde sinistrum, cruce unicuique impressa Oleo sacro.

ITa Ritualia, & *S. Carolus* præscribunt. Addit ille, Crucem dum unctio adhibetur oleo sacro imprimi, ut sciamus, hæc dona nobis concedi meritis Crucis, & Passionis Domini; utque eo signo in pugna, quæ cum Adversario sustinenda est, utamur, sensusque nostros muniamus, itemque ut ad Christi Judicis tribunal signum Crucis deferamus, quo ostendamus nos constanter sub crucis vexillo usque ad mortem pugnasse.

REGULA X.

Extremæ Unctionis Sacramentum cuilibet Sacerdoti administrare non licet, sed solum proprio Pastori, id est Episcopo, aut Parocho, vel cui illi commiserint.

HAnc Regulam tradit Concilii Tridentini Catechismus P. II. De Sacramento Extremæ Unctionis, §. XXVII. *Neque tamen* (inquit) *ex sanctæ Ecclesiæ Decreto cuivis Sacerdoti, sed proprio Pastori, qui Jurisdictionem habeat, sive alteri, cui ille hujus muneris fungendi potestatem fecerit, hoc Sacramentum administrare licet*. Item Concilium Mediolanense V. *Ne alius Sacerdos nisi Parochus hoc Sacramentum ministret*. Quamobrem Regulares Sacerdotes Extremam Unctionem alicui sæculari infirmo administrantes absque licentia Parochi, vel Episcopi illius, lethaliter peccarent, & in Excommunicationem incurrerent, ut constat ex Clementina I. *De Privilegiis*, & Clementina *Dudum*, Tit. *De Sepulturis*. Deficiente tamen Paro-

cho,

cho, & quovis ab eo, vel ab Episcopo potestatem habente, quilibet Sacerdos, etiam Regularis, hoc Sacramentum licite administrare potest. Cum enim quilibet Sacerdos potestatem habeat absolvendi a quibusvis peccatis, & Censuris in articulo mortis constitutos; par est etiam, quemlibet habere potestatem in hoc articulo administrandi Sacramentum illud, quod est Complementum Pœnitentiæ, ne forte moribundi hoc beneficio destituti priventur æterna salute, quod contingere posset, si vel aliqua peccata mortalia remittenda haberent, vel non confirmarentur Oleo sacro adversus tentationes extremas.

REGULA XI.

Omnem diligentiam Parochus adhibeat, ut cum periculum mortis ægroto impendet, supremusque vitæ dies instare videtur, illud opportuno tempore ministret; proposito sibi exemplo Sanctissimi Episcopi Malachiæ, qui cum culpæ suæ, licet immerito, adscriberet, quod mulier quædam sine hoc Sacramento decessisset, totam noctem lacrymis se afflixit, ita ut Dei misericordia mane illa quasi e somno excitata, e loco se erigens, hoc Sacramentum acceperit, & etiam a morbo convaluerit.

Verba sunt *S. Caroli* in Instructionibus *De Extrema Unctione*. Idem statuit Concilium Mediolanense v. *Caveat Parochus, ne in eo ministrando negligentiam, ullamve moræ culpam contrahat. Alioqui si ad illius Ministrationem accersitus, ire neglexerit; cum rationem Deo reddet, tum pœna ab Episcopo graviter plectatur.*

Ut autem opportuno tempore ministret, cum sæpe alias, utpote cum ægrotantem primo visitat, tum quo etiam tempore Sacram Eucharistiam pro Viatico ei ministrat, hoc illum monebit, *Ut dum sana mente est, sibi ministrari petat: simulque item demonstrabit, quam salutariter expediat, ultro, sponteque pie hoc Sacramentum deposci.*

REGULA XII.

Si aliquando acciderit, ipsum Parochum, vel ab eo delegatum Presbyterum, dum ungit infirmum, præ virium imbecillitate, aliove casu deficere: alius Sacerdos, si præsens aderit, aut aliunde statim evocatus, reliquas partes, quas ille non unxerit, ungere rite perget: unctas autem denuo non unget.

Hanc Regulam tradit *S. Carolus* in Instructionibus *De Sacramento Extremæ Unctionis.*

REGULA XIII.

Necesse non est expectare tempus, quo infirmus est in exitu constitutus, ut ei administretur Unctionis Extremæ Sacramentum, sed sufficit, quod periculosa ægritudine laboret.

Nec enim S. Jacobus, nec Patres, qui verba illius de infirmorum Unctione explicarunt, censuere infirmum esse oportere morti proximum, ut sacra Unctione procuretur, præsertim *S. Cyrillus Alexandrinus*, *S. Eligius*, Venerabilis *Beda*; imo indicant ungi solitos fuisse infirmos, ut sanitati corporeæ restituerentur. Et revera hic secundarius est Unctionis Extremæ effectus: potest itaque conferri nondum desperata valetudine. Nam frustra conferretur ad hunc effectum consequendum homini in exitu constituto. Hunc enim effectum Sacramentum non operatur per modum miraculi, sed

virtute ordinaria ſupernaturali, quæ cauſas naturales adjuvat. Præterea, conſtat ex Lib. VI. Capitularium *Caroli Magni*, cap. LXXV. tunc temporis expectatum non fuiſſe mortis articulum, ut infirmus ungeretur, ſed ſatis fuiſſe ſi foret ille *depreſſus infirmitate*, *nondum vitæ fine perſpecto*. Idem conſtat ex Canone V. Concilii Aquiſgranenſis II. quo præcipitur Sacerdoti, ut ungat eum, quem *Depreſſum infirmitate agnoverit*, etiamſi *nondum urgentem vitæ illius finem perſpexerit*. Concilium Moguntinum Canone XXVI. poſtulat tantum, ut infirmi, quibus adminiſtratur, ſint *In mortis periculo* poſiti.

Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* diſt. XXII. qu. II. art. II. Quæſtiunc. II. *Hoc Sacramentum* (inquit) *eſt ultimum remedium, quod Eccleſia poteſt conferre, quaſi immediate diſponens ad gloriam: & ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc quod ægritudo nata eſt mortem inducere, & de periculo timetur*. Et Concilii Tridentini Catechiſmus: *Iis etiam, qui adeo periculoſe ægrotare videntur, ut ne ſupremus vitæ dies inſtet, metuendum ſit, hoc Sacramentum præberi debet*.

Veriſimile eſt, ob vulgi deliramenta Unctionem infirmorum in mortis articulum reſervari cœpiſſe, ac ſenſim hunc uſum fuiſſe propagatum. Invaſerat enim vulgi mentes ſtulta illa opinio XIII. ſæculo, præſertim in Britannia majori, quod conjugatis poſt ſuſceptam Unctionem infirmorum non liceret ad opus conjugale reverti, vel carnes comedere, vel nudis pedibus ambulare. Hos errores, ac ſuperſtitiones populares acriter convellunt Synodus Vvigornienſis anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo, cap. 19. Synodus Exonienſis anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſeptimo, Synodus Vvintonienſis anno milleſimo treceenteſimo ſeptimo, & Richardus Epiſcopus Sariſberienſis in Conſtitutionibus editis anno milleſimo ducenteſimo decimo ſeptimo, cap. LXVIII.

REGULA XIV.

Sacramentum Extremæ Unctionis adminiſtrari decet, dum æger integris ſenſibus eſt.

ITa Concilii Tridentini Catechiſmus §. XVIII. de Extrema Unctione: *In quo tamen graviſſime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum jam omnis ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio vigent, fidemque, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, ſacro Oleo liniatur. Quare Parochis animadvertendum eſt, ut eo potiſſimum tempore cæleſtem Medicinam adhibeant, illam quidem ſemper vi ſua admodum ſalutarem, cum eorum etiam pietate; & religione, qui curandi ſunt, magis profuturam intelligitur*.

Idem ſtatuit Concilium Burdigalenſe anno 1582. *Non eo uſque* (inquit) *differendum eſt, dum æger omnibus pene ſenſibus deſtitutus ſit*. Concilium Remenſe anno 1583. *Parochus caveat, ne vel mors Unctionem præveniat, vel morbo invaleſcente ſemimortuus non ſentiat*. Concilium Bituricenſe anno 1584. *Adminiſtretur* (inquit) *tempeſtive a Sacerdote Extrema Unctio, ita ut Chriſtianus mente adhuc integra Sacramenti efficaciam agnoſcere poſſit*.

Idem ſtatuit Concilium Mediolanenſe I. *Extremæ* (inquit) *Unctionis Sacramentum curet Parochus, ut ægroto, dum integris eſt ſenſibus, adhibeatur*.

Idem repetit *S. Carolus* in Inſtructionibus de Extremæ Unctionis Sacramento: *Miniſtrabit autem, dum æger integris ſenſibus eſt. Quod ſi aliqua morbi vi infirmus oppreſſus, dubitatur, vivuſne ſit, an mortuus, tunc diligenter de hoc Sacerdos videbit; conſulto etiam Medico, ſi in tanta temporis brevitate poteſt.*

test. Si non potest, & in dubio est, ea conditione utetur: Si es vivus. Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, &c.

Si æger in eo statu est, ut spiritum ante exhalaturus videatur, quam Sacramenti hujus ministrationem Parochus absolvere possit, tunc Psalmis, & Litaniis prætermissis, stata formula verborum singulas corporis partes, quas ungi Ritus postulat, inunget. Sique superstes erit, tunc statas reliquas Preces, Litaniasque adhibebit. Si vero dum ungitur, spiritum emiserit, ungere Parochus desistet.

REGULA XV.

Extrema Unctio pueris conferri non debet.

IPsis enim non congruit forma hujus Sacramenti, *Indulgeat tibi Dominus*; cum non peccaverint. Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XXIII. q. II. art. II. Quæstiunc. IV. *Hoc Sacramentum*, inquit, *exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut & Eucharistia. Unde sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc Sacramentum*. Et ad primum: *Non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatæ: unde principaliter contra actualia peccata datur (ut ex ipsa forma patet) quæ non sunt in pueris*. Et ad secundum: *Infirmitates in pueris non sunt ex peccato actuali causatæ, sicut in adultis: & contra illas præcipue infirmitates hoc Sacramentum datur, quæ sunt ex peccato causatæ, quasi peccati reliquiæ.*

REGULA XVI.

Furiosis, & amentibus, qui non habent lucida intervalla, Extremæ Unctionis Sacramentum non est administrandum.

ITa *S. Thomas* Quæstiunc. III. *Ad effectum* (inquit) *hujus Sacramenti suscipiendum plurimum valet devotio suscipientis, & personale meritum conferentium, & generale totius Ecclesiæ: quod patet ex hoc, quod per modum deprecationis forma hujus Sacramenti confertur: & ideo illis, qui non possunt recognoscere, & cum devotione suscipere, hoc Sacramentum dari non debet; & præcipue furiosis, & amentibus, qui possunt irreverentiam Sacramento per aliquam immunditiam facere; nisi haberent lucida intervalla, in quibus Sacramentum recognoscerent; & sic eis conferri in statu isto posset.*

Infirmis, tamen, *qui sana mente dum erant, illud petierunt, aut verisimile est, quod petiissent; etiamsi postea in amentiam inciderint, vel ratione, sermoneve uti desierint, ministrabitur item. Si vero dum infirmus amentia, phrenesive laborat, verisimile sit, indecenter, aut spurce, impureve aliquid agat, quo irreverentia Sacramento huic fiat; non ungetur, nisi alicujus complexu ita teneatur, ut firmus, stabilisque hæreat*. Ita *S. Carolus* in Instructionibus.

Synodus Parisiensis anni 1557. *Si qui vero* (inquit) *ex morbi gravitate in amentiam inciderint, consideranda est eorum vita præcedens: qui si laudabiliter vitam duxerint ante actam, & Christiane, ab hujus Sacramenti perceptione arceri non debent.*

REGULA XVII.

Mulieribus in partu laborantibus, nisi sint in mortis periculo ex ægritudine constitutæ: ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus, capite damnatis, Extrema Unctio conferri non debet.

QUamvis enim isti morte proxime afficiendi sint, illi in frequenti vitæ discrimine versentur, periculose tamen non ægrotant. Hanc Regulam confirmant Concilium Mediolanense IV. & *S. Carolus* in Instructionibus *De Extrema Unctione*, Synodus Senonensis 1524. Synodus Aquensis 1585.

REGULA XVIII.

Extrema Unctio administrari potest senio confectis, in diem morituris, nulla licet alia ægritudine laborantibus.

EXtrema enim senectus periculosus per se morbus est. Quamobrem Concilium Mediolanense IV. & *S. Carolus* in Instructionibus, hanc Regulam tradunt. Synodus etiam Aquensis anno 1585. hoc Sacramentum administrari jubet senio confectis, etiam leviter laborantibus.

REGULA XIX.

Extrema Unctio in eadem infirmitate repeti potest, si convalescat, & postea in idem periculum relabatur infirmus.

ITa docent, ac jubent Concilii Tridentini Catechismus, & *S. Carolus* in Instructionibus. Ita etiam *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XXIII. qu. II. art. IV. Quæstiuncula II. *Hoc Sacramentum* (inquit) *non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum; quia non debet dari, nisi infirmis, qui secundum humanam æstimationem videntur morti appropinquare. Quædam ergo infirmitates non sunt diuturnæ: unde si in eis datur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad illum statum perveniat, ut sit in periculo mortis, non recedit a statu illo nisi infirmitate curata; & ita iterum non debet inungi: sed si recidium patiatur, erit alia infirmitas; & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero sunt ægritudines diuturnæ, ut hectica, & hydropisis, & hujusmodi: & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: & si homo illum articulum evadat eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur, iterum potest inungi; quia jam est quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.* Ita etiam statuit Synodus Lingonensis anno 1404. Senonensis 1524. Carnotensis 1526.

REGULA XX.

Quamvis Sacramentum Extremæ Unctionis non sit ad salutem simpliciter necessarium, lethalis tamen peccati rei sunt, qui a Pastore moniti recusant, vel differunt illud suscipere, propter contemptum Sacramenti.

COntingere enim potest, ut post Absolutionem, & Eucharistiam perceptam peccatum aliquod lethale infirmus commiserit, quod memoriæ non occurrat, ut illud confiteatur: quod Extrema Unctione tanquam medio ordinario in hac circumstantia delebitur, & remittetur. Nemo etiam est, qui graviter tentari sub finem vitæ suæ non possit, contra quas tentationes Unctio Extrema instituta est: quamobrem, qui illam suscipere recusaret, vel differret, salutem suam periculo exponeret. Denique metuendum est,

est, ne recusatio illa, vel dilatio ex contemptu saltem virtuali Sacramenti procedat. *Omnium autem Sacramentorum contemptus est saluti contrarius.* Hinc Synodus Lingonensis anno 1404. *Quia* (inquit) *hoc Sacramentum tunc datur, cum infirmitas mortalis videtur, propterea frequenter infirmi aliqui de morte dubitantes illud recusant recipere, vel differunt quantum possunt, & intantum quod morte præventi recedunt absque Sacramenti receptione: idcirco debent per omnes honestas vias induci ad recipiendum, & debet eis dici, quod si recusent, vel differant recipere, ex eo, quod contemnunt Sacramentum, peccant mortaliter, & graviter. Et licet dicant, quod non faciant ex contemptu, debet tamen dubitari, ne malignus Spiritus eos extrahens, in extremo decipiat.*

Synodalia Remensis Ecclesiæ: *Sæpe moneant Sacerdotes populum, quod priusquam decimumquartum annum compleverint, maxime Sacramentum Extremæ Unctionis petant, & recipiant reverenter, si timeatur verisimiliter de morte infirmorum, quia necessarium est ad salutem istud Sacramentum, si possit haberi.*

Synodus Andegavensis 1593. *Nos quoque accepimus referentibus fide dignis, quod illud Sacramentum, sine quo (ut dicunt Sancti) periculosum est ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittatur, &c.*

Synodalia Ecclesiæ Trecensis: *Si aliquis infirmus præmonitus in articulo mortis inungi, contempserit dictum Sacramentum recipere, Ecclesiastica careat Sepultura.*

Synodus Parisiensis anno 1557. *Commonefaciendi sunt ægrotantes, dum adhuc in illis ratio viget, ut hoc Sacramentum ad salutem suam digne, & devote suscipiant: quoniam, qui taliter præmonitus, & mentis adhuc compos inungi contempserit, hunc Ecclesiastica Sepultura indignum decernimus.*

REGULA XXI.

Extremæ Unctionis Sacramentum administrari non debet infirmo nisi post Confessionem peccatorum suorum, & post Viaticum Corporis Christi, si recipere illud possit: nisi alius sit Ecclesiarum Ritus, aut Episcopi aliter decreverint.

ITa Concilii Tridentini Catechismus: „ Quoniam (inquit) omni studio „ curare oportet, ne quid Sacramenti gratiam impediat, ei vero nihil „ magis adversatur quam alicujus peccati mortiferi conscientia: servanda est „ Catholicæ Ecclesiæ perpetua consuetudo: ut ante Extremam Unctionem „ Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum administretur: ac deinde ægro- „ to persuadere Parochi studeant, ut ea fide se ungendum Sacerdoti præ- „ beat, qua olim qui ab Apostolis sanandi erant, se ipso offerre consueverant.

Synodus Carnotensis anno 1526. *Cum hoc Sacramentum sit ultimum Sacramentorum, inhibemus illud dari infirmo, nisi post Confessionem peccatorum suorum, & post Corporis Christi Communionem, si possibile sit infirmum communicare.*

S. Carolus in Instructionibus idem docet: *Quoniam* (inquit) *nihil Sacramenti gratiam magis impedit, quam mortiferi alicujus peccati conscientia: Idcirco in eo ministrando usum, consuetudinemque hanc tenebit, ut si fieri potest, infirmum non ante ungat, quam peccata confessus sit, ac præterea sacram Eucharistiam sumpserit, aut saltem sit confessus; si forte non potuerit infirmus ob stomachi, gutturisve impedimentum sacram Communionem sumere. Si quem vero derepente vis morbi occupavit, ut neque confiteri, neque communicare potuerit; ex aliqua tamen contritionis, aut pietatis significatione conjicitur, eum velle sibi hoc Sacramentum Extremæ Unctionis ministrari: tunc Parochus ministrabit.*

Olim quidem ante Viaticum Corporis Christi administratam Infirmis Unctionem Extremam veteris Disciplinæ Ecclesiasticæ Monumenta probant. In Sacramentario S. Gregorii apud Menardum, post recitatas preces, & Unctionem

ctionem infirmi subditur: *Deinde communicet cum Corpore, & Sanguine Domini*. Ita habetur in Codice Rotradi, & Ratoldi, & Tiliano, & S. Remigii, & S. Germani a Pratis Concilium Aquisgranense anno octingentesimo trigesimo sexto, Canone v. ita decernit: *Si quis infirmitate depressus fuerit, ne Confessione, atque Oratione Sacerdotali, necnon Unctione sanctificati Olei per ejus negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo more Sacerdotali cum acceptione sacræ Communionis*. Vides Unctionem sacro Viatico præmissam. Idem confirmant plurium Ecclesiarum Ritualia sive Manualia, multique Scriptores hanc antiquam fuisse Disciplinam testantur. Hæc testimonia, Ritualiumque verba prolixe refert Joannes Launojus in Libro, cujus titulus est: *Explicata vetus Ecclesiæ Traditio de data infirmis post Unctionem Eucharistia*. Sed ex hodierno Ecclesiæ usu Unctionis Sacramentum administrare vulgo non licet nisi post Viaticum, ut præscribit Rituale Romanum Pauli V. *Illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est* (inquit) *ut sit tempus, & infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta præbeantur*. Ab ea Regula exceptæ censeantur Ecclesiæ, in quibus mos antiquus perseverat, ut apud Cistercienses: vel ubi Episcopi morem illum venerandum ob rationes, quibus nitebatur, & sæculorum pene quatuordecim praxim, suis Decretis renovarunt. Hac in re demum, quæ meræ Disciplinæ est, sequatur unusquisque Parochus quod Ritualibus, seu Manualibus Diœcesis suæ Libris præscribitur.

CAPUT VI.

REGULÆ

VISITATIONEM INFIRMORUM, Testamenta, & Sepulturam Spectantes.

REGULA I.

Parochi quotidie Parochianos suos graviter ægrotantes, quoad fieri potest, visitare debent, eisque omnia charitatis, & pastoralis solicitudinis officia exhibere.

HAnc Regulam tradunt Concilium Mediolanense v. & *S. Carolus* in Instructionibus De Visitatione, & Cura infirmorum. *Quod Concilio* (inquit) *Agatensi olim pie cautum est, in Synodo Provinciali renovatum, idem Parochus præstare curet, ut Missa celebrata, si quos Infirmos in Parochiali vicinia habet, frequenter, atque adeo quotidie, cum per alias Parochiali Curæ suæ occupationes potest, visitet: eisdemque præstet, prout opus esse viderit, officia charitatis, & solicitudinis Parochiali suo Muneri conjuncta. Et vero quoniam aliis Parochialis Curæ officiis aliquando fortasse distineri potest: propterea Parochiæ suæ Sacerdotes, si quos habet, aut saltem Laicos aliquot homines virtute, & vitæ spiritualis usu præstantes deliget, qui ægrotum adeant, recteque cohortentur, cum ad vim morbi patienter in Domino ferendam, tum ad alia Christianæ pietatis officia præstanda.*

De Visitatione, & cura infirmorum.

Illis maxime visitandis, & consolandis assiduam charitatem navabit, qui rerum omnium indigentia, & morbi acerbitate miserabilem in modum afflicti, curationem difficillimam experiuntur: quorum paupertatem commotus zelo pietatis sublevabit; ut & ipse, si per facultates potest, aliquid de suo eroget, & aliorum eleemosynas conquirat.

De

,, De ægri statu, genereque morbi, adversave valetudine perquiret: ejus
,, item mores, vitam, actiones, negotiaque, ut sciat salubria dare consilia,
,, opportunaque adhibere remedia, omnique sancta consolatione juvare.
,, Hortabitur, ut ægritudinem, in quam incidit, patienter ęgrotus in Do-
,, mino ferat: gratiasque ei agat de ęgrotatione, qua corpus affligitur: cum
,, inde animæ utilitas salutaris existere possit, si vere, pieque charitatem
,, Dei erga se agnoscens, confirmabit se ipsum in omni patientia. Demon-
,, strare poterit, a Deo, qui fons est omnium bonorum, factum esse, ut in-
,, firmus prosperam corporis valetudinem amiserit; quoniam illius animæ sa-
,, lutariter consultum esse vult emendatione vitę anteactę. Si vero ægrum
,, disciplinæ spiritualis, sanctarum que virtutum studiosum esse animadverterit,
,, morbi vim illatam esse a Deo ostendet, ut in spiritualis vitæ cursu, quem su-
,, scepit, majori progressione versetur, atque adeo perfectius insistat. Monebit,
,, ut ne dæmonis astu, neque Medicorum pollicitationibus, nec propinquorum
,, aut amicorum domesticorumve blandis cohortationibus se ullo modo decipi
,, sinat, quo minus in ea, quæ sibi salutaria sunt, incumbat. Quare hoc in-
,, firmo suadere studebit, ut quod *S. Ambrosius* ex Sacris Scripturis monet,
,, salutare Dei inprimis concupiscat, nempe Christum Dominum; sicque ani-
,, mæ æternam salutem primo expetens, quærat deinde, quæ ad corporis va-
,, letudinem attinent.
,, Monebit, ut eleemosynas det quamplurimas pro facultatum ratione, &
,, modo. Ut pro se orationes a Religiosis hominibus fieri postulet, omnique
,, ratione curet. Ut ipse, cum per morbum potest, aliquid pie meditetur
,, de vanitate Mundi, de exemplis patientiæ, de fructu tribulationum, de
,, cœlesti gloria. Ut quotidie, si per valetudinem potest, vel Coronam B. Vir-
,, ginis: vel, si litteras norit (quod *S. Augustinus* fecisse traditur, dum æger
,, fuit,) septem Psalmos Pœnitentiales pie recitet: aut omnino aliquid precum
,, pro viribus suis adhibeat. Proponet etiam ægrotanti, prout illius conditio
,, tulerit, aliquas breves orationes, quas jaculatorias dicimus; præsertim e
,, Psalmorum libro sumptas, quæ facile in promptu sint.
,, Hoc inprimis suadebit, ut de peccatis confiteatur. Idque maxime stude-
,, bit, ut ad generalem de tota vita anteacta Confessionem illum inducat. Co-
,, hortabitur, ut Sacram Communionem sumat, etiamsi graviter non ægrotet;
,, maxime si Festi alicujus celebritas id suadeat: neque ipse ministrare recusabit
,, sæpius in eadem infirmitate, pro devotione, & desiderio ægroti; præsertim
,, si ille cum valet, solet frequentare. Pro Viatico ministrabit, cum probabile
,, est, quod eam amplius sumere non poterit: cavebit autem ne ita cuncte-
,, tur, ut periculum adeat ægrotus moriendi priusquam sumat. Cum præterea
,, postquam Viaticum Extremamque etiam Unctionem æger suscepit; aliquot
,, dies superstes sibi Sacram Communionem ministrari petit, ejus pio desiderio
,, Parochus non deerit, sed pro Viatico illam iterum in eodem morbo non mini-
,, strabit.
,, Aget cum eo, ut si Dei gratia, munereque ab eo morbo convalescet, vi-
,, tam omnino emendet, aut sanctiorem vivendi disciplinam suscipiat.
,, Demonstrabit, Satanam nihil non agere, ut impediat salutaria ejus reme-
,, dia: ideoque in id studere, ut infirmo in animum sæpenumero inducat, ni-
,, hil periculi ex morbo, quo laborat, imminere: Medicos autem verborum
,, blanditiis spem longioris vitæ sæpe polliceri, in idipsum familiares etiam, &
,, cognatos incumbere. Periculum igitur morbi eum ita celari, ne sinat, ut
,, eum mors opprimere possit inopinantem, & imparatum. Atque opportune
,, inducet illum, suaviter, ut velit, suum sibi periculum patefieri.
,, Animadvertet autem, ęgrotos tribus potissimum solere valde molestis co-

,, gita-

„ gitationibus affici, anxieque perturbari: quarum primam affert mortis metus, alteram conscientia peccatorum, tertia oritur ex contemplatione divinæ justitiæ: quamobrem in promptu habebit argumenta ad persuadendum apposita pro conditione ęgrotantis: quem lenibus suavibusque verbis alloquetur.

„ Ostendet mortem Christianis hominibus non modo extimescendam non esse, sed etiam amandam, & expetendam: quę nisi intercedat, fieri non potest, ut peccati servitute, & hujus vitæ calamitatibus, atque incommodis omnino liberati, æternam felicitatem per Jesu Christi meritum consequamur. Atque in hoc suadendi genere rationes, & locos sibi sumere poterit ex Libro *S. Cypriani*, qui est *De mortalitate*. Quem metum depellere studebit non solum multis aliis rationibus, sed etiam & sacrarum Litterarum auctoritatibus, & exemplis Sanctorum, & orationibus. Si ob affectum quo erga res terrenas irretitus tenetur, aut ob alias causas mortem exhorrescit: hunc affectum expellere conabitur rationibus ab earum vanitate, vitioque deductis.

„ Ad sedandam perturbationem, quæ oritur ex conscientia peccatorum, hortabitur, ut frequenti Confessionis, & Sacræ Communionis usu sese religiose corroboret: credatque omnino Sacramentis peccata infinita Dei benignitate deleri.

„ Ad justitiæ vero divinæ contemplationem ægrotum valde se abjicientem eriget commemoratione infinitæ bonitatis divinæ: quæ numquam patitur Fideles esse destitutos, qui velint, quamdiu in hujus vitæ cursu versantur, Pęnitentia exactæ vitæ peccata deleri.

„ Si impatientem ægrotum viderit, ei proponet Passionem Christi Domini, tormenta Sanctorum Martyrum, exempla aliorum Sanctorum, Job, Tobiæ, Joseph, & aliorum. Merita præterea ostendet patientiæ, quæ multa sunt & maxima. Causas item ostendet afflictionum, quas Deus Pater amantissimus, & Medicus sapientissimus tanquam medicamenta Fidelibus adhibet.

REGULA II.

Ad Testamenti factionem Infirmos hortari, dum integra sunt mente, Parochus, & Confessarius debent, si morbus gravior, & cum periculo fuerit.

De condendo testamento.

„ ITa *S. Carolus* in Instructionibus de Visitatione Infirmorum. In Testamenti autem factione significabit quanti intersit religiosos homines doctrina, & pietatis usu præstantes adesse, de quorum consilio ad remedium animæ suæ in ultima voluntate pro facultatibus aliqua pia opera statuat.

„ Legata pia, quæ fecerit, præstari quamprimum, aut etiam eo vivente monebit; cum hoc ei plurimum suffragari possit ad animæ salutem. Hæc in primis monebit, quæ quamquam semper præstanda sunt, tali tamen tempore in primis: ut si quid alieni habet, si per facultates potest quamprimum restituat, aut saltem id præstari Testamento caveat.

Synodus Carnotensis anno 1526. ea potissimum ratione Christianos ad Testamentorum factionem hortari oportere statuit, *Ut per ea morientium fides sit superstitibus cognita, ut de debitorum, & male ablatorum, ac forefactorum restitutione, sine qua peccatum non dimittitur; necnon de legatis in usus pios constituatur ad animæ salutem*. Idem statuit Synodus Senonensis anno 1524. & Ecclesiasticæ Sepulturæ privationem comminatur iis, qui intestati decesserint, nisi propter mortem repentinam, aut paupertatem condere omiserint Testamentum. Idem confirmat Synodus Parisiensis anno 1557. Idem decreverat

verat Synodus Lingonensis anno 1404. Ut Testamentum fiat initio morbi; nisi quis morbum prudenter ante verterit, utque fiat in statu gratiæ, ad hoc ut actio tanti momenti meritoria sit apud Deum, auctor est Piissimus Cardinalis *Bellarminus* Lib. II. *De Arte bene Moriendi*, cap. V.

REGULA III.

In factione Testamenti servandæ sunt Leges, & Consuetudines Municipales.

LEges enim justæ conscientiam obligant, secundum illud Apostoli ad Romanos XIII. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim Potestas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.... Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Hinc contractus omnes, in quibus Juris solemnia servata non fuere, sunt irriti. Eademque de Testamentis ratio est, non enim legitima censentur, nisi secundum Leges sint condita. Unde Lex, *Hac consultissima*, Cod. de Testamentis, *Non subscriptum a testibus, ac non signatum testamentum pro infecto haberi* decernit. Sic etiam Testamenta, in quibus nomen hæredis, vel hæredum scriptum, aut nuncupatum non est, irrita sunt Jure Romano. Nulla sunt pariter, in quibus præteriti sunt filii, etiam posthumi, vel absque causa legitima exhæredati, (L. *Maximum*, C. De *Liberis præteritis, vel exhæredatis*. L. *Si post testamentum*, & L. *Quod certum est*, C. De *Posthumis hæredibus instituendis, vel exhæredandis, vel præteritis*.) Sic in Galliis alienigenarum Testamenta de bonis in Regno acquisitis sunt irrita, nisi Jure Civitatis, seu Regnicolarum a Rege donati sint; atque hujusmodi bona Fisco cedunt, Rexque illis succedit tanquam ab intestato, & Jure bonorum vacantium, quod Jus Albanagii vocatur, id est alibi nati, vulgo *Droit d'Aubaine*. Curare ergo debet in primis Parochus, vel conscientiæ Moderator, ne infirmus, quem in Testamenti factione, ut in aliis ad conscientiam pertinentibus dirigit, de bonis suis disponat, aut aliquid suprema voluntate fieri caveat contra Leges: quoniam lethaliter peccaret, qui contra illas sciens volens Testamentum conderet.

De condendo testamento.

REGULA IV.

Si Testator habeat liberos, pietas exigit; ut illis ad vivendum, & ad statum suum sustentandum necessaria relinquat, prius quam de piis causis cogitet.

NUlla enim pietas est, quæ naturæ obliviscitur: Lex porro naturalis parentes obligat, ut filiis suis consulant, eisque necessaria præbeant, vel relinquant, quantum in ipsis est. Id confirmat *S. Augustinus*, Sermone CCCLV. alias XLIV. *De Diversis*, cap. IV. *Quicumque vult* (inquit) *exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, imo Deo propitio neminem inveniat. Quam laudabile factum Sancti, & Venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis, quomodo implevit omnibus, qui sciunt, os laudibus Dei? Quidam cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes retento sibi usufructu donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii, & reddidit Episcopus nec opinanti, quæ illi donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.*

Causæ quidem sunt legitimæ, ob quas filius a patre exhæredari potest; verbi gratia, si manus violentas in parentes injecerit, si gravi injuria eos affecerit, si de crimine accusaverit, exceptis criminibus læsæ Majestatis, & Hæresis; si versetur cum maleficis, si mortem patri, vel matri molitus fuerit, etiam effectu non secuto; si thorum paternum maculaverit; si pro patre

Causæ ob quas filii juste exhæredari possunt.

tre noluerit fidejubere, cum posset; si testamentum patris impediat; si bona parentum dilapidaverit, si filia innupta luxuriose vivat: si denique filii annis triginta, filiæ annis viginti quinque minores Matrimonium invitis parentibus contraxerint, possunt juste exhæredari, nec ipsis tanquam de inofficioso testamento conquerendi locus est, secundum Edictum Parisiense *Henrici II.* Regis Christianissimi anno 1555. datum. In plerisque tamen casibus operam dare debent Parochi, & conscientiarum Moderatores, ut patres, etsi juste iratos, placent, & filiis reconcilient, nec approbare, ut exhæredatis filiis, etiam merentibus, Ecclesia hæres scribatur. *Si quis* (inquit *S. Augustinus*, loco mox laudato,) *irascitur in filium suum, & moriens exhæredat eum, si viveret, non eum placarem? Non ei filium suum reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo volo, ut habeat pacem, cujus appeto hæreditatem? Sed plane si faciat, quod sæpe hortatus sum; unum filium habet, putet Christum alterum; duos habet, putet Christum tertium; decem habet, Christum undecimum faciat, & suscipio.*

Officium Parochorum, & conscientiarum Moderatorum, ut patres filiis reconcilient.

R E G U L A V.

Si consanguinei Testatoris indigeant, & si filios non habeat, ipsis potius bona sua relinquere tenetur, quam ob alias pias causas testari.

De condendo Testamento.

ID enim justitiæ, veræque pietatis officium est, ut quis suorum curam gerat; ita charitatis ordo postulat, ut suis prius quam alienis subveniat; ut nepotes, aut cognatos inopes sublevet potius quam Sacella erigat, vel exornet, Sacerdotia augeat, vel æternas in Templis Exequias sive perpetua Anniversaria sibi defuncto constituat. Id *S. Augustinus* doctrina, & exemplis confirmavit; nam & aliquas hæreditates recusavit, ut scribit *Possidius* in ejus Vita, cap. XXIV. *Non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quia justum, & æquum esse videbat, ut a mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, quibus ab iis deficientes dimittere noluerunt.* Secundum hanc Regulam Conscientiarum Moderatores dirigere Testatores debent in confectione Testamentorum, vel Codicillorum.

R E G U L A VI.

Filiis, & cognatis præponi debet Restitutio bonorum male partorum; de qua ante omnia Testator supremæ voluntatis tabulis statuere debet.

Restitutio filiis, & cognatis præponi debet.

SI *enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur Pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum;* (inquit S. *Augustinus* Epistola CLIII. alias LIV.) Cum itaque salutis suæ curam ante omnia gerere debeat Christianus homo, prius restituere debet res alienas, quam filiis vel cognatis providere, quamvis facta restitutione relinquendi sint inopes, destituti, & ad mendicitatem redigendi. Tam enim bona aliena transmittere non potest ad hæredes, quam furari non licet, ut illis benefaciat, vel illorum inopiam sublevet. Quamobrem Usurarius manifestus non potest testari, nisi prius præstita sit cautio pignoratitia, vel fidejussoria de restituendis usuris, vel ipso facto restitutæ sint, ut habetur cap. *Quamquam*, Tit. *De Usuris*, in Sexto. Nec a restituendi onere præscriptio liberat, nisi ab initio, & toto tempore, quod Leges ad præscriptionem necessarium statuunt, quis bona fide rem alienam possederit, ut constat ex cap. *Vigilanti*, Extra, *De Præscriptionibus*, quod *Alexandri III.* rescriptum est, & ex cap. *Quoniam omne*, quod est *Innocentii III.* in Concilio Oecumenico Lateranensi IV. Canone XLI. Neque vero hæ-

Præscriptio a restitutionis onere non liberat.

hæres præscriptionis privilegio uti potest, si mala fide possedisse constat, aut verisimile sit, eum, qui transmisit ad ipsum hereditatem. Nam *Vitia possessionum a Majoribus contracta perdurant, & Successorem Auctoris sui culpa comitatur*, (L. *Vitia*, C. Lib. VII. Tit. *De acqirenda, & retinenda Possessione*.)

REGULA VII.

Spurii seu ex adulterio, vel incestu, aliique ex illegitimo coitu progeniti, hæredes institui a parentibus non possunt: Æquitas tamen, jusque naturale postulat, ut parentes necessaria illis ad vitam sustentandam relinquant. De condendo testamento.

Legibus namque constitutum est, ut ab hæreditate adeunda excludantur; & *Quicquid talibus liberis pater donaverit totum retractum legitimæ soboli reddatur, aut fratri, aut sorori, aut patri, aut matri: sive per ipsum donatum est, qui pater dicitur, vel per alium, sive per interpositam personam, sive ab eo emptum: vel ab alio, sive ipsorum nomine comparatum*: id (inquam) omne retractum legitimis hæredibus reddendum, aut, si non existant, Fisco vindicandum statuit Lex *Senatores*, C. Lib. V. Tit. 27. *De naturalibus liberis*, & L. *Licet*, sub eodem titulo: *Sed qui ex damnato sunt coitu, omni prorsus beneficio secludantur.* Et L. *Si qua Illustris*, Lib. VI. *Cod.* Tit. LVII. *Ad Senatusconsultum Orfitianum*, sancitum est, *Ut neque ex testamento, neque ab intestato, neque ex liberalitate inter vivos habita, justis liberis existentibus, aliquid penitus ab illustribus Matribus ad spurios perveniat*. Quamvis autem spurios, & ab alimentorum petitione Leges submoveant, ut constat ex Authentica, *Ex complexu*, Cod. Lib. V. Tit. *De Incestis, & inutilibus Nuptiis*, & cap. *Pervenerabilem*, Extra. *Qui filii sint legitimi*. Jure tamen poli, ipsaque naturali lege parentes ipsis subministrare tenentur alimenta, idque ut fideicommisso fiat, conscientiæ Moderator permittere, aut suadere potest, ut colligitur ex *Clementis III.* Responso, cap. *Cum haberet*, Extra. *De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium*: quo quemdam hominem, qui uxore legitima superstite contraxerat cum adultera, ab ipsa separari, & eis injuncta pœnitentia perpetuam continentiam indici jubet: nec eis adminiculum afferre ut simul maneant, quod decennio cohabitaverunt ad invicem, ac decem filios susceperunt: *Cum multiplicitas prolis ita susceptæ magis eorum crimen exaggeret, & diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet*. Tum subdit: *Solicitudinis tamen tuæ intererit, ut uterque liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministret*. Filiis illegitimis qua ratione providendum?

Quamobrem nec spurius, aut ex damnato coitu progenitus, cui pater bonorum suorum portionem testamento, codicillo, aut fideicommisso reliquit, ipsam tuta conscientia retinere potest; sed quod ultra victui, & vestitui necessaria sibi relictum est, legitimis heredibus restituere tenetur. Siquidem leges a paterna hæreditate ipsum excludunt; adeoque illam retinens, rem alienam retinet.

REGULA VIII.

Testator fideicommisso transmittere non potest ad uxorem legitimam, nec uxor ad maritum, quod ipsi testamento donare, ac relinquere Leges non permittunt; nec etiam filios spurios, aut naturales, vel eorum matres, aliasve personas, quas hæredes instituere Leges prohibent, fideicommissis vocare potest in partem hæreditatis.

Cum enim Leges prohibeant, ne conjuges seu Donatione inter vivos seu Testamento, aut alia quavis ratione, directe, vel indirecte res suas alterutri donent, aut relinquant, nisi reciproca Donatione: cum etiam filios spurios, Fideicommissa Legibus contraria damnantur.

rios, vel naturales arceant ab hęreditate, lethaliter peccant qui fideicommisso ipsis relinquunt, quod alias ad ipsos transmittere non possunt; seu universalem instituunt hæredem ea conditione, ut uxori, aut filiis naturalibus, aut spuriis, vel eorum matri, aliisve personis, quas Leges ab adeunda hæreditate repellunt, hæreditatem, aut portionem hæreditatis tradat. Illegitimum namque est hujusmodi fideicommissum, quo Legibus illuditur, ut ait præclare *S. Hieronymus*, Epistola II. *Provida, severaque Legis cautio, & tamen sic refrenatur avaritia; per fideicommissa Legibus illudimus*. Neque vero consuetudo ratione ulla, aut uxoris, maritive officia, hujusmodi fideicommissa excusare possunt a peccato, vel ipsis auctoritatem prębere, cum stet ex adverso Lex conscientiam ligans. Quamobrem & Parochus sive conscientiæ Moderator prohibere debet Testatorem, ne talibus fideicommissis hæreditatem gravet, ipsumque docere, id absque lethali peccato injustitiæ fieri non posse. Non posse etiam fiduciarium hæredem tradere hæreditatem, aut portionem ejus marito, cui ab uxore, aut uxori, cui a marito, vel spuriis, aut naturalibus liberis, quibus a parentibus contra Legis dispositionem relicta est: quia, ut habet Regula Juris LXXXVIII. in Sexto, *Certum est, quod is committit in Legem, qui verba Legis complectens, contra Legis nititur voluntatem*. Tenetur itaque hæreditatem ipsam, vel portionem hæreditatis fideicommisso sibi commendatam restituere legitimis hæredibus ab intestato: vel eam retinere sibi potest, si ipse sit hæres legitime, & absque alterius fraude institutus, ut colligitur ex L. *Si quis sub conditione*, Digest. XXVIII. Tit. *De conditionibus Institutionum*, cujus hęc sunt verba: *Si quis sub conditione hæredes instituisset, si invicem cavissent, se legata eo testamento relicta reddituros: placet remitti eis conditionem: quia ad fraudem Legum respicerent, quæ vetarent quosdam legata capere*. Docere denique debet conscientiæ Moderator Maritum, cui ab uxore, vel uxorem, cui a marito; vel spurios, aut naturales liberos quibus a parentibus hæreditas, aut hæreditatis portio contra Legem relicta est, ad restitutionem obligari. Cum enim possessionis jus humanum sit, Principumque Legibus nitatur: id omne injuste possidetur, quod possidetur contra Principum Leges, adeoque legitimo domino restitui debet. Quod autem Legum Civilium auctoritate & bona temporalia possideantur, *S. Augustinus* confirmat, Tract. VI. in Joannem: *Ecce* (inquit) „ sunt villæ, quo jure defendis villas? Divino, an humano? „ Divinum jus in Scripturis habemus, humanum jus in Legibus Regum. „ Unde quisque possidet, quod possidet? Nonne jure humano? Nam jure divino, Domini est terra, & plenitudo ejus. Pauperes, & divites de uno „ limo fecit, & pauperes, & divites una terra supportat. Jure tamen humano dicit: Hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est. „ Jure ergo humano, Jure Imperatorum, quia ipsa jura humana per Imperatores, & Reges sæculi Deus distribuit generi humano. Tolle Jura „ Imperatorum, & quis audet dicere, mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus hęc mea est? Si autem ut teneantur ista ab hominibus, Jura acceperunt Regum, vultis recitemus Leges? &c.... Noli dicere, „ Quid mihi, & Regi? Quid tibi ergo, & possessioni? Per Jura Regum „ possidentur possessiones. *Et Epistola* CLIII. *alias* LIV. Hoc certe alienum „ non est, quod jure possidetur, hoc autem jure, quod juste, & hoc juste, „ quod bene. Omne igitur, quod male possidetur, alienum est. Ex quo principio colligitur, id omne injuste possideri, quod contra Legum Civilium dispositionem possidetur, adeoque alienum esse, & restitui debere.

De condendo Testamento.

RE-

REGULA IX.

Quamvis Moribus hodiernis ſit receptum, ut Clerici bona ex Proventibus Eccleſiaſticis parta Teſtamento relinquant, quibus voluerint, illiſque ab inteſtato ſuccedant hæredes conſanguinei: peccant nihilominus graviſſime, ſi de hujuſmodi bonis ad cauſas profanas diſponant, vel ipſa relinquant conſanguineis divitibus, aut eos ab inteſtato ſuccedere ſinant.

NOn enim ad conſuetudinem, aut Legum Civilium permiſſionem hoc in negotio attendere debent, ſed ad ſacros Canones, & ad bonorum Eccleſiaſticorum conditionem, quæ poſſident cum hoc onere, ut quæ præter victum, & honeſtum veſtitum ex eis ſuperſunt, pauperibus erogentur, ſeu ad pias cauſas diſpenſentur. Non ſunt tractandæ res Eccleſiæ *Ut propriæ*, ſed *ut dominicæ, & a Domino commendatæ* (inquit Concilium Pariſienſe VI. Lib. I. cap. XV.) Illis *Non ut propriis, ſed ut ſibi ad diſpenſandum commiſſis*, uti debent Clerici, ut declarat Concilium Turonenſe III. Can. X. Quoniam *Pretia ſunt peccatorum, patrimonia pauperum*; (ut loquitur Concilium Cabilonenſe II. Can. VI.) Hinc *S. Thomas*, Secunda Secundæ, qu. CLXXXV. artic. VII. & Quodlibeto VI. qu. VII. art. II. Clericos bonorum eccleſiaſticorum non *vere dominos, ſed diſpenſatores* eſſe docet. Ex quibus principiis colligitur, graviſſime peccare Clericos, qui bona ex Proventibus Eccleſiaſticis parta, ſeu reſervatas ex illis pecunias, ſeu teſtamento, ſeu ab inteſtato relinquunt conſanguineis divitibus, & hæredibus, aut ad cauſas profanas de ipſis diſponunt: quia bonam fidem in diſpenſatione non ſervant.

De Clericorum teſtamentis.

Id confirmat *S. Hieronymus*, in cap. XLVI. Ezechielis: *Sacerdotes* (inquit) „ ipſis quoque filiis ſuis, quibus paterna debetur hæreditas, nil debent derelinquere: niſi quod ſibi a parentibus derelictum eſt. Ergo qui ditior eſt Sacerdos quam venit ad Sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet „ dare, ſed pauperibus, & ſanctis fratribus, & domeſticis fidei, qui vincunt „ merita liberorum, ut reddat ea, quæ Domini ſunt Domino ſuo.

Hæc Regula nititur etiam Can. XXIV. Concilii Antiocheni: „ Juſtum, & acceptum eſt (inquit) coram Deo & hominibus, ut ſua Epiſcopus, quibus voluerit, derelinquat; & quę Eccleſię ſunt, eidem conſerventur Eccleſię, ut nec Eccleſia aliquid patiatur incommodum, nec Epiſcopus ſub occaſione proſcribatur Eccleſię.

Et Canone, *Epiſcopi*, Cauſa XII. qu. I. qui eſt Agathenſis Concilii Canon XLVIII. „ Epiſcopi de rebus propriis, vel acquiſitis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus ſuis, ſi voluerint, relinquant. Quicquid vero de proviſione „ ſuæ Eccleſiæ fuerit, ſive de agris, ſive de fructibus, ſive de oblationibus, „ omnia in jure Eccleſiæ reſervare cenſuimus.

Et Canone *Placuit*, qu. III. qui eſt Concilii Carthaginenſis III. XLIX. „ Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus, vel Clericatus ſui agros, vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant, tanquam rerum Dominicarum invaſionis crimine teneantur, niſi admoniti Eccleſiæ eadem ipſa contulerint.

Et cap. *Inquirendum*, quod Concilio Rhemenſi tribuitur, Extra, *De Peculio Clericorum*, cujus hæc ſunt verba: „ Inquirendum eſt, ſi quis Presbyterorum de „ redditibus Eccleſiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium, alieno nomine res „ comparavit: quia ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine Presbyter fraudem facere de facultatibus Eccleſiaſticis debet; quoniam hoc ſacrilegium eſt, & par „ crimini Judæ furis, qui ſacras oblationes aſportabat, & furabatur.

Clerici bona ex redditibus Eccleſiaſticis parta relinquere conſanguineis divitibus tuta conſcientia non poſſunt.

Hæc *S. Gregorii* Magni Decretis conſentanea ſunt, qui Lib. IX. Epiſtola XIV. ſcribit: „ Quicquid Pater tuus Epiſcopatus ſui tempore de proprio Eccleſiæ

„ constiterit acquisisse, ne tollas; quia & sacris Canonum legibus esse noscitur „ definitum, ut in his, quæ Antistes Episcopatus tempore acquisiverit, non „ alius nisi sola succedat Ecclesia.

Idem confirmatur ex cap. *Cum in Officiis*, Extra. *De Testamentis*, qui est Concilii Lateranensis sub Alexandro III. Can. XV. „ *Cum* (inquit) in officiis cha„ritatis primo loco illis teneamur obnoxii, a quibus beneficium nos cogno„scimus recepisse: contra quidam Clerici cum ab Ecclesiis suis multa bene„ficia perceperint, bona per eas acquisita in alios transferre præsumunt. Hoc „ igitur quia antiquis Canonibus constat esse prohibitum, nos indemnitati Ec„clesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre „ voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus permanere.

Et cap. *Quia nos*, quod ejusdem Pontificis Responsum est: „ Licet Cleri„ci de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de arti„ficio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito „ respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant: de his „ tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt fa„cere Testamentum. *Et cap.* Ad hæc, *sub eodem Titulo*: Clerici de mobilibus, „ quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possunt. Viventes tamen, „ & sui compotes moderate valent aliqua de bonis ipsis, non ratione testamen„ti, sed eleemosynæ intuitu erogare, in ægritudine constituti.

Et cap. *Relatum est*, Lateranensis Concilii Canonem, quo statutum est, ut bona per Ecclesiam acquisita ad eam in Clericorum obitu devolvantur, non de immobilibus tantum, sed etiam de mobilibus intelligendum esse declarat: *Respondemus* (inquit) *quod generaliter bona quælibet per Ecclesiam acquisita ei debent, juxta Lateranense Concilium, post acquirentis obitum remanere.*

Idem confirmat Concilium Parisiense sextum, Canone XVI. *Episcopus* (in„quit) res sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certe in Episcopatu hære„ditaria successione acquisivit, secundum Auctoritatem Canonicam quicquid „ vult faciat, & cui vult conferat. Postquam autem Episcopus factus est, „ quascumque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine qua„libet conditione comparaverit, decrevimus, ut non in propinquorum suo„rum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant: similiter, & de Presby„teris, qui de Ecclesiarum rebus, quibus præsunt, prædia eo modo emunt, „ faciendum statuimus.

Eamdem Regulam confirmant *Innocentius IV.* in cap. *Cum in Officiis*, Extra. De Testamentis, *Panormitanus* in cap. *Cum esses*, sub eodem titulo; *Joannes Andreas* in Can. *Res Ecclesiæ*, Causa XII. q. I. asseruntque, Clericos ex Ecclesiæ redditibus honestam duntaxat sustentationem jure decerpere posse, quidquid vero ex proventibus Ecclesiæ residuum habent, aut ex canonica portione sua, seu fructibus Beneficiorum parsimonia sua reservarunt, Ecclesiæ relinquere debere, Nec obstat (inquit Panormitanus) quod Clericus ministerium suum implens dicatur fructus Beneficii facere suos: id enim eatenus verum, ut sibi primo ex illis provideat; tum quod superest, in usus pios impendat, non ut de ipsis testari possit, aut pro arbitrio disponere. Nec suæ itaque portionis domini sunt, nisi quoad dispensationem. Id confirmat Glossa in Canonem *Res Ecclesiæ*, Causa XII. quæst. I. *Si ergo*, inquit, *de rebus Ecclesiæ emisti equum, vel aliud, illud non est tuum: sed dicas, quod illud solum Clericorum est, quod probabili ratione consumitur. Quidquid enim habes supra illud, quod sufficit tibi, illud violenter detines.* Et *Gratianus* in Canonem *Nulli*, eadem quæst. *Ex his*, inquit, *quæ sibi assignata sunt, primum sibi necessaria percipiat: si qua vero suis necessitatibus supersunt, in communes usus Ecclesiæ expendat.*

Nec vero quis dicat, priscam illam disciplinam non obligare, Cardinalem Caje-

Cajetanum, & *Navarrum* censere Clericos portionis canonicæ suorum Beneficiorum esse dominos, ac fructus residuos consanguineis suis relinquere tuta conscientia posse: hunc morem esse receptum, nec ab Ecclesia improbatum. Hunc enim morem etsi toleret Ecclesia, non tamen approbat; imo Canones laudatos observari cupit, & jubet; damnatque etiam nunc Clericos, qui ex redditibus Ecclesiæ consanguineos suos augent. Quæ sit ea de re mens Ecclesiæ, Concilium Tridentinum declarat Sessione XXV. cap. I. De Reformatione. Consanguineis igitur eo tantum nomine aliquid ex bonis per Ecclesiam partis, aut ex residuo proventuum Ecclesiasticorum donare, seu Testamento relinquere jure possunt, quod pauperes sint; atque ad pias duntaxat causas Testamentum condere, ut declarat *Alexander III.* cap. *Relatum est*, 2. Extra. *De Testamentis*, cujus hæc sunt verba: *Licet autem mobilia per Ecclesiam acquisita de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint, consuetudinis tamen est non improbandæ, ut de his, pauperibus, & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Cæterum, quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, distribuantur pro arbitrio decedentis.* Id confirmant *Hugotio* antiquus Canonici Juris Interpres, & *Joannes De Friburgo*, in Commentariis Summæ *S. Raymundi*, ad Lib. II. Tit. De Prædonibus, §. VII. Proprietas (inquiunt) *Rerum Ecclesiasticarum ipsius Ecclesiæ est, non Clericorum; & Clerici percipiendo fructus Præbendarum suarum, non faciunt eos suos quoad proprietatem; & in hoc conveniunt cum fructuariis, qui percipiendo fructus, faciunt eos suos quoad usum, & quoad transmissionem illorum bonorum ad illos, qui succedent sibi in Beneficiis, sed in hoc differunt, quod non faciunt eos suos quoad proprietatem; & quod non licet illis eos expendere, nisi in usus domesticos, & causa pietatis, nec inde possunt condere Testamentum: sed fructuarius suos facit, & potest eos dare, cui vult, & inde testari.* Idem confirmat Synodus Parisiensis sub Stephano Poncherio: *Probibemus Clericis de bonis Ecclesiasticis testari, & legare aliis locis, & personis quam eorum Ecclesiis, si voluerint sacrilegium, & ultionem evitare divinam.*

Clerici fructus Beneficiorum suorum non faciunt suos quoad proprietatem; nec ex iis testari possunt, nisi ad pias causas.

REGULA X.

Parochus, sive conscientiæ Moderator suadere debet Testatori, ut si commode possit, eleemosynas potius eroget pauperibus, dum vivit, quam post mortem relinquat.

Eleemosyna enim ab homine data, dum vivit, majoris est meriti quam quæ Testamento relinquitur post mortem eroganda: magis etiam satisfactoria est: nam in morte solummodo datur, quod amplius retineri non potest, sicque velut ex quadam necessitate datur. Parendum itaque Deo, Ecclesiastici XIV. jubenti: *Fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Ante Mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat. Da, & accipe, & justifica animam tuam.* Si tamen ante extremum morbum eleemosynis peccata sua non redemerit, id faciat certe cum mors est in januis. „ Offerat vel Moriens ad liberandam de perennibus pœnis animam suam, quia aliud jam non potest, saltem substantiam suam: sed offerat tamen cum compunctione, cum lacrymis; offerat cum dolore, cum luctu. Aliter quippe oblata non prosunt, quia non pretio, sed affectu placent .... Itaque cum offert Deo quispiam facultates suas, non offerat quasi præsumptione donantis, sed quasi humilitate solventis; nec absolvere se peccata sua credat, sed allevare; nec offerat cum redemptionis fiducia, sed cum placationis officio; nec quasi totum debitum „ red-

De condendo testamento.

„ reddens, sed quasi vel parvum de magno reddere cupiens: quia etiamsi tradat, „ quod habet pro modo rerum, non reddit, quod debet pro magnitudine peccatorum. Et ideo licet offerat, oret Deum, ut sua placeat oblatio, plangens id ipsum', quod tarde offert; plangens ac pœnitens quod non prius. Sicque erit ut, juxta Prophetam, propitietur forsitan Deus delictis suis. *Verba* „ *sunt* Salviani, *Lib.* I. Ad Ecclesiam Catholicam.

REGULA XI.

Ecclesiastici, Religiosique Viri ab omni specie aucupandi hæreditates alieni esse debent.

Imitari enim præ aliis debent Salvatoris nostri exemplum, qui homini cuidam e turba roganti, *Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem*: respondit: *Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos? Dixitque ad illos, Videte, & cavete ab omni avaritia.*

Hanc Regulam confirmat *S. Hieronymus*. Epistola 11. ad *Nepotianum*, ubi & Legem ab Imperatoribus latam commemorat, ad Clericorum avaritiam ea in re coercendam. *Pudet dicere*, (inquit) „ Sacerdotes idolorum, mimi, „ & aurigæ, & scorta hæreditates capiunt, solis Clericis, & Monachis hac Lege prohibetur, & prohibetur non a Persecutoribus, sed a Principibus Christianis: nec de Lege conqueror, sed quod meruerimus hanc Legem .... *Et infra*. Audio in senes, & anus absque liberis quorumdam turpe servitium. Ipsi „ apponunt matulam, obsident lectum, purulentiam stomachi, & phlegmata „ manu propria suscipiunt. Pavent ad introitum Medici, trementibusque labiis „ an commodius habeant, sciscitantur; & si paulu'um senex vegetior fuerit, periclitantur, simulataque lætitia mens intrinsecus avara torquetur. Timent „ enim, ne perdant ministerium, & vivacem senem Mathusalem annis comparant. O quanta apud Deum merces, si in præsenti pretium non sperarent? „ Quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur? Minori labore margaritam „ Christi emi poterat.

De condendo testamento.

S. Ambrosium contra Clericorum hæreditates aucupantium, testamenta suggerentium, & in causis pecuniariis intervenientium, avaritiam, & imprudentiam, audire præstat egregie differentem Lib. III. *De Officiis*, cap. IX. *Nihil* (inquit) „ deformius, quam nullum habere amorem honestatis, & usu quodam „ degeneris mercaturæ quæstu solicitari ignobili, avaro æstuare corde, diebus, ac „ noctibus inhiare in alieni detrimento patrimonii, non elevare animum ad „ honestatis nitorem, non considerare veræ laudis pulchritudinem. Hinc nascuntur aucupia quæsitæ hæreditatis, continentiæ atque gravitatis simulatione captatæ, quod abhorret a proposito Christiani Viri. Omne enim, quod arte „ elicitum, & fraude compositum est, caret merito simplicitatis. In ipsis, qui nullum Ecclesiastici Ordinis Officium receperint, incongrua judicatur affectatæ „ ambitio hæreditatis. In supremo fine vitæ positos suum habere judicium, ut libere testentur, quod sentiunt, qui postea non sunt emendaturi: cum honestum „ non sit, compendia aliis vel debita, vel parata avertere; cum vel Sacerdotis, „ vel Ministri sit prodesse, si fieri potest, omnibus, obesse nemini. Denique si non „ potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam „ gravare alterum. Ideoque in causis pecuniariis intervenire, non est Sacerdotis; „ in quibus non potest fieri quin frequenter lædatur alter, qui vincitur, quoniam „ Intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, „ prodesse velle omnibus: posse autem solius est Dei.

Ne Clerici hæreditates, & legata, vel pro se, vel pro suis Ecclesiis, Monasterii, Societatibus, Congregationibus aucupentur.

Observatione denique digna sunt hac in materia verba Concilii Turonensis sub *Alexandro III.* Pontifice Maximo, Can. VI. *Non satis utiliter in Populo Avaritia redarguitur, si ab iis, qui in Clero constituti videntur, & præcipue,*

pue, qui contempto sæculo Religiosorum nomen profitentur, & Regulam, modis omnibus non cavetur.

REGULA XII.

Parochus, & conscientiæ Moderator cavere debent, ne Testator, quem dirigunt, aliquid Testamento suo statuat contra bonos mores, & honestatem.

Conditiones enim turpes, sive contra bonos mores, & honestatem appositæ, admitti non debent, nec impleri. Unde Testamento ejus, qui ea conditione hæredem instituit, *Si cadaver ejus in Mare abjiciat*, non esse parendum, Jus statuit L. *Quidam*, Digest. XXVIII. Tit. *De Conditionibus Institutionum*; & suspicio est, hominem, qui talem conditionem posuit, mentis compotem non fuisse: quod si probari poterit, irritum erit Testamentum. Ibidem L. *Conditiones*, 9. Paulus Jureconsultus ait, „ Conditiones, quæ contra bonos mores „ inferuntur, remittendæ sunt: veluti si ab hostibus patrem suum non redeme„ rit; si parentibus suis, patronove alimenta non præstiterit. Et L. Conditio„ nes 14. sub eodem titulo: Conditiones contra Edicta Imperatorum, aut con„ tra Leges, aut quæ Legis vicem obtinent, scriptæ, vel quæ contra bonos mo„ res, vel derisoriæ sunt, aut hujusmodi, quas Prætores improbaverunt, pro „ non scriptis habentur: & perinde, ac si conditio hæreditati, sive legato ad„ jecta non esset, capitur hæreditas, legatumve. Et L. Filius, 15. Filius, qui „ fuit in potestate, sub conditione scriptus hæres, quam Senatus, aut Princi„ pes improbant, Testamentum infirmet patris, ac si conditio non esset in ejus „ potestate, Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam „ nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere, „ nos posse credendum est. Porro sub impossibili conditione, vel alio modo fa„ ctam institutionem non vitiari, auctor est Ulpianus. Quamobrem (ut idem „ Jureconsultus respondet Lib. 8. sub eodem titulo Digestorum.) Quæ sub con„ ditione Jurisjurandi relinquuntur, a Prætore reprobantur: providit enim ne „ iis, qui sub Jurisjurandi conditione, quid accepit, aut omittendo conditio„ nem, perderet hæreditatem, legatumve, aut cogeretur turpiter accipiendi „ conditionem jurare. Voluit ergo eum, cui sub Jurisjurandi conditione quid „ relictum est, ita capere, ut capiunt hi, quibus nulla talis Jurisjurandi condi„ tio inferitur, & recte. Cum enim faciles sint nonnulli hominum ad jurandum „ contemptu Religionis, alii perquam timidi metu divini Numinis usque ad su„ perstitionem, ne vel hi, vel illi aut consequerentur, aut perderent, quod „ relictum est, Prætor consultissime intervenit.

Hanc Regulam confirmat Synodus Carnotensis anno MDXXVI. celebrata; *Prohibemus* (inquit) „ Curatis, & aliis, ne Testamenta impia, injusta, (veluti ut Te„ statoris corpus jactetur in aquam,) sive contra jura vel bonos mores, vel ea, quæ „ pietatem, aut verecundiam lædunt (sicuti nonnulli fatui fecerunt) recipiant. De condendo testamento.

Et rursus: *Rectores Parochiarum ad conficienda Parochianorum Testamenta vocati, si Testatores aliquid contra communem Exequiarum consuetudinem, vel Defunctorum Officium ordinare velint, ut Canticum lætitiæ, & gaudii pro sua inhumatione, non recipiant.*

Quamvis enim olim in Officio pro Defunctis caneretur Psalmus *In exitu Israel de Ægypto*, cum *Alleluja*, ut constat ex Sacramentario S. Remigii Rhemensis, quod edidit Dom. Hugo Menardus in Notis eruditis ad Sacramentarium S. Gregorii: quamvis Ecclesia Græca hanc lætitiæ vocem in Defunctorum Officio usurpet; quamvis olim usitatam fuisse in exequiis ad significandam lætitiam, quæ toti Ecclesiæ ex morte Justorum obvenit, S. Hieronymus in Fabiolæ Epitaphio testetur: præsens tamen Disciplina, & Ritus Ecclesiasticis Libris præscripti in unaquaque Diœcesi accurate servandi sunt; nihil innovandum.

REGULA XIII.

Testamentum solemnitatibus destitutum etsi in foro exteriori non valeat, in foro tamen conscientiæ valere, ac hæredes teneri ad legata solvenda, maxime quæ ad pias causas, piis, & eruditis Auctoribus visum est. Id certe agendum, quod Judex æquus secundum Leges decerneret, causa ad forum exterius delata.

ILla Juris solemnia pertinere duntaxat ad probationem Testamenti, ut in foro scilicet externo probari possit, & ab hominum fraudibus, & dolis vindicari; non autem ad ejus substantiam, censet inter alios *S. Antoninus* III. p. tit. x cap. III. §. 14. ita scribens: „ Nota, quod cum quis sanus, „ vel infirmus, qui est sanæ mentis, ultimo disponit de bonis suis, de qui- „ bus potest disponere, per simplicem scripturam, vel verba solum, non vio- „ lentatus, vel circumventus, sed libere sine Notario, & testibus debitis, „ standum est ejus tali dispositioni in foro conscientiæ, & hæredes, quibus „ hoc constat certitudinaliter, tenentur ad observandum illud.

Id confirmat ex Canone, *Ultima*, qui *S. Gregorio* tribuitur, causa XIII. qu. II. *Ultima* (inquit) *voluntas defuncti modis omnibus servari debet*. Et ex cap. *Indicante*, quod *Greg. IX.* Responsum est, Extra, De Testamentis: „ Cognovimus (inquit) quod moriens uxor Redempti, concham argenteam nudis ver- „ bis jussit venundari, & suis dari libertis, & scutellam argenteam cuidam Mo- „ nasterio reliquisse. In quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri.

De condendo testamento.

Idem censet *Silvester*, in Summa, verbo „ Legatum, 4. §. 10. Quando „ (inquit) Testamentum est nullum, quia non sunt testes sufficientes, vel „ deficit solemnitas aliqua Juris Civilis: si constat hæredi de voluntate defuncti, „ vel per duos testes probari potest, obligatur naturaliter Jure Gentium ad il- „ lam implendam. *Atque eo referri possunt verba Plinii Epist.* x. *Lib* IV. *scri-* „ *bentis*; Defunctorum voluntatem bonis heredibus intellexisse, pro jure est: „ neque enim apud nos minus honestas, quam apud alios necessitas valet.

Si autem hanc opinionem sequi nolit hæres, qui vi Testamenti minus solemnis aliquid debere existimatur, a conscientiæ Moderatore saltem obligari debet, ut de Testamenti valore Juris Peritissimos consulat; idque faciat omnino, quod Judex æquus fieri decerneret cognita causa: manente dubio, cum illo, cujus interest, amice componat, ne periculo injustitiæ se exponat, & mala fide possideat alienum. Certe si Romanis Legibus agatur, hæres ad solvendum obligabitur, ut constat ex L. *Quæstionem*. Cod. Libro VI. tit. *De Fideicommissis*, cujus hæc sunt verba: „ Cum res per testium „ solemnitatem ostenditur, tunc & numerus testium, & nimia subtilitas „ requirenda est. Lex etenim, ne quid falsitatis incurrat per duos forte te- „ stes compositum Testamentum, majorem numerum testium expostulat, „ ut per ampliores homines perfectissima veritas reveletur. Cum autem is, „ qui aliquid ex voluntate defuncti lucratur (& maxime ipse hæres, cui „ summa auctoritas totius causæ commissa est) dicere compellitur verita- „ tem per sacramenti Religionem: qualis locus testibus relinquatur, vel „ quemadmodum ad extraneam fidem decurratur, propria, & indubitata fide „ relicta? Cum & in Leges respeximus, quæ justis dispositionibus Testatorum „ omnino hæredes obedire compellunt: & sic strictius causam exigunt, ut etiam „ amittere lucrum hæreditatis sanciant eos, qui Testatoribus suis minime pa- ruerint. Idem sancitum est L. *Etsi inutiliter*, & L. *Si veritas*, C. eodem tit. Verum cum ubique secundum Romanas Leges Jus non dicatur, tuta illius conscientia fuerit, qui Testamentum Regni Legibus, vel Municipalibus, aut Judicis Sententia irritum, & quod bona fide irritum credit, non fuerit executus.

RE-

REGULA XIV.

Testamenta supprimere, vel abscondere, aut eorum executionem retardare, vel legata intervertere, lethale peccatum est contra justitiam, & charitatem:

HAnc Regulam explicat Synodus Lingonensis anno MCCCCIV. celebrata: „ Crimen (inquit) falsi committit, & pęna Legis Corneliæ de falsis puniri debet, qui Testamentum celat, occultat, retinet, vel abscondit, „ ne ad executionem perducatur. Et quia sunt multi, ut dicitur, qui nescientes hanc Legem, vel ad eam non attendentes, ut deberent, Testamenta, aut extremas ordinationes defunctorum detinent injuste, & occultant: quod quantum offendat oculos Divinæ Majestatis, ex eo apparet, quod „ Animæ existentes in acerbissimis pęnis Purgatorii remanent, a quibus possent „ per Testamentorum suorum executionem cito liberari. Impiissimus etiam est „ filius, vel cognatus, & crudelissimam committit contra patrem, vel matrem offensam, qui non miseretur animæ patris, vel matris, cujus est hæres, „ si suum occultat testamentum, ut non exequatur, & Anima sui patris manet „ in prædictis pœnis propter defectum executionis sui Testamenti. Et pauperes „ personæ, & Ecclesiæ, quibus aliquid relinquitur in Testamentis, fraudantur „ pia eleemosyna sibi relicta; & tales occultatores Testamentorum nostram Auctoritatem, & Potestatem perimunt penitus, & enervant. Unde auctoritate „ præsentis Statuti, & nostra, monemus semel, secundo, & tertio, ac peremptorie omnes, & singulos cujuscumque gradus, conditionis, sexus, & status „ existant; & vos Presbyteri nobis subditi etiam singulis diebus Dominicis moneatis in vestris Ecclesiis omnes, qui habent injuste, occultant, detinent, „ vel abscondunt, & qui sciunt alios habere, detinere, ocultare, vel abscondere Testamenta, aut extremas defunctorum ordinationes: & dantes in his „ consilium, auxilium, vel favorem, seu juvamen, ut ipsis infra XV. dies ab „ ab inde, & a qualibet Monitione per vos facienda, illa & illas apportent, „ & exhibeant, tradantque Clerico regenti Officium Testamentorum nostræ „ curiæ, qui alio nomine nominari potest Procurator Animarum. Alioquin „ ipsos omnes, & singulos in his scriptis ex nunc prout ex tunc lapsis dictis quindecim diebus excommunicatos publice nuncietis.

De testamentorum executione.

Synodus Parisiensis anno MDLVII. hæredes, vel executores malevolos, qui præ nimia cupiditate, & avaritia Testamenta fidei suæ commissa occultare non verentur, Excommunicatione percellit, nisi ea intra mensem revelent.

Synodus Aquensis anno MDLXXXV. decernit, ut Parochus semel in Mense moneat inter missarum solemnia Notarios, testes, & alios quoscumque scientes aliqua Legata facta fuisse ad pias causas, ut ea revelent intra tres Menses sub pęna Excommunicationis.

Synodus Turonensis an. MDLXXXIII. *Eos, qui oblationes, seu legata, & pia relicta defunctorum, aut negant, aut solvere recusant, illorumve Testamentum, seu codicillos celant, & dolose retinent, tanquam* Animarum Egentium Necatores, *ex Conc. Agathensi, Excommunicationi subjacere*, decernit.

Hanc Regulam confirmat *S.Thomas* Quodlibeto VI. qu. VIII. art. I. ubi quærit; Utrum mortuus aliquod detrimentum sentiat ex hoc, quod eleemosynæ, quas mandavit dari, retardantur. Quam quæstionem hunc in modum solvit: *Quantum ad meritum eleemosynæ, nullum detrimentum patitur Defunctus ex prædicta tarditate; maxime si quantum in ipso fuit, curam adhibuit, ut hujusmodi eleemosynæ cito darentur: quia meritum principaliter ex voluntate, & intentione dependet: sed quantum ad effectum eleemosynæ, patitur detrimentum; non quidem, ut pro hujusmodi tarditate puniatur; sed quia re-*

remedium ei non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus plurimum juvaretur.

De testamentorum executione.

„ Addit *S. Antoninus*, III. p. tit. X. cap. II. Non pati similiter detrimen-„ tum, si differatur Restitutio, quam ipse mandavit fieri, licet tarde man-„ daverit, etiam in morte, si tamen fecit, quod potuit. Quod si tepide, „ & incaute mandavit suffragium fieri, ideoque non fit, vel multum dif-„ fertur, nocet & quoad meritum, ex remissione voluntatis, & quoad suf-„ fragium, ut non sublevetur, si non fit, vel non ita cito, sed tarde fit. „ Et multo magis de Restitutione facienda. Nam posset cum voluntate ita „ Remissa mandare fieri restitutionem, puta, ne filii egerent, vel, ne quasi „ de Restitutione non curans haberetur, ut parum, vel nihil ipsi prodesset „ talis Restitutio mandata, si etiam fieret.

De testamenti executione.

Articulo II. ejusdem quodlibeti, & quæstion. quærit *S. Thomas*, Utrum Executor debeat tardare distributionem eleemosynarum ad hoc, quod res Defuncti melius vendantur? Resp. *Quod in mora modici temporis non videtur esse magnum periculum. Unde si Executor per modicum tempus eleemosynam dare differat, ut rebus defuncti melius venditis ampliores eleemosynas faciat, non videtur esse absque culpa: quia forte defunctus a Purgatorio liberaretur, in quo existenti remedium Suffragiorum maxime necessarium erat. Hoc autem requirit prudentis Executoris examen; ut scilicet consideratis dilatione temporis, & conditione personæ, quæ creditur citius, vel tardius liberanda, & etiam quantitate augmenti eleemosynarum, faciat quod videbitur expedire defuncto.*

Lethalis peccati reos esse, qui Testamentorum executionem in legatis ad pias causas diu differunt, ac negligunt, probat *S. Antoninus* III. p. tit. X. cap. II. De Testamentis, ex canone *Oblationes*, causa XXII. quæst. III. ubi dicitur: *Qui oblationes defunctorum detinent, & Ecclesiis tradere demorantur, ut Infideles sunt ab Ecclesia abjiciendi, & quasi egentium necatores, nec credentes Dei judicium habendi sunt.* Ex quibus *S. Antoninus* post *Joannem de Neapoli* colligit, Executores, & hæredes multum differentes peccare mortaliter; tum quia decernitur adversus ipsos Excommunicatio, quod non fit nisi in lethalis peccati reos: tum quia notabile nocumentum inferunt animabus proximorum, unde dicuntur *Necatores animarum*, scilicet subtrahendo ipsis suffragia.

REGULA XV.

Cum Hæredes, vel Executores legitimorum Testamentorum officio suo desunt, nec tempore a Jure, vel Consuetudine præscripto pias defunctorum dispositiones exequuntur, Episcopus ipsos Censuris cogere potest ad earum executionem.

HÆc Regula nititur *Greg. IX.* Responso, cap. *Nos quidem*. Extra, *De Testamentis*, quo Monasterii fundationem supremæ voluntatis tabulis a quodam religiosæ mulieri, quam hæredem instituerat, commissam, sed ab ipsa hærede protractam, intra annum executioni mandari jubet: si vero id hæres neglexerit, ad Episcopum executionem devolutam fore declarat. *Quod si* (inquit) intra prædictum tempus, sive in loco, quo constitu-„ tum fuerat, seu, si ibi non potest, & alibi placet ordinari, tecum im-„ plere neglexerit: tunc per te ædificetur, & omnia per te loco ipsi sine „ diminutione qualibet assignentur. Sic enim secundum piissimas Leges, „ dilatas defunctorum pias voluntates Episcopali decens est studio adimpleri.

Idem confirmat cap. *Si hæredes*, & cap. *Tua*, sub eodem titulo, cujus hæc sunt verba: „ Tua nobis Fraternitas intimavit, quod nonnulli tam „ Religiosi, quam Clerici Sæculares, & Laici, pecuniam, & alia bona,

„ quæ

„ quæ per manus eorum ex Teſtamentis decedentium debent in uſus pios „ expendi, non dubitant aliis uſibus applicare. Cum igitur in omnibus piis „ voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum de- „ functi voluntatem univerſa procedant, licet etiam a Teſtatoribus id con- „ tingere interdici: mandamus, quatenus Executores Teſtamentorum hu- „ juſmodi, ut bona ipſa fideliter, & plenarie, in uſus prædictos expendant, „ monitione præmiſſa compellas.

Et cap. *Joannes*, ibidem, de Teſtamenti cujuſdam ad pias cauſas conditi Executoribus ita ſtatuit: *Poſt Mandatum ſuſceptum, per Diæceſanum cogi debent Teſtatoris explere voluntatem.*

Eamdem Regulam confirmat Conc. Trident. ſeſſ. XXII. cap. VIII. *Epiſcopi* (inquit) *etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, in caſibus a Jure conceſ-* „ *ſis omnium piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, ſint Executores.* Quæ particula, *Etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati*, ſignificat, Epiſcopum his in negotiis utramque poteſtatem habere, tam ordinariam, quam delegatam, (inquit *Barboſa*, p. II. *De Officio, & Poteſtate Epiſcopi.* Allegat. LXXXII. §. 30.)

His addendum Decretum Conventus Melodunenſis Cleri Gallicani, tit. XXVII. De Rebus, aut piis cauſis: „ Non foret inutile in ſingulis Diœceſibus Procuratorem cauſarum piarum ſtatuere (quem quidam vocant Procuratorem Animarum) his in Jus vocandis, qui pias eleemoſynas, aliaſve fundationes, a teſtatoribus vita functis fundatas, ſolvere negligunt, & contemnunt, & ad voluntates teſtatorum implendas, etiam nolentibus, & invitis cogendis: ne horum Procuratorum defectu mali hæredes deteriores efficiantur, & ſacræ teſtatorum voluntates ſua executione fraudentur. *De teſtamenti executione.*

„ Imperandum eſſet, ſub pœna Excommunicationis, omnibus Notariis „ Teſtamenta recipientibus, ut legatorum hujuſmodi dinumerationem Epiſ- „ copo, aut ejus Vicariis dare teneantur infra menſem poſt teſtatorum mor- „ tem: ut omnium ab Epiſcopo, aut ejus Vicario facto Regiſtro, nihil frau- „ dis in hujuſmodi teſtamentariis voluntatibus committi poſſit.

REGULA XVI.

Teſtamentorum Executores, aliive ad certa bona pauperibus diſtribuenda deputati, pro arbitrio ſuo diſtribuere illa non poſſunt, ſed Regulas Juſtitiæ, Prudentiæque Chriſtianæ, & Charitatis ordinem ſervare tenentur.

QUamobrem eleemoſynæ inprimis erogandæ ſunt conſanguineis, & affinibus defuncti, ſi pauperes ſint. Deinde illis, qui graviori premuntur egeſtate, ut ſancitum eſt, Lege, *Si quis ad declinandam*, C. *De Epiſcopis, & Clericis*, §. 6. Tertio, uni conferenda non eſt tota pecuniæ ſumma, quam teſtator pauperibus diſtribui juſſit. Quarto, legatum factum pauperibus ad januam Teſtatoris concurrentibus, non poteſt conferri Xenodochio. Quinto, cum indiſtincte pauperes ſcripti ſunt hæredes, Xenodochio civitatis conferenda eſt hæreditas, & per Xenodochium in ægrotantes fieri debet patrimonii diſtributio, vel per reddituum annuorum erogationem, vel per venditionem rerum mobilium, vel ſemoventium, ſi ex his res immobiles comparentur, & annuus victus ægrotantibus accedat. *Quis enim pauperior eſt hominibus, qui & inopia tenti ſunt, & in Xenone repoſiti, & ſuis corporibus laborantes, neceſſarium victum ſibi non poſſunt afferre?* Si autem plura ſint in civitate Xenodochia, vel Ptochotrophia, tunc ei, *quod pauperius eſſe dignoſcitur*, ſecundum Epiſcopi judicium, hæreditas, vel legatum tribui debet. *De teſtamenti executione.*

Si

Si autem nullum in civitate Xenodochium inveniatur, pauperibus civitatis, vel penitus mendicantibus, vel alia sustentatione egentibus eædem pecuniæ distribuendæ sunt. Si captivi scripti sint hæredes, in alium usum, quam in redemptionem captivorum hæreditas, vel legatum impendi non potest. Ita sancitum est L. *Si quis*, C. tit. *De Episcopis*, *& Clericis*, 49.

Qui ad certa bona pauperibus distribuenda deputatus est, pauperes sibi conjunctos eligere potest, si nulli sint ex consanguineis, vel affinibus Testatoris. An autem sibi adscribere possit Executor, si pauper sit, quærunt Auctores, variasque in sententias abeunt. Illorum opinioni lubentius subscriberem, qui negant id fieri posse; tum quia Testatoris voluntatem implere non videtur, qui sibi legatum adscribit titulo paupertatis; alios enim ab Executore pauperes proculdubio spectabat: tum quia in suspicionem malæ fidei, & avaritiæ facile veniret Executor, si legata pauperibus sibi adscribere posset, viaque pateret ad pauperum defraudationem. Si tamen summa esset Executoris paupertas, Episcopi auctoritate, & Moderatoris conscientiæ suæ judicio, sibi adscribere posset, quod pauperibus incertis relictum est. Religiosum Executorem suo Monasterio pauperi conferre posse, quod pauperibus relictum est, censent Cardinalis *Mantica*, *Sylvester*, *Barbosa*, & alii quos citat p. III. *De Officio*, *& Potestate Episcopi*, Allegat. LXXXIII. §. 25. Hanc tamen opinionem sequi nollem, nec aliis auctor esse, ut sequerentur, tum ob vitandam avaritiæ suspicionem; tum ad parendum accuratius, & fidelius Testatoris voluntati, qui voluisse præsumitur, ut legata pecunia distribuatur pauperibus magis indigentibus, magisque destitutis.

Cum Testator bona sua distribui jubet colocandis Matrimonio Virginibus, ea erogare non potest Executor Virginibus Monasterio se devoventibus: legitimam namque Testatoris voluntatem exequi oportet. Si vero legatum certæ personæ relinquitur, ut Matrimonium contrahat, eidem solvi debet si Deo se consecret in Monasterio, ut colligitur, ex Authentica *Nisi rogati*, *C. Ad Senatusconsultum Trebellianum*, & Authentica *De Sanctissimis Episcopis*, §. *Sed & hoc præsenti*, Collat. IX. *Nisi* (inquit) *rogati restituere datum dotis causa*, *vel propter Nuptias donationis*, *vel relictum sub conditione Nuptiarum*, *vel liberorum*, *Monasterium*, *vel alium locum venerabilem ingrediantur*, *&c.* Conditionum enim, quæ a meliori bono homines retrahunt, nullam omnino in Testamentis, & legatis rationem haberi, jus & æquitas volunt.

REGULA XVII.

Quorumvis Defunctorum corpora passim in Ecclesia sepeliri, aut omnibus divitibus indiscriminatim id concedi, prisca non permittebat Disciplina, cujus renovatio, & observantia maxime optanda esset.

De sepulturis.

UT in Ecclesiis corpora Defunctorum sepelirentur, non statim receptum est, imo expresse prohibitum L. *Nemo*, 2. Cod. *De Sacrosanctis Ecclesiis*, & Can. *Præcipiendum*, causa XIII. quæst. II. qui Nannetensis Concilii anno 850. sextus est, *Prohibendum est* (inquit) etiam secundum

Locus sepulturæ.

„ Majorum Instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, „ aut in exedris Ecclesiæ. Intra Ecclesiam vero, & prope Altare, ubi „ Corpus, & Sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur. Idem san- „ xit Concil. Bracarense I. can. XVIII. Placuit, ut corpora defunctorum nul- „ lo modo in Basilica Sanctorum sepeliantur: sed si necesse est, deforis cir- „ ca murum Basilicæ, usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc „ privilegium usque nunc retinent civitates, ut nullo modo intra ambi- „ tum

Exedræ erant cameræ quædam, ac fornices in muris Ecclesiarum.

„ tum murorum, cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere? In Ecclesiarum valvis, „ & vestibulis sepeliri, magno olim honori fuit. Unde *S. Jo: Chrysostomus* Hom. XXVI. in Epist. II. ad Corinthios ait, *Constantinum* sepultum fuisse in vestibulo Ædis Apostolorum, quasi eorum Janitorem. Honor in sepulcri intra Ecclesiæ septa Episcopis, aliisque Sacerdotibus propter Altaris Ministerium permisit Triburiense Concilium can. XVII. Laicis vetuit. *Secundum Statuta Sanctorum Patrum*, (inquit) „ & experimenta Miraculorum prohibe„ mus, & præcipimus, ut deinceps nullus Laicus in Ecclesia sepeliatur. „ Quidam mirabilis Doctor nostræ Definitioni consentiens, inquit: Nemo „ enim in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut al„ terius justi hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori „ defuncto locum acquisivit: Doctor ille est *S. Gregorius*, ex cujus Lib. IV *Dialogorum*, cap. LIII. Miraculum refert. Quamobrem can. *Ubicumque*, ex Conc. Triburiensi, & can. *Cum gravia*, ex *S. Gregorio* relati causa XIII qu. II. qui de Mortuis in Ecclesia sepeliendis loquuntur, intelligendi sunt non de interiori Ecclesiæ parte, sed de exteriori, sive de Atrio Ecclesiæ aut Cæmeterio Ecclesiæ contiguo. Idem confirmatur ex can. *Nullus*, qui Moguntini Concilii quinquagesimus secundus est. *Nullus Mortuus* (inquit) *intra Ecclesiam, sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles Laici*; idest, virtutibus eximii. Idem confirmatur ex Conc. Meldensi can. LXXII. *Nemo* (inquit) *quemlibet Mortuum in Ecclesia quasi jure hæreditario nisi quem Episcopus, aut Presbyter pro qualitate conversationis, & vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat.* Triburiensis Concilii can. XVII. supra laudatum transcripsit *Theodulphus Aurelianensis* Episcopus in Capitulari ad Presbyteros Diœcesis suæ, vimque Diœcesanæ Legis habere voluit. Defunctorum corpora in Ecclesiis sepeliri vetant Capitularia Regum nostrorum, Libro I cap. CLIII. Et Lib. II. cap. XLVIII. cujus verba gemina sunt verbis can. XXI Conc. Arelatensis VI. anno 813.

De sepulturis.

Locus sepulturæ.

Eamdem Regulam confirmant recentiora Concilia post Tridentinum celebrata. Mediolanense IV. p. I. tit. De Sepulcris: *Ne sepulturæ locus quovis nomine cuiquam detur, neve sepulcra fiant, construanturve in ulla quavis Ecclesia, sine Episcopi concessu scriptis expressato. In Choro autem, vel Capella Majori nullo modo.*

Decreta *Hieronymi* Famagustani Episcopi, Mediolanensis Ecclesiæ Visitatoris Apostolici, a *S. Carolo Borromæo* promulgata: „ Curetur omni ratio„ ne, ut antiquus, ac probatissimus mos sepeliendi in Cæmeteriis in usum „ revocetur: neque sepulcra nova in Ecclesiis ædificentur absque licentia „ in scriptis obtenta a Reverendissimo Archiepiscopo: in Regularium ve„ ro Ecclesiis saltem a R. P. Provinciali: qui ejusmodi licentiam dare non „ possit, nisi ea sepulcra ad præscriptam formam construantur.

Synodus Turonensis anno MDLXXXIII. „ Laicis omnibus etiam Nobilibus, „ minime liceat sepulturas in Ecclesiis jure proprio sibi vindicare: cum se„ pultura sit proprie, & mere jus spirituale, & Ecclesiasticum: neque se„ pulturam in illis assumere, & eligere, ad, juxta, vel prope Majus Al„ tare, aut Sacrarium, quacumque prætensa in contrarium consuetudine, „ aut possessione non obstante, nisi forte sint Episcopi, aut Ecclesiarum „ Rectores, aut Fundatores ipsarum.: Quibus in Ecclesiis neminem sine „ Rectoris consensu, aut auctoritate inhumare liceat.

Concil. Bituricense: „ In Ecclesiis sepeliantur tantum Prælati, & Mini„ stri Ecclesiæ, Principes, Fundatores Ecclesiarum, Patroni, & Domini lo„ corum, & qui Magistratu aliquo cum honore functi fuerint, ac de Re-

„ publi-

„ publica benemeriti, & ii, qui ab antiquo in Ecclesiis sepulturæ jus ha-
„ bent.

Burdigalense anno MDLXXXI. „ In Ecclesiæ vero nulli deinceps sepelian-
„ tur, nisi fuerint Sacerdotes, prout Jura præscribunt, vel Sacris initiati,
„ & Religiosi, Ecclesiarumve Patroni. Alii autem, qui nobilitate, aucto-
„ ritate, meritisque in Deum, & Religionem commendati fuerint, ad id
„ cum licentia Episcopi admittantur. Ceteros vero in Cœmeteriis, quæ olim
„ etiam illustriores non aspernabantur, sepeliri mandamus.

De sepulturis.

Concilium Rhotomagense anno MDLXXXI. „Non adeo promiscue (ut nunc
„ fit) sepeliantur in Ecclesiis, ne quidem ditiores, ne is honor detur pe-
„ cuniis, potius quam gratiis Spiritus Sancti: sed hoc servetur Deo sacris
„ specialiter hominibus, eo quod præ aliis eorum corpora templa sint Chri-
„ sti, & Spiritus Sancti: & aliis in sublimitate, & Dignitate tam Eccle-
„ siastica, quam sæculari constitutis: quandoquidem & isti Dei Ministri
„ sunt, & organa Spiritus Sancti: aliis insuper, qui in Nobilitate, vel Vir-
„ tutibus, vel meritis erga Deum, & Rempublicam fulgent. Ceteri pie, &
„ religiose in Cœmeteriis ad hoc dedicatis sepulturæ tradantur.

Locus sepulturæ.

Rituale denique Romanum Pauli V. jussu editum, jubet, ut, *Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Cœmeterio, retineatur, & ubi fieri potest, restituatur. Etsi cui locus sepulturæ deinceps dabitur in Ecclesia, humi tantum detur, &c.*

Eorum autem, qui in Ecclesia sepeliuntur, tumuli pavimento Ecclesiæ coæquari debent, nisi forte Prælatorum, Regum, & Principum, ut statutum est in Conc. Rhemensi MDLXXXIII. Bituricensi MDLXXXIV. & Mediolanensi I. In Sanctuario certe Monumenta erigi celsitudine, & magnificentia non modo cum Altari majore certantia, sed Tabernaculo, in quo Christi Corpus asservatur, æmulo fastigio velut insultantia, Parochi, & Religiosi Viri Ecclesiasticæ Disciplinæ periti, & observantes in Ecclesiis suis nusquam patientur, qualecumque ad eos inde proveniat temporale emolumentum.

REGULA XVIII.

Unusquisque liberam habet facultatem sepulturam eligendi: & si quis non eligat, in Parochiali Ecclesia, aut Majorum sepulcris est sepeliendus, salva semper Ecclesiæ Parochiali Canonica Portione.

Electio sepulturæ.

Ita decrevit *Leo III.* ut refertur cap. *Nos instituta*, Extra, *De sepulturis*, cujus hæc sunt verba: „ Statuimus unumquemque in Majorum suorum
„ sepulcris jacere, ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus
„ propriam eligere sepulturam, & etiam alienam: Dominus enim, & Ma-
„ gister alienam elegit ut propriam. Sed quia dignus est operarius merce-
„ de sua, tertiam partem sui judicii illi Ecclesiæ dari censemus, in qua
„ cœlesti pabulo refici consuevit: ut juxta Apostolum sint consolationum
„ socii, ut fuerunt passionum: & sic demum ubicumque libitum fuerit, e-
„ ligat sepulturam. Aliter ne fiat, auctoritate Domini nostri, qui per Pro-
„ phetam locutus est, dicens: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos
„ posuerunt patres tui, sub Anathematis vinculo detestamur, & contra-
„ dicimus.

De sepulturis.

Prov. 22. 18.

Idem confirmatur ex cap. *Fraternitatem*, sub eodem titulo, quod *Innoc. III.* Responsum est Genuensi Archiepiscopo datum, cujus hæc sunt verba: „ Fraternitatem tuam non credimus ignorare, Mortuorum sepulcra, & cœ-
„ meteria apud illas Ecclesias, & Monasteria, ex antiquo esse deposita, a

„ qui-

„ quibus Religiosorum Fratrum Conventus sunt constituti, & orationes, „ atque Missarum solemnia tam pro vivis, quam pro defunctis frequentius „ celebrantur. Unde ipsorum devotioni, & extremæ voluntati, qui apud „ hujusmodi Ecclesias sepeliri desiderant, minime contradicendum est. Qui „ vero relictis antiquis Ecclesiis, & patrum, aliorumque parentum suorum „ sepulcris, contra consuetudinem Patrum Veteris Testamenti, qui cum patribus suis sepulti esse leguntur, ad nova, & minus religiosa loca se transferunt, irrationabiliter & contra antiquam consuetudinem facere videntur. Unde si P. De Castello contra antiquam, & rationabilem consuetudinem aliquid de corpore suo sepeliendo mandavit, hoc non præjudicat „ rationi, sed viribus debet carere. Quocirca mandamus, quatenus corpus „ ipsius Monachis S. Stephani reddi facias, & cum suis patribus sepeliri. Liberam ergo quisque facultatem habet eligendi sibi sepulturam: nulla autem facta electione, in monumentum majorum, sive familiæ inferri debent, qui proprium, seu familiare habent sepulcrum: & uxor cum viro, liberi cum parentibus, fratres, & sorores cum fratribus sepeliendi, ut habetur can. *Ebron*, & canone *Unaquæque*. Causa XIII. quæst. II. Qui autem familiari sepulcro carent, in Ecclesia Parochiali, vel ejus Cœmeterio sepeliendi sunt, ut decretum habetur, Extra, *De Sepulturis*, c. 3. & cap. 2. sub eodem Tit. in Sexto., & Clementina 2.

Libertati eligendi sepulturam ita consultum voluit *Bonifacius VIII.* ut si quis antiqua dimissa, novam etiam in loco minus religioso elegerit, talis electio propter hoc impugnari non possit, quamvis antiqua Jura diversa esse videantur. (Cap. *Cum quis*, tit. *De Sepulturis*, in Sexto, quo derogatum est cap. *Fraternitatem*, Extra, *De Sepulturis*.)

Quod autem Ecclesiæ Parochiali semper servanda sint jura sua, & Canonica portio, cum alibi sepultura electa est, constat ex cap. *Certificari*, Extra, *De Sepulturis*, quod Clementis III. Responsum est. Et in Pontificiis Diplomatibus, quibus jus Sepulturæ Ecclesiis Regularium conceditur, inseri solet hæc clausula: *Salva justitia Ecclesiarum, a quibus corpora assumuntur.* Id constat ex Bulla Honorii III. quæ incipit, *Religiosam*, Ordinis FF. Prædicatorum confirmatoria, & ex Bulla Sixti IV. quæ vocatur *Mare Magnum*, qua varia Privilegia Ordini Carmelitarum largitur. Jura autem illa Clementina *Dudum*, tit. *De Sepulturis*, Episcopalia Statuta, Ritualia, & consuetudines locorum determinant.

REGULA XIX.

Uxor eligere sibi potest sepulturam distinctam a sepultura Mariti.

NUllum enim quoad hoc inter virum, & uxorem faciendum discrimen est, sed utrique æqualis est sepulturam eligendi facultas: *Cum electio ista ad eum statum pertineat, in quo mulier solvitur a lege viri*. Ita statuit *Lucius III.* cap. *De uxore*, Extra, *De Sepulturis*. Mulier autem, quæ plures viros habuit, si sepulturam non eligat. *Est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet, & honorem, tumulanda*; ut decernitur cap. *Is qui*, tit. *De Sepulturis*, in Sexto. Electio sepulturæ.

REGULA XX.

Filius Familias sibi sepulturam eligere potest, cum pubertatem attigit, si vero sit impubes, pater illum sepelire potest, ubi voluerit, si id loci consuetudo, & Diœcesana Disciplina patiatur.

HÆc Regula nititur cap. *De uxore*, Extra, *De Sepulturis*, §. *Utrum*, cujus hæc sunt verba: *Utrum autem pater, quo magis voluerit, minores filios valeat sepelire, non invenimus a SS. Patribus definitum: propterea Terræ consuetudini decernimus relinquendum*. Et cap. *Licet*, sub eodem titulo, in Sexto: *Licet pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam possit (si consuetudo Terræ id habeat) quo voluerit, sepelire: hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis Majoribus, vel in Parochiali Ecclesia tumulandi. Quamvis autem filius familias absque patris assensu sibi possit libere eligere sepulturam; pro anima tamen sua, præter ipsius assensum (nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat) aliquid judicare non potest*: idest, ultima voluntate relinquere.

REGULA XXI.

Lethaliter peccant Clerici, & Viri Religiosi, qui Fideles inducunt ad vovendum, jurandum, vel promittendum, ut in eorum Ecclesiis sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Electio vero hoc pacto facta nullius est roboris, eaque non obstante sepeliendus est quis, ubi erat de Jure sepeliendus.

HÆc Regula traditur cap. *Animarum*, tit. *De Sepulturis*, in Sexto, quo prohibetur universis Religiosis, & sæcularibus Clericis, cujuscumque status, vel conditionis existant, *In virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ*, ne aliquos ad eligendam in suis Ecclesiis sepulturam sic inducant: decernitque Pontifex electionem talem *nullius penitus existere firmitatis*: statuitque, ut qui sic inducti elegerint, nec in Ecclesiis sic electis, nec alibi sepulturam eligere valeant, sed in illis Ecclesiis sepeliantur, in quibus Jure sepeliendi fuissent, si sepultura non electa obiissent. Si vero iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel Cœmeteriis præsumpserint sepelire; ad restitutionem tam sepultorum corporum, (si petantur) quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem, infra decem dies faciendam tenentur: quam nisi fecerint, Ecclesiæ, in quibus sepulti fuerint, & Cœmeteria earumdem, Ecclesiastico supponuntur Interdicto, donec restitutio plenaria prædictorum omnium facta fuerit. Pœnam Excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Sedi Apostolicæ reservatæ contra Clericos Sæculares, & Regulares Bonifacianæ Constitutionis de Sepulturis violatores decrevit *Clemens V.* cap. *Cupientes*, Lib. v. Clementinarum, tit. *De Pœnis*, §. *Sane*.

Eamdem Regulam confirmant Synodus Lingonensis an. MCCCCIV. Synodalia Ecclesiæ Rhemensis, &c.

In prima collectione antiqua Decretalium ab Antonio Augustino Ilerdensi Episcopo edita, Lib. III. tit. *De Sepulturis*, refertur Epistola Leonis Papæ (Noni) omnibus Fidelibus per Dardaniam constitutis inscripta, disciplinam firmans, de qua in præsenti agimus. *Relatum est*, (inquit) „ auribus nostris esse quosdam perverse agentes, qui subvertere nituntur, atque dividere conantur Ecclesiæ unitatem, videlicet Abbates, Monachos, De sepulturis.

„ qui

„ qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis invigilant, atque seducere
„ canentur sæculares, quos illaqueare possunt, ut res suas, atque possessiones, sive in morte, sive in vita, Monasteriis suis tradant, & Ecclesiis quibus subjecti esse videntur, & a quibus Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, necnon pabulum vitæ, cum lacte carnis acceperint, vel accipiunt, nihil de bonis relinquunt. Hunc denique fomitem discordiæ nos animadvertendo, modis omnibus inhibere volumus, & ne amplius fiant, omnino prohibemus, considerantes non esse bonum, si illi, qui olim socii fuerant passionis, secundum Apostolum, sint immunes a societate consolationum. Et quia dignus est operarius mercede sua, ideo præcipimus, atque mandamus, ut quicumque amodo Monasterio converti voluerit, sive in morte, sive in vita, omnium rerum, & possessionum, quas pro salute animæ suæ decrevit, medietatem Ecclesiæ, cui ipse dignoscitur pertinere, relinquat ∴. Quicumque autem hujus edicti violator extiterit, gladio anathematis subjaceat.

REGULA XXII.

Ab Ecclesiastica Sepultura multiplex hominum genus arceri debet.

EO scilicet beneficio carent non modo Ethnici, & Judæi, sed etiam Hæretici eorumque fautores, ut habetur (cap. *Sicut*, Extra, *De Hæreticis*:) in Torneamento, aut Duello interfecti, (cap. I. & II. Extra, *De Torneamentis*:) In furto, aliove crimine occisi, siquidem impenitentes obierint, (can. *Quæsitum*, causa XIII. quæst. II.) Qui sibi mortem conscivererunt, (can. *Placuit*, causa XXII. qu. V.) Homicidæ, Incendiarii, Ecclesiarum violatores, Usurarii manifesti, (cap. *Quia in omnibus*, Extra, *De Usuris*,) Incestuosi, blasphemi, qui violentas manus in Personas Ecclesiasticas injecerint, & generatim omnes, & singuli Excommunicati (cap. *Sacris*, & cap. *Parochiano*, Extra, *De Sepulturis*.) Qui peccata semel per annum confessi non fuerint, & Euchariſtiam in Paschate sua culpa non perceperint, (cap. *Omnis utriusque sexus*, Extra, *De Pœnitentiis, & Remissionibus.*)

Sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicamus vivis, non communicemus Defunctis, verba sunt Inn. III. c. 12. De Sepulturis.

Quibus non liceat Ecclesiasticam concedere Sepulturam, sic explicat *S. Carolus Borromæus* in Instructionibus ad funera ducenda: *Negatur Ecclesiastica Sepultura Paganis, Judæis, Hæreticis, cum eorum fautoribus.*

Qui Sacra Sepultura privandi?

„ Excommunicatis majori Excommunicatione, etiam injuste; qui in eorum Obitu ab ea non fuerint absoluti.

„ Interdictis nominatim: & contra facienti proposita est pœna Excommunicationis: & durante tempore Interdicti, iis, qui sunt de loco interdicto: atque iis, quibus est interdictus ingressus Ecclesiæ.

De sepulturis.

„ Blasphemis manifestis Dei, & Sanctorum, quando Pœnitentiam contemnunt.

„ Se ipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, si decedant absque Pœnitentia: secus si ex furore, vel insania.

„ Morientibus in torneamento, sive extra torneamentum ob vulnus in eo receptum, etiamsi eos pœniteat; modo sint de numero eorum, qui in eo dimicabant, vel in eo se exercentibus arma suppeditabant: nam adstantes non comprehenduntur: extenditur tamen hæc pœna ad morientes in hastiludiis, quando hujusmodi ludi itidem exercentur cum probabili periculo mortis.

„ Corporibus exenteratis, & dilaceratis contra Constitutionem Bonifacii VIII. quod non procedit, si id non fiat propter vindictam; sed vel ob anatomiam, vel ne corpora fæteant, vel hujusmodi.

„ Infantibus mortuis absque Baptismo, si de ventre matris mortuæ sint extracti; secus si non sunt extracti.

„ Manifestis raptoribus, & violatoribus Ecclesiarum: si tamen hos pœnitet, quando moriuntur, Ecclesiastica conceditur Sepultura: sed Clerici non „ de-

„ debent eorum sepulturæ interesse, nec eorum eleemosynas accipere, si præ-
„ ter Pœnitentiam non satisfecerint ex impotentia.
„ Manifestis Usurariis, nisi pœniteant; item si recusent præstare cautionem
„ de facienda restitutione; & est excommunicatus, qui aliter eos in loco sa-
„ cro sepelit.
„ Religiosi, qui in eorum obitu inventi sunt proprietarii, & absque Pœ-
„ nitentia obierunt.
„ Iis, de quibus certum est, & manifestum, quod semel in anno non recepe-
„ runt Sacramentum Pœnitentiæ, vel SS. Eucharistiæ in Pascha (sine licentia
„ Confessarii) & absque ullo signo Contritionis obierunt. Si vero dubium est,
„ vel occultum, quod non receperint ea Sacramenta, non debet eis denega-
„ ri Ecclesiastica Sepultura. Ad probandum autem, quod hujusmodi homines
„ aliquod signum Contritionis dederint, sufficit unus testis; & hæredes tenen-
„ tur pro eis satisfacere, ut opus est.
„ Cuilibet notorio peccatori morienti in peccato mortali, absque ullo signo
„ Contritionis: & unus tantum testis sufficit ad Contritionem probandam.

Si quis autem prædicorum in loco sacro fuerit sepultus; si discerni potest, exhumandus est; si vero non potest, relinquendus, ne fidelium, & piorum corpora, cum excommunicatorum corporibus extumulentur: *Cum licet non obsit Justis sepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, vel speciosa non prosit*, (ut habetur cap. *Sacris*, Extra, *De Sepulturis*.)

REGULA XXIII.

Aliquid pro Sepulturis pacisci, vel exigere non licet. Laudabiles tamen consuetudines servandæ sunt, curareque debent Pastores, ut serventur.

Pactiones pro Sepulturis vetitæ.

PRimam hujus Regulæ partem tradit *S. Gregorius*, Ep. LV. Lib. VII. Indict. II. ad *Januarium* Episcopum, & refertur can. *Quæsta*, causa XIII. qu. II. Proponitque exemplum *Seor*, qui pretium pro sepulcro ab *Abrahamo* accipere noluit, ne commodum videretur de cadavere consecutus: quanto magis id cavere debent Sacerdotes? Quamobrem (inquit) *Si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes, pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus: peti vero aliquod, aut exigi omnino probibemus: ne (quod valde irreligiosum est) aut venalis fortasse dicatur Ecclesia, quod absit, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quærere quomodolibet compendium.*

De sepulturis.

Eccl. 7. 37.

Idem confirmatur ex can. *Postquam*, eadem causa, & quæstione, qui ex *S. Hieronymo* in Quæstionibus Hebraicis, ad cap. XXIII. Geneseos petitus est: & ex can. *In Ecclesiastico*, qui Conc. Triburiensis decimus sextus est. *In*
„ *Ecclesiastico Libro*, (inquit) *scriptum est*: Mortuo non prohibeas gratiam,
„ sciens quoniam omnes moriemur. *Quid terra terram vendis? Memento quoniam terra es, & in terram ibis. Recordare, quoniam non hominis est terra, sed*
„ Domini est terra, & qui habitant in ea. *Si terram vendis, invasione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepisti a Deo; gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis, terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare: nisi forte proximi, & amici defuncti propter nomen, & redemptionem animæ viri gratis aliud dare velint.*

Psalm. 23.

Pactiones, & exactiones pro sepulturis vetitæ.

Nec consuetudo excusat, ut aliquid pro sepulturæ Jure exigatur, vel eo nomine, quod in Ecclesia potius, quam in Cæmeterio, aut in Ecclesiæ loco honorificentiori quis sepeliatur, ut colligitur ex cap. *Non satis*, Extra, *De Simonia*, quod est *Alexandri III.* in Conc. Turonensi: *Pro sepultura quoque*
(in-

(inquit) *nulla cujusquam pretii exactio attentetur: nec sub obtentu cujusquam consuetudinis reatum suum quis tueatur: quia diuturnitas temporis non diminuit peccata sed auget*. Et ex cap. *Cum in Ecclesia*, ex Concilio Oecumenico Lateranensi III. quo prohibetur, ne pro Sepulturis, & Exequiis Mortuorum aliquid exigatur, quacumque consuetudine non obstante. *Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur: non attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam*.

Idem Confirmatur ex c. *Abolendæ*, Extra, *De Sepulturis*, quod est *Innocentii III.* Concilium Mediolanense IV. & *S. Carolus* in Instructionibus propterea statuunt, Ut pro crucibus, & quæ circa cadaver, aut cenotaphium disponun- Laudabiles
„ tur pro campanis item, lampadibusve, aliove prætextu, aut nomine nihil consuetudi-
„ propterea capiat, exigat ve, nec Capitulum, nec quisquam de Capitulo, nec nes servandæ.
„ Rector, nec Sacrista, Custos, aliusve Clericus quicumque, nisi quid est,
„ quod Fabricæ, aut Sacristiæ, campanarum nomine dare, piæ consuetudinis
„ Episcopus esse censuerit, idque vere in eum usum cedat: at pro Crucibus nihil
„ omnino quovis etiam Fabricæ aut Sacristiæ nomine accipi liceat.

Secunda pars Regulæ, quod nimirum laudabiles consuetudines servandæ sint, compellique possint hæredes peracto Sepulturæ Officio ad jurium funebrium consuetam solutionem, colligitur ex cap. *Ad Apostolicam*, Extra, *De Simonia*, qui Lateranensis Concilii sub *Innoc. III.* Canon sexagesimus sextus est. „ Ad A-
„ postolicam Audientiam (inquit) frequenti Relatione pervenit, quod quidam
„ Clerici pro Exequiis Mortuorum, & Benedictionibus Nubentium, & simi-
„ libus pecuniam exigunt, & extorquent, & si forte eorum cupiditati non De sepultu-
„ fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra ris.
„ vero quidam Laici laudabilem consuetudinem erga S. Ecclesiam pia de-
„ votione Fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur
„ infringere, sub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter super his pravas
„ exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari:
„ statuentes ut libere conferantur Ecclesiastica Sacramenta: sed per Episco-
„ pum loci veritate cognita compescantur, qui malitiose nituntur laudabi-
„ lem consuetudinem immutare.

Idem confirmant Synodus Lingonensis anno MCCCCIV. *Odo* Parisiensis Episcopus in Synodo, & Synodus Rotomagensis anno MDLXXXI. celebrata, cujus hæc sunt verba: *Decernimus insuper, ut Curatus contra hæredes ex laudabili consuetudine sepulturam agat, postquam sepulturæ Officia impenderit, & suffragia publica, & assueta exsolverit, quos ad solutionem via Juris compellat, nisi paupertas obstiterit*. Paupertatis exceptionem sapienter, ac juste Synodus addidit; quia *Pauperes, quibus adeo tenues fuere facultates, ut propriis impensis humari nequeant, Parochi gratis, ac honeste sepelire* tenentur, ut decrevit Concilium Rhemense anno MDLXXXIII. De sepulturis.

Concilium Mediolanense I. „ Exequiarum, Sepulturę, & Anniversariorum
„ causa nemini quidquam pacisci, aut exigere liceat, neque etiam petere, vel
„ quid aliud comittere, quod simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicio-
„ nem habeat. Pias tamen consuetudines in his servari jubemus, cujus rei Epis-
„ copus curam suscipiat.

Concilium Turonense anno MDLXXXVII. cap. XIV. „ Sedulo curent Episco-
„ pi, ut Jura Rectoribus Ecclesiasticis debita, & ab antiqua, & laudabili con-
„ suetudine solvi solita, tam pro Sepulturis, quam pro aliis etiam Officiis in
„ suis Ecclesiis celebrandis, integre, & sine fraude præstentur, juxta Regium
„ Edictum, ad trium Ordinum Regni Blesis congregatorum supplicationem pro-
„ mulgatum.

REGULA XXIV.

Admonendi sunt Christiani ut superfluam Funerum pompam resecent; Precibusque, & Eleemosynis sibi potius subveniri curent.

ITa statuit Synodus Carnotensis anno MDXXVI. *Moneant Sacerdotes Parochianos suos, ne superflam diligentiam gerant de pompa funeris, aut sumptuosarum Exequiarum. Talia enim sunt qualiacumque solatia vivorum, non adjutoria mortuorum.*

Synodus Parisiensis MDLVII. *Superflua Funeris, & Exequiarum pompa videtur, quæ ad vivorum potius, quam defunctorum solatium inventa est: Defunctis enim subveniunt preces, eleemosynæ, jejunia, oblationes, & missæ Sacrificium.* Concilium Rhemense MDLXXXIII. *Quantum attinet ad Christianorum sepulturam, quam nec superbam, nec neglectam esse decet, aut despectam, Parochi in hanc Officii sui partem diligenter incumbant, ut piorum Funera Christianæ simplicitatis, ac modestiæ limites non excedant. Id autem fiet, si ipsi primum mercede consueta, & honesta contenti, deinde superfluas impensas, quæ propter ambitionem, ac fastum fiunt, vel hæredibus relinqui, vel pauperibus erogari suadeant.*

Inculcetur Fidelibus præclara illa S. Augustini Sententia Sermone CLXXII. alias XXXII. De verbis Apostoli: *Pompę funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia Sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjumenta mortuorum.*

Denique ipsi etiam Romani Gentiles moderationem sumptuum, & expensarum in defunctorum exequiis desiderarunt: iique Magistratuum arbitrio determinandi erant, ut constat ex Lib. 12. §. 5. & L. 14. §. 6. ff. *De Religiosis, & sumptibus funerum*: additque posterior ista Lex, *Nec testatoris voluntatem sequendam, si res egrediatur justam sumptus rationem.* Verum in Missarum celebratione; & Eleemosinarum erogatione pro Defunctorum requie sumptibus minime parcendum est. Certum est enim illis mortuos adjuvari, ut cum illis misericorditer agatur a Domino. Certum est hæc illis prodesse, qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem, ut loquitur S. Augustinus.

REGULA XXV.

Ante Solis ortum, & post occasum, & inter Majoris Missæ solemnia Mortuos efferri, & ad sepulturam recipi minus decet.

ID prohibent Conc. Mediolanense I. & *S. Carolus* in Instructionibus. Aptissimum vero tempus ad Fidelium corpora sepelienda est Matutinum (inquit) ut scilicet pro eis Missa Defunctorum ex Ecclesiastico Ritu, si commode possit, & Ritus non impediat, celebretur. Curandum esse addit, ne die festo funus ducatur: aut si ducendum sit, ut fiat post Vesperas; sed tamen non prohiberi, quin ob urgentem causam Missa Conventualis pro mortuo, qui sepelitur, tali die celebretur; nisi alioquin Ritus id nullo modo ferat. Hanc Regulam confirmat Synodus Aquensis MDLXXXV.

De sepulturis.

REGULA XXVI.

Corpora Mortuorum, eorumque præsertim, qui repentina morte obierunt, Sepulturæ celerius tradi non debent.

ITa statuit Synodus Mediolanensis VI. & *S. Carolus* in Instructionibus: *Decernimus, ne in posterum corpus aliquod sepeliatur, nisi duodecim saltem horis postquam spiritum exhalavit. Verum si quem de improvisa*

mors,

mors, aut morbi alicuius repentina vis occupavit: is ne in sepulcrum inferatur ante vigesimam quartam hujusmodi repentini eventus horam; nisi secus Episcopo, sive videbitur, cui ipse id cura dederit. Idem Ecclesiarum Ritualibus præscriptum est.

REGULA XXVII.

Laicorum hominum cadavera efferri ab Ecclesiastici Ordinis hominibus non decet.

ITa statuit Concilium Mediolanense VI. Tit. De his, quæ ad funera pertinent: *Mortuum quovis etiam generis, gradus, dignitatisve nomine illustrem Laicum Ecclesiastici homines, ne efferant; ne item inferioris Ordinis Clericum, qui in superiori Ordine constituti sunt.* Idemque repetit *S. Carolus* in Instructionibus ad funera ducenda.

REGULA XXVIII.

Orationes Funebres in Defunctorum laudem pronunciare non expedit, præter quam in Funere Virorum Principum, & Episcoporum, nisi permiserit Episcopus, & scriptam Orationem ante probaverit.

ITa scilicet sanxere Concilium Mediolanense I. tit. *De Funeribus, & Exequiis*, Concilium Rhemense anno MDLXXXIII. & Aquense anno MDLXXXV. Cum vero habebuntur, ita se gerant Concionatores, ut assentationem omnem fugiant, nec nisi ob veras, & compertas virtutes Defunctos laudent: auditores vero ad divinam misericordiam pro illis implorandam excitent; qua indigent omnes quantumvis laudabilis vitæ. Eos etiam ex consideratione mortis, & judicii ad peccatorum fugam, & morum emendationem hortentur.

REGULA XXIX.

In Anniversariis flagitandis molesti esse non debent Ecclesiastici, Regularesque Viri, nec diebus Dominicis, aut Festis sunt celebranda.

HAnc Regulam tradit Concilium Mediolanense I. tit. De Funeribus: *Caveant Parochi* (inquit) *& alii Ecclesiarum Rectores, ne quod pietate adducti suadere debent Mortuorum hæredibus, ut Anniversaria Officia illorum causa celebranda curent, id cupiditate impulsi molestius flagitent; qua in re si peccarint, Episcopi arbitrio puniantur.*

Et Mediolanense VI. p. III. eodem Titulo, vetat, *Ne die Dominico, & Festo, qui Ecclesiæ præcepto, consuetudine, votove colatur, Anniversaria agantur: quæ si certo aliquo Festo is, qui decessit, pro se agi præscripserit; alio proxime præcedenti die, cum pro Officii ratione licet, celebrentur.*

Idem longe antea prohibuerat Parisiense Concilium, anno scilicet millesimo ducentesimo duodecimo, can. XI. *Prohibemus* (inquit) *ne pro annalibus, vel triennalibus, vel septennalibus Missarum faciendis, Laici, vel alii dare aliquid, vel legare in Testamento cogantur; & ne super his aliqua pactio, vel actio vera, vel sub aliqua specie palliata, a Sacerdotibus, vel aliis Mediatoribus fiat.*

TRACTATUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CUm quæ sunt a Deo, ordinata sint, non alibi magis necessarium videtur, ut omnia sint ordinata, quam in Ecclesia, quæ Regnum est a Deo con- Variæ Ordinis acceptiones.

constitutum. Ipsam enim Deus, & Dominus noster Jesus Christus collegit, & ædificavit Sanguine suo, qui propterea mori dignatus est, ut filios Israel, qui erant dispersi, congregaret in unum, ut esset unum ovile, & unus Pastor. Quamobrem recte in Canticis *Castrorum acies ordinata* vocatur: neque ulla magis re est adversariis Potestatibus terribilis, quam eo ipso, quod est ordinata. Est igitur Ordo cum primis in ea necessarius; de quo *S. Augustinus* Lib. I. *De Ordine*, cap. IX. scribit: *Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum, & quem nisi tenuerimus in vita, non pervenimus ad Deum.* Et infra: *Ordo est, per quem aguntur omnia, quæ Deus constituit.*

Ordinem generatim sumptum ita definit Conc. Trident. Cathechismus: *Ordo est dispositio superiorum, & inferiorum rerum, quæ inter se ita aptatæ sunt, ut una ad alteram referatur.* Paulo aliter *S. Augustinus*, Lib. XIX. *De Civitate Dei*, cap. XIII. *Ordo est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.*

Secundo sumitur Ordo pro hominis statu, & dignitate, quæ ipsi cum multis aliis communis est. Eo sensu dicitur Ordo Senatorius, Ordo Equestris. Ita qui vulgo dicuntur tres Status Regni, Ecclesiasticus, Nobilis, & Plebejus, Latine loquentibus tres Ordines dicuntur. Sic in Ecclesia distinguitur Ordo Clericorum, Ordo Monachorum, Ordo virginum; sic varii Ordines Religiosi.

Tertio sumitur Ordo significatione magis propria pro statu quodam, & dignitate hominum, qui consecratione quadam pollentes, Sacerdotio apud Christianos fungi possunt; aut destinatione, & benedictione quadam consecrati jus habent ad Ministerium aliquod in Sacerdotii functione exercendum, quæ quidem Benedictio, seu Consecratio, Ordinis Sacramentum, vel Sacra Ordinatio vocatur. Placuit autem SS. Patribus hoc vocabulo uti, quod latissimam significationem habet, ut dignitatem, & excellentiam Ministrorum Dei indicarent. Cum enim in Sacro Altaris Ministerio multi sint gradus: omnes vero certa ratione distributi sint, & collocati: recte & commode Ordinis nomen ei impositum videtur, (inquit Concilii Catechismus.)

CAPUT I.

DE ORDINIS ESSENTIA, ET DIVISIONE.

ARTICULUS I.

Quid sit Ordo? Utrum sit vere Sacramentum?

Quid est Ordo?

ORdo est *Sacramentum, quo potestas quædam spiritualis traditur Ordinato, sive ad sacrosanctum Christi Corpus consecrandum, sive ad alias functiones, & Ministeria Ecclesiastica obeunda.* Hæc definitio Ordinationes omnes complectitur, sed inprimis Sacerdotium, quo traditur consecrandi Corporis Christi potestas, quæ omnium Ordinationum finis est ultimus, cujus gratia institutæ sunt: deinde Ordinationes ceteras, quæ ad eminentem illam potestatem suscipiendam pro modulo suo Sacerdotem futurum præparant, ac disponunt.

Potestas Ecclesiastica quotuplex?

Duplex autem Potestas Ecclesiastica est, *Ordinis* scilicet, ac *Jurisdictionis.* Potestas Ordinis ad verum Christi Domini Corpus in Sacrosancta Eucharistia refertur. Potestas Jurisdictionis tota in Christi Corpore mystico versatur: ad eam enim spectat Christianum populum gubernare, & moderari, & ad æternam, cælestemque beatitudinem dirigere. Non minus enim eget Ecclesia Sacerdotio, ut regatur, & defendatur, quam Sacrificio,

ficio, ut nutriatur. Id docet Conc. Tridentinum sess. XXIII. cap. I. cum ait: *A Domino Salvatore nostro Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus, & Sanguinem ejus, necnon & peccata dimittendi, & retinendi.* Hæc enim verba utramque potestatem complectuntur. Deinde omnes Ordines, si prima eorum institutio spectetur, creati non sunt tantum ad Sacrificium Ecclesiæ celebrandum, sed etiam ad bonum Ecclesiæ Regimen constituendum. Quemadmodum enim, si Sacrificium tollas perit omnis Religio: ita si Regimen auferas, Ecclesia non erit amplius Ecclesia, sed hominum turba, quæ ut temere confluit, sic nullo cum consilio dissolvitur.

Spiritualem illam Ordinis potestatem contulit Christus Dominus Discipulis suis, quando Corporis, & Sanguinis sui Sacramentum, & Sacrificium instituens, dixit illis: *Hoc facite in meam commemorationem*; (ut refert Apostolus I. ad *Cor.* XI.) Illis enim verbis, ut recte docet Tridentina Synodus, Christus Apostolos suos Novæ Legis Sacerdotes instituit. Et rursum quando post Resurrectionem insufflavit in eos dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos ∴ Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* (Joan. XX.) Et cum illos his verbis compellavit (Matth. XVIII.) *Amen dico vobis, Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.*

Sacramentum Ordinis quando institutum a Christo?

PROPOSITIO UNICA

Ordo est verum, & proprie dictum Novæ Legis Sacramentum.

Est enim Sacræ rei signum efficax, sive Signum visibile invisibilis gratiæ. Signum, seu elementum est Manus impositio, vel certorum Instrumentorum contactus: ad quod elementum, cum accedit verbum, fit Sacramentum. Nec enim significatur modo, verum etiam reipsa confertur invisibilis gratia, qua fit, ut tradita sibi spirituali potestate recte fungi possit ordinatus. Quod autem sacer ille Ritus gratiam conferat, testis est S. Paulus, cum Timotheum suum his verbis alloquitur (I. ad Timoth. IV.) *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii est,* (idest, Episcoporum, qui te mecum inaugurarunt, ut *S. Jo: Chrysostomus* interpretatur) Et iterum: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Quæ gratia cujusmodi sit, verbis sequentibus indicat, quæ internam, & occultam Sp. Sancti subministrationem significant: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.* Hæc enim verba ad gratiam in Ordinatione collatam pertinere intellexit Ecclesia in Concilio Tridentino congregata, sess. XXIII. cap. III. Ad hujusmodi gratiam & illud referendum est, quod ait Dominus, Joan. XX. *Accipite Spiritum Sanctum*: cum enim potestatem daret sacri Muneris exequendi etiam gratiam addere voluit, qua ad functionem illam sacram rite, & sancte obeundam præpararentur, & instruerentur. Eam gratiam ad sanctificationem hominis pertinere constat, quia Spiritus Sanctus omnis sanctificationis est auctor. Atque ita hunc locum explicant *S. Cyrillus* Lib. XII. in Joannem; & antiquus Auctor Quæstionum in Vetus, & Novum Testamentum, inter *S. Augustini* Opera editarum, qu. XCIII. Nec vero gratiam duntaxat gratis datam Ordinatione sacra conferri quis recte colligeret ex eo, quod gratiam Timotheo datam *per Prophetiam* Apostolus testatur. Non enim hoc loco data fuisse dicitur Timotheo gratia Prophetiæ, sed *per Prophetiam*, idest, secundum

Ordo verum Sacramentum.

præcedentem de illo prophetiam, ut dicitur explicatius cap. I. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te Prophetias, ut milites in illis bonam Militiam.* Hoc est, secundum revelationem prius factam, qua significatum fuerat, Timotheum tanquam Ecclesiæ militem, Sacerdotem, & Episcopum esse inaugurandum.

Idem ex Apostolica Traditione, & Patrum consensu confirmatur. Unus sit instar omnium *S. Augustinus* Lib. II. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. XIII. ubi Sacramentum Ordinationis cum Sacramento Baptismi ita comparat, ut utrumque Sacramentum esse, & quadam consecratione homini dari asserat, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque neutrum iterandum esse, ne injuria fiat Sacramento. *Nam illud* (inquit) *quod quidam eorum veritate convicti dicere cœperunt, Baptismum quidem non amittit, qui recedit ab Ecclesia, sed jus tamen dandi amittit: multis modis apparet frustra, & inaniter dici. Primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere. Utrumque enim Sacramentum est; & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam Præpositi pro bono pacis correcto Schismatis errore suscepti sunt, & si visum est opus esse, ut eadem Officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursum ordinati: sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra: quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in Sacramentis, quæ ubicumque sunt, ipsa sunt. Et cum expedire hoc judicatur Ecclesiæ, ut Præpositi eorum venientes ad Catholicam Societatem honores suos ibi non administrent: non eis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis in Populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria.* Et paulo post: *Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.* Ex quibus perspicuum est, Ordinem non minus proprie Sacramentum esse, quam Baptismum; & ea de re dubitasse neminem *S. Augustini* ætate, adeoque illud ex Traditione acceptum.

S. Leo. Epist. XI. alias LXXXI. Sacram Ordinationem Sacramentum vocat. *Nam præter auctoritatem consuetudinis* (inquit) *quam ex Apostolica novimus venire Doctrina, etiam Sacra Scriptura manifestat, quod cum Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad Evangelium Gentibus mitterent prædicandum, jejunantes & orantes imposuerunt eis manus, ut intelligamus quanta, & dantium, & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ Benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo pie, & laudabiliter Apostolicis morem gesseris Institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris: ut his, qui consecrandi sunt, nunquam Benedictio, nisi in die Resurrectionis Dominicæ, tribuatur:* idest Dominica die, qua Resurrectionis Christi memoria recolitur. Et Epistola I. alias LXXXVII. de sacris Ordinationibus loquens: *Quis ergo* (inquit) *dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam?*

Ordo verum Sacramentum.

Denique *Eugenius IV.* in decreto pro Instructione Armenorum, Ordinem Sacramentum esse docet, ejusque effectum esse *Augmentum gratiæ*, ut possit quis esse idoneus Minister. Et Conc. Tridentinum sess. XXIII. c. III. *Cum Scripturæ* (inquit) *testimonio, Apostolica Traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere, & proprie unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis.*

Et

Et can. III. *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere, & proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum Ritum quemdam eligendi Ministros verbi Dei, & Sacramentorum; Anathema sit.*

ARTICULUS II.

Quot sint Ordines?

CUm divina res sit Sacerdotii Ministerium; consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinantissima dispositione plures, & diversi essent Ministrorum ordines, qui Sacerdotio ex Officio deservirent; ita distributi, ut qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent (inquit Tridentina Synodus sess. XXIII. cap. II.) Proinde visum est Spiritui Sancto septiformis gratiæ largitori omnes Ordines ad Corpus Christi verum, idest, ad Eucharistiæ Sacrificium directe destinatos septenario numero concludere, quorum tres Majores, & peculiari ratione Sacri dicuntur; quatuor Minores, tametsi & hi generali quadam ratione Sacri dici possunt. Majores sunt Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus; Minores, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus. Ad septenarium numerum Ordinum, qui ad verum Christi Corpus referuntur, addere licet octavum Ordinem his omnibus eminentiorem, nempe Episcopatum, qui ad Corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesiam regendam ab ipso Christo institutus est. Hic apex est, & consummatio Sacerdotii, huncque verum Ordinem a Presbyteratu distinctum esse docent, & propugnant Doctissimi Theologi. Ad hanc dignitatem per inferiorum Ordinum gradus pervenitur. Æquum enim esse visum est, quod in gubernatore navis observatur, ut id multo diligentius observetur in Ecclesiæ navi gubernanda. Sicut enim in illa non statim alicui gubernacula creduntur, sed primum adhibetur ad remos, postea in proram deducitur, inde paulatim ad ulteriora procedit, ac ubi multam rerum maritimarum experientiam consecutus est, tandem ad gubernacula admovetur: sicut etiam in rebus bellicis, Militis primum officio fungitur aliquis, postea fit Decurio, deinde Centurio, ac posteaquam Ordines duxit aliquamdiu, tandem si judicetur idoneus, Dux, & Imperator Militum designatur: ita fieri oportet in Ecclesia, ut ne quis ad summum gradum subito prosiliat, verum in Minoribus aliquandiu se exerceat, ac pedetentim ad Majores progrediatur. Quod ita factum esse a *S. Cornelio* narrat *S. Cyprianus* Ep. LII. *Nam, quod Cornelium charissimum nostrum Deo, & Christo, & Ecclesiæ ejus, item Consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iste ad Episcopatum subito pervenit: sed per omnia Ecclesiastica Officia promotus, & in divinis Administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad Sacerdotii Sublime fastigium cunctis Religionis gradibus ascendit.* Ita quoque de Nepotiano *S. Hieronymus* Epist. III. *Fit Clericus, & per solitos gradus Presbyter ordinatur.* Hos omnes Ordines præcedit Tonsura Clericalis, quæ & prima Tonsura dicitur, quæ est *Cæremonia sacra, qua homines in Clerum alleguntur.*

Plures Ordines.

ARTICULUS III.

De prima Tonsura.

PRimam Tonsuram non esse Ordinem, certum est, cum a Christo non sit instituta, sed ab Ecclesia, nec spiritualem potestatem conferat ad Ministerium aliquod Ecclesiasticum obeundum, eamque Tridentina Synodus ab Ordinibus diserte distinguat: sed est præparatio ad Ordines accipiendos: meraque

Prima Tonsura non est Ordo.

raque ad cultum divinum deputatio. Ut enim homines ad Baptismum Exorcismis, ad Matrimonium Sponsalibus præparari solent: ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur (inquit Conc. Tridentini Catechismus.)

Clerici nomen quid significet?

Tunc primum eis imponitur *Clerici* nomen, quod tamen Sacris omnibus hominibus commune est, etiam Presbyteris, & Episcopis, ad quos inprimis pertinent Canones Clericis præscripti, & in quibus hujus vocabuli ratio conspici debet. Dicuntur enim *Clerici ἀπὸ τοῦ κλήρου*, idest, a sorte, ad significandum quod Clericus Dominum sortem suam, & hæreditatem habere debeat, veluti qui in Hebræorum Populo divino cultui mancipati erant: quibus vetuit Dominus aliquam agrorum partem in Terra promissionis distribui, cum ait num. XVIII. *Ego pars, & hæreditas vestra.* Quod quamvis omnibus Fidelibus commune sit, præcipua tamen ratione eis conveniat necesse est, qui se Dei Ministerio consecrarunt. Unde *S. Hieronymus* Epist. II. ad *Nepotianum* scribit: *Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur. Si enim κλῆρος Græce, sors Latine appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini; vel quia ipse Dominus sors, idest, pars Clericorum est. Qui autem, vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet; talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit:* Pars mea Dominus, *nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus; verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus: nec accipio partem inter ceteras Tribus, sed quasi Levita, & Sacerdos vivo de Decimis; & Altari serviens, Altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam Crucem nudus sequar.* Quæ tamen non eo dicta sunt animo a Sanctissimo Doctore, ut Clericis interdictam bonorum temporalium possessionem vellet, qui *Joan. Vvicleff* error fuit in Concilio Constantiensi damnatus: sed ut significaret, Clericos congerendis opibus studere non debere, sed iis, quæ ad victum, & vestitum sufficiant, contentos, negotiis, & curis sæcularibus se non implicare. *Obsecro itaque te* (inquit) *& repetens iterum iterumque monebo, ne officium Clericatus genus antiquæ Militiæ putes, idest, ne lucra sæculi in Christi quæras Militia; ne plus habeas quam quando Clericus esse cœpisti; & dicatur tibi:* Clericorum non proderunt eis. *Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quam fuerant sæculares; & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace diabolo non habuerant; ut suspiret eos Ecclesia divites, quos Mundus tenuit ante mendicos.* Refertur Canone *Clericus*, causa XII. qu. II.

Psalm. 15.9.

Quid significet hæc professio Clericorum? Dominus pars hæreditatis meæ.

Quod igitur profitentur Clerici, cum Tonsura initiantur, *Dominus pars hæreditatis meæ*, non significat ipsos omni hæreditati, & possessioni terrenæ renunciare, sed spem suam, & amorem in Deo defigere, cujus se Ministerio mancipant. Id enim pars alicujus vocatur more Scripturæ Sacræ, quod habet pro re præstantissima, quam præcipue amat, & in qua spem suam constituit. Quo sensu de voluptatibus hujus sæculi dicunt impii, Sap. II. *Hæc est pars, & sors nostra.* Et David Psalm. CXVIII. *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam.* Hoc sensu partem si Clericus habuerit extra Dominum, pars ejus non erit Dominus, quia *Nemo potest duobus Dominis servire.* Ceterum sicut David, qui dixit, *Dominus pars hæreditatis meæ*, divitias habuit, & Sancti Patriarchæ, qui hoc dicere potuerunt, bona terrena possederunt; ita Clericus, & vere dicere potest, *Dominus pars hæreditatis meæ*, & nihilominus bona temporalia possidere, modo cor iis non

non apponat, ut idem Psalmista monet: imo, ut superius dictum est, omnibus Christianis commune est, ut Dominum partem habeant, sed excellentiori modo id competit iis, qui Sacris Officiis, & Ministeriis consecrati sunt; non quo facultates suas relinquere teneantur, sed animum a terrenis rebus, & curis avocare, secundum illud Apostoli II. ad Timoth. II. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Hinc *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, distinct. XXIV. quæst. I. art. I. quæst. III. ait: *Clerici in hoc, quod Coronam accipiunt, non renunciant patrimonio, neque aliis rebus temporalibus; quia terrenorum possessio non contrariatur divino cultui, ad quem Clerici deputantur, sed nimia eorum solicitudo*; quia ut ait *S. Gregorius*, Lib. X. *Moral.* cap. XVII. *Non census in crimine, sed affectus*. Imo ipsi Levitæ Veteris Legis, qui Clericorum nostrorum typi fuerunt, bona temporalia possederunt. Ipsis enim attributæ sunt civitates ad habitandum, & suburbana ad alendum pecora, *Num.* XXXV. Quin & *Barnabas* Levita agrum habuisse legitur, cujus pretium ad pedes Apostolorum deposuit *Act.* IV. Jeremias Sacerdos a patruele suo agrum emit. *Jerem.* XXXII. & cap. XII. hæreditatem se habuisse testatur. Judas Machabæus, & fratres ejus Levitæ, cum Principes Populi, bellique Duces essent, bona temporalia proculdubio habuerunt. Quod ergo Lex *Num.* XVIII. Levitas quidquam possidere vetat, id de parte Terræ promissæ distincta, ac separata a reliquis Tribubus intelligendum est, ut Scriptura manifeste significat. Voluit enim Dominus Levitas omnibus Tribubus permixtos habitare, ut eorum opera, ac ministerio verus Dei cultus apud omnes conservaretur. Se autem esse partem, & hæreditatem Levitarum Dominus ait, quod oblationes omnes Deo factæ in eorum usum cederent.

Psalm. 61.

Quod autem Levitæ Clericorum nostrorum typi fuerint, egregie confirmat *S. Cyprianus* Epist. LXVI. *Scriptum est* (inquit) *Nemo militans Deo obligat se molestiis sæcularibus, ut possit placere ei, cui se probavit. Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis Clerici molestiis, & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos, & sæculares actus vacare non possunt. Cujus Ordinationis, & Religionis formam Levitæ prius in Lege tenuerunt, ut cum Terram dividerent, & possessiones partirentur undecim Tribus, Levitica Tribus, quæ Templo, & Altari, & Ministeriis divinis vacabat, nihil de illa divisionis portione perciperet, sed aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret; & ad victum, atque alimentum ab undecim Tribubus de fructibus, qui nascebantur, decimas perciperet. Quod totum fiebat de auctoritate, & dispositione divina; ut qui operationibus divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare, aut agere sæcularia cogerentur. Quæ nunc ratio, & forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini Ordinatione Clerica promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis, & negotiis sæcularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab Altari, & Sacrificio non recedant, sed die, ac nocte celestibus rebus, & spiritalibus inserviant.*

Levitæ, Clericorum typi. 2. Tim. 2. 4.

Sportulantes Clerici dicti a sportulis, seu canistellis, in quibus ipsis honoraria, seu portiones ex Ecclesiæ bonis, & oblationibus ad victum conferebantur.

Iis porro, qui Clericali Militiæ adscribuntur, tondentur Capilli ad Coronæ speciem; quem Ritum *S. Petrum* induxisse ferunt in memoriam coronæ, quæ ex spinis contexta, Salvatoris nostri capiti fuit imposita: ut, quod impii ad Christi ignominiam, & cruciatum excogitarunt, eo Apostoli ad decus, & gloriam uterentur: simulque significarent, curandum esse a Ministris Ecclesiæ, ut omnibus in rebus Christi Domini nostri speciem, & figuram gerant. Hanc rationem Tridentini Concilii Catechismus affert, quam tradit *Ceolfridus* Abbas apud *Bedam* Venerabilem, Lib. V. *Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum*, cap. XII. *Neque vero* (inquit) *ob id tantum in Coronam*

Quid significet r[illegible]us tonsio [illegible] capillorum

ronam attendemur, quod Petrus ita attonsus est; sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est, idcirco & nos, qui per eamdem Passionem salvari desideramus, ipsius Passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte gestamus. Ad exemplum S. Petri Coronam Clericalem pariter referunt Ordo Romanus, *Amalarius* Lib. IV. *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XXXIX. *S. Gregorius Turonensis* Libro *De Gloria Martyrum*, cap. VIII. & *Rabanus Maurus* Lib. I. *De Institutione Clericorum*, cap. III.

Nonnulli asserunt, hac nota Regiam Dignitatem declarari, quæ iis maxime, qui in sortem Domini vocati sunt, videtur convenire. Quod enim Apostolorum Princeps fideli Populo tribuit; *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta*, peculiari quadam, & magis propria ratione, ad Ecclesiasticos Ministros pertinet (inquit Concilii Tridentini Catechismus.) Quæ ratio ex *S. Isidoro* Hispalensi Lib. II. *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. IV. sumpta est.

Alii vitæ perfectionis professionem a Clericis susceptam circuli figura, quæ omnium perfectissima est, significari existimant, ut Auctor Libri, qui *Gemma Animæ* inscribitur, cap. CXCV. *Rotunditas, quæ remanet crinium* (inquit) *est ornatus virtutum. Capilli vero in circulum coæquantur, quia omnes virtutes in charitatis concordia consumantur.* Coronæ Clericalis figuram expressit Concilium Toletanum IV. Canone XL. *Omnes Clerici* (inquit) *detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant.*

Alii denique hoc signo externarum rerum contemptum, animique ab omnibus curis vacuitatem declarari putant; quod capilli supervacaneum quiddam in corpore tondeantur. Vitiorum resectionem hoc Ritu significari docet *S. Isidorus* Lib. II. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. IV. Quia scilicet Deo sacri homines præ ceteris omnibus *Expoliare* debent „ veterem hominem „ cum actibus suis, & induere Novum, qui in agnitionem Dei renova„ tur. Quam renovationem in mentem oportet fieri, sed in capite demon„ strari, ubi mens noscitur habitare. Hinc pro Clericis initiandis Deum o„ rat Episcopus: Ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum Religio„ nis in eis perpetuum conservet, & a Mundi impedimento, ac sæculari „ desiderio corda eorum defendat; ut sicut immutantur in vultibus, ita dex„ tera manus ejus virtutis tribuat eis incrementa, & ab omni cæcitate spi„ rituali, & humana oculos eorum aperiat, & lumen eis æternæ gratiæ „ concedat; ut legitur in Pontificali Romano.) Præclare omnino *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, distinct. XXIV. quæst. III. art. I. quæst. I. *Eis* (inquit) „ qui ad Divina Ministeria applicantur, competit Tonsura, & rasu„ ra in modum Coronæ, & ratione figuræ, quia Corona est signum Regni; „ & ratione perfectionis, cum sit circularis: illi autem, qui Divinis Mini„ steriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute „ esse debent. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum; & ex „ parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus „ a contemplatione divinorum retardetur; & ex parte inferiori per Tonsu„ ram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur.

Quid significet superpelliceum?

Superpelliceum ab Episcopo induuntur, quo significatur ipsos sæcularis habitus servitute, & ignominia deposita, & *Sacræ Religionis habitu* assumpto, novos homines esse oportere. Morum enim candorem, vitæque integritatem designat. Unde ipsos induens Episcopus ita precatur: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.*

Clericorum jura, & privilegia.

Qui Tonsura Clericali initiantur, Beneficiorum Ecclesiasticorum capaces redduntur, de foro Ecclesiæ fiunt, & Clericalia Privilegia sortiuntur, ut decla-

declarat Episcopus sic ipsos allocutus ex Romani Pontificalis præscripto : *Hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & Privilegia Clericalia sortiti estis. Cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis.* Non tamen privilegio fori eo ipso gaudent, quo prima Tonsura sunt initiati, nisi positis conditionibus a Concilio Tridentino præscriptis sess. XXIII. *De Reformat.* cap. VI. de quibus inferius dicemus.

ARTICULUS IV.

De Minoribus Ordinibus.

MInores Ordines antiquissimos esse, & ab Apostolis, vel immediatis eorum Successoribus institutos, Scholastici Doctores asserunt, quamvis nec in Actis, nec in Epistolis Apostolorum distincta eorum mentio fiat, nec in Scriptis Patrum primi, & secundi Sæculi. Sed cum *S. Thoma* in IV. *Sententiarum*, dist. XXIV. quæst. I. art. I. qu. II. ad II. dicendum, quod *In primitiva Ecclesia propter paucitatem Ministrorum omnia inferiora Ministeria Diaconis committebantur; ut patet per Dionysium* III. *cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, ubi dicit:* Ministrorum alii stant ad portas Templi clausas; alii aliud quid proprii Ordinis operantur; alii cum Sacerdotibus proponunt super Altare sacrum Panem, & benedictionis Calicem. *Nihilominus erant omnes prædictæ Potestates, sed implicite in una Diaconi Potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia, quod implicite habebat in uno Ordine, explicite tradidit in diversis.* Contingit nimirum Ecclesiæ, quod hominibus solet, qui dum tenue patrimonium habent, uno servo contenti sunt, qui solus omnia administrat: si vero redditus augeantur, servorum etiam augetur numerus; eoque magis crescit familia, quo illi locupletiores, & spectabiliores evadunt. Sic Evangelicæ Prædicationis initio parvula adhuc, & latitans Ecclesia paucis indiguit Ecclesiasticarum functionum Ministris. Crescente autem Fidelium multitudine, & auctis Ecclesiæ facultatibus ex Christianorum oblationibus, cum soli Diaconi omnia exequi ministeria non possent, diversa Officia diversis personis distributa sunt; ex quo factum est, ut splendidiori, & augustiori apparatu Ecclesiasticarum functionum cæremoniæ peragerentur.

Minorum Ordinum antiquitas.

Ex Minoribus Ordinibus unum tantum agnoscunt Græci, nempe Lectoratum, ceteros prætermittunt, ut ex eorum Euchologiis ante annos octingentos scriptis, ex antiquis Canonibus Conciliorum in Oriente celebratorum, & exemplis, ac monumentis Græcorum Antistitum sanctitate illustrium probat *Jo: Morinus* p. III. *de Sacris Ordinationibus*, Exercitatione XIV. cui subscribit Cardinalis *Bona* Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, cap. XXV. Ministeria tamen quatuor Minoribus Ordinibus a Latinis tributa in Liturgiis, & Officiis suis Ecclesiasticis non omiserunt Græci, sed ea partim Lectori, partim Subdiacono diviserunt. In Ecclesia autem Occidentali distinctam singulorum Ordinum Minorum mentionem faciunt certissima Sacræ Antiquitatis Monumenta. Nam *S. Cornelius* Pontifex, & Martyr Epistola ad *Fabium Antiochenum*, apud *Eusebium* Lib. VI. Historiæ Ecclesiasticæ, c. XLIII. scribit suo tempore in Ecclesia Romana fuisse *Presbyteros quatuor, & quadraginta, septem Diaconos, totidemque Subdiaconos; Acolythos duos, & quadraginta, Exorcistas, & Lectores, cum Ostiariis quinquaginta duos.* Lectorum meminit *Tertullianus* Lib. *De Præscriptionibus Hæreticorum*, cap. XLI. *Ordinationes* (inquit) *eorum temerariæ, leves, inconstantes ∴ Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus.*

Sed

Minores Ordines.

Sed & *S. Cyprianus* Epist. XXIV. Lectorem *Staturum* se constituisse, significat: Epist. XXXIII. *Aurelium* Confessorem Lectorem a se ordinatum denunciat. *Merebatur* (inquit) *talis Clericæ Ordinationis ulteriores gradus, & incrementa majora, non de annis suis, sed de meritis æstimandus; sed interim placuit, ut ab officio lectionis incipiat. Quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis divinis lectionibus personare: post verba sublimia, quæ Christi Martyrium prolocuta sunt, Evangelium Christi legere, unde Martyres fiunt: ad pulpitum, post catastam venire ∴ Hunc igitur a me, & Collegiis, qui præsentes aderant, Ordinatum sciatis, quod vos scio, & libenter amplecti, & optare tales in Ecclesia nostra quamplurimos ordinari.* Et Epist. XXXIV. *Celerinum* Confessione nominis Christi insignem, pariter ordinatum Lectorem scribit. *Nihil est* (inquit) *in quo magis Confessor fratribus prosit, quam ut dum Evangelica lectio de ore ejus auditur, Lectoris fidem quisquis audierit, imitetur. Jungendus in lectione Aurelio fuerat, cum quo & divini honoris Societate conjunctus est ∴ Hos Lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat, & gloriosos vultus in loco altiore constitui, ubi ab omni Populo circumstante conspecti incitamentum gloriæ videntibus præbeant. Ceterum Presbyteri honorem designasse nos illis jam sciatis.* Acolythorum etiam meminit Epistola XLII. LV. & LXXVIII. Exorcistas nominat Epist. LXXVI. *Quod hodie* (inquit) *etiam geritur, ut per Exorcistas voce humana, & potestate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur Diabolus.* Apostolicarum Constitutionum Auctor Lib. VIII. cap. XXVI. Exorcistam ordinari negat, quia *Hoc Munus spontaneæ Dei erga homines benevolentiæ, & gratiæ est, qui illud nimirum gratis dat, cui vult.* Hanc gratiam initio Ecclesiæ Fidelibus plerisque datam certum est, ut in Christi nomine dæmonia ejicerent; sed hac potestate subtracta Ecclesia Sancti Spiritus afflatu Ordinem constituit, qui dæmonia ex Officio expelleret. Concilium Antiochenum can. X. facultatem tribuit Chorepiscopis ordinandi Exorcistas. *S. Martinum* a *S. Hilario* Pictaviensi Episcopo Exorcistam ordinatum testatur *Severus Sulpitius* in ejus Vita. *Intellexit vir altioris ingenii* (inquit) *hoc eum modo posse constringi, si id ei Officii imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque Exorcistam eum esse præcepit. Quam ille Ordinationem ne despexisse tanquam humiliorem videretur, non repudiavit.* Ordo igitur Exorcistarum ab aliis distinctus erat, & inter humiliores, seu Minores habebatur, adeo ut injuriæ tribui posse videretur, quod vir aliquis eximius ad illum assumeretur. *S. Felicem* primo Lectorem, deinde Exorcistam ordinatum fuisse, testatur *S. Paulinus* in ejus Natali IV.

primis Lector servivit in annis;
Inde gradum cœpit, cui munus voce fideli
Adjurare Malos, & sacris pellere verbis.

Lectores, Acolythos, Exorcistas recensent *Siricius* Epistola I. & *Zosimus* Epistola I. Ostiarios, Lectores, Acolythos *Gelasius I.* Epistola VI. Singulos illos Ordines recenset Conc. Carthaginense IV. cui *S. Augustinus* interfuit; Psalmistas, seu Cantores addit; sed merum Officium, non Ordinem esse perspicue significat: unde cum ceterorum Ordinum Ministrum esse doceat Episcopum, Cantores a Presbytero constitui posse declarat can. X. *Psalmista* (inquit) *idest, Cantor, potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri, Officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis, operibus comprobes.* Hinc *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, distinct. XXIV. quæst. I. art. I. quæst. II. ad V. *Psalmistatus* (inquit) *non est Ordo, sed Officium Ordini annexum: quia enim Psalmi cum cantu pronunciantur, ideo dicitur Psalmista, & Cantor: Cantor*

autem

autem non est nomen Ordinis specialis : tum quia cantare pertinet ad totum chorum ; tum quia non habet aliquam specialem relationem ad Eucharistiæ Sacramentum ; tum quia Officium quoddam est , quod inter Ordines largo modo acceptos quandoque computatur. Minores autem Ordines ad Eucharistiam referuntur. Acolythi enim materiam Sacramenti in urceolis præparant, & subministrant. Ostiarii Infideles, & excommunicatos arcent a conspectu Sacrorum, & a cœtu Fidelium. Lectores Fidei rudimentis Catechumenos instruunt, ipsosque Fideles erudiunt Scripturarum publica lectione. Exorcistæ Energumenos a Dæmonis potestate liberant, ut Eucharistiæ participes esse possint.

Utrum Minores Ordines sint Sacramenta, quæstio est fidei summam non spectans.

Minores Ordines vere, & proprie Sacramenta esse, negant plerique magni nominis Theologi, *Durandus*, Cardinalis *Cajetanus*, *Dominicus Soto*, *Navarrus*, *Vasquezius*, *Morinus*, & alii: quod ab Ecclesia, non a Christo instituti sint; quod eorum Officia possint a Laicis exerceri : quod possint a Cardinalibus, Abbatibusque , & aliis simplicibus Presbyteris, ex Sedis Apostolicæ Privilegio conferri: quod Sacerdotium duntaxat, & Diaconatum Ecclesia primitiva habuerit; Subdiaconatus, & ceteri Ordines postea introducti sint, & adjecti crescente credentium multitudine , ut disertis verbis asserunt *Amalarius* Lib. II. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. VI. *Urbanus II.* in Conc. Beneventano, ut apud *Ivonem* III. p. Decreti, cap. LXXII. citatur; *Petrus Blesensis* Sermone XLVII. *Hugo a S. Victore* Lib. II. *De Sacramentis Fidei*, p. III. cap. XIII. *Gratianus* dist. XXI & Magister Sententiarum Lib. IV. dist. XXIV. littera I. Secundo. Quod tres ex quatuor istis Minoribus Ordinibus, ab annis saltem mille, & ducentis in Ecclesia Orientali prorsus desierint, si modo in ea aliquando fuerunt: tantoque tempore Latinorum nemo Græcos redarguerit, aut mutilum esse apud eos Sacerdotium conquestus sit. Tertio. Quod istorum Ordinum subordinatio in altiorum Ordinum collatione sæpe non fuerit observata, & sæpe fuerint ordinati Subdiaconi , Diaconi , & Presbyteri, qui Minoribus Ordinibus initiati non fuerant. Sic *S. Epiphanium* a *Pappo* Citriæ Episcopo Diaconum ordinatum, quamquam repugnantem, deinde Presbyterum, & Episcopum, cum ad Ordinationem effugendam sæpius clamaret, & affirmaret se non esse Clericum, refert Vitæ ejus Auctor apud *Surium*, die XII. Maii. Sic *S. Epiphanius* ipse *Paulinianum* Monachum *S. Hieronymi* fratrem, comprehensum : ore compresso, ne repugnaret, omissis ceteris Ordinibus, Diaconum, & Presbyterum ordinavit, ut testatur *S. Epiphanius* apud *S. Hieronymum* Epist. X. Sic *Macedonius* Eremita a *Flaviano* Antiocheno Episcopo; sic alius Eremita *Acepsemas* nomine; sic *Salamanus* , qui toto vitæ tempore abditi fuerant, & cellis subterraneis inclusi, non solum Minoribus Ordinibus, sed etiam Subdiaconatu prætermisso , ab Episcopis Sacerdotes ordinati sunt, ut colligitur ex *Theodoreto* Historiæ Religiosæ cap. XIII. XV. & XIX. Ita *S. Marcellus* primum Lector , deinde Subdiaconus ordinatus est, ut refert *Fortunatus* apud *Surium* die I. Novembris. Sic *S. Bernardus* Episcopus Hildesemensis primum Exorcista ab *Osdago* Episcopo ordinatus est, deinde Subdiaconus ab *Vuillegiso* Archiepiscopo , ut in illius Vita a Præceptore conscripta, apud *Surium* XX. Novembris legimus. *Siricius* Pontifex Maximus Epist. I. Ordines omnes enumerans , in quorum functionibus mereri debebant Clerici antequam ad Episcopatum pervenirent, Ostiariatum prætermittit.

Ordines tamen Minores esse Sacramenta , *S. Thomas* , aliique censent . Tridentina vero Synodus hanc de inferioribus Ordinibus controversiam seponens, ea quæ contra Hæreticos universa constanter propugnat Ecclesia, definire tantum voluit, nullo præjudicio adversus Catholicorum Theologorum

logorum opiniones edito: ſcilicet, *Præter Sacerdotium eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines Majores, & Minores, per quos, velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur*. Ut ut eſt, unum tantum eſt Ordinis Sacramentum, quamvis ſint Ordines diverſi, quia omnes ad Sacerdotium referuntur, atque ita omnes in illo quodam modo unum ſunt, ſicut uno Ordinationis nomine comprehenduntur, ut docet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, diſtinct. XXIV. quæſt. II. art. I. quæſt. I. ad II. *Tota* (inquit) *plenitudo hujus Sacramenti eſt in uno Ordine, ſcilicet Sacerdotio: ſed in aliis eſt quædam participatio Ordinis ∴ Et ideo omnes Ordines eſt unum Sacramentum*.

Seſs.23. Can. 2.

Unum eſt Ordinis Sacramentum.

Atque hæc de Minoribus Ordinibus generatim ſufficiunt: nunc de ſingulis ſpeciatim agendum.

§. I.

De Oſtiariis.

Oſtiariatus materia, & forma.

INter minores Ordines primus occurrit *Oſtiarii* Ordo, cujus materia eſt Clavium Eccleſiæ traditio ab Epiſcopo; forma: *Sic age, quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his Clavibus recluduntur*. Id conſtat ex Conc. Carthaginenſi IV. can. IX. & ex Pontificali Romano.

Oſtiariorum Munus.

Oſtiariorum munus eſt Templi claves, & januam cuſtodire, & aditu Templi arcere Infideles, & excommunicatos. Ad Sanctum etiam Miſſæ Sacrificium adſiſtebant, curaturi, ne quis propius, quam par eſſet, ad ſacram Aram accederet, & Sacerdotem rem divinam facientem interpellaret. Illis etiam convenit ex Officio pulſare campanas. Unde benedictionem divinam illis adprecatur Epiſcopus: *Ut ſit eis fideliſſima cura in domo Dei diebus, ac noctibus, ad diſtinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini*. Quamobrem Archidiaconus ducit illos ad oſtium Eccleſiæ, illudque aperire, & claudere jubet; funemque campanæ tradit: quæ poteſtatis jam collatæ executio eſt, & veluti miſſio in poſſeſſionem ejus. Ipſis etiam olim pertinebat Librum aperire Epiſcopo verbum Dei prædicanti. Studere autem debent, ut ſicut materialibus clavibus Eccleſiam viſibilem aperiunt, & claudunt, ſic & inviſibilem Dei domum, corda ſcilicet Fidelium, dictis, & exemplis ſuis claudant diabolo, & aperiant Deo; ut divina verba, quæ audierint, corde retineant, & opere compleant; quemadmodum ipſos admonet Epiſcopus ex Pontificalis Romani præſcripto.

Magnam autem in veteri Eccleſia fuiſſe hujus Ordinis dignitatem, ex eo intelligitur, quod his temporibus ſervari animadvertimus. Nam Theſaurarii Officium, qui erat idem, ac Sacrarii Cuſtos, quod ad Oſtiarios pertinebat, inter honeſtiores Eccleſiæ functiones etiam nunc habetur; (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus.)

§. II.

De Lectoribus.

Munus Lectoris.

SEcundus inter minores Ordines eſt *Lectoris* gradus, cujus Munus eſt. Veteris, & Novi Teſtamenti Libros clara voce, & diſtincte in Eccleſia recitare, præſertim vero eos, qui inter nocturnam Pſalmodiam legi ſolent. In veteri Eccleſia, Epiſcopo Concionem ad Populum habituro, ſtabat Lector toti Populo conſpicuus, & de Pulpito legebat præſcriptam ab Epiſcopo Evangelii, vel alterius Libri Sacri partem, quam deinde Epiſcopus Chriſtianæ Plebi exponebat. Id ex antiquorum Patrum Sermonibus compertum eſt, maxime ex Enarratione *S. Auguſtini* in Pſalm. CXXXVIII. Lectorum quoque partes erant prima Chriſtia-

næ

næ Religionis rudimenta Fidelibus tradere, ut observat Conc. Tridentini Catechismus: *Panem* etiam, *& omnes fructus novos benedicere*, ut admonet Episcopus ipsorum Officia explicans ex Romani Pontificalis præscripto: quamquam hodie benedictiones illæ a solis Presbyteris peragantur. Lectores longe pluribus Officiis funguntur apud Græcos. Epistolam in Missa legunt, quod solis Subdiaconis in Ecclesia Latina convenit. Lampades, & cereos Altaris accendunt: Oblationes, vinum, & aquam, Sacerdoti celebranti deferunt: præeunt Sanctis Mysteriis luminaria ferentes in magno (ut vocant) introitu: singula quæque in Ecclesia præparant, ornantque, &c.

Lectoratus materia, & forma, in Ecclesia Latina.

Hujus Ordinis materia est traditio sacri Codicis, de quo lecturus est. Forma. *Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, & utiliter impleveris Officium, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio*. Orat Episcopus, ut Deus super eos benedictionem suam clementer effundat. *Quatenus distincte legant, quæ in Ecclesia Dei legenda sunt, & eadem operibus impleant*. Ipsos admonet, ut verba Dei, videlicet lectiones „ sacras distincte, & aperte ad intelligentiam, & ædificationem Fidelium, „ absque omni mendacio falsitatis proferant: ut quod ore legunt, corde cre„ dant, atque opere compleant, quatenus auditores suos verbo pariter, & „ exemplo docere possint. Ideo, dum legunt, in alto Ecclesiæ loco stare, „ ut ab omnibus videantur, figurantes positione corporis, se in alto virtu„ tum gradu debere conversari; *Quatenus cunctis, a quibus audiuntur, & videntur, cœlestis vitæ formam præbeant*.

In Ecclesia Græca.

In Ecclesia Græca, Ordinationis hujus materia manus impositio, forma oratio manuum impositioni adjuncta, ut constat ex Euchologiis, & ex Concilii VII. Generalis can. XIV. cujus hæc sunt verba: *Lectoris autem Manus impositionem licet in proprio Monasterio, etiam soli unicuique Abbati facere ∴ Similiter & ex antiqua consuetudine Chorepiscopo, Episcopi permissu oportet per manuum impositionem Lectores creare*. Constitutiones Apostolis adscriptæ Lib. VIII. nihil aliud referunt in Ordinatione Lectoris, quam Orationem, & manus impositionem.

Pueros olim, modo legendi periti essent, in hoc gradu constitutos, discimus ex *S. Augustino*, Lib. I. *De Consensu Evangelistarum*, cap. X.

§. III.

De Exorcistis.

Ordinis Exorcistarum materia & forma.

TErtius est Ordo *Exorcistarum*, quibus potestas data est nomen Domini invocandi in eos, qui ab immundis spiritibus obsidentur. Hujus Ordinis materia est traditio Libri Exorcismorum, ut docent Conc. Carthaginense IV. can. VII. Ordo Romanus, Ritualia edita a *Morino* p. II. *De Sacris Ordinationibus*, Missale Francorum editum a Domino *Jo: Mabillonio*, *S. Isidorus Hispalensis* lib. II. *De Divinis Officiis*, cap. XIII. *Rabanus* lib. I. *De Institutione Clericorum*, cap. X. *Amalarius* lib. II. cap. IX. *Ivo Carnotensis* Sermone *De Excellentia Ordinum*, &c. Hanc materiam dilatat Pontificale Romanum: permittit enim loco libri Exorcismorum, Pontificalis, aut Missalis traditionem. Forma, sunt verba in Conc. Carthaginensi IV. in Ritualibus antiquis, & Romano Pontificali præscripta: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super Energumenos, sive Baptiza„ tos, sive Catechumenos*. Enunciatur in plurali, *Accipite*, &c. cum plures „ simul traditum Librum dextera manu tangunt. Deum orat Episcopus, ut „ Famulos suos in Officium Exorcistarum benedicere dignetur: ut per impo„ sitionem manuum, & oris officium potestatem, & imperium habeant Spi-

„ ritus immundos coercendi, *Ut probabiles sint Medici Ecclesiæ gratia curationum, virtuteque cœlesti confirmati.*

Exorcistarum officium.

Exorcistarum officium est ejicere dæmones, & dicere Populo, *Ut qui non communicat, det locum*; & aquam in Ministerio fundere, ut habet Pontificale Romanum.

Morum integritas.

Qua vitæ sanctimonia, & morum integritate debeant effulgere, ipsos admonet Episcopus his verbis, ex ejusdem Pontificalis præscripto: *Studete, ut sicut a corporibus aliorum Dæmones expellitis, ita a mentibus vestris omnem immunditiam, & nequitiam ejiciatis; ne illis succumbatis, quos ab aliis, vestro Ministerio, effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare; ne in moribus vestris aliquid sui juris Inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis Dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis multimodam eorum nequitiam superabitis.*

Quod spectat hujus Ordinis functionem, optimum interdum foret illam non a Presbyteris, multo minus ab Episcopis, sed ab Exorcistis junioribus, ab adolescentulis ad hoc officium ordinatis, ac morum innocentia, & sapientia huic Ministerio paribus, exerceri ad majorem Dæmonis contemptum, & confusionem. Hæc autem in Exorcismis Energumenorum observanda præscribunt Concilia Mediolanensia primum, & quartum sub *S. Carolo Borromæo.*

Regulæ in Exorcismis Energumenorum observandæ.

Ne Sacerdoti, Clericove sæculari, aut regulari Exorcismum Energumenis adhibere liceat, nisi exorcizandi facultatem scripto exaratam ab Episcopo impetraverit.

„ Antequam vero exorcizare aliquem aggrediatur, perquirat inprimis E-
„ nergumeni, Energumenæve vitam, ac mores; tum exploret actiones; &
„ Medicum, si expedire censuerit, consulat; ut videat an quod ab illo, il-
„ lave agitur, fiat morbi alicujus, aut bilis atræ vi; an vero sponte, ac dis-
„ simulanter; an denique Dæmonis, malorumque Spirituum vexatione. Signa porro certiora possessionis alicujus a Dæmone sunt, si quis incognitis linguis loquatur, longa præsertim oratione, quam imparatam esse constet: si litterarum, atque artium ignarus, legit, scribit, pingit, aut de rebus altissimis disserit, qui nunquam studuit: si res prorsus arcanas, & occultas aperiat, quæ in locis remotis fiunt, præsertim vero, quæ phantasiæ cuiquam obversantur, aut cogitationes cordis ad ipsum directas, nulloque externo signo manifestas: si quid agat vires hominis, aut mulieris, sive sanæ, sive quovis morbo vexatæ, Medici judicio, superans: si vexatione cessante, eorum, quæ dixit, non recordetur.

Videndum præterea, an Energumenus, vel Energumena Excummunicatio-
„ nis vinculo irretiti unquam fuerint, atque Absolutionem rite acceperint.
„ In hoc exorcizandi munere, ejusve occasione, non modo quæstum fu-
„ giat Exorcista; sed nedona, aut muneris quidquam, vel minimum caveat.
„ Ne in profanis ædibus locisve privatis, sed in Ecclesia, loco aperto,
„ & conspicuo; neque in omni quavis Ecclesia, sed in iis solum, quas Epi-
„ scopus statuerit, Energumenum exorcizet, idque in inferiori Ecclesiæ
„ parte, non in Choro, non in Sacellis. Neque in conspectu multitudinis:
„ non remotis tamen arbitris, sed præsentibus viris honestis, atque ætate
„ gravibus, in iisque uno saltem, vel duobus Ecclesiasticis hominibus. Mu-
„ lieri autem energumenæ, cum Exorcismum adhibet, id præstet duobus æ-
„ tate, vitaque probatis viris, tum fœminis etiam totidem probatis præsen-
„ tibus, iisque omnibus, si fieri potest, energumenæ consanguineis, vel af-
„ finibus. Mares autem alios præsentes adesse, ne omnino patiatur, nisi
„ unum Ecclesiastici Ordinis hominem.

„ Ne

„ Ne ante ortum, nec vero post occasum Solis quemquam exorcizet. Ne „ duos simul eodem tempore, sed unumquemque sigillatim, ac separatim.

„ In hujus Muneris functione, graviter, pie, & religiose inprimis se ge- „ rat. Quamobrem pridie illius diei, quo alicui Exorcismum adhibere ince- „ perit, se jejunio, & oratione præparare studeat. Tum confessus, conscien- „ tia ab omni culpa pura, ac munda, magna cum humilitate, & fide, me- „ mor potestatis, quam a Domino accepit, expellendi dœmones, ad id mu- „ nus obeundum accedat. Si Sacerdos autem est, antequam Exorcismum in- „ choet, Missæ Sacrum faciat, si id commode præstare potest.

„ Energumenis vero Exorcismum ne adhibere incipiat, nisi illi primum „ confessi sint: ad hocque eos cohortetur, ut omnis anteactæ vitæ peccata „ diligenti conscientiæ discussione confiteantur. Tum sæpe moneat, ut pre- „ cibus, orationi, & sanctis meditationibus, & pietatis studiis, atque exer- „ citationi se dent; religiosas Ecclesias, ubi Sanctorum Reliquiæ reconditæ „ sint, certis diebus pie visitent; Jejunia præterea, & in sexta quaque in- „ primis Feria, quo die Passionis Jesu Christi Domini nostri memoria reco- „ litur, religiose amplectantur.

„ Caveat, dum exorcizat, ne Energumenæ mulieris capiti, corporive, „ nisi cum magna honestate, atque cautione manum adhibeat: neve Ener- „ gumenum, Energumenamve Altari imponat, neve quidquam aliud agat, „ quod offensionem præbeat.

„ Ne aliis vero Exorcismis, Precibus, Ritibusque ad id munus utatur nisi „ ad Libri, Episcopi Judicio comprobati, rationem præscriptam. Cui nihil „ ab eo addi, detrahi, aut mutari fas sit.

Interrogandus est dœmon de nomine, numero eorum, qui hominem vexant, causa possessionis, nec permittendum, ut sermones inutiles, & vanos effundat. Cavendum, ne de quæstionibus curiosis, aut futuris eventibus interrogetur: comprimendus est, ne calumniis, detractionibus, scurrilibus, ac ludicris verbis adstantibus illudat, eosque ad curiositatem, levitatem, aut voluptatem incitet. Artes dæmonis exploratas habere debet Exorcista, ne ab ipso fallatur, sive responsorum ambiguitate, sive latendi maligna industria, ne possessio vera videatur; sive recessus simulatione, ut intermittantur Exorcismi. Quibus artibus constantiam, & patientiam singularem opponere debet Exorcista, nec ab Exorcismis cessare, donec certis, & evidentibus signis compertum habeat Energumenum liberatum esse. Adhiberi possunt Reliquiæ ad caput, vel ad pectus Energumeni; cavendum tamen, ne sacræ illæ res a Demone indigne tractentur: nusquam adhibenda in Exorcismis Eucharistia, propter irreverentiæ periculum: neque Hostia etiam non consecrata, ad veritatem possessionis explorandam.

§. IV.

De Acolythis.

Acolythorum quartus est gradus, [& ultimus eorum omnium, qui Minores, & non Sacri appellantur. Eorum munus est, Ministros Majores, Subdiaconos, & Diaconos, in Altaris Ministerio assectari, eisque operam dare. Præterea lumina deferunt, & asservant, cum Missæ Sacrificium celebratur, præcipue vero cum Evangelium legitur: ex quo *Ceroferarii* alio nomine vocati sunt. Munus Acolythorum.

Hujus Ordinis materia duplex: una est Ceroferarii cum cereo traditio; altera Urceoli vacui. Atque in hoc conveniunt antiqui Libri Rituales, & recentiores cum Conc. Carthaginensi IV. & antiquis Officiorum Ecclesiastico- Hujus Ordinis materia, & forma.

rum Auctoribus. Sed materiam illam Concil. Carthaginense, omnesque antiqui Rituales Libri volunt ab Archidiacono tradi, idemque præscribit Ordo Romanus, sed formam ab Episcopo pronunciari jubet. Nulli verba proferebantur ab Episcopo, cum hæc instrumenta porrigebantur ordinandis, sed sui duntaxat officii admonebantur, ut docet can. VI. Concilii Carthaginensis. *Acolytus cum ordinatur* (inquit) *ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in Officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & Urceolum vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi.* Ex Pontificalis autem Romani præscripto, Episcopus tradit omnibus Ordinandis candelabrum cum candela extincta, quod successive manu dextera singuli tangunt, Eo dicente: *Accipite Ceroferarium, cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini.* Tradit illis etiam urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus: *Accipite Urceolum, ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi.*

Deum orat, ut eos benedicere dignetur, *Quatenus lumen visibile manibus præferentes, lumen quoque spirituale moribus præbeant: utque eorum mentes, & lumine scientiæ illustret, & pietatis rore irriget.*

Acolythorum admonitio. » Illos admonet Episcopus ante Ordinationem, ne lucem Deo manibus „ præferentes, operibus tenebrarum inserviant, & per hoc aliis exempla „ perfidiæ præbeant: sed impleant, quod Veritas jubet: *Luceat lux vestra*

Matth. 5. 16. *coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est:* & quod Apostolus Paulus ait: *In medio Nationis pravæ, &*

Philip. 2. 15. „ *perversæ lucete sicut luminaria in Mundo, verbum vitæ continentes.* Ut sint „ filii lucis: ut abjiciant opera tenebrarum, & arma lucis induantur: ut „ fructus lucis afferant *In omni bonitate, & justitia, & veritate;* ut seipsos „ & alios, & Dei Ecclesiam illuminent. Tunc etenim in Dei Sacrificium digne vinum suggesturos, & aquam, *Si ipsi Deo* Sacrificium, *per castam vitam, & bona opera oblati fuerint.*

Ritus antiquus Ordinandi Acolythum porrecto sacculo. In Libello octavo Ordinis Romani, quem edidit *D. Mabillonius* Tom. II. *Musæi Italici*, Ritus ordinandi Acolythi ita describitur: *Dum Missa celebrata fuerit, induunt Clericum illum Planetam, & Orarium. Dumque venerit Episcopus, aut ipse Domnus Apostolicus ad communicandum, faciunt eum venire ad se, & porrigit in ulnas ejus sacculum super planetam: & prosternit se in terram cum ipso sacculo, & dat ei Orationem sic:* Intercedente *Beata, & Gloriosa semperque Virgine Maria, & B. Apostolo Petro, salvet, & custodiat, & protegat te Dominus. Amen.* Acolythi ordinabantur olim porrecto sacculo: quia hujusmodi sacculos in Missa Pontificia tunc gestare solebant ad excipiendas Oblationes consecratas, tum quæ in Missa confringebantur ad Fidelium Communionem, tum quæ fermenti nomine ad Titulos mittebantur ad fovendam unitatem, concordiam, charitatem, teste *Innoc. I.* Epistola XXIX. ad Decentium: *De fermento* (inquit) *quod die Dominica per Titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipsa, propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra Communione, maxime illa die, non judicent separatos.* Sane *Tharsicius* Martyr ex illorum Acolythorum numero erat: *Qui cum quodam die deferret Christi Corporis Sacramenta, nec vellet ea discutientibus prodere Paganis, tamdiu est fustibus, & lapidibus maceratus ab eis, quousque exhalaret spiritum*, teste *Usuardo*, ad XVIII. Kalendas Septembris.

Acolythi Eucharistiam ad Titulos, seu Ecclesias Urbis Romæ deferebant.

AR-

ARTICULUS V.

De Subdiaconatu.

A Minoribus Ordinibus, iisdemque non Sacris, ad Majores, & Sacros legitimus aditus, & ascensus patet. Hi sunt Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium. *Ordo*, (inquit) *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* dist. XXIV. qu. I. art. I. qu. III.) *Sacer dicitur dupliciter : uno modo secundum se : & sic quilibet Ordo est Sacer, cum sit Sacramentum quoddam: alio modo ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum ; & sic Ordo Sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam : & sic sunt tantum tres Ordines Sacri ; scilicet Sacerdos, & Diaconus, qui habet actum circa Corpus Christi & Sanguinem consecratum, & Subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata : & ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti, & mundi sint, qui Sancta tractant.* Antiquissima est in Ecclesiasticis Monumentis Subdiaconorum mentio. Fuisse enim Romæ septem Diaconos, totidemque Subdiaconos testatur *S. Cornelius* Pontifex, & Martyr in Epistola ad *Fabium* Episcopum Antiochenum, apud *Eusebium* Lib. VI. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XLIII. Eodem ævo *Optatum* quemdam in Africa Subdiaconum a se ordinatum scribit *S. Cyprianus* Epist. XXIV. Eorumdem meminere Epistola *S. Ignatii* ad Antiochenos interpolata, Constitutiones Apostolicæ, Lib. VIII. & Concil. Laodicenum. Ab initio tamen, & deinceps per aliquot sæcula Subdiaconatus inter minores Ordines numerabatur, nec ei annexus erat cœlibatus. Post sextum sæculum, vix ulla Subdiaconorum occurrit memoria, qui continentiæ voto non fuerint adstricti. Romæ jam ab iis continentia servabatur tempore *Pelagii II.* qui Subdiaconis Siciliæ præcepit, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus uxoribus suis miscerentur, teste *S. Gregorio* Epistola XLII. Libri primi, & XXXIV. Libri tertii. A Romana autem ad alias Occidentis Ecclesias eadem Disciplina propagata est : qua occasione paulatim cœpit hic Ordo a Minoribus separari, & inter Majores, ac Sacros recenseri. Nam cum prius extra Sanctuarium, & Altare conferri soleret, ut constat ex *Amalario* Libro II. *De Divinis Officiis*, cap. VI. (quod etiamnum apud Græcos observatur) invaluit postea quorumdam Episcoporum consuetudo, cum intra Missarum solemnia conferentium, & ita sensim majoribus æquiparatus est. Multum nihilominus tempus intercessit antequam certa, & firma Lege inter Sacros Ordines recensitus sit. Nam *Petrus Cantor*, qui anno ducentesimo supra millesimum florebat, ab *Hugone Menardo* in Notis ad Sacramentarium *S. Gregorii* laudatus, pag. 280. ait : *De novo institutum est, Subdiaconatum esse Sacrum Ordinem.* Id ante nos observarunt Viri doctissimi *Jo: Morinus* p. III. *De Sacris Ordinationibus*, Exercitatione XII. & Cardinalis *Bona*, Rerum Liturgicarum Lib. I. cap. XXV.

Subdiaconatus primis Ecclesiæ sæculis non erat Ordo sacer.

Subdiaconorum Officia ex Romano Pontificali hæc sunt : Aquam ad ministerium Altaris præparare ; Diacono ministrare ; pallas Altaris, & Corporalia abluere ; Calicem, & Patenam in usum Sacrificii Diacono offerre, oblationes, quæ veniunt ad Altare, suscipere, ut ex iis, quantum satis est, in Altari ponatur, ne aliquid putridum in Sacrario remaneat. Eadem ministeria recenset *S. Isidorus Hispalensis* Epistola ad *Ludifredum* Cordubensem Episcopum. Olim nec Calicem, nec Patenam, nec Oblationes, in Altari ponebant, sed hæc omnia porrigebant Diaconis, eisque ministrabant intra Sanctuarium ; verum ad Altare minime accedebant, ut constat ex eodem Patre, necnon ex *Rabano Mauro* Lib. I. *De Institutione Clericorum*, cap. VIII. De legenda ab illis Epistola nihil habet antiquus Ordinationis eorum ritus,

Subdiaconorum Officia.

nec veteres Scriptores: hoc enim munere Rectores fungebantur, ut funguntur etiamnum apud Græcos. Ex Conc. Carthaginensi IV. constat, licuisse eis vasa sacra contingere, sed vacua: cum enim Corpus, & Sanguinem Christi continent, id illis prohibet Concilii Laodiceni Canon vigesimus primus, quo sancitur, *Non oportere Ministrum* (idest Subdiaconum, qui Diacono ministrat) *locum habere in Diaconiis, & Sacra vasa tangere*. Sic enim hunc Canonem interpretatur *Balsamon*.

Lex perpetuæ continentiæ Subdiaconis ab Ecclesia imposita.

Subdiaconis ordinandis significat inprimis Episcopus legem perpetuæ continentiæ huic Ordini esse impositam: illisque, cum hunc Ordinem susceperint, amplius non licere a proposito resilire; sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Ipsos deinde admonet quanta sedulitate, & sanctimonia sacrum Ministerium exercere debeant. *Si usque nunc* (inquit) *fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui. Si usque nunc somnolenti, amodo vigiles. Si usque nunc ebriosi, amodo sobrii. Si usque nunc inhonesti, amodo casti.*

Subdiaconatus materia, & forma.

Subdiaconatus materia est traditio Patenæ vacuæ, & Calicis vacui ab Episcopo: urceolorum vero cum vino, & aqua, & linteolo, quo manus absterguntur ab Archidiacono, ut intelligatur Subdiaconum Diacono ministrare debere. Ideo autem Subdiaconus horum instrumentorum traditione ordinatur, *Quia manus impositionem non accipit* (inquit Conc. Carthaginense IV. can. V.) Idem constat ex Pontificali Romano, & antiquis Ritualibus omnibus Ecclesiæ Latinæ. Forma huic materiæ respondens, sunt verba, quæ profert Episcopus ex Romani Pontificalis præscripto, dum singuli Calicem, & Patenam successive tangunt: *Videte, cujus Ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis*. Tum „ orat Episcopus, ut Deus super eos benedictionem suam effundat; eosque „ in Sacrario suo sancto strenuos, solicitosque cælestis Militiæ instituat ex- „ cubitores, Sanctisque Altaribus fideliter subministrent: & requiescat su- „ per eos Spiritus sapientiæ, & intellectus; Spiritus consilii, & fortitudi- „ nis; Spiritus scientiæ, & pietatis, & repleat eos Spiritu timoris sui: & „ in Ministerio divino confirmet; ut obedientes facto, ac dicto parentes „ gratiam consequantur.

Deinde Amictum, Manipulum, Tunicam ipsos induit Episcopus, præscriptam in Pontificali verborum formam adhibens. Tradit denique ipsis Librum Epistolarum, quem dum singuli manu dextera contingunt, hæc verba profert: *Accipite Librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, tam pro vivis, quam pro Defunctis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ad materiæ, formæque integritatem hæc in Ecclesia Latina pertinere nemo negaverit: sed in sola Libri Apostolici traditione Subdiaconatus materia sita esse non videtur. Traditio enim istius Libri in Ordinatione Subdiaconi perpetua non fuit. Ejus non meminerunt Concil. Carthaginense IV. nec antiqua Ritualia, nec *S. Isidorus* in Libris *De Officiis Ecclesiasticis*, nec *Rabanus Maurus* in Libris *De Institutione Clericorum*, licet Ritus Ordinationum sigillatim explicent. Tam altum silentium probat Subdiaconos antiquitus Epistolam in Synaxi, sive publico Ecclesiæ cætu ex Officio non legisse. Id confirmant *Amalarius* Lib. I. *De Officiis*, cap. XI. *Micrologus* cap. VIII. *Stephanus Æduensis* Lib. *De Sacramento Altaris*, cap. V. Auctor Libri, qui scribitur *Gemma Animæ*, Libro I. cap. CLXXIX. *Hugo a Sancto Victore* in Speculo *De Mysteriis Ecclesiæ*, cap. V. *Petrus Lombardus* in IV. *Sententiarum*, dist. XXIV. littera G. Ad integritatem igitur materiæ, & formæ Subdiaconatus, non ad essentiam, pertinent Traditio Libri Epistolarum, verbaque illi respondentia.

Traditio Libri Epistolarum, & verba illi respondentia, non sunt materia & forma essentialis Subdiaconatus.

Apud

Apud Græcos sola Manus impositio materiæ, Oratio formæ vicem subit, ut constat ex Euchologiis. Mantile quidem, & pollubrum manibus lavandis ab Episcopo eis traduntur, multaque alia ministeria exercere jubentur: sed hæc omnia fiunt post Ordinationem completam, ut munere, quod recens acceperunt, fungantur.

Tres obligationes contrahunt, qui Subdiaconatus Ordinem suscipiunt. Prima est, obligatio Titulum sive Beneficii, sive Patrimonii habendi; ne rerum temporalium curis a Sacris Ministeriis distrahantur. Secunda, est castitatis, quæ huic Ordini, ac superioribus, Ecclesiæ lege inviolabili annexa est. Tertia obligatio recitandi divinum Officium, seu Breviarium, Ecclesiæ etiam lege, seu consuetudine universali illis imposita. Triplex Subdiaconorum obligatio.

ARTICULUS VI.

De Diaconatu.

SEcundum Sacrorum Ordinum gradum *Diaconus* obtinet; cujus Ministerium latius patet, sanctiusque semper habitum est. Ejus functiones sunt, Episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique, & Sacerdoti Sacra facienti, vel alia Sacramenta administranti præsto esse. Hinc *S. Epiphanius* Hæresi LXXV. tanti facit Diaconi Ministerium, ut Episcopum absque Diacono nunquam fuisse, aut esse posse asseveret. Unde Pontificale Romanum Diaconos vocat *Comministros*, *& Cooperatores Corporis*, *& Sanguinis Domini*. Ejus præterea munus est, in Missæ Sacrificio Evangelium legere, ut constat ex *S. Hieronymo* in Epistola ad Sabinianum, ex Conc. Vasensi II. can. II. ex *S. Gregorio* Epist. XLIV. Libri IV. Ind. XIII. & *S. Isidoro* Lib. II. De Divinis Officiis, cap. VIII. Ejus munus est, panem, & vinum offerre, non quidem consecrando, ut ex Conc. Ancyrani can. II. male colligunt Hæretici, sed utrumque Sacerdoti consecraturo porrigendo. Olim Fidelium animos Diaconi sæpius excitabant, ut Sacra attenderent. Quod & nunc præstant apud Græcos. Dominicum Sanguinem, imo & Corpus Fidelibus distribuebant, ut testantur *S. Justinus* Martyr Apologia II. *S. Cyprianus* Libro *De Lapsis*, Auctor Constitutionum Apostolicarum, *S. Ambrosius*, & plures alii Patres. Hic mos ante Conc. Nicænum adeo invaluerat, ut etiam Presbyteris Eucharistiam porrigerent, quam audaciam Sancta Synodus coercuit, edito contra hujusmodi abusum can. XVIII. Ipsis etiam vetitum est can. XV. Concilii II. Aurelianensis, & can. XXXVIII. Conc. Carthaginensis IV. ne præsente Presbytero Corpus Domini Fidelibus traderent. Diacono præterea Ecclesiasticorum bonorum dispensatio commissa erat, ut unicuique necessaria ad victum subministraret, ac eleemosynas distribueret. Ejus erat curam gerere Martyrum, & Confessorum, qui in carcere ob Christi fidem detinebantur, eisque necessaria suppeditare; eorum vota, precesque pro Lapsis excipere, & ad Episcopum deferre, ut ipsorum gratiam infelicibus illis Christianis, qui in persecutione ceciderant, & Pœnitentiam agebant, Indulgentiam concederet, Pœnitentiæque tempus contraheret, ac rigorem moderaretur, ut ex pluribus *S. Cypriani* Epistolis, & Lib. *De Lapsis* compertum est. Pœnitentes etiam reconciliare in absentia Episcopi, & Presbyteri aliquando ipsis licuit, eosque absolvere, non quidem sacramentaliter, sed a pœnis satisfactoriis, vel ab Excommunicatione, quæ ipsos a Sacramentis Altaris participandis removebat. Hujus disciplinæ testis est *S. Cyprianus* Epist. XIII. *Si Presbyter* (inquit) *repertus non fuerit*, *& urgere exitus cœperit*, *apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possint*, *ut manu eis in Pœnitentiam imposita*

Sacræ Diaconorum functiones.

veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt. Diaconorum etiam erat sacris Virginibus, & Viduis præesse, Ecclesiastica negotia apud Imperatorem procurare: Catechumenorum nomina recitare, & Ordinis Sacramento initiandos ante Episcopum statuere: quod & nunc præstant Archidiaconi. Ad Diaconum etiam pertinet, *tanquam Episcopi oculum*, pervestigare, quinam in Urbe pie, & religiose, quive secus vitam traducant: qui ad Sacrificium, & Concionem statis temporibus conveniant, qui non conveniant; ut cum de omnibus Episcopum certiorem fecerit, ille vel privatim unumquemque hortari, admonere, vel palam corrigere, & objurgare possit, uti magis utile futurum ipsorum saluti perspexerit.

Diaconatus Ordo ex institutione sua sacer.

Quamvis autem ab Apostolis electi fuerint septem primi Diaconi occasione murmuris Græcorum adversus Hebræos, *Eo quod despicerentur in Ministerio quotidiano Viduæ eorum* (ut habetur *Actorum* cap. VI.) non tamen electi sunt, ut mensis tantum communibus ministrarent, sed Mensis Sacris. Et hæc eleemosynas quotidianas Viduis distribuendi cura secundarium duntaxat Diaconorum Ministerium fuit, minusque præcipuum; cujus ratione dixerunt Apostoli: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare Mensis*. Sed primarium ipsorum, potissimumque Ministerium sacratius, divinusque fuisse colligitur evidenter ex dotibus, quas Apostoli in illis septem viris desiderarunt, ut nimirum essent *boni testimonii, pleni Spiritu Sancto, & sapientia*; & quod illos manuum impositione consecrarunt, oratione prævia. Quorsum enim tot dotes, tamque sacri Ritus ad constituendos Ministros mensarum communium? Apostolus etiam, postquam dotes Episcopis necessarias descripsit, easdem prope postulat in Diaconis 1. ad *Timotheum* cap. III. *Diaconos* (inquit) *similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes Mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, & sic ministrent .·.· Diaconi sint unius uxoris viri: qui filiis suis bene præsint, & suis domibus. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent*.

Præterea, vi suæ Ordinationis jus habent administrandi Baptismi solemni Ritu, jus item prædicandi Evangelium, ubi id ipsis commiserit Episcopus, quod *S. Stephani* Protomartyris, & *Philippi* Diaconorum exempla probant a *S. Luca* in Actis Apostolorum consignata. Idque confirmant *Tertullianus* Libro *De Baptismo*, c. XVII. & Conc. Illiberritanum can. LXXVII. Plebem etiam Christianam regebant olim, sacra sui Ordinis Ministeria obeuntes in Ecclesiis, quæ propterea *Diaconiæ* vocabantur, ut colligitur ex eodem Concilio: & ex Tarraconensi, can. VII. Hinc Tituli Cardinalium Diaconorum. Hinc Episcopus Diaconos ordinandos admonens ex Romani Pontificalis præscripto, ait: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare*.

Id confirmant *S. Ignatius* Martyr in Epistola ad Trallianos: *Oportet* (inquit) *& Diaconus, Ministros existentes Mysteriorum Jesu Christi, secundum omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum, & potuum sunt Ministri, sed Ecclesiæ Dei Ministri*.

S. Cyprianus Epist. LXV. *Diaconos post Ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, & Ecclesiæ Ministros*.

S. Hieronymus Epistola LXXXV. ad *Evagrium*, scribit Diaconos veterum Levitarum vice in Ecclesia fungi, sicut Presbyteri nostri filiorum Aaron vices implent, atque ideo in illis istorum typum præcessisse. Levitæ porro Mosaicæ Legis Sacrificiis cooperabantur.

S. Isidorus Hispalensis, Lib. II. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. VIII. *Sine ipsis Sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in Sacerdote consecratio-*

nea

sta in Ministro dispensatio Sacramenti. Illi orare, huic psallere mandatur. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam Sacerdotibus propter præsumptionem non licet de Mensa Domini tollere Calicem, nisi eis traditus sit a Diacono. Levitæ inferunt Oblationes in Altaria, Levitæ componunt Mensam Domini, Levitæ operiunt Arcam Testamenti. Non enim omnes vident alta Mysteriorum, quæ operiuntur a Levitis, ne videant, qui videre non debent, & summant qui servare non possunt. Quæ verba in Concilio Aquisgranensi I. cap. VII. repetuntur.

Materia Diaconatus est Manus impositio, forma Oratio manuum impositioni adjuncta, ut constat ex Actibus Apostolorum cap. VI. *Hos statuerunt* (inquit) *ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Et ex Conc. Carthaginensi IV. can. IV. cujus hæc sunt verba: *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: quia non ad Sacerdotium, sed ad Ministerium consecratur*. Sola manuum impositione, non traditione certorum instrumentorum tunc fuisse consecratos Diaconos, probat evidenter Canon sequens, quo Subdiaconus ordinari dicitur traditione Patenæ vacuæ, & Calicis vacui, *Quia Manus impositionem non accipit*; ex quo certo colligitur, in Ordinationibus, quæ per manus impositionem fiebant, nulla instrumenta fuisse tradita. Id confirmant antiqui Libri Rituales nongentorum annorum, qui traditionis Evangeliorum non meminerunt; uti nec Missale vetus Francorum editum a *P. Mabilonio*; nec Græcorum Euchologia. Quin & *Amalarius* Lib. II. *De Officiis Ecclesiasticis* cap. XI. & XII. Evangelii traditionem ab Ordinatione Diaconi excludit, cum de Evangelii lectione facienda in Missa a Diacono scribit: *Primævo tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod nondum erat scriptum. Sed postquam statutum est a Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium statutum, ut & Subdiaconus legeret Epistolam*.

Diaconatus materia, & forma.

Essentialis Diaconatus materia est manuum impositio; accidentaria & integrans, Libri Evangelio um traditio.

Non semper igitur traditus est Diaconis Evangeliorum Codex in ipsorum Ordinatione. Accessit tamen ex Ecclesiæ institutione ad materiæ integritatem hujusmodi traditio, & ad integritatem formæ præscripta verba in Romano Pontificali, dum singuli sacrum Codicem tangunt: *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini*.

Quarumdam in Galliis Ecclesiarum olim mos fuit, ut in Diaconorum Ordinatione manus eorum chrismate ungerentur, ut docet *Hugo Menardus* in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii, pag. 289. ex antiquo Pontificali, & ex Epistola *Nicolai I.* Pontificis Maximi ad *Rodulphum* Archiepiscopum Bituricensem.

ARTICULUS VII.

De Sacerdotio.

TErtius omniumque Sacrorum Ordinum summus est *Sacerdotium*. Qui vero illo præditi sunt, eos veteres Patres duobus nominibus vocare solent. Interdum enim *Presbyteros* appellant, quod Græce Seniores significat, non solum propter ætatis maturitatem, quæ huic Ordini minime necessaria est; sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam, & prudentiam. Ut enim scriptum est Sap. IV. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*. Interdum vero *Sacerdotes* vocant, tum quia Deo consecrati sunt, tum quia ad eos pertinet Sacramenta administrare, sacrasque res, & divinas tractare.

§. I.

§. I.

De Sacerdotii proprie dicti existentia.

PRæter Sacerdotium internum, & spirituale, quod *S. Hieronymus* in Dialogo contra Luciferianos *Sacerdotium Laicorum* appellat, de quo 1. Petri 11. *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus Spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum ∴ Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* : Et Apoc. 1. *Fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo*. Præter hoc (inquam) Sacerdotium generale Christianorum omnium, cujus fundamentum est Baptismus, & quod in oblatione orationum, & gratiarum actionum positum est, dogma fidei est aliud esse Sacerdotium externum, & visibile a Christo Domino institutum ad sacrificandum, & offerendum Deo Corpus, Sanguinemque suum. Unde Conc. Nicænum can. XIV. Diaconos potestatem habere negat offerendi Corpus Christi, eamque solis convenire Presbyteris asserit. *Pervenit ad sanctum Concilium* (inquit) *quod in locis quibusdam, & civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neque Regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt, Corpus Christi porrigant.*

S. Jo: Chrysostomus Libro III. *De Sacerdotio*, Christi Corpus, & Sanguinem aliter confici negat quam manibus Sacerdotum. *Nam si non potest quis in Regnum cælorum ingredi, nisi per aquam, & Spiritum regeneratus fuerit : & , qui non manducat Carnem Domini, & Sanguinem ejus non bibit, æterna vita privatur : omnia autem hæc haud aliter, quam per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus, (inquam) Sacerdotum : qui fiet, ut citra illarum opem aut gehennæ ignem evitare quis possit, aut repositæ in cælo coronæ præmia assequi?* Joan. 3.& 6.

S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, Orthodoxum inducit sic loquentem : *Hilarius cum Diaconus de Ecclesia recesserit, solusque, ut putat, turba sit Mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos, & Presbyteros non habens, neque Baptisma sine Eucharistia tradere : & cum jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit & Secta : quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habeat Sacerdotes.*

Conc. Lateranense III. sub Innocentio III. can. 1. de Eucharistia loquens *Hoc utique Sacramentum* (inquit) *nemo potest conficere nisi Sacerdos fuerit, rite ordinatus, secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, & eorum Successoribus Jesus Christus.*

Concilium Tridentinum sess. XXIII. cap 1. *Sacrificium, & Sacerdotium ita Dei Ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni Lege extiterit. Cum igitur in Novo Testamento Sanctum Eucharistiæ Sacrificium visibili ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet in ea novum esse, visibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est : hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque Successoribus in Sacerdotio, Potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus, & Sanguinem ejus, necnon & peccata remittendi, & retinendi, Sacræ Litteræ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ Traditio semper docuit.*

Et Canone 1. *Si quis dixerit, non esse in Novo Testamento Sacerdotium visibile, & externum; vel non esse Potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi : sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Evangelium vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes; Anathema sit.*

Et

Et Canone IV. *Si quis dixerit, Per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopum dicere*: Accipe Spiritum Sanctum; *aut per eam non imprimi Characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse; Anathema sit.*

Sacerdotii duplicis discrimen, interni scilicet, ac externi, Concilii Trid. „ Catechismus perspicuis verbis explicat. Quod igitur (inquit) ad interius „ Sacerdotium attinet, omnes Fideles, postquam salutari aqua abluti sunt, „ Sacerdotes dicuntur; præcipue vero justi, qui Spiritum Dei habent, & di- „ vinæ gratiæ beneficio Jesu Christi, Summi Sacerdotis, viva membra ef- „ fecti sunt. Hi enim fide, quæ charitate inflammatur, in Altari mentis „ suæ spirituales Deo hostias immolant: quo in genere bonæ omnes, & ho- „ nestæ actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ sunt. Quare „ in Apocalypsi ita legimus: *Christus lavit nos a peccatis nostris in Sanguine* „ *suo, & fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo.* In quam sen- „ tentiam ab Apostolorum Principe dictum est: *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales ho-* „ *stias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Et Apostolus nos hortatur, *Ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum.* David item multo ante dixerat: *Sacrificium Deo spi-* „ *ritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Quæ „ omnia ad interius Sacerdotium spectare, facile intelligitur.

Interni, externique Sacerdotii discrimen.

Apoc. 1.

1. Petri 2.

Rom. 12.

Psalm. 50.

„ Externum vero Sacerdotium non omnium Fidelium multitudini, sed „ certis hominibus convenit, qui legitima manuum impositione, solemni- „ busque S. Ecclesiæ cæremoniis instituti, & Deo consecrati, ad aliquod „ proprium, sacrumque Ministerium adscribuntur.

„ Hoc Sacerdotii discrimen in Veteri etiam Lege observari potest: nam „ de interiori Davidem locutum esse, paulo ante demonstratum est. Exter- „ ni vero nemo ignorare potest, quam multa Dominus Moysi, & Aaroni „ præcepta dederit. Præterea, universam Leviticam Tribum Ministerio „ Templi adscripsit, ac lege cavit, ne quis ex alia Tribu in eam functio- „ nem se inferre auderet: quare Ozias Rex lepra percussus, quod Sacerdo- „ tale munus usurpasset, arrogantiæ, & sacrilegii sui gravissimas pœnas de- „ dit. Quia igitur eamdem Sacerdotii distinctionem in lege Evangelica licet „ animadvertere, de Sacerdotio externo hic agimus, quod certis hominibus „ attributum est: Hoc enim tantummodo ad Ordinis Sacramentum perti- „ net.

Præclare hoc argumentum explicat *Guillelmus Parisiensis*, Tractatu *De Sa-* „ *cramento Ordinis*, cap. IV. Sicut (*inquit*) non est Procurator, nisi con- „ stitutus ab ipso domino litis, seu causæ, ita non est Sacerdos Procurator „ Ecclesiæ quantum ad interpellandi officium, nisi ab Ecclesia constitutus. „ Iterum, sicut Procuratorem non facit gratia ipsius, quam habet apud Prin- „ cipem, sed constitutio, & mandatum ejus, qui causam agit coram ipso „ Principe: esse autem Sacerdotem, est esse Procuratorem, quantum ad Of- „ ficium interpellandi: manifestum ergo est, quod Sacerdotem non facit „ gratia, seu sanctitas, quantacumque illa sit cujuscumque personæ apud „ Deum, sed constitutio, & mandatum Ecclesiæ, quod ei datur ad inter- „ pellandum. Nuncium non facit deportatio litterarum, sed missio: idem „ autem est constitutio Sacerdotum, & Ordinatio, sive Missio interpellan- „ tium. Si virtus, & fortitudo bellica non faciunt Militem, sed adscriptio „ Ducis, & institutio, nec potestas super decem Milites Decurionem, sed „ ipsa Principis electio, & constitutio: ita gratia, & potestas impetrandi „ non faciunt Sacerdotem, sed Ordinatio. Sicut Advocatum publicum non

„ scien-

„ ſcientia Juris; aut eloquentia, nec etiam ipſa juſtitia facit: eſſe autem Sa-
„ cerdotem, eſt eſſe publicum Advocatum in cauſis Animarum; ergo nec
„ ſcientia juris cœleſtis, nec ſacra eloquentia, nec ipſa ſpiritualis juſtitia fa-
„ cient Sacerdotem: ſed quemadmodum ibi conſtitutio principalis, ita & hic
„ conſtitutio Pontificis, ideſt Eccleſiæ miniſterio illius. Et quemadmodum
„ non licebat, cuiquam uſurpare publici Advocati Officium, & ſi uſurpa-
„ ret, repellebatur, niſi electus eſſet ad hoc, & inſtitutus; ſic nulli licet
„ uſurpare publicæ interpellationis officium, hoc eſt Sacerdotale ∴ Non ne-
„ gamus autem quin omnis vir ſanctus, & in conſpectu Dei glorioſus orare
„ pro omnibus teneatur, & quin apud Deum propter Divinæ Miſericordiæ
„ divitias audiatur: ſed auditur ut amicus, & filius, & orat ſimiliter, at-
„ que interpellat; non autem ut Procurator, ut Nuncius univerſalis Eccle-
„ ſiæ, neque ut ab ea miſſus ad hoc, quod eſt proprium Sacerdotalis Ordi-
„ nis officium. Quis enim dubitat juxta Reges, & Principes eſſe pauperum,
„ & oppreſſorum interpellatores, & hoc non per officium ad hoc publice
„ inſtitutos, ſed magis benevolentia, & miſeratione ad hoc promptos? Nec
„ cum eo rogatu ipſi rogant Principes, propter hoc Nuncii, aut Procurato-
„ res ſunt miſerorum, &c.

§. II.

De Presbyteratus Materia, & forma, ſacriſque Cæremoniis.

Presbyteratus materia eſſentialis, manuum impoſitio Epiſcopalis, forma eſſentialis oratio.

I. MAteria Presbyteratus eſt manuum impoſitio. Eam enim actionem eſſe huic Ordinationi ſubſtantialem, colligitur ex Scriptura Sacra, quæ ſolam manuum impoſitionem, & orationem commemorat, cum Ordinationis ſacræ meminit, 1. *ad Timotheum* cap. IV. & V. & II. *ad Timotheum* cap. IV. Solam manuum impoſitionem commemorant omnes antiqui Libri Rituales, omneſque Patres Latini, & Græci: Traditionis Inſtrumentorum non meminerunt. Græci legitime, & valide Presbyteros conſecrant: ſemper Eccleſia Romana eorum Ordinationes probavit: & tamen apud eos incognita eſt iſta Inſtrumentorum traditio, ſemperque incognita fuit. Ea igitur non pertinent ad Sacerdotalis Ordinationis ſubſtantiam.

Traditionem Inſtrumentorum a Græcis in Ordinatione Presbyteri non fuiſſe uſurpatam antiquitus, probat ſilentium Conſtitutionum Apoſtolis inſcriptarum, & *S. Dionyſius* in Libris *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, ubi de Ritibus ſacræ Ordinationis agunt. Idem colligitur ex Ordinatione *Salamani* Eremitæ Sanctiſſimi, quam *Theodoretus* commemorat in Hiſtoria Religioſa, cap. XIX. *Porro* (inquit) *Pontifex civitatis, cujus erat vicus, cum viri didiciſſet virtutem, acceſſit, volens ei donum dare Sacerdotii; & domunculæ perfoſſa aliqua parte eſt ingreſſus, manumque impoſuit, & peregit precationem. Et ſæpe quidem ei dixit, & quæ ad eum advenerat, gratiam ſignificavit.* Ex hoc teſtimonio perſpicuum eſt, ad Sacerdotii Ordinem tradendum nihil apud Orientales præter Orationem, & Epiſcopalem manuum impoſitionem requiſitum fuiſſe. Si enim tradita fuiſſent Sancto illo Monacho Calix cum vino, Patena cum Hoſtia, procul dubio ſe factum Presbyterum ignorare non potuiſſet: imo factus Presbyter non fuiſſet. Tangere namque inſtrumenta recuſaſſet, aut vis illi ad contactum inferenda fuiſſet, quod factum *Theodoretus* non commemorat.

Idem confirmat Ordinationis ſimilis hiſtoria, ejuſdem Libri cap. XIII. relata, *Macedonii* ſcilicet hominis ſimpliciſſimi, & Solitarii. Scribit enim *Theodoretus*, eum Ordinatione facta neſciviſſe prorſus quid contigiſſet: cum autem adſtantium aliquis hoc indicaſſet, graviſſime excanduiſſe, & obvios conviciis, & baculo, cui innitebatur, laceſſiviſſe.

Idem

Idem colligitur ex *S. Hieronymo* in cap. LVIII. *Iſaiæ*, ad Verſum 9. *Plerique noſtrorum* (inquit) *χειροτονίαν*, *id eſt*, *Ordinationem Clericorum*, *quæ non ſolum ad imprecationem vocis*, *ſed ad impoſitionem impletur manus*, *ne ſcilicet*, *ut in quibuſdam riſimus*, *vocis imprecatio clandeſtina Clericos ordinaret neſcientes*, *ſic intelligunt*, *ut aſſumant teſtimonium Pauli ſcribentis ad Timotheum*: *Manus cito nemini impoſueris*, &c. Si tum inſtrumentorum uſus viguiſſet, ejuſmodi clandeſtinas Ordinationes, quibus neſcientes conſecrabantur, nemo tentare potuiſſet. Manus enim variis de cauſis imponuntur, ideo facile poteſt, quis etiam manus imponens ordinatum celare, præſertim cum ſine contactu imponi poſſint. Non ita vero latere poteſt Ordinatum Inſtrumentorum traditio.

Præterea, antiqui Libri Rituales Latini, non ſecus ac Græci, iſtorum Inſtrumentorum, & verborum, quæ pronuntiari ſolent cum Ordinandis traduntur, *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo*, &c. nullatenus meminerunt, uti nec *S. Iſidorus*, *Amalarius*, *Rabanus Maurus*, *Vvalafridus Strabo*, licet de Officiis Eccleſiaſticis uberrime ſcripſerint. Concilium Carthaginenſe IV. Can. III. ſolam manuum impoſitionem, & Orationem pro materia, & forma Sacerdotalis Ordinationis agnoſcit. *Preſbyter* (inquit) *cum ordinatur*, *Epiſcopo eum benedicente*, *& manum ſuper caput ejus tenente*, *etiam omnes Presbyteri*, *qui præſentes ſunt*, *manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant*. Manus itaque impoſitio, & Oratio ipſi adjuncta, quam repræſentant omnes Libri Rituales antiqui, recentiores, hodierni, quæ in antiquis inſcribitur, *Conſecratio*, & in Romano Pontificali notatur ad modum Præfationis, eſt materia, & forma eſſentialis Presbyteratus. Denique Concilium Tridentinum eamdem ſententiam confirmat Seſſione XIV. cap. III. ubi Extremæ Unctionis Miniſtros docet eſſe ſolos Epiſcopos, *Aut Sacerdotes ab ipſis rite ordinatos per Impoſitionem Manuum Presbyterii*. Prior igitur illa manuum impoſitio ab Epiſcopo, & deinde ab omnibus Presbyteris adſiſtentibus facta ſuper caput cujuslibet ordinandi, vicem materiæ ſubit, Oratio adjuncta vicem formæ: atque ad ſubſtantiam Sacerdotalis Ordinationis pertinet.

II. Poſt hanc manuum impoſitionem, & adjunctas Orationes, Epiſcopus Stolam humeris Ordinandorum aptans, eam ante pectus in formam Crucis componit: quo Ritu declarat, Sacerdotem virtute indui ex alto, qua poſſit Crucem Chriſti Domini, & jugum ſuave divinæ Legis perferre, eamque non verbis ſolum, ſed & vitæ ſanctiſſime, & honeſtiſſime actæ exemplo tradere. Quamobrem ſtolam ſingulis hunc in modum imponens, & aptans, ait: *Accipe jugum Domini*: *jugum enim ejus ſuave eſt*, *& onus ejus leve*. Jugum appellatur Poteſtas excellentior, quam recipit Ordinandus, quia in Eccleſia Dei quanto quiſque dignitate ſublimior eſt, tanto humilior eſſe debet, ac ſubjectior. Qua nota Eccleſiaſtica Poteſtas a Laica diſtinguitur, ſecundum illa Chriſti verba: *Reges gentium dominantur eorum*; *Vos autem non ſic*. Luc. 22. 25.

III. Imponit deinde Epiſcopus cuilibet Ordinando ſucceſſive Caſulam uſque ad ſcapulas, quam quilibet tenet ſuper humeros complicatam, a parte anteriori deorſum dependentem, ſingulis dicens: *Accipe Veſtem Sacerdotalem*, *per quam charitas intelligitur*: *potens eſt enim Deus*, *ut augeat tibi charitatem*, *& opus perfectum*. Charitatem ergo caſula ſignificat: quia vero charitas Deum verſus, & proximum extendi debet, a parte anteriori primum explicatur, quo ſignificatur affectus in Deum: poſtea explicatur a parte poſteriori, quo affectus erga proximum indicatur.

IV. Poſt hæc, manus Ordinandorum ſacro Oleo inungit, hunc in modum orans: *Conſecrare & ſanctificare digneris*, *Domine*, *manus iſtas per iſtam unctionem*, *& noſtram benedictionem*, &c. Quæ unctio dum perficitur, canitur

tur Hymnus, *Veni Creator Spiritus*. Unguntur autem manus in forma Crucis; quia Spiritus Sanctus fons est benedictionum omnium, quas Passione, & morte sua in Cruce Christus nobis promeruit. Hunc Unctionis Ritum in Ordinatione Presbyteri non semper fuisse in Ecclesia usurpatum, colligitur ex Epistola XXXIX. *Nicolai I.* ad *Rodulphum* Episcopum Bituricensem, a quo interrogatus sic respondet: *Præterea sciscitaris utrum solis Presbyteris, an & Diaconibus debeant, cum ordinantur, manus Chrismatis liquore perungi. Quod in Sancta hac Romana, cui Deo Auctore deservimus, Ecclesia neutris agitur. Sed & quia fit a Novæ Legis Ministris actum, nusquam, nisi nos fallat oblivio, legimus.* Hunc *Nicolai I.* locum refert *Ivo Carnotensis* in Decreto Parte VI. cap. CXXI. & *Gratianus* dist. XXIII. Can. XII. Id confirmant antiquissimi Libri Rituales duo exquisite Romani, a *Morino* laudati P. III. *De Sacris Ordinationibus*, Exercitatione VI. qui Unctionis in Presbyterorum Ordinatione non meminerunt. Hunc tamen Ritum in Ecclesia Gallicana fuisse ab antiquo receptum probat laudata *Nicolai I.* Epistola, confirmant *Amalarius* Lib. II. *De Officiis Ecclesiæ*, cap. XIII. & *Theodulphus* Episcopus Aurelianensis in Capitulari ad Ecclesiæ suæ Presbyteros.

Traditio Instrumentorum, verbaque illi respondentia, ad materiæ & formæ integritatem accessere.

V. Omnium, & singulorum manibus unctis, & consecratis, Episcopus tradit cuilibet successive Calicem cum vino, & aqua, & Patenam superpositam cum Hostia, singulis dicens: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro Defunctis. In Nomine Domini.* In Ritualibus antiquioribus ante annos septingentos hæc non habentur; in Ordine Romano edito, & in recentioribus leguntur, ut observat *Joannes Morinus*. Vir doctissimus P. III. *De Sacris Ordinationibus*, Exercitatione VII. cap. I. Documentum hoc esse potestatis acceptæ, & pignus exercendæ, docet *Hugo a Sancto Victore* Lib. II. *De Sacramento Fidei*, P. III. cap. XII. *Accipiunt* (inquit) *& Calicem cum vino, & Patenam cum Hostiis de manu Episcopi: quatenus his Instrumentis potestatem se accepisse agnoscant, placabiles Deo Hostias offerendi.* Eodem modo loquitur Magister Sententiarum Lib. IV. dist. XXIV. *S. Thomas* eadem dist. qu. I. art. III. aliter censet. *Per manus impositionem* (inquit) *datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna Officia sunt idonei; & ita solis Diaconibus, & Sacerdotibus fit manus impositio; quia eis competit dispensatio Sacramentorum; quamvis uni ut principali, alteri sicut Ministro: sed Unctione ad aliquod Sacramentum tractandum consecrantur: & ideo Unctio solis Sacerdotibus fit, qui propriis manibus Corpus Christi tangunt.... Sed potestatis collatio fit per hoc, quod datur eis aliquid quod ad proprium actum pertinet: & quia principalis actus Sacerdotis est consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, ideo in ipsa datione Calicis sub forma verborum determinata Character Sacerdotalis imprimitur.* Ut ut est de Scholastica illa Quæstione, cum Romanum Pontificale hunc Ritum præscribat, & traditionem illam Instrumentorum, verbaque præscripta, *Accipe potestatem*, &c. partialis saltem materiæ, ac formæ vices in Ordinatione Sacerdotali habere Theologi vulgo doceant, post *Eugenium IV.* in Decreto pro Instructione Armenorum, ad materiæ, formæque integritatem illa pertinere censendum est, Christus scilicet materias, & formas Ordinationum Sacrarum in genere tantum sic instituisse Theologis, plerisque doctissimis videtur, ut ex Ecclesiæ institutione, ac usu speciale aliquid pro materia, & forma addi posset; cujus omissio Ordinationem irritam redderet.

VI. Tandem manibus super singulorum capita impositis, Episcopus hæc verba profert: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*: eisque cœlestem illam, quam

quam Dominus Discipulis suis dedit, peccata retinendi, ac remittendi potestatem tribuit.

Postrema hæc manuum impositio, hæcque verba illi adjuncta, cum Græcis ignota sint, ut ex eorum Euchologiis patet: cum etiam absint ab antiquis Ecclesiæ Latinæ Ritualibus ante duodecimum sæculum scriptis, ut probat *Joannes Morinus* P. III. *De Sacris Ordinationibus*, Exercitatione VII. c. II. ad substantiam Sacerdotalis Ordinationis non pertinent, sed ad materiæ, formæque integritatem. Unde si quis horum Rituum, qui ad materiam, vel formam pertinent, secundum varias Theologorum opiniones, in Ordinatione fuisset omissus, verbi gratia, manuum impositio prima, vel adjuncta Oratio; aut Calicis cum vino, & aqua, & Patenæ cum Hostia traditio, adjunctave formula verborum; aut unctio; aut denique manuum impositio postrema, vel hæc verba ipsam concomitantia, *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. supplere deberet Episcopus, quod in Ordinatione fuisset incaute prætermissum, ut colligitur ex cap. *Pastoralis*, & ex cap. *Presbyter*, Extra, *De Sacramentis non iterandis*, quod *Gregorii IX.* Rescriptum est. *Presbyter* (inquit) *& Diaconus cum ordinantur, Manus impositionem tactu corporali, Ritu ab Apostolis introducto, recipiunt; quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi Ordines conferendos, caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum.*

Si quis Rituum, qui ad materiam, vel formam sacrarum Ordinationum pertinent, secundum varias Theologorum opiniones, omissus fuerit, Ordinatio non est iteranda, sed Ritus ille ab Episcopo supplendus tempore ad ordines conferendos statuto.

§. III.
De Sacerdotalis Ordinis Dignitate, & Excellentia.

Sacerdotalis Ordinis dignitas, & excellentia ex ejus Officio intelligitur, quod in eo positum est, ut circa Corpus Christi versetur. Est autem Corpus Christi duplex: *Verum*, quod a Sacerdote consecratum offertur in Altari, ac sumere volentibus distribuitur: & *Mysticum*, quod est Ecclesia, (ut superius diximus.) *Unus enim panis, unum corpus multi sumus, qui de uno Pane participamus.* Circa utrumque versatur Sacerdotis officium, cui varia, & multiplex potestas conceditur. Nam quod attinet ad verum Christi Corpus, datur illi potestas consecrandi, offerendi, & iis, qui sumere volunt, distribuendi: idque ex institutione Christi, qui in Cœna illa novissima Sacerdotes instituens secundum ordinem Melchisedech, ac dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*, potestatem hanc illis largitus est. Quod vero attinet ad Mysticum Christi Corpus, scilicet Ecclesiam, datur illis potestas baptizandi, datur illis potestas absolvendi. Apostolus I. ad Corinthios IV. vocat Sacerdotes *Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei*. Quale sit autem Sacerdotis Ministerium docet II. ad Corinthios V. cum ait: *Deus nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis, Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, & non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo enim legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, Reconciliamini Deo.* Hoc legationis munus tunc mandavit Christus Apostolis, & eorum Successoribus, cum post iteratam salutationem, *Pax vobis*, dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Quomodo enim, vel ad quid misit Filium Pater, nisi, ut inter Deum, & homines pacem faceret? Ad hoc igitur ipsum suos in universum orbem Filius misit Sacerdotes, & Episcopos, ut eorum Ministerio reconciliarentur Deo, si qui se ab illo disjunxissent, peccatisque suis eum offendissent. Quamobrem repetita vice dixit, *Pax vobis*, ut indicaret, & pacem se fecisse illis, & pacem se per illos mittere nobis. Sacerdos igitur nihil aliud est, quam Christi Legatus: qua etiam ex causa dictus est a Propheta, *Angelus Domini exercituum*. Quando

1.Cor.10.17.

Divinum Sacerdotum ministerium

Dispensatores Mysteriorum Dei.

Joan. 20.21.

Sacerdotes Christi Legati.

Malach. 2.

do autem Christi Legatum dicimus esse Sacerdotem, & Capitis, & corporis
Capitis, & Corporis Legatione funguntur. legatione fungi intelligimus. *Totus enim Christus Caput, & Corpus*, ut sæpe *S. Augustinus* inculcat. Pro Christo capite legatione fungitur Sacerdos, quando ex loco superiore verba facit ad Populum, & Christi Dei, ac Salvatoris nostri voluntatem explicat; simul obsecrat Christi nomine, ut vitia sua detestati, atque ab illis aversi, Deo reconcilientur. Pro Christi Corpore, id est, Ecclesia, legatione fungitur, quando stans ad Altare, eam, quæ perfusum pro nobis in Cruce Christi Sanguinem facta est, reconciliationem Deo Patri offerens, supplex rogat nomine totius Ecclesiæ, ut illius reconciliationis virtute Populo suo propitius esse, ac fructum illius ipsi applicare velit. Sic *Jeremiæ* XLII. legimus, quod missus fuerit ab universo Populo, ut oraret pro illis ad Dominum Deum suum, illisque Dei nomine annuntiaret viam, per quam pergerent. *Et dixerunt ad Jeremiam: Sit Dominus inter nos testis veritatis, & fidei, si juxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus. Sive bonum est, sive malum, voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obediemus, ut bene sit nobis, cum audierimus vocem Domini Dei nostri*. Sic ille deferebat preces populi ad Deum, & vicissim Populo voluntatem Dei annuntiabat. Hinc Sacerdotem *Mediatorem Dei, & hominem* SS. Patres appellant, *Hieronymus* scilicet in cap. I. Malachiæ, *Chrysostomus* Homilia V. De verbis Isaiæ, & Libro III. De Sacerdotio, *Ambrosius* Epistola ad Ecclesiam Vercellensem. *Cyrillus Alexandrinus* Libro II. De recta Fide ad Reginas. *S. Augustinus* Epistola CXLIX. alias LXIX. ad *Paulinum*, respondens quintæ Quæstioni: *Tunc* (inquit) *Antistites velut Advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt Potestati*. Summus Pontifex *Celestinus I.* Epistola I. cap. XI. *Cum sanctarum* (inquit) *plebium Præsules mandata sibi legatione funguntur, apud divinam clementiam humani generis causam agunt; & tota secum congemiscente Ecclesia postulant, & precantur, ut Infidelibus donetur Fides*, &c. Sacerdos itaque reconciliationis est Minister, non solum cum prædicat Evangelium, verum etiam cum baptizat, cum Pœnitentem absolvit, cum Eucharistiæ Sacramentum porrigit, cum orat pro peccatis Populi, cum Corporis, & Sanguinis Christi Sacrificium offert, agitque, ut commissus sibi Populus reconciliationis in Cruce factæ fructum consequi possit. Verus tamen Mediator, & reconciliator Christus est, cui dictum est: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: ille, de quo dictum est, quod *Factus est propitiatio pro peccatis nostris*. Ille est, qui baptizat, qui peccata remittit, qui reconciliat, qui interpellat pro nobis. Ille est, qui offert Corporis, & Sanguinis sui Sacrificium in Altari. Ipse Sacerdos, & Sacrificium, unum cum eo, qui offertur, unum cum iis, pro quibus offertur: ut minime diversum sit illius a nostro Sacerdotium, & Sacrificium. Sicut enim Episcopi, & ejus Vicarii unum tribunal esse dicitur, sic omnium Sacerdotum, & Christi unum Sacerdotium, unum Sacrificium est. Sicut igitur in prædicando Evangelio non est Sacerdotis, nisi ministerium: non enim Sacerdos est qui loquitur, sed Spiritus Patris cœlestis, qui loquitur in illo: quod etiam testatur *S. Paulus* dicens: *An experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me Christus?* Sicut in baptizando non est Sacerdotis nisi ministerium: solus enim Christus vere baptizat, & a sordibus abluit peccatorum, de quo dictum est in Evangelio, *Hic est, qui baptizat*. Sicut in remittendis peccatis non est Sacerdotis, nisi ministerium: recte enim dixerunt, *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Sic in consecratione, sic in oblatione, sic in distributione Eucharistiæ non est Sacerdotis, nisi ministerium. *Cum Sacerdotem videris offerentem* (inquit S. Jo: Chrysost.) *ne tu Sacerdotem esse putes hos facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam*. Et

Marginal notes: Sacerdos Dei, & hominum veluti mediator. — Psalm. 109. — 1. Joan. 2. — 2. Cor. 13. — Joan. 1. 33. — Lucæ 5. 21. — Hom. 83. in Matthæum.

" Et alibi: Non ſunt humanæ virtutis hæc opera. Qui tunc in illa Cœna
" confecit, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit. Miniſtrorum nos or-
" dinem tenemus, qui vero hæc ſanctificat, & tranſmutat, Ipſe eſt. Hinc
" *S. Leo* Epiſt. LX. alias XL. ad Anatolium cap. II. ſcribit: Aliter in Eccleſia
" Dei, quæ Corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt Sacerdotia, nec vera Sacri-
" ficia, niſi in noſtræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet,
" verus Immaculati Agni Sanguis emundet. Qui licet in Patris ſit dexte-
" ra conſtitutus, in eadem tamen carne, quam ſumpſit ex Virgine, Sacra-
" mentum Propitiationis exequitur, dicente Apoſtolo; Chriſtus Jeſus, qui Rom. 8.
" mortuus eſt, imo & qui reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui etiam in-
" terpellat pro nobis.

Sacerdotum Novæ Legis dignitatem præclare demonſtrat. *S. Jo: Chryſoſtomus* in Libris *De Sacerdotio*, præſertim Lib. III. *Sacerdotium ipſum* (inquit)
" in terra peragitur, ſed in rerum cœleſtium claſſem, ordinemque referen-
" dum eſt. Quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archange-
" lus, non alia quævis creata potentia, ſed ipſe Paracletus ordinem hu-
" juſmodi diſpoſuit: qui mortalibus hominibus, etiamnum in carne ma-
" nentibus auctor fuit, ut Angelorum Miniſterium animo conciperent. Id-
" circo neceſſe eſt Sacerdotem ſic eſſe purum, ut ſi in cœlis ipſis collocatus
" inter cœleſtes illas Virtutes medius ſtaret. Terribilia namque, atque
" horrifica fuiſſe ferunt, quæ gratiæ tempus præceſſerunt: quod genus fue-
" re tintinnabula, mala punica, lapides pectori Sacerdotis, aliique ſuperhu-
" merali ejuſdem ſuperpoſiti, mitra, cidaris, veſtis ad pedes uſque demiſ-
" ſa, lamina aurea, Sancta Sanctorum, ingens intus quies, atque ſilen-
" tium. At vero, ſi quis ea, quæ gratiæ tempus nobis advexit, exami-
" net, terribilia, atque horrifica, quæ dixi, judicabit eſſe admodum levia.
" Nam dum conſpicis Dominum immolatum, & Sacerdotem Sacrificio in-
" cumbentem, & preces fundentem, tum vero turbam circumfuſam pre-
" tioſo illo Sanguine intingi, etiamne te inter mortales verſari, atque in
" terra conſiſtere cenſes? An non potius e veſtigio in cœlos transferri?
" ..... Ponito ob oculos Eliam, & infinitam turbam circumfuſam, & Sa-
" crificium lapidibus ſuperpoſitum; tum vero aliquos omnes admodum quie-
" tos, ac taciturnos, ſolum autem Prophetam preces fundentem, ſecun-
" dum id flammam derepente e cœlo delapſam, Sacrificiumque ipſum lam-
" bentem: mira ſunt iſta profecto, ac ſtupore omni plena. Ab illis ergo
" Sacris ad noſtra te transfer: nec ea mira modo eſſe videbis, ſed etiam
" omnem ſtuporem excedentia. Adeſt enim Sacerdos non ignem geſtans,
" ſed Spiritum Sanctum. Is preces diuturnas fundit, non quo flamma cœ-
" litus delapſa Sacra appoſita abſumat; ſed ut gratia in Sacrificium influens
" per illud ipſum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento
" igne excocto, purgatoque.

Sacerdotum Novæ Legis dignitas a S. Chryſoſtomo explicatur.

Et infra: Iis, qui terram incolunt, commiſſum eſt, ut ea, quæ in cœ-
" lis ſunt, diſpenſent: iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus Matth. 16.
" optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Neque
" enim ad illos dictum eſt: Quæcumque alligaveritis in terra, erunt alli-
" gata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in
" cœlo. Habent quidem & terreſtres Principes vinculi, poteſtatem, verum
" corporum ſolum. Id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam et-
" iam Animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit: uſque adeo,
" ut quæcumque inferne Sacerdotes confecerint, illa Deus ſuperne rata ha-
" beat, ac ſervorum Sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc
" eſſe dicas, niſi omnem rerum cœleſtium poteſtatem illis a Deo conceſſam?

Joan.20. „ Quorumcumque, *ait*, peccata remiseritis, remittuntur eis, & quorumcum-
„ que retinueritis, retenta sunt. Quænam obsecro potestas hac una major
Joan.5. 22. „ esse queat? Pater omne judicium Filio dedit: Ceterum video ipsum om-
„ ne judicium a Deo Filio illis traditum. Nam quasi jam in cœlum trans-
„ lati, ac supra omnem humanam naturam positi, atque nostris ab affecti-
„ bus exempti, sic illi ad Principatum istum perducti sunt. Quid multa?
„ Rex aliquis si cui ex subditis suis hunc honorem detulerit, ut potesta-
„ tem habeat quoscumque velit in carcerem conjiciendi, eosdemque rursus
„ laxandi, beatus ille, & admirandus judicio omnium fuerit. At vero,
„ qui a Deo tanto majorem acceperit potestatem, quanto cœlum terra pre-
„ tiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant, hic vilem eo us-
„ que dignitatem accepisse nonnullis videri debet, ut vel in illorum cogi-
„ tationem descendere queat, reperiri posse aliquem ex eorum numero,
„ quibus tanta illa fuerint a Deo concredita, cui ipsi munus suum sordes-
„ cat, quique donum sibi a Deo datum despiciat? .....Insania manifesta est
„ despicere tantum Principatum, sine quo neque salutis, neque promisso-
Joan.3. & 6. „ rum bonorum compotes fieri possumus. Nam si non potest quis in Re-
„ gnum cœlorum ingredi, nisi per aquam, & Spiritum regeneratus fuerit:
„ &, Qui non manducat Carnem Domini, & Sanguinem ejus non bibit,
„ æterna vita privatur: omnia autem hæc haud aliter, quam per sacrosan-
„ ctas illas manus perficiuntur, manus (inquam) Sacerdotum: qui fiet, ut
„ citra illarum opem gehennæ ignem evitare quis possit, aut repositæ in
„ cœlo coronæ præmia assequi? Hi enim sunt, quibus tum concreditæ sunt
„ spirituales parturigines; tum etiam Baptismatis partus a Deo est com-
„ missus: per hos Christum induimus, una cum Dei Filio sepelimur, bea-
„ ti illius Capitis membra efficimur. quo nomine Sacerdotes merito non
„ modo vereri plus debemus, quam vel Principes, vel Reges, verum et-
„ iam majori honore, quam parentes proprios honestare. Hi enim ex san-
„ guinibus, & voluntate carnis nos genuerunt: illi vero auctores nobis
„ sunt nativitatis ejus, quam a Deo habemus, beatæ regenerationis illius,
„ libertatis veræ, atque adoptionis ejus, qua nos per gratiam filii Dei su-
„ mus effecti. Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare
„ quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat: at
„ vero nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ sordes,
„ non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Quare,
„ qui istos despiciunt contemnuntque, multo sceleratiores, ac maiori sup-
„ plicio digni fuerint, quam Datham una cum suis omnibus. Illi enim,
„ tametsi Principatum ad se non spectantem sibi vindicabant, tamen mi-
„ ram quamdam de eo Principatu opinionem animo conceperant: id quod
„ declaravit ingens rei concupitæ studium. Hi autem tum cum jam Sacer-
„ dotalis Honos incrementum, ornatum, præstantiam magnam accepit,
„ contra quam illi, sed tamen multo majora audent. Neque enim perinde
„ est ad despicientiæ rationem subducendam, honorem aliquem indebitum
„ appetere, & tot, tantaque bona fastidire: verum facinus hoc tanto est
„ illo gravius, quanto inter se diffident intervallo fastidium, & admira-
„ tio.

Sacerdotes contemnere quam periculosum. Quam vero periculosum sit Sacerdotes contemnere, aut ob pravos mores eorum dignitati, & auctoritati insultare, *S. Jo: Chrysostomus* rursus exponit Hom. 11. in secundam Epistolam ad Timotheum. *Hæc est* (inquit) *malorum omnium causa, quod Rectorum auctoritas periit, nulla illis reverentia habetur, nullus bo-*
Hebr.13. 17. „ *nor, nullus metus*. Obedite, *inquit*, Præpositis vestris, & subditi estote illis.
„ At nunc perversa, & confusa sunt omnia. Neque istud Præpositorum gra-

„ tia

,, tia dico. Quid enim illi de nostro honore lucrantur, nisi in quantum obtemperantes habebunt, idque pro utilitate nostra? Hi enim licet honorentur, nihil ex honore in futurum lucrantur, majoremque damnationem inde suscipiunt. Et si patiuntur injurias, nihil ex eis detrimenti in futurum acquirunt: imo & meritorum illis accedit cumulus, atque defensio. Nostri denique causa cuncta illi faciunt. Nam sive honorantur a subditis, & hoc illis fieri jubet, quemadmodum dicebat Heli: Assumpsit te de domo patri tui. Sive injuriis afficiantur, hoc in se Deus ipse perpetitur, sicut ad Samuelem ait; Non te spreverunt, sed me. Itaque illis contumelia lucrum, honor vero onus est: non ergo hæc illorum gratia, sed vestri causa dico: Qui honorat Sacerdotem, Deum quoque honorat: qui vero Sacerdotem spernit, ad id sensim prolabitur, ut in Deum ipsum contumeliosus evadat. Qui vos, inquit, suscipit, me suscipit. Et Sacerdotes, ait, ejus in honore habete. Hinc Judæi Deum spernere didicerunt, quia Mosem contempsere, & lapidibus impetebant. Nam qui pie erga Sacerdotem afficitur, majore pietate Deum reverebitur. Et si enim malus fuerit Sacerdos quispiam, attendit Deus, quod sui gratia illum etiam, qui dignus honore non est, obsequiis foves ipseque tibi præmia exsolvet. Si enim, qui Prophetam in nomine Prophetæ suscipit, mercedem Prophetæ accipiet: profecto & qui cedit, & obtemperat Sacerdoti, mercede sua non destituetur. Nam si ubi de hospitalitate agitur tantum, ubi quem suscipis ignoras, tantum præmiorum accipis: si ei subjiciaris, cui imperat Deus, non multo magis mercede donaberis? Super Cathedram, inquit, Mosis sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite, secundum autem opera eorum ne faciatis. An ignoras, quid sit Sacerdos? Angelus utique Domini est: Non ex seipso loquitur: si despicis, non illum despicis, sed Deum, qui illum ordinavit. Sed unde, inquies, constat, Deum fuisse illius Ordinationis auctorem? Nempe si tu hanc habeas opinionem, spes tua inanis facta est. Nam si nihil per illum operatur Deus, neque Lavacrum habes, neque Mysteriorum particeps es, neque Benedictionibus frueris. Non ergo Christianus es. Quid ergo? Deus omnes ordinat, etiam indignos? Non omnes quidem ille ordinat, per omnes tamen operatur, salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nam si per asinæ os, si per Balaam scelestum hominem populi causa locutus est, multo magis loquitur per Sacerdotem plebis suæ gratia. Quid enim non agit Deus salutis nostræ causa? Quid non loquitur? Per quem non operatur? Si enim per Judam operatus est, & per Prophetas, quibus dicturus est: Non novi vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem; perque illos, qui dæmones in nomine suo ejecerunt: non magis per Sacerdotes Divino Ministerio famulantes operabitur? Namque si Præpositorum vitas discutere pergimus, ipsi Doctores nostros ordinare contendimus, perversoque ordine naturali, quæ supra sunt, infra esse volumus, ut superius pedes, inferius vero sit caput. Audi, quid Paulus dicat: Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. Et iterum: Tu quid judicas fratrem tuum? Si fratrem, judicare non expedit, quanto minus Magistrum? Insurrexerunt adversus Aaron, post Vituli formatam effigiem, Core, Datham, & Abiron. Quid ergo, nonne illi periere? Quilibet, quæ ad se pertinent, sollicite curet. Nam si quidem fidei dogma pervertat, etiamsi Angelus sit, obedire noli: sin vero recta docet, noli vitæ, sed verbis intendere.

1.Reg. 2. — Matth. 10. — Num. 16. — Matth. 10. — Matt. 23. 2. — Num. 23. — 1.Cor. 4. — Rom. 14.

ARTICULUS VIII.

De Episcopatu.

1. EPiscopatus est apex, & consummatio Sacerdotii, sive Summum, perfectumque Sacerdotium. An sit Ordo a Presbyteratu distinctus, Theolo- Episcopalis Ordo an sit a Presbyte-

[margin: rali distinctus?]

gi disputant. Affirmanti Sententiæ favere videtur Apostolus 1. *ad Timotheum* IV. & 2 *ad Timotheum* 1. ubi *Timotheum* admonet, ut gratiam in Episcopatus Inauguratione acceptam non negligat, sed resuscitet, Patres quoque Sententiam illam confirmant. *S. Epiphanius* Hæresi LXXV. *Aerium* Hæresiarcham refellit asserentem, Unum esse Ordinem Episcopi, & Presbyteri. Quamquam non idem sit sensus Theologorum id asserentium, ac *Aerii*. Illi enim Episcopos Jure divino Presbyteris Superiores esse propugnant, quod fides docet. *Aerius* vero nullam esse discrimen inter Episcopum, & Presbyterum pertinaciter contendebat, sed in omnibus æquale esse, & Ordine, honore, dignitate, potestate pares.

[margin: Episcopalis Ordinatio a ceteris distincta.]

Concilium Carthaginense IV. Sacrarum Ordinationum Ritum describens, Ordinationem Episcopalem, ut a ceteris distinctam in primis commemorat Canone II. *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem super caput, & cervicem ejus, & uno super eum fundente Benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsint, manibus suis caput ejus tangant.*

S. Leo Epist. XII. alias LXXXIV. ad *Anastasium* Episcopum Thessalonicensem cap. IV. Episcopalem Ordinem a Presbyterali distinguit, ubi de continentiæ lege Subdiaconis imposita sic loquitur: *Quod si in hoc Ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri: quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur qui se a voluptate uxoria necdum frenasse dignoscitur.*

[margin: Episcopali Consecratione tribuitur Spiritus Sanctus.]

Romanum Pontificale docet, Episcopali Consecratione tribui Spiritum Sanctum; siquidem Consecrator, & Assistentes Episcopi, ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum.* Singularis etiam, & excellens quædam potestas spiritualis Episcopo tribuitur, quæ Presbytero simplici non convenit, scilicet Potestas conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis: quæ potestas non Jurisdictionis duntaxat, verum etiam Ordinis est, adeoque novus Character.

[margin: Episcopi Jure Divino Presbyteris Superiores.]

II. Sed ut se habeat Quæstio illa, quam Ecclesia Scholasticis disputationibus permittit, Utrum Character Episcopalis novus omnino sit, an solum Sacerdotalis Characteris extensio, Dogma Fidei est, Episcopos Jure Divino Presbyteris esse Superiores, quod Scripturæ Sacræ testimoniis, & continua Traditionis serie probavimus Dissertatione singulari *De Episcoporum supra Presbyteros Eminentia*, adversus *Blondellum* magni inter Calvinianos nominis Auctorem, qui veterem *Aerii* errorem de Episcopi, & Presbyteri æqualitate propugnavit edito Libro, quem inscripsit, *Apologia S. Hieronymi.* Nunc autem argumenta repetere, quibus dogma illud Catholicum adstruximus, minime opus est. In memoriam revocare sufficit *S. Epiphanii* verba Hæresi LXXV. ubi de *Aerio* sic loquitur: *Est* (inquit) *illius dogma supra hominis captum furiosum, & immane: Quanam, inquit, in re Presbytero Episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus Ordo, par & idem honor, ac dignitas.* Parem itaque dignitate, & honore Episcopo Presbyterum asserere, Hæresis est, quam in Aerio Ecclesia exhorruit, & damnavit. Illam autem stoliditatis plenam, ut vocat, Sententiam hac ratione refellit S. Epiphanius: *Episcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Alter, cum Patres non possit, filios Ecclesiæ Regenerationis lotione producit; non tamen Patres, aut Magistros. Quinam vero fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? Aut quomodo Presbyter Episcopo dici potest æqualis?* Itaque jus ordinandi Presbyteros solis Episcopis convenire, non vero simplicibus Presbyteris, *S. Epiphanius* cum Ecclesia sui temporis credebat, dogmaque istud tanquam Catholicum contra *Aerium* propugnabat.

Et.

Et ante *S. Epiphanium* Alexandrina Synodus in causa *S. Athanasii* congregata, in Epistola Synodica *Ischyram* Presbyterum non fuisse ex eo probat, quod a *Collutho* ordinatus esset, qui non erat Episcopus, sed simplex Presbyter, adeoque Sacerdotes ordinare non poterat. Agnoscit proinde laudata Synodus ordinandi potestatem divino jure solis Episcopis convenire, nec a Presbyteris consecrari posse tam Episcopos, quam Presbyteros.

Quamobrem Sacra Synodus Tridentina Sess. XXIII. declarat. *Præter ceteros Ecclesiasticos Gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad Hierarchicum Ordinem præcipue pertinere; & positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu Sancto, regere Ecclesiam Dei; eosque Presbyteris superiores esse; ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare: atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum Potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.* Act. 20.

Et Can. VII. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbytero superiores; vel non habere Potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem ... Anathema sit.*

Objicitur *S. Hieronymi* testimonium Commentario in cap. I. Epistolæ ad *Titum*, ubi explicans hæc verba. *Et constituas per civitates Presbyteros,* &c. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse,* hæc habet: *Idem est ergo Presbyter, qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent, & diceretur in populis,* Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, *communi Presbyterorum Consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatum semina tollerentur.* Et infra: *Eosdem fuisse Presbyteros apud Veteres* asserit, *quos & Episcopos: paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi Præpositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse Populo Israel, Septuaginta elegit, cum quibus Populum judicaret.*

Objectio ex S. Hieronymo petita diluitur.

1. Cor. 1. 12.

Respondetur, Apud Veteres eosdem Presbyteros fuisse, quos & Episcopos, nomine quidem, non Ordine, non Dignitate, non Jurisdictione. Communia namque primi, & secundi Ordinis Sacerdotibus tunc erant nomina, ut Episcopi vocabulo Presbyterorum, & Presbyteri vocabulo Episcoporum significari tunc solerent; quamvis magna inter illos esset Ordinis, ac Dignitatis differentia. Id ipsa *S. Hieronymi* verba significant: *Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris est locutus.* Duplici autem ratione supra Presbyteros eminuerunt semper Episcopi, potestate scilicet Ordinis, qua Presbyteros, & Episcopos alios ordinare possunt, sive *Patres Ecclesiæ gignere* (ut loquitur *S. Epiphanius.*) Secundo, potestate Jurisdictionis, quæ in Ecclesiæ Regimine posita est; ratione cujus leges ferre, sancire disciplinam, ab Ecclesiæ liminibus publicos peccatores, & adversus Ecclesiam perduelles arcere, Lapsis Pœnitentiam imponere, Pœnitentes Communione donare, Casus sibi reservare, ab iisque absolvere, Indulgentias concedere, Christianæ Plebis mores reformare possunt. Quoad utramque potestatem superiores semper fuisse Presbyteris Episcopos, etiam in Ecclesiæ incunabulis, *S. Hieronymus* agnovit. Quod vero spectat Jurisdictionis usum, non eadem fuit ab initio, quæ secutis temporibus, Ecclesiæ disciplina, & Epis-

piſcoporum ſupra Presbyteros eminentia. Tunc enim communi Presbyterorum Conſilio Eccleſiæ regebantur, & res Eccleſiaſticæ adminiſtrabantur; nihilque decernebatur niſi ex ipſorum ſuffragiis, & ex communi totius Senatus Eccleſiaſtici ſententia: ſed hæc Regiminis forma immutata eſt occaſione ſchiſmatum, & ad unum delata omnis ſolicitudo eſt. Igitur quoad externam illam Eccleſiæ gubernationem, & rerum ipſius adminiſtrationem, atque Jurisdictionis uſum diſpoticum, *Magis Eccleſiæ conſuetudine, quam diſpoſitionis dominicæ veritate*, Presbyteris eſse majores Epiſcopos *S. Hieronymus* aſſerit; non quoad Ordinem, aut Jurisdictionem ipſam. Unde ſubdit, eos *In commune debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe Populo Iſrael, Septuaginta elegit, cum quibus Populum judicaret*. Ex quibus verbis, & exemplo colligitur, Poteſtatem ſummam regendæ Eccleſiæ, & Juriſdictionem ampliſſimam, cum in Plebem Chriſtianam, tum in ipſum Presbyterorum, Clerique totius Collegium, Epiſcopis inſtitutione divina fuiſſe conceſſam, quamvis eam cum ſecundi Ordinis Sacerdotibus communicarent primis Eccleſiæ temporibus: ſicut Moyſes collatam divinitus Auctoritatem, cum in Populum univerſum, tum in Septuaginta ipſos Seniores habuit, quamvis illos in conſortium Juriſdictionis ſuæ, ac Regiminis partem aſciverit.

Ex his facile explicatur *S. Hieronymi* locus alter, ſcilicet Epiſt. LXXV. *ad Evagrium*, in qua ſcribit, *Apoſtolum diſerte docere eoſdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos. Quod autem poſtea unus electus eſt, qui ceteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Eccleſiam Chriſti rumperet*. Eoſdem enim Epiſcopos eſſe, quos & Presbyteros nomine tenus, non Ordine, Dignitate, Juriſdictione, Apoſtolus docet, ex *S. Hieronymi* ſententia. Quod *S. Hieronymo* ſatis erat ad vecordis illius hominis temeritatem refellendam, qui Diaconos Presbyteris anteferebat.

Cum autem ait *S. Hieronymus*, In ſchiſmatis remedium factum eſſe, ut unus ex Presbyteris electus ceteris præponeretur, ſpectat Rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem, quæ ſchiſmatum occaſione tota ad unum delata eſt Epiſcopum, cum antea toti Presbyterorum Collegio cum Antiſtite communis eſſet. Quamobrem inſoleſcere non debere Diaconos colligit, propterea quod Eccleſiaſticorum bonorum Oeconomi, & diſpenſatores eſſent, aut quod ad ipſorum teſtimonium Presbyteri ordinarentur: quia utcumque ſe haberet Eccleſiæ his in rebus diſciplina, certum erat, Presbyteros, quos Apoſtolus Epiſcoporum nomine deſignavit, eſſe Diaconis Ordine ſuperiores; cum ex Diaconis Presbyteri, non ex Presbyteris Diaconi ordinentur.

At (inquiunt) S.Hieronymo teſte, *Alexandriæ a Marco Evangeliſta, uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent*. Quod abſque nova Inauguratione, ſive Ordinatione factum colligitur, tum ex eo, quod *S. Hieronymus* novæ Ordinationis non meminit: tum quia Presbyter ita fiebat Epiſcopus electione Compresbyterorum, ſicut Miles, vel Tribunus fiebat Imperator electione Commilitonum; & Diaconus creabatur Archidiaconus Condiaconorum nominatione: quibus in creationibus Ritus alius ab Electione neceſſarius non erat, ut his dignitatibus fruerentur.

Reſpondetur, Novam ſemper Ordinationem interceſſiſſe, qua electus a Compresbyteris inaugurаretur Epiſcopus. Idque *S. Hieronymus* ſatis innuit, cum ſingularem ad quædam effecta Poteſtatem agnoſcit in Epiſcopis, quæ Pres-

Presbyteris non conveniat, ſcilicet, ad ſacras Ordinationes. *Quid enim facit, excepta Ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* (inquit ille.) Secundo, Epiſcopos *Apoſtolorum Succeſſores* ibidem vocat. Quamobrem ſicut Apoſtoli ſuperiores erant Presbyteris, quos ordinabant, non humana inſtitutione, ſed Chriſti ipſos cum ſumma poteſtate mittentis, eiſque Eccleſiæ ſuæ propagandæ, & regendæ provinciam demandantis: ita Epiſcopi jure divino ſuperiores ſunt Presbyteris. Tertio, hanc ad *Evagrium* Epiſtolam *S. Hieronymus* his verbis concludit: *Et, ut ſciamus Traditiones Apoſtolicas ſumptas de Veteri Teſtamento; quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt; hoc ſibi Epiſcopi, & Preſbyteri, & Diaconi vindicent in Eccleſia.* Quibus verbis Epiſcopos cum Aarone, Presbyteros cum filiis Aaronis componit. Nemo porro parem poteſtatem Aaronis, qui Sacerdos Maximus, ſive Pontifex fuit, & filiorum ejus, qui Sacerdotes tantum erant, fuiſſe dixerit. Quarto, Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentiam inter *Traditiones Apoſtolicas* S. Hieronymus ibidem recenſet. Quinto, in Dialogo adverſus Luciferianos *S. Hieronymus* ait: *Eccleſiæ ſalus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exſors quædam, & ab hominibus eminens detur Poteſtas, tot erunt in Eccleſia ſchiſmata, quot Sacerdotes.* Si Eccleſiæ ſalus ex Summi Sacerdotis, & ſingularis Epiſcopi eminentiorem poteſtatem habentis dignitate pendet, non ſatis providiſſet Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Dominus, niſi Summos Sacerdotes, id eſt, Epiſcopos, cum eminenti illa poteſtate inſtituiſſet.

Idem confirmat Lib. I. *Adverſus Jovinianum*, cap. XIX. *Epiſcopus* (inquit) *& Preſbyter, & Diaconus, non ſunt meritorum nomina, ſed Officiorum: nec dicitur, Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum deſiderat gradum, ſed, bonum opus deſiderat; quod in majori Ordine conſtitui poſſit, ſi velit occaſionem exercendarum habere virtutum .... Non percuſſorem. Neque enim pugilem deſcribit ſermo Apoſtolicus, ſed Pontificem inſtituit.*

Epiſtola denique LIV. ad *Marcellam*, hoc inter Catholicos, & Montaniſtas diſcrimen ponit: *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent: apud eos Epiſcopus tertius eſt.*

Creationem porro Imperatoris ex Militibus, & Archidiaconi ex Diaconis, cum Epiſcopi creatione ex Presbytero, *S. Hieronymus* in eo tantum comparat, quod ſicut olim ex corpore Exercitus eligebantur Imperatores, & ex Diaconorum Ordine eligebantur Archidiaconi; ita ex Presbyterorum Collegio crearentur Epiſcopi: non vero in eo, quod ſola electione, & abſque nova Ordinatione ad hanc Dignitatem promoverentur.

III. Epiſcoporum Officia Pontificale Romanum explicat his verbis: *Epiſcopum* Epiſcoporum Officia.
oportet judicare, interpretari, conſecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.

Præcipuum Epiſcoporum munus eſt Evangelii prædicatio. Unde Sacra Synodus Tridentina Seſs. V. *De Reformatione*, cap. II. ſtatuit, & decrevit, *Omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſe ipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jeſu Chriſti Evangelium.* Et Seſs. XXIV. *De Reformatione*, cap. IV. *Prædicationis Munus, quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens Sancta Synodus, quo frequentius poſſit ad Fidelium ſalutem exerceri, mandat, ut in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut ſi legitime impediti fuerint per eos, qui Prædicationis Munus aſſument; in aliis autem Eccleſiis per Parochos, ſive iis impeditis, per alios ab Epiſcopo, impenſis eorum, qui eas præ-* Evangelii prædicatio præcipuum Epiſcoporum munus.
ſtare tenentur, vel ſolent, deputandos in Civitate, aut in quacumque parte Diœceſis cenſebunt expedire, omnibus Dominicis, & ſolemnibus diebus Feſtis; tempore autem Jejuniorum Quadrageſimæ, & Adventus Domini quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, Divinamque Legem annuntient; & alias quotieſcumque id opportune fieri poſſe judicaverint.

Diœcesis Visitatio.

Unum etiam ex præcipuis Episcopi Muneribus est Diœcesis Visitatio; quam per se ipsos, aut si legitimo impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut Visitatorem, quolibet saltem biennio obire, complereque debent, si quotannis, ob Diœcesis amplitudinem perfici non possit, ut decernit Sacra Synodus Tridentina, Sessione XXIV. *De Reformatione*, cap. III. Ut autem executio Visitationis quoad ea, quæ Morum emendationem spectant, nulla ratione suspendi, vel retardari possit, eadem Sacra Synodus cap. X. statuit, ut Episcopi in omnibus iis, quæ ad Visitationem, ac Morum correctionem subditorum spectant, jus & potestatem habeant, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxta Canonum Sanctiones, quæ illis ex prudentia sua, pro subditorum emendatione, ac Diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his ubi de Visitatione, aut Morum correctione agitur, Exemptio, aut ulla Inhibitio, Appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab iis mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat.

CAPUT II.

DE HIERARCHIA ECCLESIÆ.

ARTICULUS I.

Quid sit Hierarchia?

Hierarchiæ Ecclesiasticæ notio, ac delineatio.

Hierarchia, secundum Græci vim nominis, est *Sacer Principatus*. Definiri potest *Ordo Præpositorum, & Sacrorum Ministrorum ad Ecclesiæ Regimen, & hominum sanctificationem a Christo institutus*. Hanc Hierarchiam in Ecclesia divinitus institutam esse, eamque Episcopis, Presbyteris, & Ministris, (quo nomine Diaconi præsertim intelliguntur) constare, dogma fidei est, ut constat ex Concilio Tridentino, Sessione XXIII. Canone VI. cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; Anathema sit.*

Hierarchiæ Ecclesiasticæ delineationem videre est in genuinis Epistolis S. Ignatii Episcopi, & Martyris. In Epistola ad Smyrnæos: „ Omnes (inquit) Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem; & Presbyterium, ut Apostolos: Diaconos autem revereamini, ut Dei Mandatum. Nullus sine Episcopo aliquid operetur eorum, quæ conveniunt in Ecclesiam. Illa firma gratiarum actio reputetur, quæ sub ipso est, vel quam utique ipse concesserit. Ubi apparet Episcopus, illic multitudo sit: quemadmodum utique ubi est Chistus Jesus, illic Catholica Ecclesia. Non licitum esse sine Episcopo neque baptizare, neque Agapem facere: sed quod utique ille probaverit, hoc est Deo beneplacitum; ut stabile sit, & firmum omne, quod agitur. Honorans Episcopum, a Deo honoratus est: qui occultans ab Episcopo aliquid operatur, diabolo præstat obsequium.

In Epistola ad Polycarpum: *Unanimis ego cum subjectis Episcopo Presbyteris, & Diaconis: & cum ipsis mihi pars fiat capere in Deo.*

In Epistola ad Magnesios: *In concordia Dei studete omnia cooperari: præsidente Episcopo in loco Dei, & Presbyteris in loco confessionis Apostolorum, & Diaconis mihi dulcissimis, habentibus creditam Ministrationem Jesu Christi, qui ante sæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit .... Quemadmodum*

igitur

igitur Dominus sine Patre nihil fecit, unitus existens, neque per se ipsum, neque per Apostolos; sic neque vos sine Episcopo, & Presbyteris aliquid operemini.

In Epistola ad Philadelphios: *Locutus sum magna voce, Dei voce: Episcopo attendite, & Presbyteris, & Diaconis.*

In Epistola ad Trallesios: *Necessarium est, quemadmodum facitis, sine Episcopo nihil operari vos: sed subjici, & Presbyterio, ut Apostolis Jesu Christi Spei nostræ; in quo conversantes inveniamur. Oportet autem, & Diaconos Ministros existentes Mysteriorum Jesu Christi, secundum omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum, & potuum sunt Ministri, sed Ecclesiæ Dei Ministri.* Et infra: *Similiter & omnes revereantur Diaconos, ut Mandatum Jesu Christi; & Episcopum, ut Jesum Christum, existentem Filium Patris; Presbyteros autem, ut Concilium Dei, & conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur.*

S. Dionysius, Libro *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. v. tres actus hierarchicos recenset, *Purgare*, scilicet, *illuminare*, *perficere*. Et harum quidem functionum primam Diaconis, alteram Presbyteris, tertiam Episcopis tribuit. *Est igitur* (inquit) „ Pontificatus, seu Episcopatus Ordo, qui consummante virtute fultus perficientia quæque Sacri Ordinis Munia præeminenter „ consummat, atque Sacrorum disciplinas interpretando tradit, & edocet „ quænam ipsis sacræ competant habitudines, & virtutes. Sacerdotum autem Ordo, qui illuminat, ad Sacra Mysteria contuenda initiatos manuducit, divinorum Ordini Pontificum subjectus, cum quo propria sua celebrat Officia... Verum Ordo Ministrorum, seu Diaconorum est, qui expiat, antequam ad Sacerdotum Sacra veniant, accedentes etiam lustrat, „ ut eos a contrariis immunes reddat, atque Sacrorum Mysteriorum spectaculo, & communione dignos. Tres actus hierarchici.

Tres illos Ordines Hierarchicos, Episcoporum scilicet, Presbyterorum, & Diaconorum, Patres reliqui frequenter commemorant. *Tertullianus* Libro *De Baptismo*, cap. xvii. *Dandi quidem baptismi jus habet Summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi Auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est.* Tres Ordines Hierarchici, Episcopi Presbyteri, Diaconi.

S. Cyprianus, plerasque Epistolas Presbyteris, & Diaconis inscribit, & Ecclesiam ab Episcopo, atque etiam a Presbyteris, & Diaconis sub ipso, regi significat. Epistola lxv. Episcopos, & Presbyteros a Christo immediate: Diaconos vero mediate, scilicet Apostolorum Ordinatione institutos fuisse docet. *Meminisse autem Diaconi debent* (inquit) *quoniam Apostolos, id est, Episcopos, & Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post Ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, & Ecclesiæ Ministros.* Id etiam confirmant Epistolæ Cleri Romani ad *Cyprianum* ipsum de Lapsorum causa sic inscriptæ: *Cypriano Papæ Presbyteri, & Diaconi Romæ consistentes, salutem.*

Origenes Homilia ii. in Numeros. *Putasne, qui Sacerdotio funguntur, agunt omnia, quæ illo Ordine digna sunt? Et unde est, quod sæpe audimus blasphemare homines, & dicere; Ecce qualis Episcopus, aut qualis Presbyter, qualis Diaconus?*

Idem in Psalmum xxxv. *Omnes* (inquit) *Episcopi, atque omnes Presbyteri, vel Diaconi erudiunt Plebem, & adhibent correptiones.*

Et Lib. ii. in Epistolam ad Romanos, cap. ii. *Ecclesiarum* (inquit) *Rectoribus, & Principibus loquitur Apostolus, his videlicet, qui judicant eos, qui intus sunt, id est, Episcopis, vel Presbyteris, & Diaconibus.*

Clemens Alexandrinus Lib. vi. Stromatum: *Nam hic quoque* (inquit) *in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, sunt (ut arbitror) imitationes gloriæ angelicæ, & illius œconomiæ, ac dispensationis,*

quam

quam dicunt Scripturæ illos exspectare, qui insistentes vestigiis Apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ, convenienter Evangelio.

Epistola Synodi Antiochenæ contra *Paulum Samosatenum*, apud *Eusebium* Lib. VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XXX. inscribitur: *Dionysio & Maximo, & omnibus per universum orbem Comministris nostris; Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & universæ Ecclesiæ Catholicæ, que sub cœlo est.*

Constantinus Imperator ad *Eusebium* scribit: *Quotquot igitur Ecclesiis aut ipse præes, aut alios in singulis locis præsidentes Episcopos, & Presbyteros, ac Diaconos nostri, cunctos admone, ut in opera Ecclesiarum omni studio, ac diligentia incumbant.* Refert ipse *Eusebius* Lib. II. *De Vita Constantini*, cap. XLVI.

S. Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi XVI. *Perspice cujuslibet Nationis Episcopos, Presbyteros, Diaconos*, &c.

S. Optatus Milevitanus lib. I. *Adversus Parmenianum*, idem confirmat. Quid „ (inquit) commemorem Laicos? Quid plurimos Ministros? Quid Diaconos „ in tertio, quid Presbyteros in secundo Sacerdotio constitutos? ipsi apices, & „ Principes omnium Episcopi, *&c. Et Lib.* II. Ut cum sint quatuor genera ca- „ pitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, diaconorum, & Fidelium, „ &c. *Et infra*: Invenistis, Diaconos, Presbyteros, Episcopos, fecistis Laicos.

S. Jo: Chrysostomus. Homilia I. in Epistolam ad Philipenses, explicans hæc verba salutationis, *Coepiscopis, & Diaconis*, ait: *Quid hoc? An unius civitatis multi erant Episcopi? Nequaquam, sed Presbyteros isto nomine appellavit. Tunc enim nomina adhuc erant communia, atque ipse etiam Episcopus vocabatur Diaconus. Idcirco ad Timothæum scribens, inquit*, Diaconiam, *id est*, Ministerium tuum imple, *cum tamen ille Episcopus esset, quod constat ex illis verbis ad eumdem scriptis*, Manus cito nemini imposueris. *Et rursus.* Quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii: *Presbyteri vero Episcopum non ordinassent. Et rursus ad Titum scribens, inquit*: Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego dis- „ posui tibi. Si quis sine crimine est, unius Uxoris vir, *quæ quidem de Episcopo* „ *dicit. Atque hæc cum dixisset, statim addidit*: Oportet enim Episcopum si- „ ne crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum. *Antiquitus igitur ipsi etiam Presbyteri vocabantur Episcopi, & Diaconi Christi. Quocirca vel hodie multi Episcopi ita scribunt.* Compresbytero, & Condiacono. *Procedente vero tempore, proprium cuique distributum est nomen, ut hic quidem Episcopus, ille vero Presbyter appelletur.*

S. Hieronymus, in Apologia adversus Jovinianum. *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici.*

„ *S. Augustinus*, Lib. I. De Moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. XXXII. Quam „ multos Episcopos optimos viros, sanctissimosque cognovi, quam multos „ Presbyteros, quam multos Diaconos, & ejusmodi Ministros divinorum Sa- „ cramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior, & majore prædicatione di- „ gnior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, & in ista „ vita turbulentiore servare. Non enim sanatis magis, quam sanandis homini- „ bus præsunt.

Et Epist. XXI. alias CXLVIII. ad *Valerium* Hipponensem Episcopum. „ Co- „ gitet religiosa Prudentia tua, nihil esse in hac vita, maxime hoc tempore fa- „ cilius, & hominibus acceptabilius, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi „ Officio, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur: sed nihil apud Deum mi- „ serius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maxime „ hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, „ aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo „ noster Imperator jubet.

S. Leo

S. Leo Serm. x. De Quadragesima: *Non enim Summos tantum Antistites, aut secundi Ordinis Sacerdotes, nec solos Sacramentorum Ministros: sed omne corpus Ecclesiæ, universumque Fidelium numerum, ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatum.*

Ex his porro Patrum testimoniis perspicuum est, quam arcta sit trium illorum Ordinum connexio, Episcoporum scilicet, Presbyterorum, & Diaconorum in Hierarchia Ecclesiastica.

ARTICULUS II.

De variis Sacerdotalis Ordinis Gradibus.

QUamvis Sacerdotalis Ordo unus sit, varios tamen Dignitatis, & Potestatis Gradus habet.

I. Primus est eorum, qui Sacerdotes simpliciter vocantur, sive secundi Ordinis Sacerdotes, & Presbyteri, de quibus 1. ad Timotheum v. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo, & doctrina .... Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Et Jacobi v. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c.* In eo sunt ordine. Rectores Parochiarum, sive Curati, qui septuaginta duorum Discipulorum locum in Ecclesia tenent, sicut Episcopi Apostolorum, ut ait *Theodulphus* Aurelianesis Episcopus ad suæ Diœcesis Sacerdotes scribens: *Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum, & pene conjunctum esse. Sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum Presbyteri ceterorum Discipulorum Domini vicem tenent: & illi tenent gradum Summi Pontificis Aaron, isti vero filiorum ejus. Unde oportet vos semper esse memores tantæ Dignitatis, memores vestræ Consecrationis, memores sacræ quam in manibus suscepistis Unctionis, ut nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro unguento delibutas peccando polluatis; sed cordis, & corporis munditiam conservantes, plebibus exemplum bene vivendi præbentes, his, quibus præestis, ducatum ad cœlestia Regna præbeatis.*

Secundi Ordinis Sacerdotes.

Et *Fulbertus* Carnotensis Episcopus, Epist. 11. *Moyses Dux Populi secundis Adjutoribus, septuaginta viris videlicet de eodem Populo sustentabatur, per quos forma Presbyterorum exprimitur, qui nunc in Ecclesia nostra Pontificale onus in se suscipientes, regendis populis invigilant.*

Id confirmat Pontificale Romanum in Ordinatione Presbyteri, ubi Episcopus ita Deum orat: „ Sic Moysi in eremo per Septuaginta Virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille Adjutoribus usus, „ in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic & in Eleazarum, „ & Ithamarum filios Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti; ut ad hostias salutares, & frequentioris officii Sacramenta Ministerium „ sufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui Doctores Fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, „ hæc Adjumenta largire; qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus.

Presbyteros Apostolico Gradui succedere, in secundo scilicet Ordine Sacerdotii, *S. Hieronymus* asserit Epistola ad Heliodorum: *Absit* (inquit) „ ut „ de Clericis quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico Gradui succedentes, „ Christi Corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus; qui „ Claves Regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem Judicii judicant; qui Sponsam Domini sobria castitate conservant .... Mihi ante

Pros-

„ Presbyterum ſedere non licet. Illi, ſi peccavero, licet me tradere Satanæ, &c.

Epiſcopi. II. Secundus Sacerdotii Gradus eſt Epiſcoporum, qui ſingulis Epiſcopatibus præpoſiti ſunt, ut non ſolum ceteros Eccleſiæ Miniſtros, ſed etiam Populum regant, & eorum ſaluti ſumma cum vigilantia, & cura proſpiciant. Unde in Sacris Litteris *Paſtores ovium* ſæpe appellantur. De quibus Apoſtolus Actuum xx. „ Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus „ Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam aquiſivit Sanguine „ ſuo. *Et S. Petrus Epiſt.* 1. *cap.* v. Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, „ providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum, neque turpis lu- „ cri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti „ gregis ex animo: & cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis im- „ marceſcibilem gloriæ coronam. *Apoſtolorum (ut dixi) Succeſſores ſunt Epiſ-* „ *copi; unde* Hieronymus *ad* Marcellam *ſcribens adverſus Montaniſtas*: Apud „ nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, apud eos Epiſcopus tertius eſt. „ *Et in Epiſtola ad Evagrium*: Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, „ ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Regii, ſive Alexandriæ, „ ſive Tanis, ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & Sacerdotii. Patientia di- „ vitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſ- „ copum non facit. Ceterum omnes Apoſtolorum Succeſſores ſunt. *Hinc* „ S. Pacianus *Barcinonenſis Epiſcopus*, *Epiſt*, 1. Denique (inquiunt) & Epiſ- „ copi Apoſtoli nominantur, ſicut de Epaphrodito Paulus ediſſerit, *&c.* De- „ us jus illud nobis, ut Apoſtolorum Chatedram tenentibus non negabit, qui „ Epiſcopis etiam Unici ſui nomen indulſit. Nemo Epiſcopum hominis con- „ templatione deſpiciat. Recordentur, quod Petrus Apoſtolus Dominum no- „ ſtrum Epiſcopum nominavit. Quid Epiſcopo negabitur, in quo Dei no- „ men operatur? *Et multo ante*, S. Cyprianus, *Epiſt.* LXIX. *de Epiſcopis ſcri-* „ *bit*: Apoſtolis vicaria Ordinatione ſuccedunt. *Et Epiſt.* LXIII. *Epiſcopos Eccleſiis Dominicis in toto Mundo divina dignatione præpoſitos.*

Archiepiſcopi, ſive Metropolitani. III. *Epiſcopatus* quidem *unus eſt*, *cujus pars a ſingulis in ſolidum tenetur*, (ut loquitur *S. Cyprianus*,) Lib. *De Unitate Eccleſiæ*, Et, *Ad Trinitatis inſtar*, *cujus una eſt atque individua Poteſtas*, *unum eſt per diverſos Antiſtites Sacerdotium* (ut ſcribit *Symmachus* Pontifex Epiſt. 1. ad *Æonium* Arelatenſem Epiſcopum) inter ipſos tamen Epiſcopos diſcretio quædam eſt Poteſtatis. Archiepiſcopi namque Eccleſiaſtico Jure ex Apoſtolica Traditione derivato ſunt Epiſcopis Superiores. Tertius igitur Sacerdotalis Ordinis gradus eſt Archiepiſcoporum, qui pluribus Epiſcopis præſunt, qui Metropolitani etiam vocantur, quod illarum Urbium Antiſtites ſint, quæ tanquam Matres habentur illius Provinciæ. Quare ſuperiorem quam Epiſcopi locum, & ampliorem Poteſtatem habent, tametſi ab Epiſcopis Ordinatione nihil differunt. De quibus *S. Leo.* Epiſt. XII. alias LXXXIV. *Connexio* (inquit) „ totius cor- „ poris unam ſanitatem, unam pulchritudinem facit: & hæc connexio totius „ quidem corporis unanimitatem requirit, ſed præcipue exigit concordiam „ Sacerdotum. Quibus etſi dignitas ſit communis, non eſt tamen ordo gene- „ ralis: quoniam & inter Beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit „ quædam diſcretio Poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, uni tamen „ datum eſt, ut ceteris præemineret, de qua forma Epiſcoporum quoque eſt „ orta diſtinctio, & magna ordinatione proviſum eſt, ne omnes ſibi omnia „ vindicarent: ſed eſſent in ſingulis Provinciis ſinguli, quorum inter fratres „ haberetur prima Sententia: & rurſus quidam in majoribus urbibus conſti- „ tuti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem „ univerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil uſquam a ſuo Capite diſſide- „ ret. Qui ergo ſcit ſe quibuſdam eſſe præpoſitum, non moleſte ferat, ali-

„ quem

„ quem sibi esse prælatum: sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat. Duplicem Episcopalis Dignitatis gradum *S. Leo* describit, Metropolitanorum scilicet, qui omnibus alicujus Provinciæ Episcopis præsunt; & Primatum, qui in majoribus Religionis alicujus urbibus constituti. Summi Pontificis vices susceperunt. Metropolitanis subsunt Episcopi, Primatibus vero Metropolitani. Unde *S. Leo* in eadem Epistola *Anastasium* Thessalonicensem Episcopum Illyrici Primatem his verbis compellat: *Igitur secundum Sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentia consecratos, Metropolitas singularum Provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra Fraternitatis tuæ cura prætenditur, Jus traditæ sibi antiquitus Dignitatis intemeratum habere decernimus: ita ut a Regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.* Ab Episcopo ad Metropolitanum; a Metropolitano ad Primatem; a Primate ad Romanum Pontificem in causis Ecclesiasticis appellatur.

Ad Metropolitanos pertinet Synodorum Provincialium congregatio. Visitatio totius Provinciæ, seu Diœcesium Comprovincialium suorum, quam tamen aggredi non possunt, nisi propriæ Diœcesis Visitationem plene peregerint, & causa cognita, & probata in Concilio Provinciali, ex Concilii Tridentini Decreto, Sessione XXIV. cap. III. Ad eosdem pertinet executionem Canonum Concilii Tridentini circa Residentiam Episcoporum suæ Provinciæ curare, & legitimæ absentiæ causas probare, ut decernit eadem Synodus Sessione XXIII. *De Reformatione*, cap. I. Si Capitulum Sede vacante Vicarium Generalem infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare neglexerit, institutio, & deputatio hujusmodi Vicarii ad Metropolitanum devolvitur, ut sanxit Concilium Tridentinum Sessione XXIV. *De Reformatione*, cap. XVIII. Si in Seminarii erectione negligens fuerit Episcopus, ipsum corripere, ad idque cogere Metropolitanus potest, secundum Concilii Tridentini Decretum Sessione XXIII. *De Reformatione*, cap. XVIII. Metropolitanorum officia.

Ceterum Appellationibus ab Episcopo ad Metropolitanum modum præscripsit Sacra Synodus Tridentina Sessione XIII. cap. I. *Cum* (inquit) „ rei „ criminum plerumque ad evitandas pœnas, & Episcoporum subterfugienda Judicia, querelas, & gravamina simulent; & Appellationis diffugio „ Judicis processum impediant, ne remedio ad innocentiæ præsidium instituto ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ut hujusmodi eorum calliditati, & tergiversationi occurratur, ita statuit, & decrevit: In causis visitationis, & correctionis, sive habilitatis, & inhabilitatis, necnon in criminalibus, ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario Generali, ante „ definitivam Sententiam, ab Interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur: nec Episcopus, seu Vicarius Appellationi hujusmodi, „ tanquam frivolæ, deferre teneatur .... nisi gravamen hujusmodi per definitivam Sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit.

IV. In quarto Sacerdotalis Ordinis gradu Patriarchæ, id est, summi, supremique Patres, sive Principes Patrum collocantur. Quos inter primum locum tenet Romanus Episcopus, qui totius Occidentis Patriarcha est, adeoque *Majores Diœceses tenere* dicitur, ut scribebat Concilium Arelatense ad *Sylvestrum* Papam: *Tu qui Majores Diœceses tenes.* Secundum locum tenebat olim Alexandrinus, tertium Antiochenus. Eximia quædam, & eminens dignitas his Episcopis collata est propter *S. Petrum*, cujus auctoritate tres illæ Ecclesiæ fundatæ sunt. Romanam enim Ecclesiam fundavit ipse, Cathedram in ea collocavit, eique non doctrinam duntaxat totam, sed & sanguinem profudit. Alexandrinam Ecclesiam fundavit per *S. Marcum* Evangelistam discipulum suum. Antiochenam etiam Ecclesiam per seipsum fundavit Apostolo- Patriarchæ

ſtolorum Princeps, in ea ſedit priuſquam Romam veniret; ibique Religio Chriſtiana Nomen accepit. Atque tres iſtos duntaxat Patriarchas agnovit Nicæna Synodus. Hunc Sedium Patriarchalium ordinem vindicant *Innocentius I.* Epiſtola XVIII. *S. Leo* Epiſt. LXXX. alias LIII. ad *Anatolium* Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Synodus Romana ſub *Gelaſio I.* anno CCCCXCIV. *Nicolaus I.* Epiſtola ad *Michaelem* Imperatorem. Hieroſolymitano Epiſcopo poſt tres primarios Patriarchas locum ſeu *Honoris conſequentiam*, ſalva Metropolitano Cæſareenſi propria Dignitate, Nicæna Synodus dedit. Inter Patriarchas deinde locum obtinuit, & quidem primum poſt Romanum Epiſcopum, Conſtantinopolitanus Epiſcopus: quem ipſi honorem Secunda Synodus Generalis Conſtantinopoli celebrata, & Synodus Chalcedonenſis Canone XXVIII. propter dignitatem Urbis, quæ caput erat Imperii, *Nova Roma* vocabatur, contulerunt, repugnante diu, tandemque conſentiente Romana Eccleſia, ut conſtat ex Concilio Florentino in Definitione Fidei.

Summus Pontifex.

Supremum Sacerdotalis Ordinis Gradum tenet Romanus Pontifex, ampliſſimamque Juriſdictionem in Chriſtianos omnes, & Epiſcopos univerſos, non quidem ullis Synodicis, aut aliis humanis Conſtitutionibus, ſed divinitus datam. Quamobrem univerſali Eccleſiæ, Divino Jure præſidet ut *S. Petri* Succeſſor, Chriſtique Domini noſtri verus, ac legitimus Vicarius. Primatus *S. Petro* in Eccleſia univerſa collatus, atque in ejus Succeſſores Romanos Epiſcopos eodem Jure transfuſus, nititur Chriſti Domini, ac Salvatoris noſtri verbis Matthæi XVI. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo Claves Regni cœlorum.* Quibus verbis *Petro*, & ejus Succeſſoribus duo promittuntur: Primum, quod ſit futurus Eccleſiæ totius fundamentum adeo firmum, ut portæ inferi nunquam ſint adverſus eam tam bene fundatam prævaliturae. Quamvis igitur ſuper Chriſtum, lapidem angularem, & *Fundamentum* primum, ac præcipuum, præter quod *Nemo poteſt aliud ponere*, fundata ſit Eccleſia: quamvis, & ſuper Petri confeſſionem fundata ſit quia dignitatem illam, & honorem confeſſione ſua promeritus eſt, ut Eccleſiæ fundamentum eſſet: unde *S. Leo* Epiſtola V. ad Metropolitanos Illyrici ait: *Et quia per omnes Eccleſias cura noſtra diſtenditur, exigente a Nobis Domino, qui Apoſtolicæ Dignitatis Beatiſſimo Apoſtolo Petro Primatum fidei ſuæ remuneratione commiſit, univerſalem Eccleſiam in fundamenti ipſius ſoliditate conſtituens*, &c. Tamen, & ſuper ipſum Petrum fundatam Eccleſiam Chriſtus Dominus ſignificat, atque in hunc locum Patres intellexerunt, & Concilia, ut *Eccleſia ſuper Petrum voce Domini fundata ſit*. Alterum quod his verbis promittit Chriſtus, eſt ſumma regendi Eccleſiam univerſam Poteſtas, quam Claves Regni cœlorum ſignificant. Hinc *S. Leo* Sermone III. in Anniverſario die Aſſumptionis ſuæ ait:

Romano Pontifici Primatus in Eccleſia univerſa Jure divino convenit.

Romani Pontificis primatus.

„ De toto Mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur: „ ut quamvis in Populo Dei multi Sacerdotes ſint, omnes tamen proprie regat „ Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Magnum, & mirabile huic viro „ conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dignatio: & ſi quid cum eo commune „ ceteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quicquid aliis „ non negavit .... *Et ego dico tibi*: Hoc eſt, Sicut Pater meus tibi manifeſtavit „ Divinitatem meam: ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam. *Quia tu es* „ *Petrus*; id eſt, Cum ego ſim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum; ego fundamentum præter quod nemo poteſt aliud ponere: „ tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate „ ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Et ſuper hanc petram

„ ædifi-

„ ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. „ Super hanc (inquit) fortitudinem æternum extruam Templum: & Ec- „ clesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas in hujus Fidei firmitate consurget. „ Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non liga- bunt: vox enim ista vox vitæ est.... Propter quod dicitur Beatissimo Petro „ *Tibi dabo claves Regni cœlorum &c.* Transivit quidem etiam in alios Apo- „ stolos Jus Potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes Decreti hujus „ constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omni- „ bus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis „ Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privile- „ gium, ubicumque ex ipsius æquitate fertur judicium. *Et mox exponens* „ *illa Christi verba;* Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut „ triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu ali- „ quando conversus confirma fratres tuos: ait, Commune fuisse omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indiguisse, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: *Et tamen* (inquit) *specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro Fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

Nititur etiam Primatus *S. Petri*, & Successorum ejus Romanorum Pontificum, illis Christi verbis, Joannis XXI. Petrum compellantis, ***Pasce agnos meos, pasce oves meas***: id est, Prælatos matrum ovium nomine, & subditos, nomine agnorum significatos: omnium igitur Pastor est ***Petrus***, ejusque Successor Pontifex Romanus, quia præter agnos, & oves in Ecclesia nihil est. Hinc Ecclesiam Romanam *Maximam, & antiquissimam* vocat S. Irenæus, ***ad quam propter potentiorem Principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam***. Hinc Romanus Episcopus ***Pontifex Maximus***, ***Episcopus Episcoporum***, jam vocabatur *Tertulliani* ætate, ut ex ejus Libro *De Pudicitia* colligitur. Hinc *S. Cyprianus*, Epistola LV. ad *S. Cornelium* Romanum Pontificem, de *Fortunato*, & *Felicissimo*, aliisque Hæreticæ, & Schismaticæ factionis hominibus scribit: ***Pseudo-Episcopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam Principalem, unde Unitas Sacerdotalis exorta est, a Schismaticis, & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos*** (*quorum Fides Apostolo prædicante laudata est*) ***ad quos perfidia habere non possit accessum***. Et Libro *De Unitate Ecclesiæ*, scribit; ***Loquitur Dominus ad Petrum***: Ego tibi dico (*inquit*) quia tu es Petrus, & „ super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præ- „ valebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni cœlorum, &c. ***Et iterum post Resurrectionem suam dicit:*** Pasce oves meas. ***Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem Potestatem tribuat, & dicat:*** Si- „ cut misit me Pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum Sanctum. Si „ cui remiseritis peccata, remittentur illis, &c. Tamen ut unitatem ma- „ nifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab „ uno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri „ Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & pote- „ statis; sed exordium ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro datur, „ ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Hanc Ecclesiæ „ unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Cathedram Petri, „ super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?

Romani Pontificis Primatus.

Joan. 20.

Pares

Pares fuerunt Apostoli quoad Apostolatus dignitatem, quoad potestatem prædicandi Evangelium, & fundandi Ecclesias per Mundum universum, non quoad Primatum, & Potestatem regendi universalem Ecclesiam, non quoad dignitatem Capitis visibilis, & ministerialis totius Ecclesiæ sub Christo essentiali, & præcipuo Capite. Quo etiam sensu *S. Hieronymus* Lib. I. Ad-
„ versus Jovinianum, *cap.* XIV. At dicis, Super Petrum fundatur Ecclesia,
„ licet id ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves
„ Regni cælorum accipiant, & ex æquo super illos Ecclesiæ fortitudo so-
„ lidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite con-
„ stituto Schismatis tollatur occasio. *Hinc ipse* Hieronymus *ad* Damasum
„ *Papam scribebat Epistola* LVII. Quamquam (inquit) tui me terreat ma-
„ gnitudo, invitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam salutis, a Pa-
„ store præsidium ovis flagito. Facessat invidia, Romani culminis recedat
„ ambitio: cum Successore Piscatoris, & Discipulo crucis loquor. Ego nul-
„ lum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ
„ Petri, Communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam
„ scio. Quicumque extra hanc Domum agnum comederit, profanus est.
„ Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio .... Non novi
„ Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non
„ colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, antichristi est .... Quamo-
„ brem obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum, Mundi Salutem, per
„ homousion Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis sive tacendarum, sive di-
„ cendarum hypostaseon detur auctoritas.

Romani Pontificis Primatus.

In Romana Ecclesia *Apostolicæ Cathedræ semper viguisse Principatum*, S. Augustinus docet Epistola XLIII. alias LXII. & Romanum Episcopum *Celsiore fastigio in specula Pastorali præeminere* asserit Lib. I. *Ad Bonifacium* cap. I.

Magistro concinit Discipulus *S. Prosper*. in Carmine *De Ingratis*.

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis Honoris
Facta Caput Mundo, quicquid non possidet armis,
Religione tenet.

De Romani Pontificis Primatu præclarus est *S. Bernardi* locus, Lib. II. *De Consideratione*, cap. VIII. „ Age (inquit) indagemus adhuc diligentius;
„ qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis
„ es? Sacerdos Magnus Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum; tu
„ hæres Apostolorum; tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abra-
„ ham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyses, Ju-
„ dicatu Samuel, Potestate Petrus, Unctione Christus. Tu es, cui claves tra-
„ ditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cœli janitores, & gre-
„ gum Pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius præ illis no-
„ men hæreditasti. Habent illi assignatos greges singuli singulos: Tibi uni-
„ versi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum omnium tu
„ unus Pastor. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non
„ dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic indiscrete totæ commissæ
„ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius, aut il-
„ lius populos civitatis, aut regionis, aut certi Regni? Oves meas (inquit.)
„ Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil
„ excipitur, ubi distinguitur nihil.... Ergo juxta Canones tuos, alii in partem
„ sollicitudinis. Tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas
„ certis arctatur limitibus: tua extenditur in ipsos, qui potestatem super alios
„ acceperunt. Nonne, si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere; tu ipsum
„ ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcus-
„ sum Privilegium tuum tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis.

In

In Conciliis Generalibus agnitus est, & commendatus Romani Pontificis Primatus, quod cum locupletissimis testimoniis olim a nobis probatum sit, Concilii Florentini Græcam pariter, & Latinam Ecclesiam repræsentantis, ac utriusque fidem, & doctrinam in Definitione sua exprimentis verba hic adscribere satis erit: *Diffinimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum: & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis Generalium Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.* Differt. 4. in Hist. Ecclei. Sæculi.

Ratione Primatus a Christo Domino in tota, qua late patet, Ecclesia accepti, Romanus Pontifex potestatem habet recipiendi, & judicandi Appellationes ex toto Orbe Christiano ad ejus Sedem delatas, in causis Fidei, dubiæ Disciplinæ, & Episcoporum dejectorum. Jus habet Concilia Generalia convocandi, illis præsidendi per se, vel per Legatos; illorum Decreta confirmandi; cogendique non solum vulgus Christianorum, & secundi Ordinis Sacerdotes, sed ipsos gregis arietes, Episcopos ipsos, ad observantiam Canonum Spiritu Dei conditorum, & totius Mundi reverentia consecratorum. Controversiarum Fidei, etiam extra Concilia Oecumenica, præ ceteris omnibus, & supra singulos Episcopos, Summus Judex est; Legum per universam Ecclesiam Conditor, & Dispensator, & Interpres Canonum. Graviorum criminum Absolutionem sibi reservare potest toto Orbe Christiano; Plenarias Indulgentias concedere. Hæc Jura Pontificii Primatus inconcussa: quæ tamen hic omnia nec explicare, nec recensere aggredimur, sed maxime reverentiam, & obedientiam Christi Domini in terris Vicario debitam Clericis commendare, juxta Formulam Professionis Fidei a Pio IV. præscriptam, & ab Ecclesia Catholica receptam: *Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro.* Hanc obedientiam secundum sacratissimas Ecclesiæ Regulas in Seminariis edocti, Christianæ Plebi diligenter inculcent; illamque Doctoris Angelici certissimam, & ad Fidem pertinentem Sententiam: Subesse Romano Pontifici est de necessitate Salutis.

Romani Pontificis jura.

Obedientia Romano Pontifici ab universis fidelibus debita.

C A P U T III.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS,

A R T I C U L U S I.

Utrum sacræ Ordinationis Minister sit solus Episcopus?

P R O P O S I T I O I.

Minister Sacramenti Ordinis est solus Episcopus.

CAtholicum istud Dogma est a Concilio Tridentino Sessione XXIII. cap. VI. & Canone VII. definitum. Potestatem enim Ecclesiæ Ministros ordinandi Episcopum habere, nuncque illi non esse cum Presbyteris communem, Sacra Synodus declarat. Quod & ex Scriptura Sacra, & ex Traditio-

ne compertum est. Christus Summus Sacerdos Apostolos suos in ultima Cœna Sacerdotes ordinavit his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem* ut Concilium Tridentinum declarat Sessione XXII. Canone secundo. Apostoli septem primos Diaconos a multitudine Fidelium electos, per manuum impositionem ordinarunt, *Act.* VI. Paulus, & Barnabas per singulas Ecclesias Presbyteros constituunt, *Act.* XIV. Timotheum manuum suarum impositione Presbyterum ordinatum testatur S. Paulus II. *ad Timotheum* I. Idem Timotheo, & Tito tanquam Episcopis declarat, quibus manus imponere, & quos vel Episcopos, vel Presbyteros ordinare debeant, I. *ad Timotheum* III. *&* V. & ad *Titum* I. Novatianus Schismaticus, & Hæresiarcha, cum Episcopatum Romanum ambiret, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit, ut eos in exiguam, ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc „ accitos tres Episcopos, homines plane rudes, ac simplices, fraudulenta „ quadam molitione deciperet; constantissime affirmans, ipsos quamprimum „ Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta discordia, ipsorum una cum aliis Episcopis interventu atque arbitrio sedaretur. Qui cum „ advenissent, eos ille inclusos hora decima, temulentos, & crapula oppressos, adumbrata, & inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim coegit. Ita refert *Sanctus Cornelius* Romanus Pontifex in Epistola ad *Fabium* Antiochenum Episcopum, apud *Eusebium* Lib. VI. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XLIII. Adeo omnibus, etiam Schismaticis ipsis, & Hæreticis persuasum erat, Episcopum nisi ab aliis Episcopis consecrari non posse.

De Ministro Ordinationum.

Ischyram Presbyterum non esse, quia fuerat ordinatus a *Collutho*, qui secundi tantum Ordinis Sacerdos erat, non Episcopus, declarat Synodus Alexandrina in causa *S. Athanasii* congregata in Epistola Synodica. *Presbyter* (inquit) *qui fingitur adfuisse, est ille toties rumoribus jactatus Ischyras, qui neque ab Ecclesia ordinatus est Presbyter; neque cum a Meletio constitutos Presbyteros Alexander in Ecclesiam recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit, aut ab eo creatus. Quo pacto igitur Presbyter Ischyras, aut quo tandem auctore constitutus? Numquid scilicet a Colluthо? Atqui Collutbum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum impositionem rescissam, omnesque ab eo constitutos in Laicorum ordinem redactos esse, & sub nomine Laicorum ad Synaxim admissos, adeo apud omnes constat, ut nemo de ea re dubitandum putet.*

Tritum illud *S. Hieronymi* Epist. LXXXV. *ad Evagrium* data: *Quod enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod non faciat Presbyter?* Sed & *S. Epiphanius* ordinandi potestatem Presbyteris cum Episcopo non esse communem, ex Ecclesiæ sententia propugnat contra *Aerii* hæresim.

Favet & ratio: solus enim Episcopus est Christianæ Reipublicæ Præfectus, & Hierarcha, sive Sacrorum Princeps: ad solum autem Principem, & Præfectum pertinet Officia publica idoneis Administris distribuere.

PROPOSITIO II.

Secundi Ordinis Sacerdotibus Potestas conferendi Tonsuram Clericalem, & Minores Ordines a Summo Pontifice demandari potest.

Id enim Chorepiscopis, quorum plerique non erant Episcopi, aliquando concessum est. imo & Subdiaconorum Ordinatio illis permissa Concilii Antiocheni Canone X. & Concilii Hispalensis Canone IV. Solos Presbyteros, & Diaconos ab eis ordinari prohibuit *Leo III.* Ordines Ecclesiasticos, qui per manus impositionem tribuuntur, id est, Presbyteratum, & Diaconatum, ipsos conferre vetat Concilium Meldense Canone XLIV. Subdiaconorum

rum tamen Ordinationes ipsis prohibitas Regum nostrorum Capitularia significant Lib. VII. cap. CCCXXVIII. & CCCXXIX. Cardinalibus S. R. E. Presbyteris, & Abbatibus, modo Presbyteri sint, & Episcopali benedictione insigniti, Privilegium ab Ecclesia, & Sede Apostolica concessum est, Tonsuram Clericalem, & Minores Ordines conferendi. Cardinalium Privilegium nititur consuetudine a Summo Pontifice approbata. Privilegium vero Abbatum in Jure expressum est, scilicet Septimæ Synodi Generalis Canone XIV. & cap. *Requisivit*, quod est *Alexandri III.* Extra. *De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit*. Et cap. *Cum contingant*, quod est *Innocentii III.* Extra. *De ætate, & qualitatibus Ordinandorum*. Id confirmavit Tridentina Synodus: inhabuit duntaxat, *Ne cuiquam qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferant*. (Sessione XXIII. *De Reformatione*, cap. X.) Quamobrem si quos sibi non subditos, si quos non Regulares ad Tonsuram, ac Minores Ordines promovere tentaverint, irrita erit promotio, & Ordinatio nulliusque efficaciæ; quippe cum eorum Privilegium, quo solo Potestas illorum completur, ad illas personas nullatenus extendatur. De Ministro Ordinationum.

Hanc Minores Ordines, non autem Majores conferendi provinciam simplici Sacerdoti a Summo Pontifice demandari posse non autem ei, qui Sacerdotio initiatus non sit, docet *S. Thomas* in IV. *Sentent.* dist. XXV. qu. I. art. I. ad tertium: *Papa* (inquit) *qui habet plenitudinem Potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad Dignitatem Episcopalem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Christi: & ideo ex ejus commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre Minores Ordines, & confirmare: non autem aliquis non Sacerdos: nec iterum Sacerdos Majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex Sacerdos.*

Et in Responsione ad quintum: *Quia* (inquit) *Sacerdos non habet completam potestatem in Hierarchicis Officiis sicut Episcopus, ideo non sequitur, quod possit Diaconos efficere, quamvis ille Ordo sit sibi propinquus.*

In contrarium objici solet Privilegium Cisterciensibus Abbatibus ab *Innocentio VIII.* Pontifice Maximo datum, ut Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines conferre Monachis suis possent, ne extra claustrum discurrere cogerentur; ut in Compilatione Privilegiorum, Privilegio CXVIII. videre est: quod *Navarrus* Lib. V. *Consiliorum*, cum de Privilegiis agit, Consilio XIV. *Exorbitans Privilegium* vocat, & rejicere non veretur tanquam non legitimum. Illud etiam in dubium revocat *Silvius* in III. P. *S. Thomæ*, qu. XXVIII. art. I. Licet illud se legisse *Vasquesius* Disp. CXLIII. in III. P. *S. Thomæ* testetur, & in Collegio Complutensi asservari, & verba Privilegii exscribat, quod anno 1439. datum est. *Victoria* in Summa Num. 235. Pontificium Diploma se vidisse ait, quo Cisterciensibus Abbatibus facultas data sit conferendi Subdiaconatum; additque aliquos idem afferere de Diaconatu. *Bensonius* Lib. II. *De Anno Jubilæi*, cap. XXIII. ubi Diplomatis istius meminit, asserit *Innocentii VIII.* Privilegium in eo solum positum esse, ut Cistercienses Abbates Litteras Dimissorias Monachis suis dare possent, quibus cuilibet Catholico Antistiti rite promoto potestas fieret Monachos Cistercienses ordinandi, non habita Diœcesum, & Provinciarum ratione: & ita non solum Romæ declaratum fuisse a Sacra Congregatione Concilii Tridentini Interprete anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, verum etiam explicatum fuisse a *Clemente VIII.* in Bulla Cisterciensibus data. Denique (inquit *Hallerius* Sectione V. *De Ministro Sacræ Ordinationis*, §. II. Num. XXI.) Nec Cistercienses nostra, aut Patrum nostrorum memoria, eo Privilegio usi dicuntur: quod si hoc Privilegium a Sancta Sede obtinuissent, nusquam ab

ejus usu tamdiu se continuissent, præsertim in Gallia. Quare (inquit) concludimus totum istud Privilegium, saltem quoad Diaconatum, incertæ esse auctoritatis, probabilius esse, quod fictum, ac suppositum censendum sit. Si tamen (inquit *Silvius*) constaret de istius Privilegii veritate, hanc ordinandorum Subdiaconorum, & Diaconorum Potestatem simplici Presbytero a Summo Pontifice demandari posse non negaremus.

Presbyteros ordinare non potest simplex Sacerdos cum Summi Pontificis Privilegio.

Ut ut est, Sacerdotes ordinare non potest simplex Sacerdos, quolibet munitus Privilegio. Sentiunt quidem veteres nonnulli Canonici Juris Interpretes, & Scholastici etiam aliqui, quorum loca *Joannes Morinus* indicat & exscribit Libro *De Sacris Ordinationibus* P. III. Exercitatione IV. cap. III. simplicem Presbyterum delegari posse a Summo Pontifice ad Presbyteri Ordinationem, atque in ea etiam fuisse sententia *Innocentium IV.* in cap. *Quanto*, Extra. *De Consuetudine*, ostendit. Verum eam sententiam ut a Traditione alienam rejicimus: eam enim Ordinationem ad Episcopum pertinere, *Sanctarum Litterarum Auctoritate, certissima Traditione, omnium Patrum testimonio, Conciliorum Decretis, Sanctæ Ecclesiæ usu, & consuetudine, facile erit comprobare* (inquit Concilii Tridentini Catechismus.) In ejusmodi certe Quæstionibus nihil pronuntiandum ultra ea, quæ a Patribus tradita sunt, & quæ docet Ecclesia *Mentis nostræ partus* (inquit *S. Basilius* Epistola IX.) *non audemus tradere, ne verba pietatis censeantur humana; sed quæ a sanctis Patribus edocti sumus, ea nos interrogantibus annuntiamus*. Et, (ut ait *S. Augustinus* Lib. VIII. *De Baptismo contra Donatistas*, cap. LIII.) *Nobis tamen tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo Plenario terminata sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.*

ARTICULUS II.

A quo Episcopo quisque ordinari debeat?

I. UNumquemque a proprio Episcopo ordinari Leges Ecclesiæ jubent, aut certe ab alio cum ejus licentia, & litteris dimissoriis. Ita sanxit Sacra Synodus Tridentina Sessione XXIII. *De Reformatione*, cap. VIII. *Unusquisque* (inquit) *a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujusvis generalis aut specialis Rescripti, vel Privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur: nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur: si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Triplex Episcopus proprius a quo Ordines possunt suscipi, jure novo.

II. Triplex autem Episcopus proprius jure novo distinguitur, Caput *Cum nullus*, quod est *Bonifacii VIII.* Tit. *De tempore Ordinationum*, in Sexto: scilicet *Episcopus originis, domicilii, & Beneficii*: & ab eorum quolibet Ordines licite suscipi posse declarat. *Cum nullus* (inquit) *Clericum Parœciæ alienæ, præter Superioris ipsius licentiam, debeat ordinare, Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus: sive in cujus Diœcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum: seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem.*

Episcopus originis est Episcopus loci in quo quis natus est.

III. Quamvis autem jure veteri Episcopus loci in quo Baptismo regeneratus quis fuerat, censeretur Episcopus originis, a quo poterat ordinari, ut colligitur ex Concilii Illiberritani Canone XXIV. & ex Concilii Carthaginensis III. Canone XLIV. secundum hodiernam tamen disciplinam Episcopus originis intel-

intelligitur Episcopus loci, in quo quis natus est: Id enim significant verba Canonis, *De cujus Diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus.*

IV. Quamvis rursus secundum jus commune, quod nunc etiam in Italia viget, in Ordinationibus ratio paternæ originis haberi possit, ita ut qui Mediolani natus est ex patre Genuensi, possit pro arbitrio ad Ordines suscipiendos eligere vel Mediolanensem, vel Genuensem Episcopum, ut *Zerola*, in Praxi Episcopali P. II. verbo *Dimissoriæ*, aliique docent; idque fundamentum habeat in l. *Assumptio*, ff. *Ad Municipalem*, §. *Filius*, & l. *Filios*, C. *De Municipibus*: in Galliis tamen paternæ originis quoad Ordines suscipiendos nulla solet haberi ratio, & consuetudo ita Legem interpretata est, ut unusquisque non alium agnoscat originis Episcopum, præter Episcopum loci, in quo natus est.

V. Duo casus excipiuntur: primus est, si quis Reipublicæ causa absens, & ad aliquam regionem missus pro quodam certo tempore, annali, verbi gratia, biennali, triennali, vel non ita diuturno ut domicilio constituendo sufficiat, liberos interim aliquos suscipiat, in hoc enim casu liberi isti a paterna origine potius censendi erunt quam a propria, sive Leges Civiles, sive Consuetudinem, sive loquendi usum respicias. Quamobrem liberi ab Oratoribus Principum, aliisve Reipublicæ causa a Rege missis, in remotioribus regionibus suscepti, ex paterna civitate censentur, & paternæ civitatis Episcopus censetur Episcopus originis a quo possunt ordinari. Exceptiones

Alter casus est, si quis fortuito in aliquo loco natus est, in eo scilicet, quem mater pertransibat, aut quo animo minime commorandi perrexerat. Nam qui ita ex aliquo loco est, non efficitur civis hujus loci, in quo natus est, ut colligitur ex l. *Filios* superius laudata, cujus hæc sunt verba: *Filios apud originem patris, non in materna civitate, etsi ibi nati sint, ad honores, seu munera posse compelli, explorati Juris est.*

VI. Episcopus domicilii est Episcopus loci, in quo quis ita habitat, ut perpetuo manendi in eo nec unquam in locum originis suæ redeundi intentionem habeat, fortunasque suas in eo collocet, ut colligitur ex l. *Cives*, C. *De Incolis*, cujus hæc sunt verba: *In eodem loco singulos habere domicilium non ambigi, ubi quis larem, rerumque, ac fortunarum suarum summam constituit: unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cum profectus est, peregrinari videtur: quo si redit, peregrinari jam destitit.* Et l. *Nec ipsi*, C. sub eodem Titulo: *Nec ipsi qui studiorum causa aliquo loco commorantur, domicilium ibi habere creduntur, nisi decem annis transactis eo loco sedes sibi constituerint, secundum Epistolam D. Hadriani, nec pater, qui propter filium studentem frequentius ad eum commeat.* Nemo ergo, qui a brevi tempore locum aliquem incolit, credi debet in eo domicilium fixisse, nisi rationes, seu conjecturę probabiles id suadeant: sicut enim in fugientibus onera, *Domicilium re, & facto transfertur, non nuda contestatione*, ut habetur l. *Domicilium*, ff. *Ad Municipalem*: ita in appetentibus honores nuda contestatione contenti esse non debemus. De exteris facile quisque suspicari potest, eos, si in alieno loco postulent ordinari, patriam fugere, in qua nati sunt, ut facilius Ordinatoribus imponant, suaque crimina, & impedimenta canonica quibus forte sunt irretiti, occultent, quemadmodum monuit *Clemens IV.* Cap. *Sæpe contingit*, Tit. *De temporibus Ordinationum*, in Sexto. Cavendum est, ne quis aliquo figmento, & prætenso in fraudem domicilio ab alienæ Diœcesis Episcopo ordinetur: quod pœna etiam in Ordinatos constituta puniendum censuit *Gregorius X.* in Concilio Generali Lugdunensi, cujus Decretum refertur cap. *Eos qui*, Et *De Temporibus Ordinationum*, in Sexto. Adhibendæ sunt igitur Quis Episcopus domicilii?

igitur ab Episcopo aliquæ conjecturæ, antequam alienæ Diœceseos hominem, qui brevi tempore in sua Diœcesi fuerit commoratus, ad Ordines promoveat. Conjectura autem in impuberibus optima est, si paternum domicilium incolant, imo etiam si maternum, quando pater mortuus est, vel incertus: pro puberibus autem, si nuptias aliquando in eo loco contraxerint, si summam rerum suarum in eum locum transtulerint: si Officium, quod residentiam exigat, in eo loco obtinuerint: non si domum, vel prædium emerint: denique si per decem annos ibi commorati fuerint. Ex diuturna enim, continuaque mansione, qualis est decennalis, voluntas perpetuo commorandi alicubi colligitur, nisi contrarium aliunde conjiciatur, ut in Scholasticis, & Castellanis, qui plures annos alicubi morari solent, cum animo remeandi in locum originis. *Decennale domicilium*, ut quis ab Episcopo domicilii possit ordinari, postulant Concilium Mediolanense IV. anno MDLXXVI. & Aquense anno MDLXXXV. Ceterum quia domicilii probatio non ita facilis est, quia fieri potest, ut quis diu in aliena Diœcesi maneat cum animo revertendi in propriam, Gallicani Episcopi ab Ordinatione Clericorum, qui alibi nati sunt, sibi temperare solent, eosque ad Episcopum originis remittere. Et certe jus originis juri domicilii multum præponderat: illud enim naturale, istud civile est: illud necessarium, istud voluntarium: illud immutabile istud variabile.

Ab Episcopo, cujus in Diœcesi Beneficium obtinet, aliquis ordinari potest secundum Bonifaciani tenorem Decreti, sive Beneficium simplex sit, sive Residentiam postulet; sive in Titulum (ut vocant) sive in Commendam possideatur; sive opimum sit, sive tenue; sive unum, sive plura in diversis Diœcesibus habeantur Beneficia; modo possessionem illorum adierit Ordinandus. Episcopo enim competit auctoritas in Clericum ratione Beneficii cujuscumque, quod in sua Diœcesi obtinet: sicut olim, cum nullus Clericus fiebat, nisi certæ adscriberetur Ecclesiæ, nemo absolute ordinabatur, jus ordinandi Clericum illi soli conveniebat Episcopo, in cujus Diœcesi erat Ecclesia, cui addictus erat.

Episcopus beneficii.

Verum quia fieri potest, ut Beneficium aliquod in fraudem suscipiatur, quo proprii Episcopi, ex cujus Diœcesi quis oriundus est, & in qua domicilium habet, examini se subducat: & quia vita, & mores Clerici Ordinandi non ita accurate discuti possunt, ab Episcopo, in cujus Diœcesi simplex Beneficium possidet absque mansione, ac ab Episcopo originis, & domicilii: ideo ad fraudem avertendam, & hujusmodi periculum cavendum, raro in Gallia ab Episcopo Beneficii, præsertim simplicis, Ordinatio recipitur, raro hoc Jure Episcopi nostrates utuntur. Ecclesiasticæ Disciplinæ conservationi conducibilis certe est consuetudo ista, quæ ad unum Episcopum originis Clericos adstringit, nec licentiam a variis Episcopis Ordines recipiendi passim indulget; quæ licentia & confusionem inducere, & Clericorum inobedientiam augere, & imperitiam, atque dissolutionem aliquando fovere posset. His expensis, Generalia Cleri Gallicani Comitia anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto congregata Gallicanos Præsules hortata sunt, ut Diœcesanos duntaxat suos, sive ex suis Diœcesibus oriundos ordinarent. Quin & Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum XV. Februarii anno 1596. censuit satius esse Clericum quemdam ab Episcopo Tirasonensi, in cujus Diœcesi ortus erat, ad Ordines promoveri. Ceterum posse etiam Episcopum Valvensem, in cujus Cathedrali Canonicatum obtinebat, eumdem ordinare: verumtamen instructionem de vita, moribus, natalibus, ceterisque qualitatibus Ordinandi ab Episcopo Tirasonensi sumere ipsum Valvensem Episcopum debere, præter quam quoad doctrinam, circa quam ab eodem Episcopo Ordinante diligenter examinandus est.

Ecclesiæ Disciplinæ magis convenit, ut a solo Episcopo originis Ordines (vulgo recipiantur).

AR-

ARTICULUS III.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

Circa Episcopum, a quo quisque debet ordinari:

REGULA I.

Episcopus, qui Benenefcium alicui contulerit, ut eum absque proprii Episcopi licentia ad Ordines promoveat, aut quolibet figmento quæsito, aut affectata ignorantia alienæ Diœcesis hominem ordinaverit, incurrit in pœnas Canonum.

ITa declavit *Gregorius X.* in Concilio Generali Lugdunensi, & refertur cap. *Eos qui*, Tit. *De Temporibus Ordinationum*, in Sexto. *Eos* (inquit) *qui Clericos Parochiæ, absque Superioris Ordinandorum licentia scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito præsumpserit ordinare, per annum a collatione Ordinum decernimus esse suspensos. His, quæ Jura statuunt contra taliter Ordinatos in suo robore duraturis.* Tritum illud Juris: *Fraus, & dolus alicui patrocinari non debent.* Si ergo Beneficium alicui conferatur in fraudem, ut ex aliena Diœcesi extrahatur, & Episcopi proprii, ex cujus Diœcesi oriundus est, examini, atque Ordinationi subducatur, fraus hujusmodi ipsi non prodest, ut declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad Episcopi Cadurcensis consulationem respondens die septima Octobris anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo. *Congregatio* (inquit) *Concilii sæpius declaravit: tametsi quis possit ordinari ab Episcopo loci Beneficii: si tamen adeptus sit Beneficium in fraudem, esse male promotum; ac si in susceptis Ordinibus ministraverit, Irregularitatem contrahere. Ceterum an ipsa fraus intercesserit, ex legitimis conjecturis ad prescriptum Juris esse dignoscendum.* Cum etiam Cardinalis *Aquaviva* Neapolitanus Archiepiscopus Congregationi exposuisset, quosdam Clericos prima Tonsura, vel Minoribus Ordinibus Neapoli initiatos, deinde ad subterfugiendum examen, & probationem Patrimonii sufficientis, prout Constitutiones Synodales Neapolitanæ requirunt; adire aliquem ex vicinis Episcopis, a quo provideri sibi de aliquo vel tenuissimo Beneficio curabant, cujus ratione, tamquam illi Episcopo subditi, ab eo ad Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines promovebantur, ac mox Neapolim reversi, Ordines per supra dictam fraudem susceptos in illa Diœcesi exercebant; Sacra Congregatio censuit: *Non item hos ad effectum Ordinationis Beneficium adipiscentes, debere ordinari ab Episcopo conferente Beneficium, Ordinatosque in Suspensionem incidisse, & Episcopum a collatione Ordinum per annum etiam suspensum esse.* Id confirmat *Fagnanus* in II. P. Lib. V. Decretalium, pag. 135. *Clericus primæ Tonsuræ* (inquit) *qui beneficium obtinet in aliena Diœcesi, etsi promoveri possit ad Minores Ordines ab Episcopo Beneficii quantumvis tenuissimi, ad præscriptum Capitis* Cum nullus, *Tit.* De Temporibus Ordinationum, in Sexto, *tamen si illud Beneficium sibi in fraudem conferri curaverit, ut eludat examen, ac judicium sui Ordinarii; censetur male promotus, & remanet suspensus ab executione Ordinum, tanquam ordinatus a non suo Episcopo juxta Caput* VIII. *Sessionis* XXIII. *ut Sacra Congregatio declaravit.*

A quo Episcopo Ordines recipiendi?

REGULA II.

Episcopus Ordines alicui conferre non potest ratione tenuissimi Beneficii, quod in ejus Diœcesi obtinet, si ex aliena Diœcesi sit oriundus, in eaque domicilium habeat.

IN eo enim casu præsumptio fraudis est, puta si Beneficium quatuor duntaxat ducatos annuatim reddat, vel ad summum septem ducatos, ut censent Zerola in Praxi Episcopi, P. verbo *Beneficia*, §. 4. *Soto* Lib. II. *De Justitia, & Jure*, qu. III. *Barbosa* P. II. *De Officio, & Potestate Episcopi*, Allegatione IV. Num. 45.

REGULA III.

Episcopus alienæ Diœcesis hominem in familiam suam adscriptum, & tres annos continuos apud se commoratum ordinare potest, ea lege, ut Beneficium statim ipsi conferat absque fraude.

A quo Episcopo Ordines recipiendi?

ITa statuit Concilium Tridentinum, Sess. XXIII. *De Reformatione*, cap. IX. *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & Beneficium quacumque fraude cessante statim reipsa illi conferat: consuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.*

REGULA IV.

Titulares Episcopi non gaudent privilegio familiares suos ordinandi.

HAnc enim potestatem ad Ordinarium Episcopum restrinxit Tridentina Synodus Sessione XIV. *De Reformatione*, cap. II. *Nemo* (inquit) *Episcoporum, qui Titulares vocantur, etiamsi in loco nullius Diœcesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis Privilegii, sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ, absque proprii Prælati expresso consensu, aut litteris dimissoriis ad aliquos Sacros, aut Minores Ordines, vel ad primam Tonsuram promovere, sive ordinare valeat. Contra faciens exercitio Pontificalium per annum: taliter vero ordinati ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.*

REGULA V.

Regulares a proprio Episcopo debent ordinari, non minus quam cæteri Clerici. Proprius autem eorum Episcopus est Diœcesanus Monasterii, in quo ipsi permanenter degunt.

HÆc Regula colligitur ex Canone XV. Concilii Carthaginensis V. & refertur dist. LVIII. Canone *Si quis*, cujus hæc sunt verba: *Si quis de alterius Monasterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in suo Monasterio Majorem Monasterii constituere, Episcopus, qui hoc fecerit, a ceterorum Communione sejunctus, suæ tantum plebis Communione contentus sit, & ille neque Clericus, neque Præpositus perseveret.*

Idem colligitur ex Concilio Arelatensi III. in causa Lirinensis Monasterii, in quo contendente pro Jurisdictione Episcopali *Theodoro* Antipolitano Episcopo, pro libertate vero Monachis Lirinensibus, convocari Provin-

vinciæ Arelatenſis Epiſcopi a *Ravenio* Arelatenſi Metropolitano, quædam capita ab utriſque obſervanda condiderunt: tum vero ſanxerunt, *Ut Clerici, atque Altaris Miniſtri a nullo niſi ab ipſo* Epiſcopo Diœceſano, *vel cui ipſe injunxerit, ordinentur*: id ſcilicet Epiſcopali honori in Monaſteriis quantumvis exemptis reſervandum cenſentes, ut a nullo quam a Diœceſano Monachi ordinari poſſent.

Id confirmatur ex Diplomate Pontificio *Leonis X.* quod incipit *Dum intra Mentis arcana*, quod in Concilio Lateranenſi v: Seſſ. xi. promulgatum eſt, quo ſtatuitur, *Ut nullatenus in Regularium Eccleſiis, ſeu Domibus, aut aliis eorum locis, ab alio quam a Diœceſano Epiſcopo, vel ejus Vicario ſuper hoc cum debita reverentia requiſito, & abſque rationabili cauſa contradicente, vel in ea Diœceſi abſente, ad dictos Ordines promoveri debeant.*

Id a Sacra Synodo Tridentina confirmatum, & Privilegia, ſi quæ forent in contrarium, abrogata ſunt Seſſione xxiii. *De Reformatione*, cap. viii. *Unuſquiſque* (inquit) *a proprio Epiſcopo ordinetur: quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis Reſcripti, vel Trevilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur*. Ex cap. x. *Abbatibus, ac aliis quibuſcumque, quantumvis Exemptis, non liceat in poſterum, intra fines alicujus Diœceſis conſiſtentibus etiamſi nullius Diœceſis, vel Exempti eſſe dicantur, cuiquam qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram vel Minores Ordines conferre: nec ipſi Abbates, & alii Exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, litteras dimiſſorias aliquibus Clericis, ut ab aliis ordinentur, concedere: ſed horum omnium Ordinatio, ſervatis omnibus, quæ in hujus Sanctæ Synodi Decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtunt, pertineat, non obſtantibus quibuſvis privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus*. Ex his duobus Decretis manifeſtum eſt, Concilium Tridentinum integram ordinandi cum Seculares, tum Regulares poteſtatem penes Diœceſanos Epiſcopos eſſe voluiſſe.

A quo Epiſcopo Ordines recipiendi?

Iſtud Tridentini Concilii Decretum in Italia, Gallia, Hiſpania receptum eſt. Nucerina Synodus a *Simone Lunadoro* Senenſi Epiſcopo habita anno milleſimo ſexcenteſimo octavo, Tit. *In quibus Viri, & loca Regularia Epiſcopali ſubjaceant Juriſdictioni*, ita de ea re ſtatuti: *Regulares, licet a ſuis Superioribus examinati, & dimiſſi, nihilominus ſine diligenti Epiſcopi examine ordinandi non ſunt, nec ab alio quam ab Epiſcopo loci, ubi ſuorum Superiorum Mandato degunt, ſi is Sacras Ordinationes habuerit, promovendi ſunt.*

Conſtitutiones Arretinæ, in Diœceſana *Petri Uſimbardi* Synodo anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo promulgatæ, Tit. *De Sacramento Ordinis*, idem ſtatuunt: *Sciant tam Regulares quam Sæculares Clerici, qui ante ætatem legitimam ad ſingulos Sacros Ordines promovebuntur, ut etiam qui, cum ex Urbe vel Diœceſi Arretina oriundi ſunt, abſque legitimis Dimiſſoriis ab alieno Epiſcopo aliquem ex ipſis Sacris ordinibus acceperint, ſe a prædictorum Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſos eſſe ex Pii II. Pontificis Conſtitutione.*

Synodus Cremonenſis primo ſub *Cæſare Epeciano* Epiſcopo celebrata anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, Tit. *De iis, quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*; ita decernit: *Apoſtolico Decreto Sanctiſſimi Domini noſtri* (Clementis VIII.) *ſub die* 15. *Martii anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi ſexti edito, quod in fine hujus Synodi deſcribetur, inhærendo, mandamus, ne quiſpiam cujuſvis Ordinis Regularis ad ullos Ordines promoveri poſſit extra hanc Diœceſim.*

Syno-

Synodus Burdigalensis Provincialis sub Cardinali *De Sourdis* celebrata anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Tit. *De Ordine*, cap. XII. *Superioribus* (inquit) *Monasteriorum, in quibus Religiosi fixam, & firmam commorandi sedem habent, probibemus, ne Litteras Dimissorias Religiosis suis, ut a quocumque ordinentur, concedant, sed a suo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia ordinandos esse dumtaxat decernimus: eos vero, qui pro instituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur, cum litteris Provincialium suorum de voto Religionis emisso fidem facientibus, ab Ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantum præcipimus: ab aliis nunquam nisi Attestatione præhabita, a Pontifice loci, seu Vicario Generali obtenta, qua cur apud se nequiverint ordinari, prohibeatur.*

Generalia Cleri Gallicani Comitia anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto celebrata, nonnisi a propriis Episcopis quosvis Clericos tam Regulares quam sæculares ordinari sanxerunt.

Concilium Toletanum anno millesimo quingentesimo octogesimo tertio celebratum, actione III. cap. XLVII. ejusdem est sententiæ, & Declarationis Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum ea de re editæ meminit, cujus hæc sunt verba: „ De Mandato S. D. N. Clementis divina Providen-„ tia Papæ VIII. tenore præsentium mandatur omnibus, & singulis quo-„ rumcumque Regularium Superioribus, ut de cetero observent, & obser-„ vari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridenti-„ ni continentur, cujus tenor est talis; Congregatio Concilii censuit, Supe-„ riores Regulares posse suo subdito item Regulari, qui præditus qualitati-„ bus requisitis Ordines suscipere voluerit, Litteras Dimissorias concedere, „ ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus fa-„ milia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit: & si Diœce-„ sanus absuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcumque a-„ lium Episcopum: dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, „ examinetur quoad doctrinam: & dum ipsi Regulares non distulerint de in-„ dustria concessionem Dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœ-„ cesanus, vel absuturus, vel nullas habiturus Ordinationes esset. Verum „ cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel Or-„ dinationes non habente, Litteræ Dimissoriæ dabuntur, in iis utique hu-„ jusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo „ non habendarum, exprimendam esse: quod qui non fecerint, Officii, & „ Dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, „ ac alias arbitrio ejusdem S. D. N. Papæ reservatas pœnas incurrent. Datum Romæ die XV. Martii anno 1596.

Superiores Regulares Litteras Dimissorias concedere possunt subditis suis ad Episcopum Diœcesanum, non ad alium; nisi Diœcesanus abfuerit, vel Ordinationes non sit habiturus.

A quo Episcopo Ordines recipiendi?

Denique cum *S. Pius V.* Constitutione sua, quæ incipit, *Etsi Mendicantium Ordo*, decrevisset hujusmodi Ordinum Fratres sacros Ordines a quolibet Antistite gratiam, & commissionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarii loci minime requisita licentia, in locis sive domibus suis, sive alibi recipere posse, hanc Constitutionem *Gregorius XV.* Constitutione sua XV. quæ incipit, *In tanta rerum*, revocavit, & ad terminos Juris communis, ac Tridentini Concilii reduxit.

REGULA VI.

Rescripta Apostolica, ut quis a quocumque Antistite promoveri possit, nemini suffragantur, nisi ejus probitas, ac Mores Ordinarii sui testimonio comprobentur.

Hanc Regulam tradit Concilium Tridentinum, Sess. XXIII. cap. VIII. *Unusquisque* (inquit) *a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio* pro-

promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis Rescripti, vel Privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur: si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Res scilicet plena æquitate, & digna laude visa est Tridentinis Patribus, *Ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud Sanctam, & Summam Sedem*; ut scribebat olim ad Innocentium II. *S. Bernardus*. Æquissimum visum est fraudibus, & clandestinis molitionibus occurrere, quibus Rescripta ista ignari, & perditæ vitæ, atque existimationis homines extorquere possunt. Nullum autem convenientius remedium judicatum est, quam ut Episcopi; quorum maxime interest Ordinatio, & qui Ordinandos perfectius nosse possunt, de eorum vita, & moribus prius testimonium perhibeant, quam ipsis licentia Ordines ab aliis suscipiendi concedatur. Quamobrem idem Concilium statuit, ut ii, quibus prohibitus aditus ad Sacros Ordines ab Ordinario fuerit, nullius vi Rescripti interdictos Ordines recipere possint. Tridentinum autem Decretum his verbis conceptum est Sessionis XIV. *De Reformatione*, cap. I. *Cum honestius, ac tutius sit subjecto, debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori Ministerio deservire, quam cum Præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad Sacros Ordines a suo Prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus: aut qui a suis Ordinibus, seu Gradibus, vel Dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo; aut ad priores Ordines, & Gradus, & Dignitates, sive honores restitutio suffragetur.*

Idem Concilium Sess. VII. *De Reformatione*, cap. XI. de hujusmodi Rescriptis ita statuit: *Facultates de promovendo a quocumque, non suffragentur nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam: & tunc non ordinentur nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.*

REGULA VII.

Nemo ab alieno Episcopo ordinari potest sine licentia proprii Episcopi, seu Dimissoriis Litteris.

Hanc Regulam a Conciliis Carthaginensi I. Canone V. Bracarensi I. Canone XXVI. Trullano Canone XVII. Cabilonensi II. Canone XLI. Meldensi Canone XV. & Summis Pontificibus *Innocentio I.* Epistola II. *Zaccharia* in Synodo Romana, cap. XI. *Clemente IV.* cap. I. *De Temporibus Ordinationum* in Sexto traditam confirmat Concilium Tridentinum Sessione XIV. cap. II. *De Reformatione*, dum a Titulari Episcopo alterius subditum quocumque prætextu ordinari vetat, *Absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut litteris dimissoriis*. Expressum consensum, vel litteras dimissorias requirit, non absolute dimissorias litteras, quod aliquando contingat, publice ac solemniter in Ecclesia Episcopi proprii, eo præsente, sed honoris causa alienum Episcopum ad celebrationem Ordinum invitante, vel propter infirmitatem indigente, aut absente eo quidem, sed præsentibus Officialibus ejus, iisque adjuvantibus examinantibus, & testimonium de Ordinatione ferentibus, Ordinationem celebrari: quo unico casu litteris dimissoriis opus non est, ut quis ab alterius Civitatis Episcopo ordinari valeat, sed expressus consensus Episcopi sufficit. Idem confirmatur ex Sessione VII. *De Reformatione*, cap. X. & Sessione XXIII. cap. X.

RE-

REGULA VIII.

Soli Episcopi, non Abbates, neque alii etiam Exempti, aut Collegia, vel Capitula, quæcumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, Litteras Dimissorias Clericis sæcularibus concedere possunt, ut ab aliis Ordines suscipiant.

ITa sanxit Concilium Tridentinum Sessione XXIII. *De Reformatione*, cap. X. quod Decretum executioni mandari jussit Synodus Burdigalensis anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Tit. *De Ordine*, cap. XII. Vicarius etiam Generalis Episcopi Dimissorias Litteras concedere non potest, nisi ex speciali Mandato Episcopo, vel ipso Episcopo in remotis agente, ut decretum est cap. *Cum nullus*, Tit. *De Temporibus Ordinationum*, in Sexto.

REGULA IX.

Capitulum Sede vacante nonnisi elapso anno, a die obitu Episcopi numerando, licentiam ordinandi, aut Dimissorias Litteras concedere potest, tam ex Juris communis dispositione, quam etiam cujusvis Privilegii, aut Consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit.

An, & quando Capitulo Potestas Sede vacante conveniat concedendi licentiam ordinandi, aut Litteras Dimissorias.

SAnctio est Concilii Tridentini Sessione VII. cap. X. *De Reformatione*, quam si Capitulum violaverit, Ecclesiastico subjacet Interdicto: & sic Ordinati, si in Minoribus constituti fuerint, nullo Privilegio Clericali, præsertim in criminalibus gaudent: in Majoribus vero, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati sunt ipso jure suspensi. Quam pœnam Sacra Synodus Sessione XXIII. cap. X. ad illos, qui easdem Litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis, in Jurisdictione Episcopi loco Capituli, Sede vacante succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem Dimissorias contra formam Decreti, ab Officio, & Beneficio per annum ipso jure suspensos declarat.

De Dimissionis.

Arctatus porro quis dicitur occasione Beneficii recepti, qui aliquod obtinet Beneficium requirens Ministerium personale, ratione cujus de jure, consuetudine, privilegio, statuto Ecclesiæ, vel fundationis tabulis, Ordines intra annum suscipere tenetur: exempli gratia, qui Parochialem Ecclesiam obtinet, arctatus est ad Sacerdotium intra annum suscipiendum, & qui obtinet Canonicatum, arctatus est ad suscipiendum Ordinem illi annexum: idemque judicium esto de aliis Beneficiis, seu Capellaniis, requirentibus ex instituto Ministerium personale, seu Ordinis alicujus functiones.

Arctatus vero dicitur occasione Beneficii recipiendi, qui jus habet, seu vocatus est ad aliquod Beneficium vacans, quod requirit certum Ordinem, quo ille caret: vel qui cum sit initiatus prima Tonsura, præsentatus est ad Beneficium quod Majorem Ordinem actu requirit. Sed minime dici arctatum occasione Beneficii recipiendi illum, cui aliquis vult resignare Beneficium requirens actu Ordinem, quo ille caret, post alios observat *Barbosa* Par. II. *De Officio, & Potestate Episcopi*, Allegatione VII. §. XI. Nec etiam arctatus censetur occasione beneficii recipiendi, qui nondum Clericus est, sed opportunitate data captandi Beneficii, Tonsuram vult suscipere, ut Beneficii capax fiat. Vocatio enim Spiritus Sancti, non cupiditas, & ambitus Beneficii, hominem ad Statum Clericalem perducere, ac promovere debet.

REGULA X.

Litteræ Dimissoriæ concedendæ non sunt nisi ex justa causa, & prævio illius examine cui conceduntur, nec generatim ad omnes, sed speciatim, ac seorsim ad singulos Ordines.

Conciliorum Decretis hæc Regula nititur, in primis Decreto Concilii Tridentini Sessione XXIII. cap. III. De Reformatione. *Episcopi* (inquit) *per semetipsos Ordines conferant. Quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam jam probatos, & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.* De Dimissoriis.

Item Concilii Mediolanensis III. Tit. *De iis, quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum*, ita statuentis: „ Infirma valetudine, aliave justa causa impeditus Episcopus, si statas sacras Ordinationes habere non potest, & aliquem propterea Clericum suum ad alium Episcopum mittere velit, a quo alicui Ecclesiastico Ordini adscribatur, testimonialibus litteris ei datis hæc adscribat, & testata faciat; vitæ in primis, & morum probitatem; doctrinam, qua idoneus examine habito judicatus est; Ecclesiasticum Ordinem, quo est proxime initiatus, tum præterea natales, aut dispensationem, si quam super illis obtinuerit: si vero Majori Ordini adscribendus est, ætatem item, & Titulum, sufficientemque censum Beneficii, vel pensionis, vel Patrimonii, quod ille habet. Quicumque Clericus non hujusmodi litteras attulerit, quibus omnia adscripta, testatave fiant; Ordini, cui adscribi vult, ne adscribatur, perinde ac si nullas Episcopi sui dimissorias Litteras impetrarit.

Concilii Mediolanensis IV. eodem Tit. *Sæpe* (inquit) „ illud, facileque evenit, ut vel hominis mores mutentur, vel quod de illius vita minus antea notum, atque exploratum erat, id postea aliquo modo patefiat; quo fit, ut quem Episcopus, Superiorve aliquando probarit, dignumque existimarit aliquo etiam sacro Ordine initiari, illum ipsum post inveniat indignum, neque idoneum esse, cui idem, aut major Ordo conferatur. Quare ut & erroribus, multiplicique fraudi occurratur, & plane serventur Decreta illa Tridentina; unum, quo vetatur ad superioris Ordinis gradum illos ascendere, qui in inferiori aliquandiu Episcopi judicio versati non sint; quique cum ætate, vitæ etiam merito, doctrinaque majori non processerint; alterum quo cavetur, nemini licere ab alio Episcopo primam Tonsuram, aut Ordinem aliquem suscipere, nisi ejus probitas, & mores Ordinarii sui testimonio primum commendentur: Episcopus, aliusve Superior, prout pro sua prudentia, pietateque expedire censuerit, in primis videat, ne cuiquam antequam sacræ Ordinationis tempus proxime instet, litteras ejusmodi testimoniales, dimissoriasve pro Ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis, sine necessaria causa unquam concedat.

„ Neque item iisdem litteris facultatem det plures Ordines suscipiendi, quam illos ipsos tantum, quos uno, eodemque tempore ab eo suscipi voluerit, ac per sacros Canones, Conciliaque licuerit.

„ Præfiniat præterea in illis ipsis certum suscipiendi Ordinis, cui quisquam adscribendus est, tempus, menstruum scilicet, vel bimestre, vel longius, ut pro loci distantia, pro aliave ejusmodi causa opus esse viderit: Quo præstituto tempore transacto, eas litteras illo nomine a se concessas imposterum nihil suffragari, nihilque roboris habere, iisdem litteris declaret: quas etiam Cancellario Episcopali, ab illo, cui concessæ sunt, reddi decernat.

„ Nec

„ Nec vero alienæ Diœcesis Clerico sæculari, neque ulli omnino Re-
„ gulari, litterarum auctoritate, quas dimissorias, testimonialesve, hic ab
„ Superiore, aut ille ab Ordinario suo habet, Episcopus Ordinem aliquem
„ vel Minorem, vel Majorem, ac ne primam quidem Tonsuram tempore
„ illarum litterarum præterito conferat. Quod si nullum iisdem litteris spa-
„ tium temporis præscriptum sit; ne item in sacra Ordinatione quemquam
„ promoveat, nisi eas recenter aut scriptas, aut renovatas confirmatasve
„ is afferat; atque ita recenter quidem, ut non amplius duobus, tribusve
„ mensibus ante sacræ Ordinationis qua ille proxime initiandus est, tem-
„ pus, datæ, confirmatæve sint; si modo aut loci distantia, aut ejus, qui
„ Ordinem suscepturus est, diuturna a suo Episcopo, Superioreve absentia,
„ aliave id generis causa, vetustiores litteras ejusdem Episcopi judicio ad-
„ mitti, probarive non postulet. Id ipsum quoque Episcopus in testimonia-
„ libus Morum litteris cavebit, quas suæ etiam Diœcesis Clerici, aliive qui-
„ cumque eo de genere afferent.
„ Litteras autem ejusmodi de Moribus testatum facientes ab alienæ Diœ-
„ cesis Clericis, Regularibusve, item qui a sua Diœcesi, Monasteriove pro-
„ xime aliquandiu abfuerint, sibi afferri, exhiberive curet, non solum ab
„ eorum Episcopo, Superioreve, sed ab illo etiam, apud quem proxime
„ manserint, ejusve auctoritate scriptas, atque obsignatas. Quod idem a suis
„ Clericis præstari jubeat, qui in aliena Diœcesi aliquo temporis spatio
„ proxime fuerint.

Eadem statuit Concilium Aquense anno 1585. Tit. *De his, quæ ad Sacramenti Ordinis Administrationem pertinent.*

Concilium Narbonense Can. XII. *Nullus posthac, qui Diœcesi præsit, litteris dimissoriis inserat clausulam illam, negligentiæ potius quam muneris recte administrati testem, videlicet, Conscientiam nostram exonerantes: sed per litteras suas testetur eos idoneos, & qui provehantur dignos: quibus hanc inseret clausulam: QUEM idoneum, & dignum reperimus: aut nulla litteris fides habebitur. Neque ad omnes simul hujusmodi litteræ dabuntur, sed ad singulos Ordines separatim: ut qui ad Majores promoveri voluerint, de aptitudine, & dignitate, seu idoneitate, & de his, quæ ratione susceptorum, suscipiendorumque Ordinum in Ecclesia facienda sunt, respondere valeant: nisi qui Ordines capessunt, in Sacra Pagina, aut altero Jure Gradum adepti sint: aut in ingenuis, liberalibusque scientiis tanquam emeriti, & rude donati fuerint, qui vulgo in Artibus Magistri appellantur, quos verisimillimum est idoneos, & dignos esse.*

Concilium Mexicanum Lib. I. Tit. IV. *Litteræ item dimissoriæ ad unum tantum Ordinem suscipiendum concedantur, ut quam in munere suscepti Ordinis exequendo diligentiam Ordinatus præstiterit, Episcopus intelligat.*

Narbonense anni 1609. cap. XXI. *Litteræ dimissoriæ illis tantum conferantur, quos prævio examine, & diligenti facta inquisitione de ipsorum vita, & moribus idoneos, & probatæ vitæ repererint .... In litteris dimissorialibus non inseratur clausula illa: CONSCIENTIAM nostram exonerantes, vestram onerantes: cum nullus remitti debeat, quin ejus Ordinis ad quem sumendum remittitur, capax & idoneus fuerit judicatus.*

In litteris dimissoriis non detur facultas nisi ad solum Ordinem Sacrum suscipiendum intra annum, quo elapso, dictæ litteræ nullius sint effectus.

REGULA XI.

Clericum ad se remissum cum litteris commendatitiis Episcopi proprii, ab illoque examinatum, iterum examinare potest Episcopus ad quem Dimissoriæ diriguntur, antequam Ordines illi conferat.

HÆc Regula colligitur ex Concilio Tridentino, Sessione VII. cap. XI. *De Reformatione*, ubi habentes litteras dimissorias, quibus a quocumque Ordines suscipere possunt, ab Episcopo ordinaturo examinandos innuit: *Facultates* (inquit) *de promovendo a quocumque, non suffragentur nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam: & tunc non ordinentur nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.* Quamvis enim ista intelligi possint de iis, qui Rescripta Pontificia obtinuerunt, ut Ordines a quocumque recipere possint; non dubium est tamen quin ad eos etiam possint extendi, qui eamdem a suo Episcopo licentiam habent, præsertim cum id in Italia, & Gallia observetur: nec periculum sit ullum, ut quis denuo examinetur: nam qui dignus est, semper reperietur dignus; & aliquando accidit, ut indignus, sive ob festinationem interrogantis, sive ob incuriam, sive felici quodam eventu, ut quis in eas Quæstiones rogatus fortuito inciderit, quas solum noverit, cum tamen in reliquis omnibus, vel fere omnibus ignarus sit, pro digno habeatur. Deinde minimum incommodum Ecclesiæ creatur ex ejus rejectione, qui utcumque dignus fuerit: maximum vero in ejus receptione, qui omnino indignus sit. Quamobrem tutius est, si examinetur Ordinandus, non solum a proprio Episcopo, qui litteras dimissorias concedit, sed etiam ab eo, ad quem diriguntur, ut Ordines illi conferat.

REGULA XII.

Ordines Clericis sibi subditis denegare potest Episcopus ob crimen, etiam occultum: maxime si Beneficium Ecclesiasticum non habeant, cui Ordo sit annexus.

REpugnare videtur prima fronte cap. *Ex tenore*, Extra. *De Temporibus Ordinationum*, quod est *Alexandri III.* cujus hæc sunt verba: *Quoniam peccatum ipsius fore occultum dixisti, mandamus quatenus Pœnitentiam ei condignam imponas, & suadeas ut parte Pœnitentiæ peracta, Ordine suscepto utatur: quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat. Verumtamen quia peccatum occultum est: si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.* An Episcopus Ordines denegare possit subditis suis ob crimen occultum?

Sed Regulam nostram aperte confirmat cap. *Ad aures*, sub eodem Decretalium Titulo, quod est *Lucii III.* Rescriptum ad Archiepiscopum Turonensem: *Ad aures* (inquit) *nostras pervenit, quod Religiosi quidam ad Superiores desiderant Ordines promoveri, sed Prælati eorum desideriis contradicunt. Tuæ igitur Quæstioni respondemus, quod honestius, & tutius est subjectis, debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori Ministerio deservire, quam cum Præpositorum scandalo graduum appetere dignitatem. Nec est in hac parte subjectorum desiderium confovendum: quoniam esse potest, quod Prælati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis, quod salva conscientia nequeunt sublimari: quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur Regnum Dei.*

S. Raymundus, Lib. III. Summæ, Tit. *De ætate Ordinandorum, & tempo-*

ribus

ribus Ordinationum, §. 17. hæc duo Juris Capita, quæ prima fronte pugnantia videntur, dupliciter conciliari poſſe ait, primo, ut Caput *Ex tenore*, de Clerico ſæculari; Caput *Ad aures*, de Regulari intelligatur. Rationem diverſitatis affert, quod *Regulares ſunt fortius adſtricti ſuis Prælatis quam ſæculares*. Secundam conciliationis viam aperit, ut prior Decretalis intelligatur de Clerico Beneficium Eccleſiaſticum habente, cui ſit Ordo annexus; altera de Clerico nullum hujuſmodi Beneficium habente. *Si habet Clericus jus petendi Ordinem, forte ratione Beneficii, cui eſt Ordo annexus, non poteſt Epiſcopus eum prohibere, quamvis ſciat illum commiſiſſe peccatum occultum: & ita poteſt intelligi illa*, Ex tenore. *Si vero non habet jus petendi, non tenetur eum Epiſcopus ordinare: & ita intelligas illam*, Ad aures.

Idem docet *Barboſa*, P. II. *De Officio, & Poteſtate Epiſcopi*, Allegatione IV. §. 66. *Illud* (inquit) *notare oportet, Denegare Ordines, aut Dimiſſorias non poſſe Epiſcopum ei, qui obtinet Beneficium, vel eſt in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus, ut probat Cap.* Ex tenore, *& ibi Gloſſa*, De tempore Ordinationum, *niſi deſint in eo debitæ qualitates, aut aliquod habeat canonicum impedimentum. Aliis vero non tenetur Ordines conferre Epiſcopus*, *Cap.* Ad Aures, *eodem titulo; maxime ſtante diſpoſitione Concilii Tridentini Seſſione* XXI. *De Reformatione Cap.* II. *ibi*, Niſi illis quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos: *Quæ verba cum denotent boni viri arbitrium, hoc eſt, voluntatem rationi ſubmiſſam ..... ideo ſi Epiſcopus legitime non interponat arbitrium, Deum ſolummodo Judicem habebit.... ac proinde non dabitur Appellatio, &c.*

Fagnanus, in II. Partem Lib. I. Decretalium, in Cap. *Ex tenore*, illud de Clerico ſæculari interpretatur, Caput vero, *Ad aures*, de Regulari; eamque Gloſſæ, Innocentii IV. Hoſtienſis, & aliorum explicationem a Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum probatam teſtatur: verum Decretalem *Ex tenore*, hac in parte correctam fuiſſe ait ex Jure noviſſimo Concilii Tridentini in cap. I. Seſſionis XIV. ubi, ut Epiſcopi liberius exequi poſſint ſuum Munus, quod eſt vitia ſubditorum redarguere, ſtatuitur, ut ei, cui aſcenſus ad Sacros Ordines a ſuo Prælato ex quacumque cauſa etiam ob occultum crimen, quomodolibet extrajudicialiter fuerit interdictus, aut qui a ſuis Ordinibus, ſeu gradibus, vel Dignitatibus Eccleſiaſticis ſuſpenſus, nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, & Dignitates, ſive honores reſtitutio ſuffragetur. *Unde* (inquit Fagnanus) *ex Sententia S. Congregationis Concilii eo Decreto corrigitur diſpoſitio Textus noſtri in ea parte, in qua determinat criminoſum occultum eſſe tantummodo commonendum, ſed non prohibendum aſcendere ad ſuperiores Ordines: & diſpoſitio Capitis proximi, quod de Regularibus loquitur, extenditur etiam ad Clericos ſæculares; ac præterea ampliatur in eo, quia Epiſcopus non ſolum poteſt ob crimen occultum prohibere aſcenſum ad Ordines, ſicut poterant Prælati in vi dicti Capitis proximi, ſed etiam eos ſuſpendere ab Ordinibus, gradibus, & Dignitatibus jam ſuſceptis, quod nec Epiſcopo, nec Prælatis Regularibus ante Concilium licebat*. Et illis igitur, qui Beneficia obtinent, quibus annexus eſt Ordo, Epiſcopos ob occultum crimen denegare poſſe collationem Ordinum, cenſet *Fagnanus*: quod ſi Prælati hac auctoritate forte abutantur, ſubditos ad Sedem Apoſtolicam poſſe confugere, ſecundum Cap. *Ex litteris*, Extra. *De in integrum Reſtitutione*. Ideoque *Cum olim de hoc ipſo dubitatum eſſet quoad Epiſcopos, Sacra Congregatione ad Gregorium XIII. delata, edidit Deciſionem, quæ poſtea perpetuo obtinuit in Dataria, videlicet: Quotieſcumque Ordinarius recuſaverit quemquam ordinare, committendum eſſe Metropolitano, vel viciniori Epiſcopo, ut ab eodem Ordinario*

prius

prius requirat, cur recusaverit; quo causam legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare.

ARTICULUS IV.

De Ordinationum effectibus.

PROPOSITIO UNICA.

Duplex est Sacrarum Ordinationum effectus, scilicet Gratia sanctificans, & Character.

Duplicem hunc effectum sacris Ordinationibus tribuendum, Catholicæ Fidei dogma est, ut declarat sacra Synodus Tridentina Sessione XXIII. Can. IV. *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere,* Accipite Spiritum Sanctum *: aut per eam non imprimi Characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse, Anathema sit.*

§. I.

De primo Ordinationis effectu, scilicet Gratia.

Quod primum spectat, gratiam sanctificantem, non quidem primam, sed gratiæ incrementum in Sacris Ordinationibus dari, colligitur ex Apostolo I. ad Timotheum IV. *Noli* (inquit) *negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Et II. ad Timotheum I. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*: Id est, (ut Theodoretus commentatur) *Hortor te, ut excites gratiam Spiritus, quam per meam Ordinationem accepisti*. Et mox *Gratiam Spiritus* interpretatur, *quia pericula pro pietate non timemus, & Deum cum fervore amamus*. Et ante Theodoretum *Sanctus Jo: Chrysostomus* Homilia I. *Hoc est* (inquit) *gratiam, quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, & ad omne Religionis obsequium: quippe hanc vel excitare, vel extinguere in nobis est*: Quod ad gratiam sanctificantem præcipue pertinet; unde inferius *Gratiam charitatis* vocat. Adde quod *Anastasius II.* Pontifex Maximus scribens *ad Anastasium* Imperatorem, *Per iniquum traditam Sacramenti gratiam* firmam permanere declarat, de Ordinatione Sacra simul, & de Baptismo loquens. Et Auctor Libri *De Dignitate Sacerdotali*, inter Opera *Sancti Ambrosii*, cap. V. *Homo* (inquit) *imponit manum, Deus largitur gratiam*. Hinc *Eugenius IV.* in Decreto: *Effectus* (inquit) *est augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus Minister*. Et rursus Concilium Tridentinum, Sessione XXIII. cap. III. *Scripturæ testimonio, Apostolica Traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum est, per Sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri.* Ordinationum effectus.

Id confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, distinct. XXIV. quæst. I. art. II. Quæstiuncula I. *Dei perfecta sunt opera* (inquit) „ & ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur ea, per quæ executio „ illius potentiæ potest congrue fieri. Sicut autem gratia gratum faciens „ est necessaria ad hoc, quod homo digne recipiat Sacramenta, ita etiam „ ad hoc, quod homo digne dispenset: & ideo sicut in Baptismo, per „ quem fit homo susceptivus aliorum Sacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in Sacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum dispensationem.

Et in Responsione ad tertium: *Ad idoneam* (inquit) „ executionem Or-

„ „ dinum non ſufficit bonitas quantacumque, ſed requiritur bonitas ex-
„ cellens, ut ſicut illi qui Ordinem ſuſcipiunt, ſuper plebem conſtituun-
„ tur gradu Ordinis, ita & ſuperiores ſint merito ſanctitatis; & ideo præ-
„ exigitur gratia, quæ ſufficiebat ad hoc, quod digne connumerarentur in
„ plebe Chriſti: ſed confertur in ipſa ſuſceptione Ordinis amplius gratiæ
„ donum, per quod ad majora reddantur idonei.

§. II.

De altero Ordinationis effectu, ſcilicet Charactere.

QUod alterum effectum attinet, ſcilicet Characterem hunc in Ordine imprimi fides docet, ſpiritualem ſcilicet poteſtatem, quæ ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum refertur; in Sacerdote quidem plenam, & perfectam, ut qui Chriſti Jeſu Domini noſtri Corpus, & Sanguinem unus poteſt conficere; in aliis vero inferiorum Ordinum Miniſtris majorem minoremve, quo quiſque Miniſterio ſuo magis, minuſve ad Altaris Sacramenta accedit. Hæc autem poteſtas character ſpiritualis dicitur; quod qui Sacris initiati ſunt, interiori quadam nota animæ impreſſa ab aliis Fidelibus diſcernantur, ac divino cultui mancipentur. Quæ poteſtas, ac nota cum perpetua ſit, ſemperque maneat, Ordinationem iterare non licet, quamvis ab Hæreticis, Schiſmaticis, Excommunicatis, exauctoratis ſive degradatis Epiſcopis collatam, ut probat perpetuus Eccleſiæ conſenſus. Hinc *Sanctus Auguſtinus* Lib. I. De Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. I. ait: „Sa-
„ cramentum Baptiſmi eſt, quod habet, qui baptizatur: & Sacramentum
„ dandi Baptiſmi eſt, quod habet, qui ordinatur. Sicut autem baptizatus,
„ ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum Baptiſmi non amittit; ſic etiam
„ Ordinatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum dandi Baptiſmi non a-
„ mittit. Nulli enim Sacramento injuria facienda eſt: ſi diſcedit a malis,
„ utrumque diſcedit; ſi permanet in malis, utrumque permanet. Sicut er-
„ go acceptatur Baptiſmus, quem non potuit amittere, qui ab unitate di-
„ ſceſſerat; ſic acceptandus eſt Baptiſmus quem dedit ille, qui Sacramen-
„ tum dandi, cum diſcederet, non amiſerat. Nam ſicut redeuntes, qui
„ prius quam recederent baptizati ſunt, non rebaptizantur: ita redeuntes,
„ qui prius quam recederent ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur;
„ ſed aut adminiſtrant, quod adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ utilitas po-
„ ſtulat; aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum Ordinationis ſuæ tamen
„ gerunt; & ideo eis manus inter Laicos non imponitur.

Idem confirmat Libro III. *Contra Epiſtolam Parmeniani*, cap. XIII. *Nulla* (inquit) „ oſtenditur cauſa, cur ille, qui ipſum Baptiſmum amittere non
„ poteſt jus dandi poteſt amittere. Utrumque enim Sacramentum eſt; &
„ quadam conſecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, iſtud
„ cum ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari.

Quo ſenſu Pontifices, & Concilia Ordinationes Hæreticorum, Schiſmaticorum, Excommunicatorum irritas pronuntiant?

Quamvis igitur propter immania quædam ſcelera Miniſtris Altaris, & Eccleſiæ auferri poſſint honor, dignitas, & locus Ordini conveniens; ut non alio loco deinceps habeantur quam Laici (quod fit exauctoratione, ſive degradatione) ipſa tamen conſecratio, & quæ conſecratione collata eſt Poteſtas Ordinis, amitti non poteſt. Cum itaque Ordinationes ab Hæreticis, Schiſmaticis, Simoniacis, Excommunicatis factas, juxta formam Eccleſiæ, Pontifices, & Concilia irritas pronuntiant, intelligendum eſt, eas eſſe irritas, non quoad ſubſtantiam Ordinis, quaſi ſint invalidæ, ac proinde iterari debeant; ſed quoad Ordinis executionem, quia ſic Ordina-

tis

tis non licet Ordinis sui functiones exercere. Tametsi vero dicantur nihil recipere quia nec Ordinis honorem, sive administrationem recipiunt, nec Privilegia Ordini adnexa; imo nec Spiritum Sanctum, gratiamque sanctificantem, si ab hujusmodi hominibus scientes ordinentur, quia peccatis eorum communicant: spiritualem tamen Potestatem, seu Characterem recipiunt, qui in eis perpetuo manet. *Omnis enim potestas, quæ datur cum aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest, sicut nec ipsa consecratio annullari: quia etiam Altare, vel Chrisma semel consecrata perpetuo sacrata manent. Unde cum Episcopalis potestas cum quadam consecratione detur, oportet, quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Ecclesia præcidatur*; (inquit *Sanctus Thomas* in IV. *Sententiarum*, distinct. XXIII. quæst. I. art. II.) Hinc Synodus Toletana VIII. Canone VII. *Nequaquam* (inquit) *aliquando poterit profanari, quod divina jussione, simulque Apostolicæ Traditionis auctoritate sacrum noscitur extitisse. Verum sicut sacrum Chrisma collatum, & Altaris honor evelli nequeunt, ita quoque sanctorum decus Honorum, quod his compar habetur, & socium, qualibet fuerit occasione perceptum, manebit modis omnibus inconvulsum.* Quamobrem Episcopi ab Ecclesia præcisi retinent potestatem alios ordinandi; & Ordinationes ab ipsis factæ sunt validæ, quamvis licitæ non sint. *Vera Sacramenta conferunt* (inquit ibidem S. Thomas) *sed cum eis gratiam non dant; non propter inefficaciam Sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Ecclesiæ.*

Ordinationum effectus.

Et in Responsione ad tertium: *Illi* (inquit) *qui ab Hæreticis promoventur, quamvis accipiant Ordinem, non tamen recipiunt executionem, ut licite possint in suis Ordinibus ministrare.*

Atque ita explicandus est Canon, *Daibertum*, causa I. quæst. VII. quod *Urbani II.* Rescriptum est ad *Petrum* Pistoriensem Episcopum, & *Rusticum* Abbatem Vallis-Umbrosæ. *Daibertum* enim a *Nezelone* simoniaco, tametsi non simoniace, Diaconum ordinatum, *Ex integro Diaconum* constituit quoad honorem, locum, & executionem Ordinis, ex quibus *Nihil habuit* simoniacus ille Episcopus, *nihil dare potuit*: non vero quoad substantiam Ordinis, & characterem spiritualem. Suam ipse mentem *Urbanus II.* explicat in Epistola ad *Lucium* Præpositum *S. Juvencii* apud Ticinum: *Ceterum* (inquit) *Schismaticorum, & Hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, juxta SS. Patrum Traditiones, scilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini, Hieronymi, formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi, vel eorum Sacramentis imbuti, per manus impositionem ad Catholicam redierint unitatem.*

Ita explicandus est, *Innocent. I.* Epistola XVIII. cap. III. cum ait, in Arianis, aliisque hujusmodi pestibus *Solum Baptisma ratum esse*, nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo Baptismate; *Nec dare ejusdem plenitudinem posse, quæ maxime in Ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam perdiderunt.* Sensus enim illius est, Solum Baptisma in Hæreticis illis, cum ad Fidem Catholicam convertuntur, esse ratum quoad honorem, gradum, & privilegium; quia illis tribuitur locus inter Fideles, & ad Communionem admittuntur ut Fideles Laici, nec detruduntur in Ordinem Catechumenorum: non autem solum Baptisma ratum esse quoad substantiam Sacramenti, & spiritualem characterem: nam & sic ratæ sunt Ordinationes sacræ: quamvis Spiritus Sancti, sive gratiæ sanctificantis plenitudinem dare non possint Hæretici in Ordinatione iis, qui ipsorum communione maculantur; sicut nec Spiritum Sanctum ex Baptismate in Hæresi suscepto acceperunt. Sed ratæ non sunt eorum Ordinationes quoad honorem, lo-

cum, Privilegia, & functiones Sacerdotii, seu Ministerii: quia eorum Clerici ad Laicam Communionem dumtaxat suscipiuntur. *Quia* (inquit) *eorum Laicos conversos ad Dominum sub imagine Pœnitentiæ, ac Sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii, aut Ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate*. Hinc Epist. XXII. cap. III. *Nostræ vero lex est Ecclesiæ* (inquit) *venientibus ab Hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem Laicam tantum tribuere Communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem, vel exiguum subrogare*. Eos vero, qui ab Hæreticis scientes volentes ordinati sunt, atque ita perfidiæ illorum participes sunt effecti, locum, honorem, privilegia, & ministerium, sive executionem Ordinum non recipere docet, ut nec gratiam sanctificantem, sed inanimen dumtaxat characterem, suspensamque potestatem. *Cum nos* (inquit) *dicamus ab Hæreticis Ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput* ∴ *Atque ubi Pœnitentiæ remedium necessarium est, illic Ordinationis honorem locum habere non posse decernimus* ∴ *Eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse* ∴ *Certe, qui quod non habuit, dare non potuit, damnationem utique quam habuit, per pravam manus impositionem dedit: & qui particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum*. Ordinationes tamen eorum quoad substantiam validas esse sensit *Innocent. I.* siquidem cum iis, quos *Bonosus* ordinaverat, dispensatum olim fuisse agnoscit *Anysii* Thessalonicensis Episcopi, & Synodi Capuanæ judicio, ut in Ordinum ab illo susceptorum gradibus, honoribus, ac ministeriis, sive functionibus reciperentur: itemque cum Novatianis dispensatum esse in Synodo Nicæna, can. VIII. ut accepta manus impositione in Clero permanerent. Qua etiam indulgentia erga Donatistas usam Ecclesiam, ut scilicet in suis Ordinibus susciperentur, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, testatur non semel *S. Augustinus*.

Ordinationum effectus.

Eadem Responsione diluuntur Objectiones peti solitæ ex octavæ Synodi Oecumenicæ Decretis contra Ordinationes *Photii*; & ex Decretis Synodi Suessionensis contra Ordinationes *Ebbonis* Rhemensis Archiepiscopi: neque enim a *Photio*, neque ab *Ebbone* ordinatos iterum ordinari Concilia illa sanxerunt. Ordinatos autem a *Meletio* Presbyteros, *sanctiore manus impositione confirmari*, Nicena Synodus præceperat, sicque Dignitatis Ecclesiasticæ, & Ministerii gradum habere; ita tamen ut omnibus Presbyteris ab *Alexandro* Episcopo Alexandrino ordinatis loco inferiores essent: sed de manus impositione reconciliatoria id intelligendum, qua in Ecclesiæ Communionem, & Ecclesiasticæ Dignitatis honorem, ac sacras functiones restituerentur; non de manus impositione consecratoria, qua iterum ordinarentur.

Ordinationum effectus.

Concilii Toletani IV. can. XXVII. pariter intelligendus est de cæremonia quadam reconciliatoria. Clericos scilicet, qui antea fuerant depositi, si postea innocentes reperti fuissent, coram Altari indumenta sui Ordinis, & instrumenta recipere ab Episcopis jubet, Episcopos Orarium, Annulum, & Baculum, Presbyteros Orarium, & Planetam; Diaconos Orarium, & Albam; Subdiaconos Patenam, & Calicem; non ut denuo ordinentur, sed ut sui Ordinis executioni restituti videantur: *Non potest* (inquit) *esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram Altario de manu Episcoporum, &c.* Quemadmodum enim dum ipsis Ecclesiastici Muneris functiones interdicebantur, dumque de Dignitatis suæ gradu movebantur, insignia ab iis Ecclesiasticæ Dignitatis ablata fuerant, non sublata Characteris indelebili potestate; ita congruum erat, ut dum pristino redderentur honori, eadem suæ Dignitatis ornamenta recuperarent, non ad Ordinationis iterationem, sed ad Dignitatis recuperatæ, & redditæ ad functiones antea vetitas obeundas auctoritatis, liberæque

que facultatis significationem, ut explicat *Fulbertus* Carnotensis Episcopus Epistola XXIV. ad *Leuthericum* Senonensem Archiepiscopum.

ARTICULUS V.

De Temporibus Ordinationum, Ætate, & Qualitatibus Ordinandorum.

REGULA I.

Clericatus, seu Prima Tonsura, quocumque die, & hora conferri potest.

ID constat ex Pontificali Romano, ex Concilio Bituricensi anni MDLXXXIV. cap. V. *De Ordine*, & ex Ecclesiæ usu.

REGULA II.

Minores Ordines singulis diebus Dominicis, & Festis duplicibus, matutino tamen tempore conferri possunt.

HÆc Regula nititur ejusdem Libri Pontificalis auctoritate, & *Alexandri III.* Decretali, cap. *De eo*, Extra, *De tempore Ordinationum*, cujus hæc sunt verba: *De eo autem, quod quæsivisti, An liceat extra Jejunia Quatuor Temporum aliquos in Ostiarios, Lectores, Exorcistas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere: taliter respondemus, Quod licitum est Episcopis, Dominicis, & aliis festivis diebus unum, aut duos ad Minores Ordines promovere.* An autem plures, quam duos ordinare possit Episcopus die Dominico, aut Festo duplici, dubium est. Glossa plurium Ordinationem non prohiberi significat, dummodo non videatur esse generalis Ordinatio; idemque censent *S. Antoninus*, *Innocent. IV. Sylvester*, *Tabiena*, & alii. Non licere pluribus, quam duobus Minores Ordines iis diebus conferre, aut certe tutius esse, ne pluribus conferantur, censent *Hostiensis*, *Angelus De Clavasio*, & alii, quod *Alexandri III.* verba id minime permittere videantur: & *In re dubia melius sit verbis Edicti servire*, ut ait *Ulpianus*.

Ulpianus Lib. 28. ad Edictum, seu Lib. 1. ff. De exercitoria actione.

REGULA III.

Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, Quatuor dumtaxat Jejuniorum Temporibus, tum Sabbato ante Dominicam Passionis, itemque Sabbato Sancto Paschæ possunt ordinari: non autem extra hæc tempora generales Ordinationes fieri possunt.

ITa statuunt *Gelasius I.* Epistola ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios constitutos, cap. XIII. *Gregorius II.* Epistola III. ad Clerum, & Populum Turingiæ, Synodus Romana sub *Zacharia* Summo Pontifice, can. XI. Concilium Lemovicense sub *Benedicto IX.* Actione II. Urbanus II. in Concilio Claromontano Act. II. Concilium Cabilonense II. can. XXIII. & *Alexander III.* in Responso ad Herfordiensem Episcopum, cap. *De eo autem*, Extra, *De Temporibus Ordinationum*, Concil. Tridentinum sess. XXIII. *De Reformatione*, cap. VIII. Rothomagense sub *Carolo Borbonio* Archipræsule, & alia Concilia Gallicana.

In eos porro, qui extra statuta tempora sacros Ordines susceperint, Suspensionem ab Ordinis executione decernunt *Alexander III.* cap. *De eo*, Extra, De Temporibus Ordinationum, *Urbanus III.* cap. *Cum quidam*, eodem Tit. *Gregorius IX.* cap. *Consultationi*, eodem; *Pius II.* Constitutione, quæ incipit, *Cum ex Sacrorum*, Suspensionem ipso facto incurri declarat ab iis, qui

Ordinationum tempora.

qui extra tempora a Jure statuta ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri, quod *Julius III. Clemens VIII. Paulus V.* confirmarunt. A-„ quense Concilium *Pii II.* Constitutionem recepit. Opinatur *Hallerius* „ Pontificias istas Constitutiones in Galliæ nostræ saltem maxima parte „ non esse receptas; ideoque eum, qui extra tempora a Jure statuta ordi-„ natus fuerit, non esse ipso facto suspensum, sed ab Ordinario suo, vel „ alio Superiore in pœnam commissi criminis esse suspendendum. Porro „ Concil. Tridentinum, quod Legem istam Ecclesiasticam innovavit, ut „ Ordinationes Sacræ statutis a Jure temporibus fierent, nullam pœnam „ expresse adhibuisse in eos, qui secus facerent, sed recepto Jure apud u-„ namquamque regionem rem dirimendam reliquisse. Ut ut est, qui talem Suspensionem incurrerunt, ab ea per Episcopos possunt absolvi, si delictum sit occultum, ut colligitur ex Concilio Tridentino sess. XXIV. cap. 6. *De Reformatione.*

REGULA IV.

Summus Pontifex extra Tempora a Jure statuta Sacros Ordines conferre potest: possunt & Episcopi, quibus id Romanus Pontifex permiserit.

IN iis enim, quæ sunt Ecclesiastici Juris, Summum Pontificem posse dispensare, certum est. Id confirmatur ex cap. *Subdiaconos*, Extra, *De Temporibus Ordinationum*, & cap. *De eo*, eodem Titulo.

REGULA V.

Quatuor Minores Ordines simul cum Subdiaconatu conferre, vel suscipere non licet, si Jus spectetur; licet secundum consuetudinem.

PRima pars constat ex cap. *Cum Hilator*, Extra, *De eo, qui furtive Ordines suscepit*. Pars altera nititur auctoritate *S. Antonini* III. par. tit. XIV. cap. XVI. §. 16. Nec isti consuetudini derogavit Concilium Tridentinum.

REGULA VI.

Duos Ordines Sacros simul eodem die suscipere, aut conferre non licet.

Ordinariorum Tempora.

HAnc Regulam Decretis suis firmarunt *Innocent. III.* cap. *Litteras*, Extra. *De Temporibus Ordinationum*, & *Honorius III.* cap *Dilectus*, eodem tit. Suscipientem autem, & conferentem eodem die duos ordines Sacros, Suspensione mulctant. Eamdem Legem confirmat Tridentina Synodus, sess. XXIII. cap. XIII. De Reformatione *Duo Sacri Ordines* (inquit) *non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, Privilegiis, ac Indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque.*

REGULA VII.

Episcopi Consecratio Dominico die, aut Festivo, qui a Populo solemniter celebretur, peragi potest.

DOminicum diem Episcopi consecrationi præscribunt *S. Leo* Epist. XI. alias LXXXI. ad *Dioscorum* Alexandrinum Episcopum, cap. II. & Epist. X. alias LXXXIX. ad Episcopos Provinciæ Viennensis, cap. III. Conc. Toletanum IV. can. XVIII. & Cæsaraugustanum can. I. Vetus Ordo Romanus dies solum Dominicos, & Apostolorum Natalitiis consecratos, E-

pisco-

piſcoporum Ordinationi deſtinat. Pontificale vero Romanum legitimum diem Conſecrationis, vel Dominicum, vel Natalitium Apoſtolorum, vel etiam Feſtivum definit. Dominicus autem dies præſertim Epiſcoporum Conſecrationi deſtinatus eſt, quia & ea die plenitudo Spiritus Sancti in Apoſtolos effuſa eſt; & ut ſe cum Chriſto reſurrexiſſe, & in novitate vitæ ambulare admoneantur. Additi ſunt poſtea Dominicis diebus dies Natales Apoſtolorum, ut ſignificetur, Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere, & *Pro Patribus nati filii*, pro Apoſtolis Epiſcopi ſubrogati videantur. Additi item poſtea reliqui feſtivi dies, quibus Populi conventus commode fieri poſſet, quem ad Epiſcoporum Conſecrationem convenire congruum eſt.

REGULA VIII.

Religioſe ſervanda ſunt inter ſingulos Ordines temporum intervalla, ſive Interſtitia Legibus Eccleſiæ præſcripta.

Eccleſiæ vetus, & antiqua Lex eſt, ut aliqua a ſuſcepto uno Ordine ad alium temporis intercapedo velut neceſſaria præſcribatur, triplici de cauſa. Primo, ut Ordinandus ea, quæ ſui ſunt Muneris, ac Sacra Religionis ediſcat, antequam aliorum docendorum curam ſuſcipiat. Non enim ſolum Sacrorum doctrina imbuendus eſt, qui ad Sacerdotium deſtinatur, verum etiam praxim ſacri Miniſterii edocendus, quæ nonniſi diuturno uſu comparatur. Qua de re legenda *S. Auguſtini*, Epiſtola ad *Valerium* Hipponenſem Epiſcopum XXI. alias CXLVIII. & *S. Gregorius* Epiſt. CX. Libri VII. ad *Syagrium* Auguſtodunenſem Epiſcopum, *Ætherium*, & alios: *Neceſſe eſt* (inquit) *ut quamvis inculpati quiſque ſit meriti, ante tamen per diſtinctos Ordines Eccleſiaſticis exerceatur Officiis, videat, quod imitetur; diſcat, quod doceat; informetur, quod teneat: ut poſtea non debeat errare, qui eligitur viam erranti demonſtrare. Diu ergo religioſa meditatione poliatur, ut placeat, & ſic lucerna poſita ſuper candelabrum luceat, ut adverſa ventorum vis irruens conceptam eruditionis flammam non extinguat, ſed augeat.* Secundo, hæc intervalla præſertim ſtatuta ſunt, ut qui ad Sacerdotium ſunt perventuri, animum prius Eccleſiaſticum aſſumant, Cleri Diſciplina imbuantur, & ad Eccleſiaſticam Regulam mores componant, quod nonniſi longo uſu comparari poteſt. Ad quam rem illuſtrandam *S. Gregorius* Epiſtola mox laudata ſimilitudines ex rebus inanimatis appoſite deducit, ut ſicut ligna in ſylvis ſucciſa, in ædificationibus compacta, citius ſuperimpoſita mole franguntur, niſi eorum viriditatem multorum dierum mora ſiccaverit; ſic ſpiritale Eccleſiæ ædificium corruat, in quod Laici, qui Laicalem animum non exuerint, compacti fuerint. Et ſicut Medici quædam corpori adjutoria recenti adhuc confectione formata indigenti non afferunt, ſed maceranda tempori derelinquunt: ita nec momentanei Sacerdotes Populo utiles futuri ſint, ſed tempore opus ſit, quo laicalia eorum ſtudia conficiantur, ipſique in viros alios transformentur. Tertio, Interſtitia iſta inſtituta ſunt ad probationem Ordinandorum, ut in inferioribus Ordinibus, tanquam in ſtatu diſcipulatus, ac Novitiatus probentur diu, qui ad ſuperiores gradus aſpirant, ut nonniſi iis dotibus inſtructi, ac virtutibus, quæ ad ſacrum Munus ſancte obeundum neceſſariæ ſunt, ad Sacerdotium provehantur. Nam (ut ait *Hormiſdas* Pontifex Maximus, Epiſt. IV.) *Longa debet vitam ſuam probatione monſtrare, cui gubernacula committuntur Eccleſiæ*. Et, (ut ait *S. Gregorius* Epiſtola mox laudata) *Cum ſcriptum ſit, ut prius quis probetur, & ſic miniſtret, multo ante probandus eſt, qui populi interceſſor aſſumitur, ne fiant cauſa ruinæ populi Sacerdotes mali.* Idipſum docet *Joannes VIII.* Epiſtola CXVII.

Ordinationum tempora, & interſtitia.

Ordinationum tempora, & interſtitia.

Kk 4 nullos

nullos ad Sacerdotium promoveri volens, nisi *Qui in Minoribus Officiis sic diu perdurent, & vota eorum pariter, & obsequium comprobentur, ut per tempora a Majoribus instituta, comprobatis prius moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad Summum Sacerdotium postmodum veniant.*

Quamvis autem varia fuerit in definiendis Interstitiis Ecclesiæ Disciplina, illa tamen, prout ab Ecclesia præscripta essent, religiose servanda sanxerunt *Siricius* Pontifex Maximus Epist. I. ad *Himerium* Tarraconensem Episcopum, cap. IX. & refertur can. *Quicumque*, distinct. LXXVII. *Innocent. I.* Epistola IV. ad *Felicem* Nucerianum Episcopum cap. V. *Zosimus* Epist. I. ad *Hesychium* cap. II. & refertur can. *In singulis*, distinct. LXXVII. *S. Leo* Epist. I. alias LXXXVII. ad Episcopos Africanos, *Gelasius I.* Epist. ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios & Siciliam constitutos, cap. III. & refertur can. *Si quis*, & can. *Monachus*, distinct. LXXVII. Conc. Arelatense IV. can. I. Aurelianense III. can. VI. Aurelianense V. can. IX. Bracarense I. can. XXXVIII. Barcinonense sub *Reccaredo* Rege, can. III. Synodus Octava Generalis, can. V.

Nunc vero servanda sunt inter singulos Ordines Interstitia, prout a Concilio Tridentino definita sunt. Sic autem de Minoribus Ordinibus sanxit sess. XXIII. *De Reformatione*, cap. XI. *Minores Ordines* (inquit) *iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum Interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur; ut eo accuratius quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, ac in unoquoque Munere, juxta præscriptum Episcopi se exerceant, idque in ea, cui adscripti sunt, Ecclesia; nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accrescat: quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia Ministerium, atque major erga Presbyteros, & superiores Ordines reverentia, & crebrior quam antea Corporis Christi Communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores Gradus, & Sacratissima Mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes Majoribus Ordinibus dignum ostendat. Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi Gradus minorum Ordinum, ad Sacros Ordines promoventur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, Judicio Episcopi, aliud exposcat.*

Et cap. XIII. *Promoti ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem Gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.*

Cap. tandem XIV. De Presbyteratu sic decernit: *Qui pie, & fideliter in Ministeriis ante actis se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium: & hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint, sed etiam, &c.* Quibus ex Decretis Concilii Tridentini Regulæ sequentes colliguntur.

REGULA IX.

Inter Minores Ordines singulos, ut quædam servarentur Interstitia Episcopi arbitrio definienda, convenire Ecclesiasticæ Disciplinæ.

Congruum autem erit, si intervallum istud ab uno Quatuor Temporum ad aliud definiant Antistites Religiosissimi, ut aliquod doctrinæ, ætatis, ac meriti incrementum inter susceptionem primi ex Minoribus Ordinibus, & ultimi notari possit, ut optat Synodus Tridentina. Frustra quoque Interstitia illa statuerentur, nisi in singulis Ordinibus exercendis assiduitas, industria, pietas Ordinandorum probarentur: quis non autem pruden-

Ordinationum tempora, & interstitia.

prudenter judicet, quin tres saltem menses in ea probatione in singulis Ordinibus facienda, & in singulis Ordinibus exercendis videantur esse necessarii?

REGULA X.

Inter postremum gradum Ordinum Minorum, & Subdiaconatum annus intercedere debet: inter Subdiaconatum, & Diaconatum annus saltem: inter Diaconatum, & Presbyteratum annus integer interponendus.

Concilii Tridentini ea de re Sanctionem promulgavit, & confirmavit Concilium Mediolanense IV. tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, his verbis: *Stata illa temporum intervalla, Ordinibus tum Minoribus, tum Majoribus suscipiendis Concilii Tridentini Decreto præscripta, ne facile, ac passim sine ullo delectu prætermittantur, omittanturve. Quod si de iis aliquid ab Episcopo remitti, dispensarive contigerit, in litteris dimissoriis, testimonialibusve Ordinum adscripta etiam dispensationis causa, testatum plane fiat.* Concilium Aquense, eodem Titulo, neminem nisi præscriptis Interstitiis servatis, vel obtenta in scriptis ab Episcopo dispensatione, ordinari permittit.

REGULA XI.

Dispensatio circa Ordinum Interstitia Episcopi arbitrio, & prudentiæ commissa est.

Sixtus V. ordinatos non servatis interstitiis, absque legitima dispensatione, suspensos declaravit. Verum cum *Sixti V.* Constitutio a *Clemente VIII.* ad terminos Concilii Tridentini revocata fuerit, non videtur ulla Suspensio ab iis ipso facto incurri, qui etiam sine dispensatione præpropere fuerint ordinati. Quamvis fatendum sit, eos, qui tam festinanter ad aliquem Sacrorum Ordinum absque dispensatione promoventur, ab Episcopis Suspensione plecti posse ob violatos Canones. Legitime dispensari censentur illi, quibus & Vicarii Generales Episcoporum, & Capitulum, aut ejus Vicarius, Sede vacante, Interstitia remiserunt.

Sixti V. Constitutio v. contra male promotos, quæ incipit Sanctum, & salutare. Constitutio Clementis VIII. quæ incipit, Summum, Pontificem,

REGULA XII.

Episcopus in lege Interstitiorum dispensare non debet, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas id exposcant.

ID autem postulat Ecclesiæ particularis necessitas, cum deficiunt Ministri, nec possunt suppleri per jam ordinatos Ecclesiæ onera, tam in Missarum celebratione, quam in aliis Ministeriis Ecclesiasticis. Id exigit Ecclesiæ utilitas, quando pauci sunt Ministri Ecclesiastici idonei; tunc enim utile est aliquos ordinare ad Ecclesiæ Ministerium, & majorem etiam ornatum, ac splendorem.

Utraque porro concurrit, cum aliquis in inferioribus Ordinibus constitutus ad Curam Animarum gerendam vocatur, aut ad quamvis eligitur Ecclesiasticam Dignitatem, cui altior Ordo annexus est: unde eo in casu morosa ista intervalla remittenda sunt ne plebs fidelis necessario diu Ministerio privetur, aut Ecclesia obsequio, & utilitate quam ipsi afferre debent Clerici has ad Dignitates promoti. Qua de re Lateranense Concilium sub *Innoc. II.* Canone x. ita sanxit: *Innovamus, & præcipimus, ut nullus in Archidiaconum vel Diaconum, nisi Diaconus, vel Presbyter ordinetur. Archidiaconi vero, Decani, & Præpositi, qui infra Ordines prænominatos existunt, si inobedientes ordinari contempserint, Honore suscepto priventur.* Refertur can. *Innovamus*, dist. LX. Promoto-

motorum ad Dignitates Ecclesiasticas Ordinatione accelerandum esse statuit *Alexander III.* in Concilio Lateranensi, can. III. *Inferiora etiam Ministeria* (inquit) *ut puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam Animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat: sed nec Parochialis Ecclesiæ Regimen, nisi qui jam vigesimumquintum ætatis annum attigerit, & scientia, & moribus commendandus existit. Cum autem assumptus fuerit, si Archidiaconus in Diaconum: Decanus, & reliqui admoniti non fuerint, præfixo a Canonibus tempore, in Presbyteros ordinati, & ab illo removeantur Officio, & aliis conferantur qui & velint & possint illud convenienter implere.* Idem Pontifex c. *Præterea*, Extra, *De Ætate, & qualitatibus Ordinandorum*, ad Regimen Parochialis Ecclesiæ, Subdiaconos ex rigore Juris, *Dispensative in Minoribus Ordinibus constitutos eligi concedit, dummodo tales sint, quod infra breve tempus possint in Presbyteros ordinari.* Sacrum Ordinem Ecclesiasticæ Dignitati annexum intra annum ab ejus pacifica possessione suscipiendum sanxerunt Concilium Lugdunense sub *Gregorio X.* can. XIII. & refertur cap. *Licet Canon*, tit. *De Electione*, in Sexto; *Bonifacius VIII.* cap. *Statutum*, eodem Libro, & Titulo; *Clemens V.* in Concilio Viennensi, Clementina *Ut ii*, §. *Illi vero*.

Ordinationum tempora, & interstitia.

Has omnes Constitutiones renovat Sacra Synodus Tridentina. Sessione quippe VII. cap. III. De Reformatione, *Gregorii X.* in Concilio Lugdunensi Sanctionem expresse confirmat, & aliter factam Collationem, sive Provisionem irritam declarat, pęna etiam in Ordinarium Collatorem renovata. Secundo, statuit cap. XII. ejusdem Sessionis, *Ut facultates de non promovendo, præterquam in casibus a Jure expressis concessæ, ad annum tantum suffragentur.* Tertio, sess. XXII. *De Reformatione*, cap. IV. minutatim præscribit. *Ut ii, qui Dignitates, Personatus, Officia Præbendas, Portiones, ac quælibet alia Beneficia in dictis Ecclesiis obtinent, aut imposterum obtinebunt, quibus onera varia sunt adnexa videlicet ut alii Missas, ut alii Evangelium, alii Epistolas dicant, seu cantent quocumque Privilegio, Exemptione, prærogativa, generis Nobilitate sint insigniti, teneantur, justo impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos: alioquin pœnas incurrant juxta Constitutionem Concilii Viennensis, quæ incipit*, Ut ii qui, *quam præsenti Decreto innovat: cogantque Episcopi eos diebus statutis dictos Ordines per se ipsos exercere, ac cetera omnia Officia, quæ debent in cultu divino præstare, sub iisdem, & aliis etiam gravioribus pœnis arbitrio eorum imponendis.* Et sess. XXIV. cap. XII. De Reformatione: *Nemo igitur* (inquit) *deinceps ad Dignitates quascumque, quibus Animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum ætatis annum attigerit, & in Clericali Ordine versatus, doctrina ad suum Munus exequendum necessaria, ac Morum integritate commendetur juxta Constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, CUM IN CUNCTIS.* Et paulo post: *Neminem etiam deinceps ad Dignitatem, Canonicatum, aut Portionem recipiant, nisi qui eo Ordine Sacro, aut sit initiatus, quem illa Dignitas, Præbenda, aut Portio requirit; aut in tali ætate, ut infra tempus a Jure, & ab hac Sancta Synodo statutum, initiari valeat, &c.*

Præter has causas dispensandi in Interstitiis, hujusmodi dispensationem concedi posse favore studii in aliqua Universitate, aut ob ætatem provectam Ordinandi cum eximia virtute conjunctam, censet *Barbosa* p. II. *De Officio, & Potestate Episcopi*, Alleg. XVIII.

REGULA XIII.

Ordinator circa temporum Interstitia dispensare non potest cum iis, qui Diœcesani sui non sunt, nisi id Dimissoriis Litteris expresse concedatur.

Ordinationum tempora, & interstitia.

SIc responsum a Sacra Congregatione Episcoporum die nona Augusti, anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio refert *Piasecius* in Praxi nova Episcopali, p. I. cap. I.

REGULA XIV.

Superiores Regularium cum ipsis dispensare de Interstitiis non possunt; sed solum jus habent Episcopo supplicandi, ut dispensare dignetur; habita ratione necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ suæ, Monasterii, vel Ordinis. Quæ quidem supplicatio dimissoriis literis inserenda.

ITa declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, teste *Barbosa*. p. II. *De Officio, & Potestate Episcopi*, Alleg. XVIII. Et Concilium Tridentinum hanc dispensationem judicio, & arbitrio Episcopi semper relinquit. Si autem Viris Religiosis facilius Interstitiorum moras canonicas remittant Illustrissimi, & Reverendissimi Episcopi, quam Sæcularibus Clericis, *Gelasii I.* Pontificis Maximi judicium, & exemplum sequentur, qui Interstitia inter singulos Ordines Monachis breviora; sæcularibus diuturniora imposuit: *Quia quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte suscepta docetur præstitisse devotio.*

REGULA XV.

Ordines suscipere, aut conferre ante legitimam, & sacris Canonibus præscriptam ætatem, lethale peccatum est, gravique pœna secundum eosdem Canones plectendum.

Ordinandorum ætas.

CLericalis Tonsura, Minoresque Ordines conferri non debent pueris ante annos discretionis. Non debent quippe conferri nisi iis, qui capaces sint per ætatem eligendi certum aliquem vitæ statum, in quo perpetuo maneant: porro qui Tonsura Clericali initiatur, sæculari, seu laicali, vitæ renuntiat, & sanctioris vitæ genus eligit, quo Deo fidelius serviat. Quamobrem ante decimum quartum, aut certe duodecimum ætatis annum Tonsura Clericali pueros non initiari conveniens esset; quod & Episcopi plerique Ecclesiasticæ Disciplinæ studiosissimi Statutis suis Synodalibus edixerunt, ad Conc. Tridentini Sanctionem attendentes sess. XXIII. *De Reformatione*, cap. IV. prohibentis, ne prima Tonsura initientur, *De quibus probabilis conjectura non sit, eos ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse*. Concil. Burdigalense sub Cardinali *De Sourdis* habitum, cap. VI. Neminem ad primam Tonsuram admitti debere decernit, *quin duodecimum suæ ætatis annum attigerit*. Concil. Mexicanum anno MDLXXXV. Lib. I. tit. IV. Neminem ad primam Tonsuram promovendum statuit, nisi prius de intentione permanendi in habitu Clericali juramentum præstiterit. Idemque statuit *Bonifacius*, Cardinalis *Cajetanus* in Tarentina Synodo. Statuta Synodalia Cardinalis *Grimaldi* Aquensis Archiepiscopi sanciunt, neminem initiari prima Tonsura, *E qua velut e radice totius Ecclesiastici Ordinis integritas pendet*, *qui natus non sit ad minus annos quatuordecim*. Conc. Coloniense an. MDXXXVI. celebratum, p. I. cap. XXVII. de infantium promotione ad Clerum, & Minores Ordines sic loquitur: *Quid enim indecorum magis, quam admoveri Infantes, qui*

non

non intelligant quid agant, imo ne capiant quidem quid Clerici nomen, & reliqua Minorum Ordinum vocabula significent ∴∴ Qua de re nemo post hac Ordinibus hisce insigniendus est, nisi quem & vita commendet, & litteraturæ, ætatisque sit pro ratione suscipiendi Ordinis sufficientis, ac rectæ, sinceræque voluntatis. Qui enim in Clerum alleguntur, rem profitentur minime ridiculam, nempe se peculiariter in sortem Domini ascitos, quibus post hac omnia terrena sordeant, ac solus Dominus sors, ac pars hæreditatis futurus sit.

Quamquam vero Sacra Synodus Tridentina ætatem initiandorum prima Tonsura, aut Minoribus Ordinibus non definiverit, sed Episcoporum arbitrio, ac prudentiæ reliquerit judicandum, qua ætate quisque sit in Clerum cooptandus, aut ad Minores Ordines promovendus, nullum tamen prima tonsura initiatum, aut etiam in Minoribus Ordinibus constitutum. *Ante decimum quartum annum Beneficium posse obtinere*, declaravit sess. XXIII. cap. VI. *De reformatione*. Episcopus Clericalem Tonsuram Infanti conferens, ab illius Collatione per annum suspensus est, secundum cap. *Nullus Episcopus*, tit. *De Temporibus Ordinationum*, in Sexto.

Ordinandorum ætas. Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveri potest, secundum Concilii Tridentini Sanctionem, sess. XXIII. cap. XII. *De Reformatione*. Hunc autem annorum numerum attigisse sufficit, explevisse minime necesse est, ut probat Ecclesiæ usus. Vel unius diei, aut horæ defectus ab ætate legitima, susceptionem Ordinum impedit. Quod si quis dubitet, an præscriptam a Sacra Synodo ætatem attigerit, stante dubio suscipere Ordines non potest, alioqui periculo violandi præceptum Ecclesiæ se exponeret, nec illius leges curare videretur. Dispensatio porro super ætate Ordinandorum ad Episcopum non pertinet, sed Summo Pontifici reservata est. Unde nec Regulares ante ætatem a Sacra Synodo Tridentina præscriptam ordinari possunt absque speciali Sedis Apostolicæ Dispensatione; quibuscumque Privilegiis quoad hoc penitus abrogatis ab eadem Synodo sess. XXIII. c. XII. *De Reformatione*. Nec probandum est, quod quidam Regulares absque necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, proprio arbitrio, non Superiorum judicio, ut citius ex inferioribus Ordinibus, aut ex Juniorum Fratrum subjectione emergant. Dispensationem obtinent a Sede Apostolica super defectu tredecim, aut quatuordecim mensium de ætate ad Sacerdotium requisita, fervorem devotionis obtendentes, secundum stylum Datariæ. Illos certe tuta conscientia hujusmodi Dispensationem postulare, eaque uti posse non existimaverim; vereorque, ne ipsorum ad Sacerdotium nimia festinatio hanc illis maledictionem accersat, *Hæreditas, ad*
Prov. 20. 21. *quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit*. Quod Sacrum Oraculum in eos, qui ad Sacerdotium festinatione præcipiti ascendunt, contorquet *Ivo* Carnotensis Episcopus Epist. LVIII.

Episcopus aliquem ad Sacros Ordines promovens ante legitimam ætatem, Suspensionem ab Ordinum collatione meretur, ex *Honorii III.* Decretali, cap. *Vel non est compos*, Extra, *De Temporibus Ordinationum*. Hæc tamen Suspensio non incurritur ipso Jure. Promoti vero ante legitimam ætatem ab executione Ordinum ita susceptorum suspendi poterant, usque dum ad eam pervenissent, ut ex eodem cap. colligitur: nunc vero ex Constitutione *Pii II.* quæ incipit, *Cum ex sacrorum*, ipso Jure a sacris ita susceptorum Ordinum functionibus sunt suspensi; & Irregulares fiunt, si suscepto ante legitimam ætatem Sacerdotio celebrent, antequam Absolutionem impetraverint a Summo Pontifice, si delictum sit publicum; aut ab Episcopo, si sit occultum, ut eadem Constitutione sancitum est. Quamobrem ipsa Sacer-

dotii

dotii susceptione ante vigesimum quartum ætatis annum expletum, aut sine titulo, aut ab alieno Episcopo, aut sine dimissoriis litteris, aut extra tempus statutum, Irregularitas, contrahitur, quia Sacerdos in Ordinatione sua simul cum Episcopo Ordinante Sacrum celebrat, unumque Sacrificium offert.

R E G U L A XVI.

Nemo absque Probatione, & Examine in Clerum admittendus est, & ad Ordines promovendus.

PRæcipit enim Apostolus, imo per Apostolum Christus: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quæ verba *S. Jo: Chrysostomus* Hom. XVI. in Epist. I. *ad Timotheum* exponens, ait: *Quid est illud, cito? Non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio, tunc imponito manus. Neque enim ea res periculo caret: eorum, quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis, qui initium dedisti etiam præcedentium delictorum.* Et *S. Leo* Epistola I. alias LXXXVII. cap. II. *Quid est* (inquit) *cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem Honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici Ordinantem, qualis est ille, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo Sacerdote judicium; ita gravi semetipsum afficit damno, qui ad suæ Dignitatis collegium sublimat indignum.* Jubet rursus Apostolus, ut ordinandi *Probentur primum, & sic ministrent.* Et Tridentina Synodus diligentem in genus, natales, ætatem, mores, doctrinam Ordinandorum inquisitionem, & accuratissimum examen fieri jubet, ne indigni promoveantur. Sic enim statuit sess. XXIII. cap. V. De Reformatione: *Ad Minores Ordines promovendi, bonum a Parocho, & a Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos Majores erunt assumendi, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirat, & litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.* Illum enim, qui ordinatur, *Oportet, & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli;* (inquit Apostolus I. *ad Tim.* 5.) Si autem ipsis Infidelibus judicium de vita Ordinandorum, ac moribus Ecclesia permittit, ab iisque testimonium exigit, quanto magis fidelium populorum necessarium est testimonium, quo Ordinandorum vita, probitasque confirmetur? *Quod si ab hostibus habere testimonium convenit, multo magis ab amicis ipsis,* puta Popalis Christianis; (inquit *S. Jo: Chrysostomus*, Hom. IX. in I. Epistolam ad *Timotheum*.) Hinc Apostoli de Diaconorum electione solliciti Fidelibus præceperunt, ut *Considerarent viros boni testimonii septem plenos Spiritu Sancto*, quos ad opus Diaconatus ordinarent. Hinc *Tertullianus*, in Apologetico, de Ecclesiæ Præpositis ait: *Præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Hinc Con. Carthaginense III. can. XXII. sanxit, *Ut nullus ordinetur Clericus nisi probatus, vel Episcoporum examine, vel Populi testimonio.* Et Carthaginense IV. can. XXII. statuit, *Ut Episcopus sine Consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut civium assensum, & conniventiam, & testimonium quærat.*

I. ad Tim. 5.

I. ad Tim. 5.

Ordinandorum examen.

De

Can. Nullus ordinetur, & can. Episcopus d. XXIV. De Inquisitionibus, ac denuntiationibus publicis, pro Candidatis Majorum Ordinum probandis, Tridentino Concilio inhærent Mediolanense IV. Rothomagense, Aquense, Turonense, Burdigalensia duo, &c.

De Ordinandorum Examine rursus Tridentina Synodus sess. XXIII. cap. VII. *De Reformatione*, sic statuit: *Episcopus autem Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adscitis, Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet.*

Nulli Ordinum candidati ab Examine sunt immunes. Concil. Coloniense anno MDXXXVI. p. I. cap. XV. neminem excipit. *Etsi Magisterii titulum prætexat, nisi quem publicum sit, & vitam integram egisse, & ea, quæ Ordo amplectendus requirit, facile callere: quamobrem nedum Clerici, qui sæculares appellantur, sed & Religiosi cujuslibet etiam professionis fuerint, hanc censuram experientur.* Leo X. in Constitutione, quæ incipit, *Dum intra mentis arcana*, sess. XI. Conc. Lateranensis V. promulgata, Regulares, qui ad Ordines promovendi sunt, admittendos decernit, *Postquam per Ordinarios de Grammatica & sufficientia examinati fuerint*, & dummodo competenter respondeant. Con. Tridentinum sess. XXIII. cap. XII. *De reformatione*, ab examine neminem excipit, Regulares quoque *sine diligenti Episcopi examine* prohibet ordinari. Nec mirum, cum *S. Augustinus* Epistola LX. alias LXXVI. ad Aurelium scribat, *Ex his, qui in Monasterio permanent, nonnisi probatiores, atque meliores se in Clerum assumere solere ∴ Cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit Instructio necessaria, aut Personæ Regularis integritas.*

Quamvis autem Ordinandorum examen ad Episcopos præsertim spectet, secundum Regulam illam *Innoc. III.* cap. *Venerabilem*, Extra, De Electione: *Est enim regulariter, & generaliter observatum, ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat*: conveniens tamen est, ut alii etiam, Episcopi jussu, eoque, si fieri potest, præsente, Ordinum Candidatos examinent. Eos autem de gremio Cathedralis Ecclesiæ assumi consentaneum est *Examinatores siquidem a latere suo* Episcopum eligere debere, sanxit Concil. Nannetense, can. XI. Si qui autem ex Capitulo Cathedralis Ecclesiæ ad id Munus vocari debent, ii maxime Archidiaconi, Theologus, sive Scholasticus, Cancellarius, & Pœnitentiarius. Archidiaconos vocari decet, qui ad Episcopum de capacitate, & sufficientia Ordinandorum publice in Ecclesia referant, qui Jure communi *Episcopi Vicarii* dicuntur, ad quos Parochiarum pertinet *sollicitudo, & earum ordinatio*, & ad quos *Præsentandorum ad Beneficia examinatio* spectat, ex *Innoc. III.* cap. *Ut nostrum*, Ext. *De Officio Archidiaconi*. Theologum, seu Scholasticum examini Ordinandorum convenit interesse, ad quem (ex Con. Coloniensi sub *Adolpho* Archiepiscopo) in pluribus Ecclesiis Ordinandorum examinatio jure spectasse dicitur, & cujus præcipue munus est, Ordinandos in suo Officio instruere, ac docere. Cancellarium pariter, qui Jure communi Magister Scholarum censetur, cujus proinde suffragio probari decet Ordinandos, qui in Scholis versati, & a Magistris Scholarum commendati sunt. Pœnitentiarium denique, quem videlicet Irregularitates, & alia canonica impedimenta dignoscere maxime oportet, & cui, vel ei quem designaverit, peccata sua confiteri debere, Ordinandos, statuit Concil. Rothomagense sub Cardinali *Borbonio*, tit. *De Episcopor. Officio*, n. 7. quod & Statutis Synodalibus Trecensis. Ecclesiæ sancitum est, ut legere est apud L. *Bochelum*, Lib. III. tit. II. cap. XLVI.

Ordinandorum examen.

Quamvis autem ex facie duntaxat non sit de hominibus judicandum, non tamen prætermittenda est ab Examinatoribus diligens consideratio motus, gestus,

ſtus, inceſſus, aſpectus, locutionis, totiuſque habitus corporis, qui ſi levitatem ſapiat, ad Ordines non facile admittendi ſunt Candidati, ſed diuturniori temporis intervallo probandi, ut colligitur ex doctrina, & exemplo *S. Ambroſii*, Lib. I. *De Officiis*, cap. XVIII. *Eſt etiam* (inquit) „ in ipſo motu, geſtu, „ inceſſu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis ſtatu „ cernitur. Hinc homo cordi noſtri abſconditus, aut levior, aut jactantior, aut „ turbidior: aut contra gravior, & conſtantior, & purior, & maturior æſtimatur. Itaque vox quædam eſt animi, & corporis motus. Meminiſtis, filii, quemdam amicum, cum ſedulis ſe videretur commendare officiis, hoc ſolo tamen in „ Clero a me non receptum, quod geſtus ejus plurimum dedeceret: alterum „ quoque cum in Clero reperiſſem: juſſiſſe me, ne unquam præiret mihi; quia „ velut quodam inſolentis inceſſus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cum „ redderetur poſt offenſam Muneri. Hoc ſolum excepi, nec fefellit ſententia; „ uterque enim ab Eccleſia receſſit, ut qualis inceſſu prodebatur, talis perfidia „ animi demonſtraretur. Namque alter Arrianæ infeſtationis tempore fidem deſeruit: alter pecuniæ ſtudio, ne judicium ſubiret Sacerdotale, ſe noſtrum negavit. Lucebat in illorum inceſſu imago levitatis, & ſpecies quædam ſcurrarum percurſantium.

R E G U L A XVII.

Neque Sacerdotum, & Miniſtrorum penuria, neque rationes aliæ, indignorum Clericorum Ordinationem ullatenus excuſare poſſunt.

Non enim Sacerdotum, ac Miniſtrorum multitudine, ſed pietate, doctrina, labore, aſſiduitate, Eccleſia ab initio plantata eſt, poſtea vero aucta, ornataque floruit. *Dilatata videtur Eccleſia* (inquit *S. Bernardus*, in Tractatu *De Converſione ad Clericos*, cap. XX.) „ Ipſe etiam Cleri ſacratiſſimus „ Ordo: Fratrum numerus ſuper numerum multiplicatus eſt. Verum etſi multiplicaſti gentem, Domine, non magnificaſti lætitiam, dum nihil minus „ apparet deceſſiſſe meriti, quam numeri acceſſiſſe. Curritur paſſim ad Sacros „ Ordines, & reverenda ipſis quoque Spiritibus Angelicis Miniſteria homines „ apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione. Periculoſus hic Eccleſiæ morbus, cui graviter conſules, ſi non tam de Clericorum numero ſollicitus ſis, quam de exemplo: *Quia* (ut ſcribit *Gelaſius I.* ad Lucaniæ Epiſcopos) *convenientia Eccleſiæ Miniſteria reparanda ſunt, non inconvenientibus meritis ingerenda* ∴ *Ne per occaſionem ſupplendæ penuriæ Clericalis, vitia potius divinis cultibus intuliſſe; non legitimæ familiæ Domini putemur procuraſſe compendia*. Similiter *S. Leo*. inordinatas indignorum Ordinationes reprehendens, Epiſtola I. alias LXXXVII. ad Africanos Epiſcopos: *Non eſt hoc conſulere Populis* (inquit) *ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen. Integritas enim Præſidentium, ſalus eſt ſubditorum*. Concil. Lateranenſis IV. can. XXVII. hanc Regulam egregie confirmat: „ Cum ſit ars artium Regimen Animarum, diſtricte præcipimus, ut Epiſcopi promovendos in Sacerdotes diligenter inſtruant, & informent, vel per ſe ipſos, vel per alios viros idoneos, ſuper Divinis Officiis, & Eccleſiaſticis Sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare; quoniam ſi ignaros, & rudes de cetero ordinare præſumpſerint, (quod quidem facile poterit deprehendi) & Ordinatores, & „ Ordinatos gravi decrevimus ſubjacere ultioni. Satius enim maxime in Ordinatione Sacerdotum paucos bonos, quam multos malos habere Miniſtros: „ quia ſi cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam dilabuntur.

Qualitetes Ordinandorum.

Refert ur d. 17. can. Monachus.

Ordinandorum vocatio.

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, diſt. XXIV. q. I. art. III. qu. IV. *A Domino* (inquit) *deſcribitur fidelis, qui eſt ſervus conſtitutus ſuper fami-*

Luc. 12. & Matth. 24.

ſamiliam, ut det illis tritici menſuram: & ideo infidelitatis reus eſt, qui alteri ſupra menſuram ejus Divina tradit: hoc autem facit, quicumque indignum promovet. Et ideo mortale crimen committit, quaſi Summo Domino infidelis; & præcipue cum hoc in detrimentum Eccleſiæ vergat, & honoris divini, qui per bonos Miniſtros promovetur: eſſet enim infidelis Domino terreno, qui in ejus Officio aliquos inutiles poneret.

Et in Reſponſione ad primum: *Deus nunquam ita deſerit Eccleſiam ſuam, quin inveniantur idonei Miniſtri ſufficienter ad neceſſitatem plebis, ſi digni promoverentur, & indigni repellerentur. Et ſi non poſſent tot Miniſtri inveniri, quot modo ſunt, melius eſſet habere paucos Miniſtros bonos, quam multos malos.* Quod Conc. Burdigalenſis anno MDLXXXIII. celebrati verbis confirmatur: *Ut vinea Domini* (inquit) *ex illius præcepto rite ſemper colatur, multaque meſſis in ejus horreum reportetur, multis operariis opus eſt, quorum non tam numerus, quam virtus ſpectanda eſt: paucos enim idoneos, & probatos habere ſatius eſt, quam multos inutiles atque adeo ipſo vitæ genere pernicioſos.*

REGULA XVIII.

Nemo abſque Dei Vocatione in Clerum eligendus, Sacriſve Ordinibus initiandus eſt.

Joan. 6. Ad Hebr. 5. CHriſtus enim Dominus Apoſtolis ſuis ait: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos* Et (ut Apoſtolus ait) *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Nec enim *Chriſtus ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu.* Hinc Apoſtoli in

Matth. 22. locum Judæ proditoris Apoſtolum ſuffecturi, Deum ita precati ſunt: *Tu, Domine, oſtende; quem elegeris.* Nemo ingreditur ad regales Nuptias, niſi quos Pater familias invitavit. Chriſtus oſtium ovium eſt, ut ipſemet docet Joan. X. *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro: qui autem intrat per oſtium, Paſtor eſt ovium: huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt*, quia ipſe voci Chriſti paruit. Ideoque nihil a Deo

Ordinandorum vocatio probanda. amplius requirendum cenſet *S. Zeno* Veronenſis Epiſcopus Serm. II. *De Nativitate Chriſti*, quam *Ut quis ejus noverit voluntatem, ſine qua ei nec legitime ſervire poterit, nec placere.* Quod ſi olim ab *Aſſuero* Perſarum Rege conſtitutum legimus (Eſther IV.) ut qui, ſive mulier, ſive vir non vocatus atrium Regis introiret, abſque ulla cunctatione, aut indulgentiæ ſpe ſtatim interficeretur; quantis putas damnandum pœnis, qui abſque cœleſti vocatione in Eccleſiaſticam Profeſſionem invadit, & Ordinationis gratiam ſuffuratur? Si nemo terreni cujuslibet Reguli, eo non præcipiente, & vocante, occupare Miniſteria, præripere beneficia, negotia diſpenſare audet, quantæ temeritatis rei ſunt qui in Sacrum Miniſterium abſque Dei vocatione interna, & externa legitimorum Eccleſiæ Prælatorum, ſe ipſos arroganter inferunt, atque intrudunt? De quibus Dominus ait (Jerem. XXIII.) *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant.* Quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miſerius, nihil Eccleſiæ calamitoſius eſſe poteſt; (inquit Catechiſmus Concilii Tridentini.)

Divinæ vocationis indicia. Divinæ autem vocationis varia ſunt indicia. Primum eſt Conſcientiæ puritas, & anteactæ vitæ innocentia. Alterum Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſtudium, amorque, & a Sæculi moribus, ac vanitatibus alienatio. Tertium, recta intentio, ſeu finis bonitas, ob quem aliquis Clericali Militiæ dat nomen, vel ad Sacram Ordinationem accedit. Si enim aliquis liber ab omni terreno affectu, vacuus ab omni gloriæ cupiditate, expers omnis ambitionis & avaritiæ, ad Clerum Deo deſerviendi cauſa, & ſalutis populi procurandæ gratia ſolum ſe conferat, Digitus Dei hic eſt, Dextera Domini fecit virtutem,

Dex-

Dextera Domini ipsum exaltat. Sed si rapit ambitio, si invitat avaritia, si otiositas allicit, si domesticæ curæ impatientia inducit, divinam ad Clericatum, & ad Sacros Ordines vocationem deesse, hæc argumenta sunt. „ Qua de perversitate intentionis Conc. Catechismus hæc habet: Alii eo „ consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut quæ ad victum, ve- „ stitumque necessaria sunt, parent: ita ut præter quæstum nihil aliud in „ Sacerdotio, quemadmodum vulgo ceteri omnes in quovis sordidi artificii „ genere, spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli Sententia, natu- „ ra, & divina lex jubeat, ut *Qui altari servit, ex Altari vivat*: tamen 1. Cor. 9. „ quæstus, & lucri causa ad Altare accedere, maximum sacrilegium est. „ Alios honorum cupiditas, & ambitio ad Sacerdotalem Ordinem ducit. „ Alii vero, ut divitiis affluant, initiari volunt, cujus quidem rei illud ar- „ gumentum est, quod nisi opulentum aliquod Ecclesiasticum Beneficium iis „ deferatur, nullam Sacri Ordinis cogitationem habent: hi vero sunt, quos „ Salvator noster *Mercenarios* appellat: & quos *Ezechiel* dicebat, *Semetipsos*, Joan. 10. „ *& non oves pascere*: quorum turpitudo, & improbitas non solum Sacer- Ezech. 34. „ dotali Ordini magnas tenebras offundit, ita ut jam nihil fere a fideli po- „ pulo haberi possit contemptius & abjectius: verum etiam efficit, ut ipsi „ nihil amplius ex Sacerdotio consequantur, quam Judas ex Apostolatus „ Munere, quod illi sempiternum exitium attulit. Illi autem ostio in Ec- „ clesiam introire merito dicuntur, qui a Deo legitime vocati, Ecclesiasti- „ ca Munera ejus unius rei causa suscipiunt, ut Dei honori inserviant. Qua de re *S. Bernardus*, seu potius *Gaufridus*, Abbas IV. Claræ vallensis, Declamatione in Evangelium *Ecce nos reliquimus omnia*, ex verbis *S. Bernardi* 1. Cor. 1. contexta §. XIII. præclare scribit: Videte Vocationem vestram, *ait vocatus Apostolus. Consideremus & nos an vocati venerimus, & vocati a Deo, cu-* Ordinandorum vocatio. *jus nimirum hæc vocatio est. Nec communem modo vocationem dixerim, qua sane juxta eumdem Apostolum*, Quos prædestinavit, hos & vocavit: *sed quis vocaverit nos in honorem Cleri, convenire velim conscientias singulorum, ut secundum præceptum Domini ad cor Jerusalem loquar. Huic enim parvulo adhuc, aut forsitan necdum nato, Ecclesiastica jam Beneficia provida sane parentum solicitudo parabat. Hunc nos, inquiens, illi, vel illi trademus Episcopo,* Rom. 8. *apud quem habemus gratiæ locum, aut cui forte servivimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra dividatur hæreditas. Illum Præpositus, aut Decanus, ut sibi succederet, plusquam materno educavit affectu, in deliciis enutriens, & delictis. Ille dignus Archidiaconatu, utpote filius Principis: magis autem si sit Episcopi consobrinus, in quo nimirum tota est Episcopata progenies. Alius undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, miseraque sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus & pedibus repens, si quo modo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi, & bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inveniuntur exposita. Quis ea intentione Gradus Ecclesiasticos, & Ministeria Sanctuarii quærit, imo quæritur (Quæri nempe potius quam quærere ipse debuerat) ut sine curis sæculi, in sanctimonia cordis, & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & suam pariter, ac proximorum operetur salutem, orationis studio deditus, & verbo prædicationis? Nam si eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut huic vitæ habeat necessaria: evangelizat, ut manducet, & perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur. Quam certe dignius, ampliusque consentaneum rationi, ut pro carnali victu carnalia magis opera, & negotia exerceret, nec fieret inversor rerum, aut inhonoraret Ministerium spirituale? Sed modico est natura contenta, nec multi sola in his necessaria quærunt, quippe minori facile satis obtinenda periculo. Honorati incedere volunt, placere stu-*

Osee 8. *student hominibus, delectari, & superbire, & huic sæculo per omnia conformari. Audi querelas Domini, quid super hac tanta hominum temeritate loqua-* „ *tur patiens redditor, pœnitentiam cupiens, quam vindictam:* Ipsi (*inquit*) „ regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non vocavi eos. *Universos siquidem in Ordinibus Ecclesiasticis, ceterisque ad Sanctuarium pertinentibus, honorem quærentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptatem, postremo, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, manifeste prorsus, & indubitanter, non ea, quæ Deus est charitas, sed aliena a Deo, & omnium radix malorum cupiditas introducit. Quid istud temeritatis, imo quid insaniæ est? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria, ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa judicii? Sponsa, nec cubiculum, nec cellam ingredi nisi Rege introducente præsumit: tu irreverenter irruis nec vocatus, nec introductus.* Tra-
Cant. 1. „ he me post te, *ait illa*, in odorem unguentorum tuorum curremus. *Nunc*
1. Tim. 6. *autem trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem, quorum certa est damnatio.*

R E G U L A XIX.

Nemo est ad Sacros Ordines promovendus, nisi qui vel innocenter vixerit, vel occultas prioris vitæ maculas diuturna Pœnitentia diluerit.

Ordinandorum sanctimonia. CHristi enim primi, Summique Sacerdotis sanctimoniam decet illos imitari, qui Sacerdotii illius participes esse cupiunt. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi:* (inquit Apostolus ad Hebr. VII.) Hinc Apost. I. ad *Timotheum* III. docens quales esse debeant Episcopi, ceterique Ecclesiæ Ministri. *Oportet* (inquit) *Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, &c. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum: & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Et ad Titum I. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, &c. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem.*

Hanc Regulam confirmant SS. Patres *Gregorius Nazianzenus*. Orat. I. „ hunc esse rerum naturalem ordinem ait; Purgari prius, deinde purgare; „ sapientia instrui, atque ita demum sapientia alios instruere; lux fieri, & „ alios illuminare; ad Deum appropinquare, & ita alios deducere; sancti- „ ficari, & postea sanctificare. *Hic Sanctus idem Theologus de seipso ait:* „ Hæc igitur cum ego nossem, illudque insuper, Neminem magno, & Deo, „ & Sacrificio, & Pontifice dignum esse, nisi qui prius seipsum Deo viven- „ tem hostiam, sanctam exhibuerit, ac rationabile obsequium, gratum, at- „ que acceptum ostenderit, Deoque Sacrificium laudis, ac spiritum contri- „ bulatum obtulerit, quo tandem modo externum illud Sacrificium, illud „ magnorum Mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem? Aut quomodo „ Sacerdotis habitum, aut nomen subire, priusquam sanctis operibus ma- „ nus purificassem? Priusquam rebus creatis sane, atque ad Creatoris solam „ admirationem, non autem ad figmenti damnum aspiciendis oculos assue-

„ fe-

„ feciſſem: priuſquam per Domini diſciplinam aures meæ ſatis aperte fuiſ-
„ ſent: priuſquam os, labia, & lingua, illud quidem apertum fuiſſet, ac
„ ſpiritum attraxiſſet; aut dilatatum, aut impletum Spiritu exponendis My-
„ ſteriis, & Dogmatibus; hæc autem divino ſenſu ligata fuiſſent, atque
„ etiam tempeſtive ſoluta; ac denique lingua exultatione impleta fuiſſet,
„ divinæque melodiæ plectrum effecta; priuſquam ſtatuti eſſent ad petram
„ pedes mei perfecti tanquam cervorum, meique ſecundum Deum greſſus di-
„ recti eſſent, ita ut nec pene, nec ullo omnino modo effunderentur: prius
„ denique quam omnia membra juſtitiæ arma effecta fuiſſent omnemque
„ mortalitatem abjeciſſent, a vita ſcilicet abſorptam, ac ſpiritui cedentem.

„ *S. Hieronymus* in cap. 1. Epiſtolæ ad Timotheum: Sine crimine jubetur
„ eſſe Epiſcopus, quod puto alio verbo irreprehenſibilem nominatum. Non
„ quod eo tantum tempore, quo ordinandus eſt, ſine ullo ſit crimine, &
„ præteritas maculas nova converſatione diluerit, ſed quod ex eo tempore,
„ quo in Chriſto renatus, nulla peccati conſcientia remordeatur. Quomo-
„ do enim poteſt Præſes Eccleſiæ auferre malum de medio ejus, qui in de-
„ licto ſimili corruit? Aut qua libertate corripere peccantem poteſt, cum
„ tacitus ſibi ipſe reſpondeat, eadem admiſiſſe, quæ corripit?

Ordinandorum ſanctimonia.

„ *S. Auguſtinus*, Tractatu XLI. in Joannem, §. 10. Prima eſt ergo liber-
„ tas (*inquit*) carere criminibus. Ideo & Apoſtolus Paulus, quando elegit
„ Ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos, & quicumque ordinandus
„ eſt ad Præpoſituram Eccleſiæ, non ait; Si quis ſine peccato eſt: hoc enim
„ ſi diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur: ſed ait: *Si quis*
„ *ſine crimine eſt*, ſicuti eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia for-
„ nicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cetera hujuſmodi. Cum cœ-
„ perit ea non habere homo; (Debet autem non habere omnis Chriſtianus
„ homo,) incipit caput erigere ad libertatem, &c.

„ *S. Gregorius Magnus*, Paſtoralis Curæ, p. 1. Ille (*inquit*) modis omni-
„ bus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis paſſionibus
„ moriens jam ſpiritualiter vivit, qui proſpera Mundi poſtpoſuit, qui nulla
„ adverſa pertimeſcit, qui ſola interna deſiderat. Cujus intentioni bene con-
„ gruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contuma-
„ ciam repugnat ſpiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, ſed propria
„ largitur. Qui per pietatis viſcera citius ad ignoſcendum flectitur, ſed nuſ-
„ quam pluſquam deceat ignoſcens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nul-
„ la illicita perpetrat, ſed perpetrata ab aliis, ut propria deplorat. Qui ex
„ affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, ſicque in bonis proximi ſicut
„ in ſuis profectibus lætatur. Qui ita ſe imitabilem ceteris in cunctis, quæ
„ agit, inſinuat, ut inter eos non habeat, quod ſaltem de tranſactis erube-
„ ſcat. Qui ſic ſtudet vivere, ut proximorum quoque corda arentia do-
„ ctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis uſu, & experimento jam di-
„ dicit, quod obtinere a Domino, quæ popoſcerit, poſſit ∴ Si enim for-
„ taſſe quis veniat, ut pro ſe ad intercedendum nos apud potentem quem-
„ dam virum, qui ſibi notus, nobis vero eſt incognitus, ducat, protinus
„ reſpondemus: Ad intercedendum venire non poſſumus, quia familiarita-
„ tis ejus notitiam non habemus. Si ergo homo apud hominem, de quo mi-
„ nime præſumit, fieri interceſſor erubeſcit: qua mente apud Deum inter-
„ ceſſionis locum pro populo accipit, qui familiarem ſe gratiæ ejus eſſe per
„ vitæ meritum neſcit? Aut ab eo quomodo aliis veniam poſtulat, qui u-
„ trum ſibi ſit placatus ignorat? Qua in re adhuc aliud eſt ſollicitius formidan-
„ dum, ne qui placare poſſe iram creditur, hanc ipſe ex proprio reatu me-
„ reatur. Cuncti enim liquido novimus, qui cum is, quia diſplicet, ad in-

„ tercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. *Et* cap. XI. *postquam defectus, & vitia corporis recensuit, quæ a Sacerdotio in Veteri Lege arcebant, quorum defectum unumquemque ibidem moraliter explicat; ita* „ *suam illam expositionem concludit*: Quisquis ergo quolibet horum vitio subigitur, panes Domino offerre prohibetur: ne perfecto diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc propria devastant.

Idem Lib. III. Epist. XXVI. *Pervenit ad Nos quosdam de Sacris Ordinibus lapsos, vel post Pœnitentiam, vel ante, ad Officii sui Ministerium revocari: quod omnino prohibemus, & in hac re quoque Sacratissimi Canones contradicunt.* Et Lib. IV. Epist. XVII. *Si lapsis ad suum Ordinem licentia concedatur; vigor canonicæ procul dubio frangitur Disciplinæ, dum pro reversionis spe, pravæ actionis desideria quis concipere non formidat.*

S. Isidorus Hispalensis, Lib. III. *Sententiarum*, cap. XXXI. *Non sunt* (inquit) *promovendi ad Regimen Ecclesiæ, qui adhuc vitiis subjacent: hinc est, quod præceptum est David non ædificare visibile Templum, quia sanguinum vir belli frequentia esset; qui figura illi spiritaliter admonentur, qui vitiorum adhuc corruptioni sunt dediti, ne Templum ædificent, hoc est, Ecclesiam docere præsumant.* Subdit ibidem: *Non debet honoris ducatum suscipere, qui nescit subjectis tramite vitæ melioris præire: neque enim quidquam ad hoc tantum præficitur, ut subditorum culpas corrigat, & ipse vitiis serviat.*

Ordinandorum sanctimonia.

Et Lib. II. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. V. *Quod is, qui post Baptismum aliquo mortali peccato corruptus ad Sacerdotium non promoveatur, Lex ipsa testatur. Moyses enim in Lege præcepit Sacerdotibus, ne aliquod pecus vitiatum ad Aram Deo offerant. Unde & in Numeris vitula rufa, cujus cinis expiatio est populi, non aliter jubetur offerri ad Altare Domini; nisi quæ terrena opera non fecerit, jugumque delicti non traxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligata. Sed quid plura objiciamus? Si enim is, qui in Episcopatu mortale aliquod peccatum admiserit, non debet offerre Panes Domino, quanto magis ante Ordinationem peccator inventus, repudiari debet, ut non ordinetur?*

S. Martinus I. Pontifex, & Martyr, in Epistola ad *Amandum* Trajectensem Episcopum: *Si tales* (inquit) *quærimus ad Sacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium præpediat: quanto magis si post Ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus est, cum manibus lutulentis, atque pollutis Mysterium nostræ salutis tractare?*

Id confirmat *S. Bernardus*, in Tractatu *De Conversione ad Clericos*, cap. XIX. *Multi quidem veniunt* (inquit) *sed considera quis vocetur: ordinem* „ *ipsum dominici sermonis attende*: Beati (*inquit*) mundo corde, quoniam

Matth. 5.

„ ipsi Deum videbunt. *Ac deinde*: Beati pacifici, quoniam filii Dei vo-„ cabuntur. *Mundi cordes utique vocat Pater cœlestis, qui non quærunt, quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi: nec quod sibi utile, sed quod multis.* Petre,

Joann. 21.

„ (*inquit*) amas me? Domine, tu scis, quia amo te. Pasce, *ait*, oves „ meas. *Quando enim sic amatas oves committeret non amanti? Nimirum hoc quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Væ Ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines, qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se Ministros gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus, & nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles sese Mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne Deo placere non possunt, & placare velle præsumunt. Non miramur, fratres, quicumque præsentem Ecclesiæ statum miseramur: non miramur de radice colubri regulum*

orien-

trientem. Non miramur, si vindemiat vineam Domini, qui institutam a Domino prætergreditur viam. Impudenter enim pacifici gradum, & Filii Dei vices occupat homo, qui nec primam quidem adhuc vocem Domini ad cor revocantis audivit: aut si quando forsitan cœperit audire, resiliens fugit ad folia, ut absconderetur in eis. Propterea necdum peccare quievit, sed longam adhuc trabit restem, &c. *Quid de munditia cordis loquar? Utinam non illud oblivioni dedisset tanquam mortuus a corde! Utinam non esset columba seducta, non habens cor! Utinam esset, quod vel de foris est mundum, nec ea, quæ corporalis maculata tunica inveniretur! Ut obediret vel in hac parte dicenti:* Mundamini, qui fertis Vasa Domini.

Ordinandorum sanctimonia.

Isai. 52.

REGULA XX.

Sacrilegii reus est, qui cum peccati mortalis conscientia Ordinis suscipit.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, in IV. *Sentent.* dist. XXIV. qu. I. art. III. quæst. I. *Cum* (inquit) *in quolibet Ordine aliquis constituatur Dux aliis in rebus divinis, in quolibet quasi præsumptuosus mortaliter peccat, qui cum conscientia peccati mortalis ad Ordines accedit: & ideo sanctitas vitæ requiritur ad Ordinem de necessitate præcepti, sed non de necessitate Sacramenti: unde si malus ordinatur, nihilominus Ordinem habet, tamen cum peccato.*

Et in Responsione ad secundum ait, Ordinatos per Ministerium spirituale ad quod applicantur, effici medios inter Deum, & plebem: *Et ideo* (inquit) *debent bona conscientia nitere quoad Deum, & bona fama quoad homines.*

Præterea, cum Sacramentum Ordinationis sit Sacramentum vivorum, non mortuorum, nec sanandis animæ nostræ languoribus, aut vivificandis animabus institutum, sed ad gratiam augendam hominibus relictum: ejus virtutem evacuant, dignitatem contaminant, effectui, finique repugnant, qui mortalis peccati labe inquinati, indignos se gratiæ augmento, & donorum Spiritus Sancti ubertate præbent, quæ cumulatissime hoc Sacramento effunduntur. Hanc rationem subministrat *S. Thomas*, loco mox indicato in Responsione ad tertium: *Aliquæ* (inquit) *Medicinæ sunt, quæ exigunt robur naturæ* (*alias cum periculo mortis assumuntur*) *& aliæ sunt, quæ debilibus dari possunt: ita etiam in spiritualibus quædam Sacramenta sunt ordinata ad remedium peccati; & talia peccatoribus sunt exhibenda, sicut Baptismus, & Pœnitentia: illa vero, quæ perfectionem gratiæ conferunt, requirunt hominem per gratiam confortatum.*

Hanc Regulam confirmat Concilii Tridentini Catechismus: *Primum* (inquit) *in eo, qui Sacerdos creandus est, vitæ, & morum integritas commendetur magnopere oportet: non solum quia si alicujus mortiferi peccati conscius se initiari curet, vel etiam patiatur, novo se, & maximo scelere obstringit; sed etiam quia virtutis, & innocentiæ lumen aliis præferre debet. Ea de re quid Apostolus Tito, & Timotheo præcipiat, Pastoribus declarandum erit: & simul illud docendum, ea corporis vitia, quæ in Veteri Lege ex Domini præscriptione aliquem ab Altaris Ministerio excludebant, in Evangelica Lege ad animæ vitia præcipue transferenda esse. Quare sanctam illam consuetudinem in Ecclesia servari animadvertimus, ut qui Sacris initiandi sunt, prius Pœnitentiæ Sacramento conscientiam purgare diligenter studeant.* Hinc Synodus Parisiensis anno MDLVII. nullum ad Sacros Ordines admittendum statuit, *Nisi Sacramentali Confessione purgatus sit.* Concilium Bituricense anno MDLXXXIV. pariter decernit, *Ut a jejunis tantum, & confessis recipiantur Ordines.* Aquense jubet, *Ut die sacro Ordinationis summo mane conveniant ordinandi in*

Ad Tit. 1.
2. Tim. 3.

Ecclesia Cathedrali confessi de peccatis suis, ut ab Episcopo Sacram Communionem sumant. Concil. Rothomagense sub *Carolo* Cardinali *Borbonio*, statuit ut, Ordinandos *Pœnitentiarius interroget an aliqua Irregularitate, vel Excommunicatione obstricti teneantur, unde a suscipiendis Ordinibus impediantur: eosdem vero ipse, vel alius idoneus per ipsum commissus in Confessione audiat, antequam ab Episcopo consecrentur.* Ordinandis, præsertim iis, qui vel Subdiaconatum, vel Diaconatum suscepturi sunt, Confessionem generalem, & pium Secessum, sive Spiritualia Exercitia suadent Synodus Mediolanensis IV. Aquensis, & Burdigalensis postrema.

REGULA XXI.

In mortalis peccati reatum incurrit, qui Tonsuram Clericalem indigne suscipit.

Ordinandorum sanctimonia.

QUamvis enim non sit ipsa Sacramentum, sed Cæremonia tantum Sacramentalis, Ritusque Sacer, cui nullum gratiæ augmentum promissum est: tamen quicumque per Tonsuram Clero adscribitur, maximum a Deo spiritale beneficium consequitur, & novum vitæ genus; atque ex duobus generibus Christianorum, quorum unum communem vivendi rationem sectatur, alterum perfectionis studio v. cat, & aliorum salutem procurat, perfectius ipse amplectitur, & ad proximi salutem procurandam se devovet. Si autem unquam charitatis, & contritionis præcepta hominem obligant, tunc præsertim cum insignia Dei beneficia spiritualia a Deo ei subministrantur; vel cum novam vitæ rationem aggreditur. Quemadmodum enim, ex sententia *S. Thomæ*, ut primum quis rationis usum attigit, tenetur ad Deum sese convertere, ac dirigere, eumque sibi omnium actionum suarum finem ultimum præfigere: ita homini novum vitæ genus inchoanti necessarium videtur, ut ad Deum se convertat, Deumque sibi omnium actionum suarum in eo vitæ genere finem præstituat: tum vero maxime cum perfectionis etiam in alios diffundendæ Statum ingreditur. Quamobrem & injuriosus est in Deum, & Clericali Ordini contumeliosus, qui impœnitens Clericorum Catalogo inscribi se procurat, & Deo se in isto Ordine ministraturum devovet. Prudenter itaque Synodus Carnotensis Ordinum Candidatos admonet, *Ut antequam ad Ordines, & primam Tonsuram accedant, diligenter confiteantur peccata sua.*

REGULA XXII.

Ordinandorum scientia probari debet, ac tentari pro ratione Ordinum, ad quos promovendi sunt, & locorum, quo mittuntur, pro ingenii captu, & doctrinæ genere, quam profitentur. Qui autem agresti sunt ingenio, & litterarum ignari, atque incapaces, reiiciendi sunt.

I. HAnc Regulam tradunt Patres, & Concilia. Aurelianense secundum can. XVIII. *Presbyterum, vel Diaconum sine litteris, vel si baptizandi ordinem nesciat*, prohibet ordinari. Toletanum VIII. can. VIII. ad alicujus Ordinis, vel Ecclesiasticæ Dignitatis statum vetat promoveri eos, qui totum Psalterium, & baptizandi Ritum non noverint, *Absurdum siquidem est, eos, qui ceteros simpliciores, & laicos habent docere, (quibus & disciplinæ, & vitæ debent esse quoddam speculum) ad alicujus Ordinis, vel Dignitatis promoveri statum, qui Legem ignorant, nec Litterarum saltem mediocritate sunt insigniti. Nullus igitur ad Sacra Mysteria tractanda veniat indoctus, aut igno-*

ignorantiæ tenebris cæcutiens; sed quem Morum innocentia, & litterarum splendor reddunt illustrem; aliter ordinaturis, & ordinandis imminet imposterum Dei, & Ecclesiæ ejus vindicta. Concilium Nannetense can. xi. Ordinandos diligenter examinandos esse ait, *Si bene litterati, si instructi in Lege Domini sunt, & Fidem Catholicam teneant, ac simplicibus verbis eam tueri, vel asserere possint*. Refertur can. *Quando Episcopus*, dist. xxiv.

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, in iv. *Sentent.* dist. xxiv. qu. i. „ art. iii. quæst. ii. In quolibet actu hominis (*inquit*) si debeat esse ordi- „ natus, oportet, quod adsit directio rationis: unde ad hoc, quod homo „ Ordinis officium exequatur, oportet, quod habeat tantum de scientia, „ quod sufficiat ad hoc, quod dirigatur in actu illius Ordinis: ideo talis „ scientia requiritur in eo, qui ad Ordines promoveri debet; & non quod „ universaliter in tota Scriptura sit instructus; sed plus, & minus secundum „ quod ad plura, vel pauciora se ejus Officium extendit; ut scilicet illi, „ qui aliis præponuntur, Curam Animarum suscipientes, sciant ea, quæ „ ad Doctrinam Fidei, & Morum pertinent: & alii sciant ea, quæ ad exe- „ cutionem sui Orpinis spectant.

II. Prima Tonsura non sunt initiandi, qui *Sacramentum Confirmationis non susceperint, & Fidei Rudimenta edocti non fuerint; quique legere, & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis Judicii fugiendi causa, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse*. Quod igitur scientiam spectat, duo tantum in Clericatus Candidatis postulat Tridentina Synodus sess. xxiii. *De Reformatione*. Cap. iv. Primum, ut Fidei Rudimenta sint edocti; alterum, ut legendi, scribendique periti sint Tertium addit Concilium Mediolanense v. ut scilicet Epactæ intelligentiam habeant, quam ad Martyrologii lectionem, & Breviarii recitationem *S. Carolus* necessariam existimavit. Examen ad legendorum in Clerum per primam Tonsuram.

III. Minores Ordines iis tantum conferri debent. *Qui saltem Latinam linguam intelligant*, & quos *scientiæ spes Majoribus Ordinibus dignos ostendat*: Cum a Minoribus Ordinibus *ab altiores Gradus, & Sacratissima Mysteria sit ingressus*. Ita sanxerunt Tridentina Synodus sess. xxiii. cap. xi. *De Reformatione*, Mediolanensis v. p. iii. tit. De Examinandi ratione, & Burdigalensis ii. cap. vi. Examen pro movendorum ad Minores Ordines.

IV. Ab omnibus, & singulis Ordinum Candidatis generatim quærendum est, an vim, & naturam, Mysteriaque Ordinis, quem suscepturi sunt, noverint. 2. An Ritus & Cæremonias, quæ ex Libro Pontificali adhibentur, cum initiantur. 3. An eorum item significationes sanctiores. 4. An sacrarum vestium, quibus induuntur, Mysteria item & significata. 5. An functionum notitiam habeant Ordinis, quo sunt initiandi. 6. An earum usum, exercitationemque recte teneant, cum in litteris, tum etiam in cantu. Ita statuit Synodus Mediolanensis.

V. Ab iis, qui a Minoribus ad Sacros Ordines ascendunt, quærendum in primis est, utrum Breviarium, Sacra Biblia, Concil. Tridentinum, Catechismum Romanum, Rationale Divinorum Officiorum, & libros aliquos de Vitæ Spiritualis rationibus conscriptos, sui Muneris usui accommodatos habeant, ut statuit mox laudata Synodus Mediolanensis. Quod enim S. Paulus Timotheo, hoc Clericis omnibus serio inculcandum est: *Attende lectioni*. Ex iis autem libris, quorum lectioni debent incumbere, potissima sunt Sacra Biblia, quæ doctrinam *utilem ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia* complectuntur. Secundum locum tenent Conciliorum Decreta, quibus Ecclesiasticæ Regulæ continentur, & Fidei, Morumque dogmata. Post hæc Libri illi ab Ecclesiasticis Viris evolvi debent, 1. Tim. 4. Ordinandorum scientia

qui Myſteriorum noſtræ Religionis arcana aperiunt, & Sacrorum Rituum cauſas, & ſignificationes explicant.

Examen Subdiaconorum.

VI. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum promoveri non debent, niſi *Habentes bonum teſtimonium, & in Minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi: qui ſperent Deo auctore ſe continere poſſe, Eccleſiis, quibus adſcribentur, inſerviant, ſciantque maxime decere, ſi ſaltem diebus Dominicis, & Solemnibus, cum Altari miniſtraverint, Sacram Communionem perceperint*. Sanctio eſt Tridentini Concilii, ſeſs. XXIII. cap. XIII. *De Reformatione*. Concilium Mediolanenſe V. promovendos ad Subdiaconatum interrogandos eſſe ſtatuit de Minorum, & Majorum Ordinum differentia; de Voto item continentiæ, quod Subdiaconatus Ordini conjunctum eſt; de Sacramentorum etiam doctrina, ſaltem generatim, de modo tandem recitandi Breviarii, ut qui ad ejus recitationem obligabuntur, non imperiti ad ſacrum hoc penſum perſolvendum accedant: de quo Concilium Burdigalenſe anno MDLXXXIII. cap. XIV. ita ſtatuit: *A Subdiaconatu, ſtatim Officii Divini recitandi rationem teneant, neque omnino ſuperiores illis Ordines conferantur, quos per examen hac inſigni, & mortali negligentia teneri conſtiterit*.

Diaconorum examen.

VII. Diaconorum futurorum examen aliquando diligentius de Sacramentorum doctrina fieri debet: item de Concionibus habendis, ut ſtatuit Conc. Mediolanenſe V. Cum enim in omnibus Sacramentis miniſtrent, viceſque gerant Sacerdotis in adminiſtrando Baptiſmo, eidemque propius adſiſtant, dum Sacrum facit, eiſque etiam Dominici Sanguinis diſpenſatio antiquitus conveniret, majori quam Subdiaconi Sacramentorum ſcientia imbuti eſſe debent. Cum etiam Cathecumenos docere ex Officio teneantur, concionandi, ſeu catechizandi omnino imperiti ad hunc Ordinem admitti non debent.

Sacerdotum examen, quæ ſcientia illis neceſſaria?

VIII. Major in Sacerdotibus Ordinandis ſcientia requiritur, cum ad docendum alios apti eſſe debeant, & ad miniſtranda Sacramenta inſtructi, ut ſtatuit Tridentina Synodus, ſeſs. XXIII. cap. XIV. De Reformatione: *Ad Populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad miniſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente idonei comprehentur: atque ita pietate, ac caſtis moribus conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ Monita ab eis poſſint expectare*.

„ Id paulo uberius explicat Concilii Catechiſmus. In Sacerdotes (*inquit*) „ non ſolum ea cognitio requirenda eſt, quæ ad Sacramentorum uſum, & „ tractationem pertinet; ſed etiam Sacrarum Litterarum ſcientia inſtructum „ eſſe oportet, ut Populo Chriſtiano Fidei Myſteria, & Divinæ Legis Præ„ cepta tradere, ad virtutem, & pietatem incitare, a vitiis revocare Fide„ les poſſit. Sacerdotis enim duo ſunt Munera; quorum alterum eſt, ut Sa„ cramenta rite conficiat; & adminiſtret: alterum, ut Populum fidei ſuæ „ commiſſum, iis rebus, & inſtitutis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, eru„ diat. Malachias enim ita teſtatur: *LABIA Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini Exercituum eſt*. Ut igitur „ in horum altero, ſi mediocri cognitione ſit ornatus, præſtare quod debet, „ poſſit; alterum certe non vulgarem, ſed exquiſitam potius doctrinam de„ ſiderat: quamvis æque ab omnibus Sacerdotibus reconditarum rerum ſcien„ tia non exigatur, ſed quæ ad ſuſcepti Officii, & Miniſterii functionem „ unicuique ſatis eſſe poſſit.

Malach. 2.

Ordinandorum ſcientia

De ſcientia Sacerdotibus neceſſaria præclare *S. Gregorius*, Paſtoralis Curæ p. I. cap. I. & *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Lib. III. *Sententiarum*, cap. XXXV. Sicut, „ iniqui, & peccatores (*inquiunt*) Miniſterium Sacerdotale aſſequi prohi„ bentur: ita indocti, & imperiti a tali officio retrahuntur. Illi enim exem-

„ plis

„ plis vitam bonorum corrumpunt, isti vero sua ignavia iniquos corriger
„ nequeunt. Quomodo docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? Desinat
„ locum docendi suscipere, qui nescit docere. Ignorantia quippe Præsulum
„ vitæ non congruit subjectorum: *CÆCUS* enim si cæco ducatum præbue- Matth. 15.
„ rit, ambo in foveam cadunt.

Julianus Pomerius, Lib. 1. *De Vita Contemplativa* cap. xx. cujus verba sua
„ fecit Conc. Aquisgranense cap. xxxvi. Sacerdos (*inquit*) & sancte debet
„ vivere propter exemplum, & pie docere propter suæ administrationis of-
„ ficium, certus quod ei sua justitia nihil suffragetur, de cujus manu anima
„ pereuntis exigitur. Quando quicumque alius perierit; quem nulla docen-
„ di necessitas manet, solus pœnas sui sceleris dabit: ille autem, cui dispen-
„ satio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, & tamen perdite viventes
„ arguere, aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perie-
„ rint; perit. Et quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno
„ peccato? Mentior, nisi hoc Dominus per Ezechielem Prophetam sub cu-
„ jusdam terroris denunciatione loquitur ad eum: *Et tu, fili hominis, Spe-*
„ *culatorem dedi te domui Israel*. Nec hoc transeunter debemus audire, quod Ezech. 3.17.
„ Sacerdotem speculatorem appellet. *Audies*, inquit, *sermonem ex ore meo*,
„ *& annunciabis eis ex me* .˙. Si ei peccata sua non annunciaveris, si eum
„ non argueris, ut ab impietate sua convertatur, & vivat; & te, qui non
„ increpasti, & ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam.
„ Et cap. xxxvi. *Sacerdotes pro Populorum iniquitate damnantur, si eos igno-*
rantes non erudiant, aut peccantes non arguant. Omnis igitur Sacerdos pro sua
virili proximorum saluti procurandæ collaborare debet.

Præclare item *S. Bernardus*, Declaratione in hæc verba, *Ecce nos reliqui-*
„ *mus omnia*, ait: Quomodo excusare ignorantia possit hominem, qui se
„ Magistrum infantium, Doctorem insipientium profitetur? Ignorans utique
„ ignorabitur: imo & multos ignorare faciet, & ignorari. Quid enim pe-
„ riculi sit, ubi non invenit Pastor pascua, ignorat Dux itineris viam, Vi-
„ carius nescit Domini voluntatem, Ecclesia quotidie multipliciter, & mise-
„ rabiliter experitur .˙. Itaque hac dote (*scientiæ nempe*) carens, frustra si-
„ bi tanquam per Christum introierit, blandiatur; si quidem dicitur igno-
„ ranti: *SI CÆCUS* cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

Nec est, quod aliquis scientiæ dotem in eo non ita severe dicat exigendam, qui Presbyteratum hoc tantum fine petat, ut cantui, lectioni, vel orationi vacet; cui nec Populi docendi, nec regendi voluntas sit. Primo enim quis spondere audeat eum, qui ante Ordinationem talia promiserit, postea non omnem moturum lapidem, ut Sacramentorum administrandorum potestas sibi detur; aut Animarum Cura demandetur? Quo argumento conjiciet, ipsum non temere de Mysteriis Divinis verba facturum? indocta responsa, noxia consilia, dogmata, errores non propalaturum, quæ in totius Ordinis dedecus vergant, & perniciem Populi? Secundo, quis ferat Presbyterum ordinari, ut sibi tantum vacet non aliis? Quod enim Christiani sumus, propter nos est; quod Presbyteri, propter alios. Hoc Sacerdotalis Ordinis ratio, hoc potestatis pro populo instituta dignitas; hoc vetus Ecclesiæ Disciplina, quæ inutiles, otiosos, nullam Populi Christiani curam habentes Presbyteros vix patiebatur: hoc institutio Christi, & Apostolorum Traditio, quibus constat, Presbyteros ad Populi utilitatem, & Sacramentorum Administrationem primum institutos, tanquam indecorum, & inordinatum rejiciunt. Quamobrem ex Conc. Mediolanensis v. præscripto, ab iis, qui ad Presbyteratum promovendi sunt, quærendum est primo, Quid sit Missæ Sacrificium; Quis illius sacrificii effectus; Quæ ejusdem partes; Quæ mysteria

Ordinandorum scientia

in

in eo ſint; Quæ ſacrarum veſtium ſignificationes; Quæ in eo Sacrificio offerendo requirantur; ubi, & quando illud fieri non licet; Quæ dubia aliquando incidere poſſint; Quæ explicatione opus habeant, ut illud recte fiat? Tum explorandum eſt; an ſacræ Confeſſionis aliquam peritiam habeant: an ad alia item Sacramenta recte, riteque miniſtranda idonei ſint: an eorum cognitionem explicatiorem habeant: an doctrinam teneant, quam verbum Dei recte tractare, Concionemve habere poſſint: anque de re ſacra, de Chriſtianarum Virtutum officiis, atque de omni re ad ſalutem neceſſaria, apte Populum inſtruere, aut docere poſſint.

IX. Aliquam tamen habendam eſſe rationem Virorum Religioſorum, qui perpetuo deliteſcere amant in ſuis Monaſteriis, & ad nullas Animarum Curas; ad nullas functiones hierarchicas evocari, quales ſunt Carthuſiani, Camaldunenſes, Grandimontenſes, Ciſtercienſes, &c. ſtatuit Synodus Colonienſis anno MDXLIX. ut ſcilicet benignius cum iis agatur, nec eadem, quæ in aliis, ſcientia requiratur. Quam exceptionem confirmat *S. Thomas*, in „ IV. *Sententiarum*, diſt. XXIV. qu. I. art. III. qu. II. ad primum. Sacerdos „ (*inquit*) habet duos actus; unum principalem ſupra Corpus Chriſti ve„ rum; & alterum ſecundarium ſupra Corpus Chriſti myſticum. Secundus „ autem actus dependet a primo, ſed non convertitur: & ideo aliqui ad Sa„ cerdotium promoventur, quibus committitur primus actus tantum, ſicut „ Religioſi, quibus Cura Animarum non committitur: & a talium ore non „ requiritur Lex, ſed ſolum, quod Sacramenta conficiant; & ideo talibus „ ſufficit ſi tantum de ſcientia habeant, quod ea, quæ ad Sacramentum per„ ficiendum ſpectant, recte ſervare poſſint. Alii autem promoventur ad „ alium actum, qui eſt ſupra Corpus Chriſti myſticum: & a talium ore Po„ pulus legem requirit: unde ſcientia legis in eis eſſe debet; non quidem, „ ut ſciant omnes difficiles Quæſtiones legis (quia in his debet ad Superio„ res haberi recurſus) ſed ſciant, quæ Populus debet credere, & obſervare „ de lege. Sed ad ſuperiores Sacerdotes (ſcilicet Epiſcopos) pertinet, ut e„ tiam ea, quæ difficultatem in lege facere poſſunt, ſciant; & tanto ma„ gis, quanto in majori gradu collocantur.

R E G U L A XXIII.

De ſtudio Mentalis Orationis examinandi ſunt Ordinandi.

Studium Orationis mentalis.

CUm enim certum ſit ex *S. Cypriano*, Epiſtola LXVI. *Singulos divino Sacerdotio honoratos, & in Clericali Miniſterio conſtitutos, nonniſi Altari, & Sacrificiis deſervire, & precibus, atque orationibus vacare debere:* probari conveniens eſt Ordinandos circa ſtudium Orationis, & explorari, an ſint in Mentalis Orationis ſtudio, uſuque verſati; quibus Meditationibus inſtructi Deum taciti orent: quis Orationis modus, qui illius fructus, quæve utilitates; quot, quibuſque partibus illa conſtet; quæ regulæ præparationis ad orationem, &c. Ita ſanxit Concilium Mediolanenſe V.

R E G U L A XXIV.

Nemo ad Sacros Ordines promovendus eſt, niſi probatæ caſtitatis, & qui ſperet Deo auctore ſe continere poſſe.

Ordinandorum caſtitas.

ITa ſtatuit Conc. Tridentinum, ſeſs. XXIII. cap. XIII. *De Reformatione.* Cælibatus enim Eccleſiaſtica Lege Subdiaconatui, ac ſuperioribus Ordinibus annexus eſt. Unde idem Concilium ſeſs. XXIV. can. IX. *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemni-*

ter

ter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel Voto; & oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; Anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.

Ita *S. Leo*, Epistola XII. alias LXXXIX. ad *Anastasium* Thessalonicensem Episcopum, cap. IV. *Cum* (inquit) *extra Clericorum Ordinem constitutis, Nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum arbitrium: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: ut & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc Ordine, qui quartus a Capite est, dignum est custodiri: quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se a voluptate uxoria necdum frænasse cognoscitur.* 1. Cor. 7.

Innocentius III. cap. *A multis*, Extra, *De Ætate, & Qualitatibus Ordinandorum* idem confirmant ex *Urbani II.* Decretis cujus hæc sunt verba: *Erubescant impii, & intelligant judicio Spiritus Sancti, eos, qui in Sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi, si caste non vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate.* Et iterum: *nemo ad Sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo aut probatæ castitatis existat: & qui usque ad Subdiaconatum unicam, & virginem habuerit uxorem. Et ad similitudinem Diaconi, & Presbyteri, Subdiaconus debet continentiam observare, sicut est in Sexta Synodo constitutum: ut si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, nuptiali jure mulieri voluerit copulari, hoc ante Subdiaconatus Ordinem faciat. Et B. Gregorius statuisse legitur, ut nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se caste victurum promiserit.* Lib. 1. Ep. 4.

REGULA XXV.

Lethaliter peccant, qui vel alieno nomine interrogari se patiuntur, vel aliam personam examini supponunt.

QUi enim sine examine ad Ordines promoventur, Ordinationem furtive surripiunt; qui vero alienas personas mentiuntur, sacrilego huic furto cooperantur; utrique Ecclesiam ludificantur, & impie subsannant. Hos autem, qui ea ratione fuerint ordinati, ad superiorem Ordinem ascendere, nisi ex dispensatione, sacra Decreta non permittunt. *Alexander III.* cap. *Veniens*; Ext. *De eo, qui furtive Ordinem suscepit*, cum eo, qui furtive Diaconatus Ordinationem consecutus est, dummodo ab Episcopo, vel Archidiacono, aliove Prælato sub Anathematis interminatione prohibitus non fuerit, ab Episcopo dispensari permittit, imposita Pœnitentia, ut ad Sacerdotium promoveatur: si vero interminatio Anathematis facta fuerit; eidem, nisi post Vitæ Religiosæ Professionem indulgendum negat, ut ad Sacerdotalem Ordinem ascendat. Hanc porro seu comminationem, seu Sententiam Anathematis contra eos ferri, qui furtive Ordines suscipiunt, mos est usitatus, ac legitimus. Pontificale scilicet Romanum hunc Ritum in ordinatione præscribit, ut antequam Ordinationes celebrentur, aliquis nomine Episcopi ordinaturi sub pœna Excommunicationis præcipiat, *Ne quis non descriptus, examinatus, approbatus, & nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere.* Quæ si Excommunicationis lata sententia est, nec solum comminatio: (quod ex intentione Episcopi præsertim dijudicandum erit) is, qui ejusmodi prohibitione insuper habita Ordinem surripuerit, in susceptis

De Clericis furtive ordinatis.

Ordi-

Ordinibus ministrare non poterit, donec ab ea Excommunicatione fuerit absolutus. Addiderim, Canones, qui sine examine ordinatos, e Clero dejici præcipiunt, scilicet Canonem, *Si quis*, dist. LXXXI. & Canonem, *Quisquis*, dist. LXXXIV. in eos etiam militare, qui alia persona examini supposita Ordinationem surripuerint. Hos enim sine examine promotos nemini dubium est, & eo magis plectendos, quod fraude sacrilega indebitam Ordinationem obtineant, & alium in partem criminis subornent.

REGULA XXVI.

Nullus ad Subdiaconatum promoveri debet sine legitimo Titulo sive Beneficii, sive Patrimonii: ita tamen, ut quoscumque Beneficium Ecclesiasticum obtinentes ordinare possit Episcopus, si nullum aliunde canonicum impedimentum habeant, & idonei judicentur; ad Titulum vero Patrimonii, vel Pensionis eos tantum ordinare possit, quos Ecclesiis suis necessarios, vel utiles judicaverit.

De Ordinandorum Titulo.

ANtiqua Ecclesiæ Lex est, *Ut nemo absolute ordinetur*, idest, nisi certæ Ecclesiæ adscribatur, in qua Sacra Ministeria obeat, & ex cujus redditibus, vel obventionibus alatur. Hic Beneficii Titulus est, præter quem nullum alium agnovit Antiquitas ante Conc. Lateranense III. sub *Alexandro III.* cujus can. V. titulus Patrimonii cœpit ex dispensatione quadam approbari. *Episcopus* (inquit) *si aliquem sine certo Titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tandiu necessaria ei subministret, donec in aliqua Ecclesia convenientia ei stipendia Militiæ Clericalis assignet: nisi forte talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.* Id confirmat cap. *Non liceat*, Ext. *De Præbendis*, & cap. *Accepimus*, quod est *Innocentii III.* Ext. *De Ætate, & qualitatibus Ordinandorum.*

Tituli Patrimonialis origo.

Titulus Ordinationum.

Eamdem Regulam confirmat, explicatiusque tradit Conc. Tridentinum, sess. XXI. cap. II. De Reformatione: *Cum non deceat eos, qui Divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere; * compertumque sit, complures plerisque in locis, ad Sacros Ordines nullo fere delectu admitti; qui variis artibus, ac fallaciis confingunt se Beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur; nisi prius legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum sit promotus: neque ea Resignatio admittatur, nisi constet, quod aliunde vivere commode possit: & aliter facta Resignatio nulla sit. PATRIMONIUM vero, vel Pensionem obtinentes ordinari posthac non possint nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum: eo quoque prius perspecto, Patrimonium illud, vel Pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint; donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint: antiquorum Canonum pænas super his innovando.*

* Sordidus quæstus non in profanis solum, sed in sacris exercetur, de Missarum celebratione faciendo artem de pane lucrando.

Solum Beneficium est Titulus legitimus: Patrimonium nonnisi dispensative.

Prosper Fagnanus Vir Juris Canonici Consultissimus in I. p. Libri 3. Decretalium ad cap. *Episcopus*, tit. *De Præbendis, & Dignitatibus*, censet *Hodie solum Beneficium esse Titulum legitimum ad Sacros Ordines: Patrimonium vero nonnisi dispensative, quemadmodum etiam alias declaravit Sacra Congregatio ejusdem Conc. Interpres. Et propterea Concilium utitur illis verbis*, Statuit, ne deinceps, *quæ ostendunt hanc Provisionem esse Jus Novum.*

Pœnas

Pœnas antiquis Canonibus latas adverſus Ordinationes abſque Titulo Conc. Tridentinum renovavit: quo nomine non ſolum intelliguntur can. *Neminem*, & can. *Sanctorum*, diſt. LXX. quibus abſque Titulo Ordinati a Sacris Ordinibus ita ſuſceptis ipſo jure ſuſpenduntur: ſed etiam Gregorianæ Decretales, cap. *Cum jamdudum*, cap. *Non liceat*, & cap. *Epiſcopus*, tit. *De Præbendis*; quibus Epiſcopi, qui Clericum aliquem abſque Titulo ad Sacros Ordines promoverint, ad alimenta eidem præſtanda obligantur. Ita declaravit Sacra Congregatio Concilii Interpres, teſte *Fagnano*. Tenetur autem Epiſcopus Clerico ſic Ordinato de bonis ſuis vitæ neceſſaria congrue ſubminiſtrare, donec Beneficium Eccleſiaſticum competens vel ab ipſo Ordinatore, vel ab alio fuerit aſſecutus. 2. Eadem pœna tenetur Epiſcopus, qui Clericum ſine Titulo jam conſtitutum in Sacro Ordine promovit ſine novo Titulo ad ſuperiores Ordines. 3. Si plures Epiſcopi Clericum illis ſubditum ratione originis, domicilii, vel Beneficii ſine Titulo ordinaverint, quilibet tenetur in ſolidum præſtare alimenta ſic Ordinato. 4. Non ſolum Ordinator ad id tenetur, ſed hoc onus tranſit ad illius Succeſſorem, & ad hæredes.

Pœnæ Canonicæ adverſus ordinatos, & ordinantes ſine Titulo.

Ordinationum Titulus.

REGULA XXVII.

Qui cum ficto Titulo decepit Ordinantem, ipſo Jure ab Ordinum executione ſuſpenſus eſt.

Concilium enim Tridentinum innovavit pœnam Suſpenſionis ſtatutam can. *Neminem*, & can. *Sanctorum*, adverſus eos, qui ſine Titulo Beneficii, vel Patrimonii legitimo fuerint per fraudem ordinati; eam certe non ſuſtulit, ut declaravit Sacra Congregatio Conc. Tridentini Interpres, die 17. Novembris anno milleſimo ſexcenteſimo decimo. Ita refert *Fagnanus* loco ſupra laudato. Hanc Regulam confirmat *Urbani VIII.* Conſtitutio, quæ incipit, *Secretis æternæ providentiæ*, edita die XI. Decembris anno MDCXXIV. Suſpenſionem perpetuam decernens contra promotum ficto, falſo, ſeu fiduciario patrimonio, his verbis: *Promoti vero perpetuæ Suſpenſionis pœnam abſque ſpe diſpenſationis a Sede Apoſtolica obtinendæ incurrant: eo ipſo inſuper promotos hujuſmodi, ac etiam eos, qui cum falſis, aut fiduciariis Patrimonii Titulis ſcienter ſe ad Ordines hujuſmodi promoveri fecerint, non ſolum prædictis, verum etiam majoribus, arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis infligendis pœnis, &c.* Refert *Barboſa* p. II. *De Officio, & Poteſtate Epiſcopi*, Alleg. XX. *§. 33.*

REGULA XXVIII.

Religioſi, ſeu Canonici, vel Clerici Regulares, ſive intra clauſtra Monaſteriorum, aut Domorum more Regularium viventes in communi, qui nunquam, ſeu nonniſi ad certum tempus Profeſſionem emittunt, & ex clauſtro exire, vel dimitti, & ad ſæculum redire libere, & licite poſſunt, ſi prætextu Religionis ante Profeſſionem expreſſam Sacros Ordines ſuſceperint, abſque Titulo ſufficienti Beneficii, vel Patrimonii, ipſo jure ab executione Ordinum ſunt ſuſpenſi: & ſi Miniſteria Sacra obierint, eo ipſo in Irregularitatem incurrunt. Ordinantes vero per annum a collatione talium Ordinum ipſo pariter Jure ſunt ſuſpenſi.

Ita ſtatuit, ac declaravit *Pius V.* Conſtitutione, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, edita pridie Idus Octobris MDLXVIII. incommodum avertere volens, quo *ſic promoti, & e clauſtro exeuntes, & per ſæculum vagantes, vel men-*

mendicare; vel sordidum quæstum exercere, non sine ipsorum dedecore, vel Ordinis vilipendio, & quamplurimorum Christi fidelium scandalo cogebantur. Patres Societatis Jesu ab hac lege singulari Privilegio excepit *Greg. XII.* Votaque simplicia post biennium Novitiatus emissa ipsis sufficere declaravit, ut sub Titulo religiosæ paupertatis ad Sacros Ordines promoveri possint, Constitutione, quæ incipit, *Ascendente*, edita anno MDLXXXIV. & *Greg. XIV.* id confirmavit Constitutione, quæ incipit *Ecclesiæ Catholicæ*, edita anno MDXCI.

REGULA XXIX.

Regulares Religiosæ Professionis testificationem loco Tituli exhibere tenentur, cujus Ratihabitionem in Scriptis, ac Juramento firmatam Episcopus ab ipsis exigere potest.

Ordinationum Titulus.

HAnc Regulam firmat laudata *S. Pii V.* Constitutio; & Conc. Mediolanensis II. Decretum XXIII. his conceptum verbis: *Ut quod Summus Pontifex Pius V. in explicatione Decreti Tridentini, quod est Sessione* XXII. *cap.* II. *constituit, executionem habeat, Episcopus ne Clericum ullum Regularem, neque Sæcularem, qui Regularium more in communi vitæ disciplina sit, Beneficiumque Ecclesiasticum non habeat, Ordinibus Sacris adscribat, nisi a Superiore fidem ille attulerit, se Religionis, cui adscriptus est, Professionem confecisse; juratusque affirmet, scripto manu sua subsignato, coram Episcopo, sed id sponte fecisse, aut ratum habuisse. Illud autem scriptum in Archivio asservandum Episcopus curet.* Eadem fere habet Concilium Aquense. Decretique illius æquitas inde patet, quod cum loco Tituli Ecclesiastici, vel Patrimonii sit regularis Professio Religiosis Viris: sicut Ecclesiastici Beneficii Titulum, & pacificam possessionem, vel Patrimonium, seu annuum censum Ordinatori suo comprobare debent Sæculares Clerici, ut ad Sacros Ordines promoveantur; quia ipsius est cavere, ne sine hujusmodi Titulo facta Ordinatio vitiosa sit: ita apud eumdem de Religiosa Professione emissa Regulares fidem facere oporteat, ne ad Titulum Monasterii falso aliqui ordinentur, & Religiosam Professionem ideo mentiantur. Quia vero vel extorta, vel ante ætatem facta, vel ante Probationem annuam, vel aliis ejusmodi conditionibus destituta, sine quibus ipsam irritam esse Summi Pontifices declararunt, nulla est, & irrita, consulto additur illa Religiosæ Professionis coram Episcopo ratihabitio, ne abolita postea Professione, absque ullo Titulo quis ordinatus remaneat; & ita cum Ordinis Clericalis dedecore mendicare, aut sordidum quæstum facere cogatur. Quam infamiam ut averteret Burdigalensis Synodus sub Cardinale *De Sourdis*, cap. VI. num. 4. *De Subdiacono*, hoc Decretum edidit; *Regulares autem quicumque sine litteris Superiorum suorum, quibus constet eos Vota Religionis emisisse, non ordinentur: promoti vero, si quando ab hujusmodi Superioribus pro criminis exigentia puniri conveniat, & urgeat necessitas, ne possint tamen habitu Religionis privari, ita ut extra Monasteria in contemptum Ecclesiæ ejiciantur mendicaturi: sed intra eorumdem Monasteriorum septa detineri, puniri, & sustentari: & ad id prædicti Superiores per Ordinarios compellantur.*

Clerus denique Gallicanus in Comitiis Generalibus anno millesimo sexcentesimo vigesimoquinto congregatus, Regularium neminem ad Sacros Ordines promovendum esse decrevit, nisi Monasterium, in quo Professionem emiserit, se adstringat ad præbendum ipsi alimenta, si quocumque prætextu, specie, vel occasione ejectus, aut dimissus fuerit: quæ vero nullos redditus

ditus habent, spondeant se nunquam illos, qui ad Sacros Ordines promovendi sunt, ejecturos, Episcopo, aut ejus Vicario Generali inconsultis.

REGULA XXX.

Nullus ordinandus est, nisi certe adscribatur Ecclesiæ, quam si deserat inconsulto Episcopo, a Sacris Ministeriis suspendi debet.

HAnc Regulam, antiquis Conciliis statutam, confirmat Tridentina Synodus sess. XXIII. cap. XVI. De Reformatione: *Cum nullus* (inquit) *debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, Sancta Synodus vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus imposterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur Muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit; ei Sacrorum exercitium interdicatur.*

REGULA XXXI.

Ordinandorum consensus necessarius est, adeo ut irrita esset Ordinatio, quæ prorsus renitenti, & reluctanti, & qui nulla ratione ad consentiendum adduci posset, conferretur.

QUod enim declaravit *Innocent. III.* cap. *Majores*, Extra, *De Baptismo, & ejus effectu*, quod *Ille, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec Characterem suscipit Sacramenti*; non minus de Ordinatione, quam de Baptismo verum est. Ordinandorum consensus.

Qui tamen conditionali coactione (ut loquuntur Canonici Juris Interpretes) ordinati sunt, idest, conditionaliter voluerunt, quod alias absolute noluissent, eorum Ordinatio valida est, ut docent *S. Raymundus* III. p. Summæ, tit. *De Ætate Ordinandorum*, §. 16. aliique Juris Canonici Commentatores. Sic *Pauliniano* S. Hieronymi fratri vis aliqua facta est a *S. Epiphanio*, ut Diaconatus, & Presbyteratus Ordinationem susciperet, ut ipsemet *S. Epiphanius* testatur in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum: „ Cum igitur (*inquit*) celebraretur Collecta in Ecclesia villæ; quæ est „ juxta Monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitus haben„ tem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os „ ejus, ne forte liberari se cupiens, adjuraret nos per Nomen Christi: & „ primum Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & com„ pellentes, ut ministraret, valde quippe obnitebatur, indignum se esse con„ testans: vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis „ Scripturarum, & propositione Mandatorum Dei: & cum ministraret in „ Sanctis Sacrificiis, rursus cum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordi„ navimus Presbyterum, & iisdem verbis, quibus ante suaseramus, impu„ limus, ut sederet in Ordine Presbyterii. Sic *S. Paulinus*, cum Barcinone versaretur, *Repentina vi multitudinis correptus, & Presbyteratu initiatus est invitus*: ea tamen conditione tandem consensit, ut Barcinonensi Ecclesiæ non alligaretur, ut ipse testis est in *Epistola ad Severum*. Sic *Pinianus* violenta plebis impressione ad Sacerdotium postulatus est, acceptumque Juramentum præsente S. Augustino, *Ut si quando illi ad suscipiendum Clericatum consentire placuisset, nonnisi in ipsa Hipponensi Ecclesia consentiret*. Ipsum autem ad Juramentum hujusmodi, & ad mansionem apud se promittendam

dam Hipponenses compulerunt, *Quia per illam præsentiam creditum est; eum etiam ad Clericatum suscipiendum posse desiderantibus consentire*; ut refert *S. Augustinus* Epist. CXXVI. alias CXXV. ad *Albinam*. Sic *Germano* Antisiodorensi postmodum Episcopo, cum esset Provinciæ Præfectus, vis quodammodo illata est a *S. Amatore* Episcopo, qui *glomerata secum turba Clericorum, atque Nobilium, vallatis Ecclesiæ foribus, injiciens manus*, ipsum apprehendit, *& invocato Nomine Domini, cæsariem ejus capiti detrahens, habitu Religionis, rejectis sæcularibus ornamentis, cum promotionis honore induit ∴ Germanum Episcopum una omnium vox postulat: bellum civile indicitur Potestati, cujus subjectio facilis fuit, cum etiam ab his, quos pro se paraverat, vinceretur. Suscepit Sacerdotium invitus, coactus, addictus, sed repente mutatus ex omnibus; deseritur Mundi Militia, cœlestis assumitur, sæculi pompa calcatur, uxor in sororem ex conjuge mutatur*, &c. Ita refert *Constantius* Presbyter in ejus Vita. Sic *Macedonius* Monachus sanctissimus, & admirandæ simplicitatis, quodammodo invitus a *Flaviano* Antiocheno Episcopo Presbyter ordinatus est, ut refert *Theodoretus*, Historiæ Religiosæ cap. XIII. „ Flavianus (*inquit*) de Montis illum vertice per speciem „ objectæ accusationis abduxit, & sub mysticum Sacrificium Altari admo- „ vet, cooptavitque in numerum Sacerdotum. Cumque peracta Liturgia „ hoc illi quidam indicasset (ignorabat enim prorsus quid egissent) pri- „ mum quidem conviciis, verbisque asperis proscidit universos, deinde ac- „ cepto baculo, quo innixus propter senium incedebat, Pontificem ipsum, „ & alios, qui aderant insecutus est, Ordinationem hanc ratus Montis „ verticem sibi, optatamque habitationem erepturam: sed tum quidem sic „ indignantem ægre tandem amici quidam sedaverunt. Expleto autem „ hebdomadæ circulo cum rediisset dies Dominicus, iterum evocat illum „ Magnus Flavianus, rogatque, ut Celebritati cum ipsis intersit. Tum il- „ le ad eos, qui venerant, An vobis, ait, non sufficiunt, quæ jam acta „ sunt, sed iterum me Presbyterum creare vultis (Et respondentibus il- „ lis, Fieri non posse, ut bis eadem fiat Manuum impositio, non acquie- „ vit, nec profectus est, donec illum tempus, & familiares hoc sæpius „ docuerunt. Plurima sunt alia, & quidem illustria Sanctorum Virorum exempla, qui suæ tenuitatis, ut sibi ipsis videbantur, conscii, & Sacerdotii pondus, ac majestatem reveriti, aliquandiu Ordinationi restiterunt, sed tandem cesserunt postulantis plebis importunitati, aut violentiæ, vel Episcoporum imperio, in se, ac de se fieri consentientes quicquid Ecclesia, Præsulesque vellent. Hoc sensu *S. Augustinus* Epist. CLXXIII. alias CCIV. ad *Donatum*, cap. III. scribit: *Neminem existimas cogendum esse ad bonum: attende, quid Apostolus dixerit*, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit; *& tamen tam multi, ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni: quanto magis vos ab errore pernicioso, in quo vobis inimici estis, trahendi estis, & deducendi ad veritatem, vel cognoscendam, vel eligendam, non solum, ut Honorem salubriter habeatis, sed etiam ne pessime pereatis?*

Ordinandorum consensus.

1. Tim. 3. 1.

CA-

CAPUT IV.

DE IMPEDIMENTIS ORDINATIONUM, ET IRREGULARITATIBUS.

Irregularitas est nota, seu canonicum impedimentum, ex facto, seu defectu proveniens, quo quis tam ad Ecclesiasticos Ordines promoveri, quam promotus in iisdem ministrare prohibetur, etiam post Pœnitentiam. Quid sit irregularitas?

Irregularis dicitur, quasi alienus a regula, sive Canone, ut colligitur ex Conc. Nicæno can. XVII. ubi decernitur, ut si quis Clericus inventus fuerit usuras ex mutuo sumere, vel turpe lucrum sectari, *Dejiciatur a Clero, & alienus existat à Regula*. Et can. IX. loquens de quibusdam Presbyteris sine examine ordinatis, & peccata ante Ordinationem commissa confitentibus, ait: *Tales Regula non admittit, quia quod irrepehensibile est, Catholica defendit Ecclesia*.

Dicitur *Impedimentum Canonicum*, idest, Jure Canonico, seu Ecclesiastico inductum. Unde contrahi non censetur Irregularitas, nisi in casibus à Jure expressis. Unde cap. XVIII. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto, respondet Pontifex, quod is, qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta, vel qui præsentibus majori excommunicatione nodatis scienter celebrare præsumpsit, licet in hoc temerarie agat, Irregularitatis tamen laqueum non incurrit: *Cum id non sit expressum in Jure*.

Dicitur, *Quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoveri, & in iisdem ministrare prohibetur*: quia Irregularitas primario, ac directe tendit ad impediendam susceptionem Ordinum, vel eorum usum. Nulla fit mentio Beneficiorum, quia non est consequens, ut qui Ordinum usu, & exercitio privatus est, Beneficiis etiam privetur, nisi id in Jure fuerit expressum, quemadmodum de homicidio per assassinos perpetrato decernitur, cap. I. *De homicidio*, in Sexto. Jure quidem antiquo, cum Ordines, & Beneficia simul conferrentur, eadem Irregularitas ad utrumque simul aditum præcludebat: postquam vero Beneficia ab ipsis Ordinibus separari cœperunt, eorumque collatio ab Ordinatione sejungi, cœpit Irregularitas ad solos Ordines restringi, de quibus solis Canones loquebantur, atque ita receptum est contra priscam Disciplinam, ut Irregulares suis Beneficiis privati non censeantur.

Hinc sequitur, Irregularitatem Censuram Ecclesiasticam non esse, quia tendit primario ad impediendam Ordinum susceptionem, aut eorum usum. Is autem non est primarius Censurarum effectus, sed consequens duntaxat, & indirectus. Censura, inquam, impedit Ordinum functiones, aut quatenus sunt communicatio quædam fidelium, ut *Excommunicatio*: aut quatenus sunt Officia quædam Ecclesiastica, idest, a personis Ecclesiasticis exercenda, ut *Suspensio*: aut quatenus sunt usus Sacramentorum, ut *Interdictum*: sola Irregularitas directe eas impedit, quatenus sunt exercitia Ordinum.

Dicitur denique, *Etiam post Pœnitentiam*; quia Irregularitati, etiam ex crimine contractæ, proprium est, ut crimine per Pœnitentiam remisso, nihilominus maneat.

Duplex est Irregularitatis genus. Quædam ex delicto, altera ex defectu. Ista oritur ex defectu, & indecentia, citra culpam hominis in illam incurrentis. Illa proficiscitur ex delicto, quod Ecclesia prohibitione a Clericatu, & Sacris Ordinibus, eorumque Ministeriis coerceri voluit. Et quotuplex?

Irregularitas ex defectu septem species complectitur. Prima est defectu animi, quo modo amentes, energumeni, & illiterati sunt irregulares. Altera

ex defectu corporis, quo modo sunt irregulares, qui membro aliquo mutilati sunt, vel insigniter deformes, leprosi, morbo caduco laborantes. Tertia, ex defectu natalium in filiis illegitimis, & spuriis. Quarta, ex defectu libertatis, in servis, & obligatis ad ratiocinia. Quinta, ex defectu ætatis. Sexta; ex defectu Sacramenti, in bigamis. Septima, ex defectu perfectæ lenitatis, idest, ex homicidio licite perpetrato, in Judicibus, Regiis Cognitoribus, Notariis causarum capitalium, Accusatoribus, Testibus.

Irregularitas ex delicto quintuplex est. Prima ex iteratione Baptismi. Altera ex indebita susceptione, vel usu Ordinis. Tertia ex hæresi. Quarta ex homicidio illicite perpetrato. Quinta ex infamia.

Quis de irregularitate dispensare possit?

In Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus dispensare potest Episcopus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, exceptis etiam aliis deductis ad forum contentiosum, ut declarat sacra Synodus Tridentina, sess. XXIV. cap IV. *De Reformatione*. In iis vero, quæ ex delicto publico proveniunt, Summus Pontifex duntaxat dispensare potest.

Qui Tonsuram Clericalem, vel Ordines suscepit, cum esset irregularis, vel functiones Ordinum exercuit, lethale quidem commisit peccatum, sed novam Irregularitatem non contraxit. Irregularitas enim non contrahitur, nisi in casibus a Jure expressis, ut colligitur a pari ex c. XVIII. *De Sententia Excommunicationis*, in Sexto, & ex Regula Juris *Odia restringi, favores convenit ampliari*.

Conc. Mediolanense, IV. p. II. tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, paucis explicat, quinam impediantur ab Ordinum susceptione. *Impedimento* (inquit) *irretiti, hi sunt: Minores natu, Sacramento Chrismatis non confirmati, rudes, & ignari, criminosi, solemniter Pœnitentes, Neophyti, ebrietati, aut gulæ dediti, impudici, lapsi post Ordinem susceptum, perjuri, usurarii manifesti, infames, ratiociniis obligati, servi, corpore vitiati, insigniter deformes, illegitime nati, peregrini & ignoti, bigami, irregulares quovis alio modo, suspensi, interdicti, excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, non examinati, & probati.*

His prænotatis, de præcipuis Ordinationum impedimentis singillatim agendum est.

ARTICULUS I.

De Impedimento sexus.

De Irregularitatibus.

MUliebris sexus Sacræ Ordinationis est incapax, non Ecclesiastico tantum Jure, sed Naturali, & Divino. Sexus enim muliebris, sexus subjectionis est: vir caput est mulieris; Sacerdos autem caput Populi: mulier ergo Sacerdotii incapax, quam Deus caput esse noluit, cui tantum abest, ut Populum subjecerit, cum potius ipsa viro, Deo ita volente subjecta sit. Deinde nativo quodam pudore mulieres a docendo, aliisque publicis functionibus, quales sunt Sacerdotales, obeundis retardantur: ideo Christus mulieres a Sacerdotio arceri voluit. *Mulieres in Ecclesia taceant* (inquit Apost. I. ad Cor. XIV.) *Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & Lex dicit: Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*. Ad Ephesios V. *Mulieres subditæ sint viris suis, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Ipse Salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris in omnibus*. Et I. ad Timotheum II. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio: Adam enim primus formatus est, deinde Heva:*

va: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Quamobrem conveniens non erat, ut ei Deus per Sacerdotium ducatum ad pietatem instillandam concederet, quæ posterior creata, prior in peccatum incidit, virumque suum in peccati foveam præcipitem traxit. Lege *S. Epiphanium*, Hæresi XLIX. ubi Quintilianorum, sive Pepatianorum, aut Artotyritarum hæresim describit, & impugnat, apud quos mulieres Episcopi erant, & Presbyteri, & ad ceteros gradus allegebantur, nullum ut sexus discrimen servaretur. *Nam in Christo Jesu* (inquiebant) *neque mas est, neque fœmina.* Quibus Apostoli verbis abutebantur, cum nihil aliud significent nisi, nullam esse sexus prærogativam quantum ad fidem, divinæ legis observationem, justificationis gratiam, adoptionem in filios, æternæ felicitatis retributionem: unde subjungit. *Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu*: sed non significant parem esse ad Sacerdotium obtinendum sexus utriusque capacitatem.

Objiciebant, Sororem Moysis, & quatuor Philippi filias Prophetissas fuisse; ac perperam inde colligebant, mulieres Sacerdotio posse initiari. Dispar enim est Sacerdotii, & Prophetiæ ratio. Nam Prophetia ex genere est gratiarum, quæ gratis datæ nuncupantur, quarum in distributione nullus naturæ servatur ordo, quia præter naturam est, quod recipitur. At vero in Ecclesiastico Regimine instituendo licet supernaturalem Sacerdotibus, ac Ministris Christus tradiderit Potestatem, ordinem tamen naturalem servari voluit, ut sexus ille a Sacerdotio excluderetur, qui ad subjectionem factus est, non ad imperium destinatus. Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* dist. XXV. qu. II. quæst. I. ad primum: *Prophetia* (inquit) *non est Sacramentum, sed donum Dei. Unde non exigitur ibi significatio, sed solum res: & quia secundum rem in his, quæ sunt animæ, mulier non differt a viro (cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam multis viris;) ideo donum Prophetiæ & alia hujusmodi potest accipere, sed non Ordinis Sacramentum.* Cum enim Ordo ad imperandum institutus sit, & aliquam Ordinatorum supra ceteros præeminentiam, & præcellentiam significet, mulieres vero ad subjectionem a Deo factæ sint, ideo Ordinationis incapaces sunt, quæ prærogativam subjectioni isti oppositam tribuit, expresseque significat. De Iregularitatibus.

Legatur rursus *S. Epiphanius*, hæresi LXXIX. ubi Collyridianos impugnat, apud quos Mulieres quædam currum, sive sellam quadratam adornantes, linteo desuper extento, solemni tempore, per aliquot dies panem proponebant, & in Mariæ Virginis Nomen offerebant: ostenditque nunquam ex quo Mundus conditus est, Sacerdotio functam esse mulierem, sive tempore Legis naturæ, sive Legis Mosaicæ, sive Legis gratiæ. Certe *Si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam præstare in Ecclesia liceret, nulli potius, quam Mariæ illud in Novo Testamento committi debuit, cui tantus honor est habitus, ut in gremio, sinuque suo Regem omnium, ac cœlestem Deum, Deique Filium exciperet. Cujus uterus, velut templum, ac domicilium ad Divini Verbi Incarnationem singulari est Dei benignitate magno, ac stupendo Mysterio præparatus. Verum longe Deo aliter est visum: ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta: cum alioqui tingi ab illa Christus potius, quam a Joanne potuisset.* Conc. Turon. II. can. 12. & 13. Antisiod. can. 20. & 21. Conc. Rom. sub Greg. II. can. 1. alterum sub Zacharia, can. 5. S. Greg. l. IV. Dialog. c. 20.

Nominantur quidem in Canonibus Episcopæ, & Presbyteræ; non tamen ab ullo Ordine, vel Ministerio, sed a viris suis, qui ad Episcopatum, vel Presbyteratum promoti fuerant: quibus mulieribus perpetuæ continentiæ lex imponebatur; antequam earum mariti Sacris Ordinibus initiarentur, a quibus proinde uxorum loco non amplius habebantur, sed sororum. Frequens etiam est in Ecclesiasticis Monumentis Diaconissarum mentio, sed nec illæ Sacram Ordinationem susceperunt, sed earum institutum est Ministerium,

 ut

ut muliebris sexus honestati in Baptismo consuleretur, ut *S. Epiphanius* docet. Quamvis autem Ordinationis Diaconissarum meminerint *Tertulianus* Lib. I. *Ad Uxorem*, cap. VII. Conc. Chalcedonense, can. XV. Conc. Trullanum can. XIV. Justinianus Imperator passim in Novellis; Ordo Romanus, &c. ea tamen Ordinatio, seu manus impositio, sacramentalis non fuit, sed mera cæremonia, quemadmodum Abbatissarum Benedictio. Munus illarum præcipuum fuit, ea mulieribus Officia præstare, quæ Diaconi viris. Ideo portas custodiebant, per quas illæ ingrediebantur, earumque consessum in Ecclesia ordinabant: Principia Fidei, & Ritus Baptismi eis exponebant, ipsisque aderant cum ad immersionem nudabantur. Viduarum quoque, & pauperum, sacrarumque Virginum simul cum Diaconis curam gerebant: sed Altaris Sacrificio non ministrabant, non accedebant ad Altare, non sacra vasa tractabant, non canebant Evangelium, quamquam Orarium in sua Benedictione acciperent; non denique verbum Dei prædicabant, aut baptizabant: neque sacra hæc Ministeria obeundi tradebatur ipsis Potestas, quæ Diaconis confertur.

ARTICULUS II.

De Impedimento pueritiæ, & amentiæ, & vexationis a Dæmone.

De Irregularitatibus.

PUeris, vel amentibus, cum usu rationis careant, Sacramentum Ordinis illicite conferretur. Si tamen illis administraretur, Sacramenti Characterem eorum animis imprimeret: unde Ordinationes eorum iterandæ non essent ubi adulta essent ætate, & singulis Ordinibus Ecclesiæ Decretis præscripta, aut sana mente; ut colligitur ex cap. unico *De Clerico per saltum promoto*; quod est *Innoc. III.* Necessitate quidem præcepti necessarius est rationis usus, ut quis ad Ordines promoveatur, non tamen necessitate Sacramenti, ut docet *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XXV. qu. II. art. I. quæst. II. Idem docet Conc. Trid. Catechismus. Arreptitii, sive a Dæmonibus obsessi, ab Ordinibus pariter arcentur, can. *Maritum*, can. *Communiter*, can. *Clerici*, & can. *Usque*, dist. XXXIII.

ARTICULUS III.

De Impedimento servitutis.

SErvi ab Ordinationibus excluduntur, can. *Nullus*, dist. LIV. ex *S. Leone* Epistola ad Episcopos Campaniæ, & can. *Nulli*, ex Conc. Triburiensi, aliisque Canonibus, & Pontificum Responsis, Lib. I. Decretalium, tit. XVIII. *De servis non Ordinandis*, Ab Ordinibus suscipiendis pariter arcentur quicumque ad ratiocinia sunt obligati, vel hujusmodi negotiis temporalibus implicati. Cap. *Magnus*, ex Conc. Carthaginensi I. Ext. *De obligatis ad ratiocinia non ordinandis*. His non patet aditus ad Clerum, *Nisi post deposita onera, & reddita ratiocinia*. Rationem hujus disciplinæ *S. Thomas* affert in IV. *Sententiarum*, dist. XXV. q. II. art. II. qu. I. *In susceptione Ordinis mancipatur homo Divinis Officiis: quia nullus potest alteri dare, quod suum non est, ideo servus, qui non habet potestatem sui, non potest ad Ordines promoveri: si tamen promovetur, Ordinem suscipit; & quia libertas non est de necessitate Sacramenti; licet sit de necessitate præcepti, cum non impediat Potestatem, sed actum tantum. Et similis ratio est de omnibus, qui sunt aliis obligati.*

ARTICULUS IV.

De Impedimento natalium.

Impedimentum istud in filiis Presbyterorum primum consti-

SPurii, & quicumque ex legitimis Nuptiis non sunt procreati, ab Ordinum susceptione arcentur, ut constat ex variis Canonibus dist. LVI. relatis, & ex cap. *Per venerabilem*, Ext. *Qui filii sint legitimi*. Rationem affert

fert S. *Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XXV. art. II. quæst. III. *Ordinati* (inquit) *in quadam dignitate præ aliis constituuntur: ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quædam, non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate Præcepti; ut scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publice Pœnitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam de illegitimo thoro nati a susceptione Ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur: & tanto est difficilior dispensatio, quanto origo est turpior*: puta, si adulterini fuerint, vel ex stupro, incestu, aut sacrilegio nati, quam si ex fornicatione simplici procreati essent.

tutum est, ad incontinentiam Sacerdotum reprimendam undecimo sæculo; postea ad omnes illegitime natos extensum est. De Irregularitatibus.

Triplex est modus hunc defectum removendi, scilicet subsequens parentum matrimonium, de quo in cap. *Tanta*, Ext. *Qui filii sint legitimi*, ubi Exoniensi Episcopo rescribit Alexander III. *Tanta est vis matrimonii, ut qui ante a sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur*. 2. Religiosa professio in Cœnobiis, aut in Canonica Regulari, ut constat ex can. I. *Presbyterorum*, quod Urbani II. Responsum est, dist. LVI. & ex cap. *Ut filii*, Ext. *De filiis Presbyterorum*, &c. 3. Modus hunc defectum removendi est dispensatio.

Potest autem Episcopus cum illegitimis ex quocumque etiam damnato coitu dispensare, ut ad Minores Ordines, & Beneficium simplex promoveantur; non vero, ut ad Majores Ordines, aut Beneficia Curam Animarum, Dignitatem, Ordinem Sacrum annexum habentia, quales sunt Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum, secundum Jus Novum Tridentini Concilii sess. XXIV. cap. XII. *De Reformatine*. Ille vero qui cum Summus Pontifex dispensat, ut natalium defectu non obstante, valeat ad Beneficium Curam etiam Animarum annexam habens promoveri, non potest prætextu dispensationis hujusmodi, (quam exorbitantem a Jure oportet veluti odiosam restringi) nisi unicum Beneficium obtinere. Ista constant ex cap. *Is, qui defectum*, tit. *De filiis Presbyterorum*, in Sexto Illegitime natos, ad Dignitates, Personatus, & alia Beneficia Curam Animarum habentia, sine dispensatione Sedis Apostolicæ promoveri non posse, declaraverat antea *Gregorius IX.* cap. *Nimis*, Ext. *De filiis Presbyterorum*.

An vero dispensare possit Episcopus super eo impedimento, cum occultum est, quæstio est ab Auctoribus ventilata. Probabilius est non posse: quia Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. VI. *De Reformatione*, permittit Episcopis, ut dispensent duntaxat super Irregularitatibus *ex delicto occulto*, non autem ex defectu provenientibus.

Ceterum Religiosa Professio natalium defectum removet, facitque, ut qui Deo solemnibus votis consecratus est, ad Sacros Ordines absque dispensatione promoveri possit, ut constat ex Conc. Nannetensi, quod *Hildeberto* Turonensi Archiepiscopo Præside celebratum est anno MCXXVII. ex Concil. Lateranensi II. sub *Innoc. II.* can. XXI. ex Innocentio III. Lib. 4: Epist. 118. Decretum Urbani II. & Canonem Concilii Pictavensis citante, & ex communi Ecclesiæ praxi: necessaria tamen ipsis est dispensatio, ut ad Episcopalem Dignitatem, & Regulares Prælaturas promoveri possint, ut constat ex cap. *Ut filii*, Ext, *De filiis Presbyterorum non ordinandis*. Sanxerat quidem *Sixtus V.* ne ad Religiosam Professionem reciperentur illegitimi, sed ejus Constitutionem rescidit *Gregorius XIV.* Constitutione, quæ incipit, *Circumspecta*, & Romanæ Pœnitentiariæ potestatem tribuit concedendi Dispensationes Regularibus extra legitimum Matrimonium natis, ut ad Claustrales Præfecturas promoveri possint.

Natalium defectus Religiosa professione tollitur.

Defectus tamen natalium non impedit, quin Monachus instituatur Magister Novitiorum, aut Prior Claustralis sub Abbate Regulari sine dispensatione Pontificia; quia hæc mera sunt Officia Claustralia, non Prælaturæ, seu Dignitates; quarum duntaxat, non simplicium Officiorum gerendorum incapaces sunt illegitimi, ut constat ex cap. *Ut filii*, supra laudato. Prior namque

De Irregularitatibus.

Claustralis curam Monasterii, & Monachorum ita gerit sub Abbate, ut ipse Abbati subsit, ab eoque possit ad nutum amoveri: unde non est Monasterii Caput, & Prælatus, sed Abbatis Regularis, qui Monasterio præest, vices gerens, nec aliam auctoritatem habens, quam quæ ipsi ab Abbate demandatur: sicut illi, quos vocamus Superiores in Prioratibus Conventualibus, sive Cœnobiis, quæ ab Abbate Regulari immediate non reguntur. Verum illegitimi non possunt eligi, vel institui Priores Conventuales, seu Majores, sine dispensatione Summi Pontificis. Hi enim Prioratus sunt Prælaturæ, cum Priores Conventuales sint Pastores, & capita suorum Monasteriorum.

Filii Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt Matrimonio, in Ecclesiis ubi eorum patres Beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque, etiam dissimile, Beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec Pensiones super fructibus Beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere possunt. Ita statuit Synodus Tridentina sess. XXV. cap. V. *De Reformatione*. Et *Clemens VII.* in Constitutione, quæ incipit, *Ad Canonum conditorem*, statuit, ut deinceps filii Presbyterorum ex fornicatione nati quæcumque Beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, quæ illorum patres Presbyteri, & Clerici, vel Religiosi, in Titulum, vel Commendam, seu Administrationem ad tempus, vel in perpetuum aliquando obtinuerunt, nullo unquam tempore quoquo modo obtinere possint, non obstante, quod *Alexander III.* decreverit filios Sacerdotum posse succedere in Beneficiis parentum media interveniente persona. (Ext. *De filiis Presbyterorum*, cap. 2. 3. 4. 5. 7.) Quamquam nec filius legitimus possit immediate succedere in Beneficio patris, nisi cum eo per Apostolicam Sedem fuerit dispensatum, ut constat ex cap. *Constitutus*, ex cap. *Ex tua*, & cap. *Ex transmissa*, Extra, *De filiis Presbyterorum*.

ARTICULUS V.

De Impedimento ex vitiis, seu defectibus corporis.

AB Ordinum susceptione, & executione Ecclesiasticis Legibus arcentur homines mutilati, eunuchi, insigniter deformes, seu aliquo vitio corporis, aut morbo laborantes, qui horrorem, aut contemptum personæ ingeneret, & prohibeat, ne Sacra Ministeria cum debita dignitate, & reverentia exerceantur. Id constat ex can. *Priscis*, qui est *Gelasii I.* Epist. 1. ad Episcopos Lucaniæ; can. *Pœnitentes*, qui est *Hilarii* Papæ in Concilio Romano; can. *Si quis*, ex Canonibus Apostolorum 22. & 23. quibus a Clero excluduntur, qui se ipsos absciderunt; quod confirmat can. *Hi qui* ex Conc. Arelatensi II. can. II. & can. *Si quis* ex Concilio Nicæno. Possunt tamen ad Ordines promoveri, qui a Medicis, a Barbaris, aut quovis modo per hominum insidias eunuchi facti sunt, aut tales nati sunt; ut constat ex eodem Canone, & ex can. *Eunuchus*. Item cap.
De irregularitatibus. *Ex parte*, 1. & 2. Ext. *De corpore vitiatis ordinandis, vel non*. Ob eamdem rationem arcetur, qui partem digiti sibi volens abscidit, non qui casu, can. *Qui partem* ex *Innoc. I.* Epistola ad *Felicem* Nucerinum Episcopum, & can. *Lator*. Illi, *cui oculus erutus est, non possunt secundum Canones Sacerdotii jura concedi* ex Gelasio I. can. *Si Evangelica*. Hos Canones legere est 1. P. Decretorum, dist. LV. Presbyter, qui digiti partem amisit, etiam sua culpa, & in duello, dispensari potest ab Episcopo suo, ut in Ordine suo ministret, si *Non perdiderit tantum de digito, quin sacrificium possit solemniter celebrare*. Ita sanxit *Alexander III.* cap. *De Presbytero*, Extra, *De corpore vitiatis*. Qui factus est eunuchus in cunabulis, ad Ordines promoveri potest, ut declarat *Clemens III.* cap. *Ex parte*, primo, ibidem. Qui Consilio Medici ad avertendam mor-

morbi periculum sectus est, Sacerdotale Ministerium, ut prius, potest exequi, ut respondet *Innocentius III.* cap. *Ex parte*, secundo, ibidem. Mutilatus manu, ad Sacros Ordines non potest promoveri; (cap. *Exposuisti*, ibidem.) Carens ungula pollicis, *Si ad frangendum Eucharistiam sit in pollice ipso potens*, ad Sacerdotium potest promoveri, ut respondet *Honorius III.* cap. *Thomas*, ibidem. Presbyter cui medietas palmæ cum duobus digitis est abscissa, irregularis est, quoad Missæ Celebrationem, *Quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, hoc fieri potest*: ceteris autem Officiis Sacerdotalibus fungi minime prohibetur, cap. *Presbyterum*, Ext. *De Clerico ægrotante, vel debilitato*. Quæ Regula ad dijudicandam Irregularitatem ex vitio, aut defectu corporis provenientem adhibenda est. Hujus autem rei examen, atque judicium pertinet ad Episcopos, ut respondit *Alexander III.* de eo, qui maculam in oculo habebat, cap. *Cum de tua*, Ext. *De corpore vitiatis*. Leprosi ab Ordinum susceptione, & executione arceantur, cap. *De Rectoribus*, & cap. *Tua nos*, Extra *De Clerico ægrotante, vel debilitato*.

Non inducitur irregularitas ex defectu corporis, nisi ratione deformitatis, quæ scandalo esse possit, aut debilitatis, quæ celebrationem impedire posse videatur. Judicium de hoc defectu ad Episcopum pertinet.

Epileptico, vel caduco morbo laborantes, si frequenter in terram elidantur, a Sacris Ordinibus arcendi sunt: si vero hæc infirmitas accidat Sacerdoti, prohibendus est a celebratione Missæ, nec Sacrum Ministerium obire permittendus, nisi annus integer ab ultimo epileptici morbi symptomate effluxerit; ut habetur can. *Communiter*, dist. XXXIII. & can. *In tuis*, causa. VII. qu. II. ex *Alexandri II.* Rescripto ad Vivarensem Episcopum. Si autem alicui lis intentata fuerit de epileptico casu, negetque se huic morbo esse obnoxium, diligenter inquirendum est: *Si aliquando vel in domo, vel in Processione, vel in alio quocumque loco probatur repente collapsus, vocesque dedisse confusas, & spumas ore jactasse*. Re autem dubia manente, triginta dierum spatio explorandus est Clericus, qui eo morbo affectus dicebatur; quo temporis elapso intervallo, permittendæ sunt ipsi Ordinum functiones ipsaque Missæ celebratio, si eo morbo affectum fuisse minime probetur. Sic respondet *Gelasius* Papa, can. *Nuper*, causa VII. quæst. II.

De Epilepticis.

De his impedimentis respondet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XXV. qu. II. art. II. qu. III. *Aliquis efficitur ineptus ad susceptionem Ordinis, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis personæ: & ideo patientes defectum in membris, impediuntur a susceptione Ordinis, si sit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quem obscuretur personæ claritas (ut abscissio nasi) vel periculum in executione facere possit; alias non impediuntur: Hæc autem integritas exigitur de necessitate Præcepti; sed non de necessitate Sacramenti.*

De Irregularitatibus.

ARTICULUS VI.

De Impedimento ex defectu Baptismi, Confirmationis, vel inferiorum Ordinum.

I. Impedimentum ex defectu Baptismi, divino jure institutum est: unde si quis non baptizatus ordinetur, ejus Ordinatio irrita est; & baptizari primum, deinde iterum ordinari debet, ut habetur cap. *Si quis*, ex Conc. Compendiensi can. XV. & can. *Veniens*, quod est *Innoc. III.* Ext *De Presbytero non baptizato*. Rationem affert *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XXIV. qu. I. art. II. qu. III. *Nihil* (inquit) *potest aliquid recipere, cujus receptivam potentiam non habet: per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum: unde qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum Sacramentum suscipere potest: & sic character Ordinis baptismalem characterem præsupponit.*

II. Impedimentum ex defectu Confirmationis Ecclesiastico duntaxat Jure institutum est. Statuit enim Tridentinum Concilium sess. XXIII. cap. IV. *De Reformatione*, ut prima Tonsura nemo initietur, qui Sacramentum Confimationis non susceperit. Quæ lex etsi nulla foret, consuetudo tamen generalis vim legis haberet; quam in iis, quæ gravioris momenti sunt, & Sacramentorum institutioni consentanea, violare vix sine peccato mortali nullus potest. Quamobrem lethalis peccati reum existimarem eum, qui vel ex incuria, aut ignorantia culpabili, vel sciens volens, Sacramento Confirmationis omisso Tonsuram Clericalem, aut Ordines susciperet. Unde *Cornelius* Summus Pontifex in Epistola ad *Fabium* Antiochenum apud *Eusebium* Lib. VI. *Historiæ Ecclesiasticę*, cap. XLIII. de Novatiano, qui Presbyter factus est, Sacramento Confirmationis non suscepto, ita scribit: *Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam Regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem Signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Accedit ratio ex ipso Sacramentorum ordine, & effectis petita. Sacri siquidem Ordines, & Clericalis status, perfectos tantum Christianos admittunt: nemo vero sine Sacramento Confirmationis perfectus censetur Christianus: unde *S. Ambrosius* Lib. III. *De Sacramentis* cap. II. docet, *Post Fontem superesse, ut perfectio fiat*: & hanc *Perfectam ætatem spiritualis vitæ* vocat *S. Thomas*. Præterea, ita se habent tria hæc Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Ordo ad spiritualem vitam, quemadmodum ad corporalem nativitas, augmentum, & generatio: nam in vitæ spiritualis lucem Baptismus nos emittit; Confirmatio spiritale robur, & gratiæ augmentum præstat; virosque perfectos facit; Ordo spirituales nos Patres efficit: quemadmodum ergo convenienter naturali rerum ordini prius oportet unumquemque nasci, deinde augeri, & roborari, antequam speciei propagandæ per generationem det operam: ita necessarium est, ut prius Baptismo renascamur; convenientissimum vero, ut per Confirmationem roboremur, priusquam per Ordinationem spirituales Patres efficiamur. Valida tamen, & rata esset Ordinatio hominis non confirmati, ut docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* dist. XXIV. qu. I. art. II. qu. IV. „ Character Baptismalis (inquit) præsupponitur de necessitate Sacramenti, ita quod sine eo Sacramentum Ordinis conferri non potest; sed de congruitate requiritur omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem Ordinis; & unum de istis est, ut sit Confirmatus: & ideo de congruitate character Ordinis characterem Confirmationis præsupponit, & non de necessitate.

De Irregularitatibus. III. p. quæst. VII. art. I. ad III.

III. Impedimentum ex Ordinum inferiorum defectu Jure pariter Ecclesiastico institutum est, prohibente, ne quis iis prætermissis ad superiorem Ordinem provehatur: Nam (ut docet *S. Thomas* loco mox indicato, quæst. V.) „ Non est de idoneitate superiorum Ordinum, quod aliquis Minores Ordines prius habeat, quia potestates sunt distinctæ; & una quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto; & ideo etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores Ordines non susceperant; & tamen poterant omnia, quæ inferiores Ordines possunt; quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute; sicut sensus in intellectu, & Ducatus in Regno. Sed postea per Constitutionem Ecclesiæ determinatum est; quod ad Majores se non ingerat, qui prius in Minoribus Officiis se non humiliavit. Et inde est, quod, qui ordinantur per saltum, secundum Canones non reordinantur, sed id quod omissum fuerat de præcedentibus Ordinibus, eis confertur. Ita statuit *Alexander II.* de quodam, qui Subdiaconatus Ordine postposito, ad Diaconatus, & Presbyteratus

Or-

Ordines ascenderat: *Mandamus* (inquit) *ut ab Officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo Quatuor Temporum Jejunio Subdiaconatus Ministerium ei rite imponas, & sic deinceps ad Majora eum Officia redire concedas*. Refertur can. *Sollicitudo*, dist. LII. Et *Innoc. III.* cap. *Tuæ litteræ*, Extra *De Clerico per saltum promoto*, de quodam, qui Ordine Diaconatus prætermisso Presbyter ordinatus fuerat; mandat Episcopo Bononiensi, ut ei Diaconatus Ordinem conferat, ac misericorditer in Ordine Sacerdotali postea ministrare concedat.

ARTICULUS VII.

De Impedimento Bigamiæ.

I. Bigami ab Ordinibus arcentur Ecclesiastico Jure ab Apostolis ipsis instituto. Ait enim Apostolus I. *Tim.* III. & *Tit.* I. Episcopum esse oportere *Unius uxoris virum*. Id confirmant S. Hieronymus in Epistolam ad Titum, Innoc. I. in Epist. ad Victricium Rothomagensem Episcopum, S. Augustinus Lib. *De Bono Conjugali*, cap. 18. S. Leo Epist. I. alias 87. can. *Maritum* dist. XXXII. & can. *Curandum*, dist. XXIV. & *S. Gregorius* Lib. II. Epistolarum, Ind. X. Epist. XXIX. ad Episcopum Squillatinum, ex quo refertur in Decretis, dist. XXXIV. can. *Præcipimus*. Rationem Ecclesiasticæ istius Legis exponit *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XXVII. qu. III. art. I. quæst. I. ex defectu significationis perfectæ Nuptiarum Christi cum Ecclesia in Bigamorum Matrimonio petitam. *Aliquis* (inquit) *per Sacramentum Ordinis Minister Sacramentorum constituitur, & ille, qui aliis Sacramenta ministrare debet, nullum in Sacramentis defectum pati debet. Defectus autem in Sacramento est, quando Sacramenti significatio integra non invenitur: Sacramentum autem Matrimonii significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est unius ad unam: & ideo requiritur ad perfectam significationem Sacramenti, ut vir sit tantum unius vir, & uxor tantum unius uxor: & ideo bigamia, quæ hoc tollit, Irregularitatem inducit*. Hanc rationem pressius tradidit *B. Petrus Damiani*, Libro, qui inscribitur, *Dominus vobiscum*, cap. XII. *Sicut* (inquit) *Christus, qui est Pontifex futurorum bonorum & verus Sacerdos, vir est unius Sponsæ Sanctæ scilicet Ecclesiæ, quæ procul dubio virgo est, quia fidei integritatem inviolabiliter servat; ita quilibet Sacerdos unius uxoris vir esse præcipitur ut illius Summi Sacerdotis præferre imaginem videatur*. De Irregularitatibus.

Aliam rationem adjungit Angelicus Doctor: „ In illis (inquit) qui accipiunt Sacramentum Ordinis, maxima spiritualitas debet apparere; tum „ quia spiritualia ministrant, scilicet Sacramenta, tum quia spiritualia do- „ cent, & in spiritualibus occupari debent: unde cum concupiscentia, per „ quam totus homo caro efficitur, maxime spiritualitati repugnet, non de- „ bet aliquod signum concupiscentiæ permanentis in eis apparere: quod quidem in bigamis apparet, qui una uxore contenti esse nolunt.

Triplex autem distingui solet Bigamia, scilicet vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera bigamia est matrimonium cum duabus uxoribus successive contractum, & consummatum, sive ante, sive post Baptismum quis illud contraxerit, & consummaverit. Hos Bigamos ab Ordinum susceptione, & executione arceri constat ex cap. *Super eo*, Ext. *De Bigamis non ordinandis*. Bigamia quotuplex.

Bigamia interpretativa est, qua Juris interpretatione quispiam habetur, ut Bigamus, tametsi non sit vere Bigamus, quippe, qui multas quidem uxores, sed non veras habuerit, verbi gratia, qui duo Matrimonia cum impedimento dirimente contraxit, vel saltem alterum. Hi pariter ab Ordinum susceptione, & executione excluduntur, cap. *Nuper a nobis*, quod *Innocentii III.* Responsum est, Ext. *De Bigamis non ordinandis*. Nos autem (inquit) in Legitur Epistola 56.
hac

Innocentii III. Lib. 2. edit. Baluzii.

hac Quæstione taliter respondemus: *Quod cum hujusmodi Clericis, qui quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum Bigamis non liceat dispensari, licet in veritate Bigami non existant: non propter defectum Sacramenti, sed propter affectum intentionis, cum opere subsecuto.*

Interpretative Bigamus est & ille, qui unicam quidem uxorem duxit, sed Viduam, aut ab altero corruptam, ideoque vere est Irregularis, ut constat ex Canone *Curandum*, distinct. xxxi. & ex cap. *De Bigamis*, quod est *Celestini III.* Ext. *De Bigamis non ordinandis*. Et quamvis homo credat, uxorem, quam ducit, virginem esse, quam in ipso congressu deprehendit corruptam ante Matrimonium fuisse, fit nihilominus Irregularis, ut docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XXVII. quæst. III. art. I. Quæstiunc. III. ad tertium: *Irregularitas* (inquit) *non est pœna inflicta, sed defectus quidam Sacramenti; & ideo non oportet, quod semper sit voluntaria Bigamia ad hoc, quod Irregularitatem causet: & ideo ille, qui uxorem ducit corruptam, quam virginem credit, Irregularis est eam cognoscens*. Si tamen duxerit prius a se defloratam, non fit Irregularis, *Quia carnem suam non divisit in plures*; (inquit *S. Thomas* ibidem ad secundum.)

De Irregularitatibus.

Ille denique interpretative Bigamus est, eoque nomine ab Ordinibus, & Sacris Ministeriis arcendus, qui uxorem adulterio pollutam cognoscit, etiam Judicis Sententia, aut officio conscientiæ debitum ei reddere compellatur, illa ante exigente, quam adulterii damnetur, ut docet *S. Thomas* in Responsione ad quartum; & colligitur ex Canone *Si cujus*, qui Concilii Neocæsariensis octavus est, & ex Canone *Si laici*, qui est *Martini Bracarensis*, apud *Gratianum*, dist. XXXIV.

Qui vero virginem duxit, sed alteri desponsatam, Bigamus non censetur, quia Bigamia non contrahitur, nisi carnalis copula inter conjuges præcesserit, ut respondet *Innocentius III.* cap. *Debitum*, Extra, *De Bigamis non ordinandis*, cujus hæc sunt verba: „ Conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationis Mysterium est contractum.... Cum ergo propter Sacramenti defectum prohibitum sit, ne Bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad Sacros Ordines promoveri: quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius; profecto ubi deficit inter hujusmodi conjuges commixtio corporum, non deest hujusmodi signaculum Sacramenti. Unde is, qui mulierem ab alio viro ductam, sed minime cognitam, duxit in uxorem: quia nec illa, nec ipse carnem suam divisit in plures, propter hoc impediri non debet, quin possit ad Sacerdotium promoveri.

Bigamia similitudinaria est matrimonium attentatum, & consummatum, etiam cum virgine, ab eo, qui voto solemni castitatis obstrictus est, sive Sacris Ordinibus annexo, sive Religiosa Professione nuncupato; quia per hujusmodi Matrimonium carnale, quod contrahit, violat spirituale, quod præcessit: quod Bigamiæ genus infert etiam Irregularitatem, ut constat ex Can. *Quotquot*, Causa XXVII. quæst. I. ex cap. *Nuper*, Extra *De Bigamis non ordinandis*, & ex cap. *A nobis*, ibidem, quod est *Innocentii III.* Responsum: *Ille autem* (inquit) *qui in Subdiaconatus Ordine constitutus, de facto tantum (quia de Jure non potuit) duxit viduam in uxorem, profecto Bigamus non existit, sed nec viduæ potest in veritate dici maritus; cum inter ipsum, & illam non fuerit vinculum maritale contractum: cum eo tamen contra doctrinam Apostoli, tanquam cum marito viduæ dispensare non licet: non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto*. Quia nimirum

mirum affectum ad duplex Matrimonium carnali copula probat, ac de facto Matrimonium contrahere attentat, quamvis nullum, & irritum sit ipso Jure propter impedimentum voti. Si autem Clericus de facto Matrimonium non contrahat, sed tamen unam, vel plures concubinas habeat, non est cum ipso agendum, seu cum Bigamo, sed cum simplicis fornicationis reo, seu concubinario; ut declarat *Innocentius III.* cap. *Quia circa minima*, Extra. *De Bigamis non ordinandis*.

III. An Bigamiæ irregularitas ex nuptiis ante Baptismum contractis orietur, olim dubitatum est. Ecclesia Græca eum, qui ante Baptismum plures uxores duxisset, irregularitatem ex Bigamia non contraxisse censuit, ut constat ex Canone 16. sub Apostolorum nomine edito, & ex Commentariis Balsamonis, & Zonaræ Eadem fuit S. Hieronymi Sententia in Epistolam ad Titum, & Epistola LXXXIII. ad Oceanum dicentis: *Si baptismus novum hominem facit, & ex toto novum creat, nihilque in eo veteris hominis reservatur, non potest novo imputari, quod in veteri quondam fuit*. Contra, Innocentius I. in Epistola ad Victricium Rothomagensem, c. 6. Bigamiam etiam ante Baptismum contractam inducere Irregularitatem censet, *Ne*, inquit, *ab aliquibus existimetur, ante Baptismum si forte quis accepit uxorem, & ea de sæculo recedente alteram duxerit, in Baptismo esse dimissum, satis errat a Regula: quia in Baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur*.

Eamdem Sententiam amplexus est S. Augustinus Libro *De Bono Conjugali*, cap. XVIII. *Propterea*, inquit, *Sacramentum Nuptiarum temporis nostri sic ad unum maritum, & unam uxorem redactum est, ut Dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinari nisi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui Catechumenus, vel Paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De Sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in Baptismo peccata omnia dimittuntur: sed qui dixit: Si acceperis uxorem non peccasti, & si nupserit non peccavit, & quod vult faciat, non peccat si nubat, satis declaravit, nuptias nullum esse peccatum. Propter Sacramenti autem sanctitatem, sicut fœmina, etiamsi Catechumena fuerit vitiata, non potest post Baptismum inter Dei Virgines consecrari; ita non absurde visum est eum, qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad Ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam*. In hoc autem positam esse ait hanc, de qua loquitur, Sacramenti normam, quod *Sicut plures uxores antiquorum Patrum significaverunt nostras ex omnibus gentibus Ecclesias uni viro subditas Christo, ita noster Antistes unius uxoris vir significat ex omnibus gentibus unitatem uni vero subditam Christo*.

De Irregularibus.

IV. Cum Bigamo dispensare potest Summus Pontifex non solum ut ad Minores, sed ut ad Sacros Ordines promoveatur, ut colligitur ex Can. *Lector*, dist: XXXIV. & ex Glossa illius Canonis, quæ *Lucium* Papam cum Panormitano Episcopo, qui erat Bigamus, dispensasse testatur. Id confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XXVII. quæst. III. art. III. *Bigamiæ* (inquit) *non est adjuncta Irregularitas de Jure naturali, sed de Jure positivo: nec iterum est de essentialibus Ordinis, quod aliquis non sit Bigamus: quod patet ex hoc, quod si aliquis Bigamus ad Ordines accedat, Characterem percipit: & ideo Papa potest dispensare in tali Irregularitate totaliter*.

Cum Bigamis dispensare solus Summus Pontifex potest.

At (inquies) de iis, quæ in Scriptura Sacra jubentur, aut prohibentur, nemo homo potest dispensare: in Scriptura autem Sacra habetur, Episcopum esse oportere *Unius uxoris virum*.

Respondet *S. Thomas*, Non posse dispensari *Quantum ad ea, quæ sunt de jure*

Jure naturali, & quantum ad ea, quæ sunt de necessitate Sacramentorum, & Fidei: sed in aliis, quæ sunt de Institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eamdem potestatem statuendi; & destruendi, quam tunc habuit, potest per eum, qui Primatum in Ecclesia tenet, dispensari.

Et Quodlibeto IV. quæst. VIII. art. I. ad secundum: *Apostolus* (inquit) „ dupliciter in Doctrina sua aliqua proposuit: quædam quidem sicut pro„ mulgans Jus Divinum; sicut illud, quod habetur ad Galatas V. Si cir„ cumcidamini, Christus nihil vobis proderit, & multa alia hujusmodi: & „ in hoc Papa non potest dispensare: quædam vero sicut propria Auctori„ tate aliqua statuens: nam ipse dicit I. ad Corinth. XI. Cetera cum vene„ ro disponam: Et infra cap. XVI. mandat. Ut Collectæ, quæ fiunt in San„ ctos per unam Sabbati fiant; quod non pertinet ad jus divinum: & si„ militer etiam, quod dicitur de Bigamo non promovendo, non est Juris „ Divini, sed institutio Auctoritatis humanæ divinitus homini concessæ. In corpore vero Articuli præmiserat, Summum Pontificem haber plenitudinem Potestatis in Ecclesia, ita ut Quæcumque sunt instituta per Eccle„ siam, vel Ecclesiæ Prælatos, sint dispensabilia a Papa: hæc enim dicun„ tur esse Juris humani, vel Juris positivi: circa ea vero, quæ sunt Juris „ Divini, vel Juris naturalis, dispensare non potest, quia ista habent effi„ caciam ex institutione divina.... Quamobrem in solis his, quæ sunt de „ Lege Naturæ, & in Articulis Fidei, & Sacramentis Novæ Legis, dispen„ sare non potest: hoc enim non esset posse pro veritate, sed contra ve„ ritatem. Manifestum est autem, quod Bigamum non promoveri, neque „ est de Lege Naturæ, neque pertinet ad Articulos Fidei, neque est de ne„ cessitate Sacramenti (quod patet ex hoc, quod si Bigamus ordinetur, re„ cipit Ordinis Sacramentum.) Sed hoc pertinet ad quamdam determinatio„ nem divini cultus. Unde circa hoc potest Papa dispensare, licet dispensa„ re non debeat nisi ex magna, & evidenti causa.

Quod autem *Lucius III.* cap. *Super eo.* Extra. *De Bigamis non ordinandis*, ait: *In Bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad Sacros Ordines promoveri, vel in eis, si promoti fuerint, remanere*; significat solum dispensationis illius Potestatem Episcopo non esse concreditam, sed Romano Pontifici reservatam. Unde si quis Episcopus Bigamum ordinaverit, a collatione Ordinum suspendi potest: *Ordinatores eorum potestate, & officio ordinandi; & Ordinati, si ad Sacros Ordines fuerint promoti, eis sunt privandi*, &c. *In Ordinatore autem potest dispensatio adhiberi, ut ordinandi Potestate, & Officio non privetur.*

Episcopi dispensare cum Bigamis non possunt.

V. Dispensare poterant olim Episcopi cum Bigamis, ut ad Minores Ordines promoverentur, ut constat ex cap. *Super eo* mox citato, idque usu receptum erat tempore *S. Thomæ*: verum mos ille abrogatus est, neque dispensare nunc possunt Episcopi cum Bigamis, ut vel Tonsura Clericali initientur, & Beneficia possideant, ut colligitur ex Concilii Lugdunensis II. Can. XVI. cujus hæc sunt verba: *Bigamos omni Privilegio Clericali declaramus esse nudatos; & correctioni fori sæcularis addictos, consuetudine contraria non obstante. Ipsis quoque sub Anathemate prohibemus deferre Tonsuram, vel Habitum Clericalem.* Idem colligitur ex Concil. Trident. Sess. XXIII. cap. XVII. De Reformatione: *Quod si* (inquit) *Ministeriis quatuor Minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes præsto non erunt, suffici possunt etiam conjugati vitæ probatæ, dummodo non Bigami, ad ea Munia obeunda idonei, & qui Tonsuram, & Habitum Clericalem in Ecclesia gestent.* Bigamos itaque ad Minores Ordines Episcoporum dispensatione promoveri non posse Concilium existimavit, alioqui functiones eorum, ac ministeria Bigamis permisisset, ubi Monogami præsto non fuissent. Denique

Refertur Cap. Altercationis Tit. De Bigamis in Sexto.

Cum

Cum quidam Episcopus cum sibi subdito vero Bigamo dispensasset super Bigamia, eique Primam Tonsuram, & Beneficium simplex contulisset, contra Sententiam Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, quæ declaravit Episcopo hanc facultatem non competere, quamvis Congregatio niteretur eum excusare; tum quia pœna Suspensionis a Jure imposita non videtur latæ sententiæ, sed ferendæ; tum quia super hoc articulo inter primarios Doctores maxime dissidetur: tamen Sixtus V. in Consistorio respondit, Significandum Episcopo ipsum esse suspensum a collatione Ordinum: item promotum incidisse in pœnas, juxta Declarationem Congregationis: licet adjecerit, se benigne acturum cum utroque, ubi Absolutionem, & Dispensationem peterent. Refert *Fagnanus* in 1. P. Libri primi Decretalium, in cap. *Quoniam*, Tit. *De Constitutionibus*, Num. 32.

VI. In certa tamen quadam bigamiæ similitudinariæ specie dispensare potest Episcopus, Clericos scilicet, qui in Sacris Ordinibus constituti Nuptias contraxere, post longam Pœnitentiam officio suo restituere potest, eisque Sacrorum Ordinum executionem indulgere, ut respondet *Alexander III.* cap. *Sane*, Extra *De Clericis conjugatis*.

ARTICULUS VIII.

De Impedimento Criminis.

HOc impedimentum ab ipsis Apostolis constitutum est', *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem* (inquit S. Paulus in Epistola ad Titum.) *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse* (inquit idem Apostolus scribens ad Timotheum.) Et de Diaconis loquens: *Hi probentur primum* (inquit) *& sic ministrent, nullum crimen habentes*. Non eo tantum tempore, quo ordinandus est sine ullo crimine sit, & præteritas maculas nova conversatione diluerit (ait S. Hieronymus in Commentario) *Sed ex eo tempore, quo in Christo renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur*. Pœnitentia publica, & reconciliatio criminis irregularitatem non tollebant. Unde Synodus Carthaginensis quarta Canone 64. decrevit, *Ex pœnitentibus quantumvis sit bonus, Clericus non ordinetur*. Et Siricius Papa Epist. 1. cap. 14. publicos penitentes etiam post Pœnitentiam, & reconciliationem arcet ab honore Clericatus: quia *Quamvis sint ab omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum*. Nunc juxta receptam Disciplinam.

I. Delicta publica, ex quibus infamia consequitur, Ordinum susceptionem, & executionem impediunt, præsertim Hæresis; adeo ut non Hæretici solummodo, sed & eorum filii sint Irregulares, ut colligitur ex cap. *Statutum*, Tit. *De Hæreticis*, in Sexto. Quæ tamen Irregularitas locum non habet, ubi contraria viget consuetudo. Secundo, ratione delicti sunt Irregulares, quicumque sacrum Baptisma iterarunt, aut hujusmodi iterationi ministerium impenderunt, ut constat ex cap. *Ex litterarum*, Extra. *De Apostatis, & Reiterantibus Baptisma*. Tertio, Irregulares sunt, quicumque ad suscipiendos Ordines non approbati, nec vocati obrepserunt, ut constat ex cap. *Veniens ad nos*, Extra, *De Excessibus Prælatorum*. Item qui majori Excommunicatione, vel alia Censura ligati Ordines suscipiunt, vel illorum obeunt Ministeria, ut constat ex cap. *Clerici*, cap. *Latores*, cap. *Illud*, & cap. *Fraternitatis*, Extra. *De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*, & ex cap. *Cum illorum*, Extra. *De Sententia Excommunic.* Item qui obeunt Ministeria Ordinum, quos minime susceperunt, ut constat ex cap. *Si quis*, Extra, *De Clerico non ordinato ministrante*.

De Irregularitatibus.

II. Præcipuum delictum Ordinum susceptionem, & executionem impediens,

Irregularitas ex homicidio.

diens, est homicidium, vel mutilatio illicita. Quamobrem Irregulares sunt, quicumque facto, vel præcepto, vel consilio, vel lingua, & adhortatione, auxilio, vel defensione ad necem hominis, vel membrorum mutilationem concurrunt, ut constat ex Canone *Clericum*, & Canone *Miror*, dist. quinquagesima, quorum primus *Nicolai I.* alter *Joannis VIII.* verbis conceptus est, & ex cap. *Suscepimus*, necnon ex cap. *De cetero*, Extra. *De Homicidio voluntario, vel casuali*, quæ sunt *Alexandri III.* Responsa. Item ex cap. *Porro*, & cap. *Henricus*, Extra. *De Clericis pugnantibus in duello*, quorum primum est *Alexandri III.* aliud *Celestini III.*

Dans operam rei illicitæ irregularitatem contrahit ex homicidio fortuito.

Ex fortuito etiam homicidio contrahitur Irregularitas, cum aliquis dans operam rei illicitæ hominem fortuito interfecit, vel membro aliquo mutilavit, ut constat ex cap. *Continebatur*, Extra. *De Homicidio voluntario, vel casuali*. Sic Clericus, qui inter venandum telum vibravit in feram, & hominem interfecit, est Irregularis, tametsi omnem adhibuerit diligentiam; quippe qui hominem interfecit, operam dando rei illicitæ, id est, venationi Clericis interdictæ. Propter eamdem rationem Clericus exercens Chirurgiam Irregularis est, si ex illius operatione, vel indirecte mors ægroti sequatur, quamvis sit peritus artis, & quam debuit diligentiam adhibuerit. Ita respondet *Innocentius III.* cap. *Tua nos*, Extra. *De Homicidio*, de quodam Monacho Sacerdote, qui mulierem a tumore gutturis curare volens, tumorem ipsum ferro aperuerat, monens ipsam, ne se vento exponeret; quod consilium cum illa neglexisset, aperto gutture, sanguinisque copia effluente mortua est. *Licet* (inquit) *ipse Monachus multum deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi minime congruebat: si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio Chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeo reprobandus, quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut Divina valeat celebrare: alioquin interdicenda est ei Sacerdotalis Ordinis executio de rigore.* Chirurgicam porro artem exercere Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus vetat *Innocentius III.* cap. *Sententiarum*, Extra. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*. Propter eamdem rationem, qui alterum verberavit animo non occidendi, tamen vere mortuus est, etiamsi ex Medicorum, vel infirmi incuria, aut ex morbo occasione vulneris emergente; est Irregularis, quia dabat operam rei illicitæ, ex qua mors est sequuta. Irregularis est, qui rixam iniquam cum altero habuit, & amici ejus forte advenientes, occiderunt illum ejus intuitu, quamvis præter ejus voluntatem, quia rei illicitæ dabat operam.

Artem Chirurgicam exercere, sacratis Ministris vetitum.

Ex fortuito homicidio irregularitas contrahitur defectu debitæ diligentiæ, & cautionis.

III. Ex fortuito homicidio, vel mutilatione irregularitatem pariter contrahunt, qui defectu debitæ diligentiæ hominem interficiunt, vel membro aliquo mutilant, quamvis rei licitæ operam darent. Id colligitur ex Canone *Hi qui arbore*, qui *Nicolao* Papæ tribuitur, dist. quinquagesima: „ Hi, „ qui arbores incideres videntur, si contigerit, ut cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt, atque innoxii: quia nec voluntate eorum, „ nec desiderio homicidium perpetratum est. Si vero aliqua culpa eorum „ vel neglectu, morientis hominis interitus cognoscitur advenisse: abjiciendi sunt a Gradu, & in Sacro Ordine nullatenus suscipiendi.

Item ex Canone *Sæpe*, qui est Concilii Vvormatiensis XXIX. Sæpe contingit, dum quis operi necessario insistens, arborem inciderit, ut aliquis „ subtus ipsam veniens deprimatur. Et idcirco, si voluntate, vel negligen- „ tia incidentis arborem factum est; ut homicida Pœnitentiæ debet omni- „ no submitti. Quod si non voto, non incuria illius, non denique scien-

„ tia

„ tia contigit, sed dum ille operi necessario fortassis incumberet, iste in„ speratus occurrens sub arbore improvisus devenit, & sub ipsa oppressus „ est: incisor arboris non tenetur pro homicida.

Idem confirmatur ex cap. *Presbyterum*, Extra, *De Homicidio*, quo *Alexander III.* ab Altaris Ministerio, & ab omni Officio Sacerdotali perpetuo removendum esse respondet *Presbyterum*, qui puerum *Intuitu disciplinæ* percusserat *in capite, si ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse*. Ob eamdem rationem Presbyter, qui quemdam e familia sua corrigere volens, cingulo verberavit, & gladio e vagina eidem cingulo appensa casu elapso, eum in dorso aliquantulum vulneravit. Irregularis censetur, etsi homo convaluerit ex vulnere, & alia graviori infirmitate correptus obierit, dubium enim est, utrum ex vulnere secuta sit gravior illa, & lethalis ægritudo: illum vero Presbyterum debitam diligentiam non adhibuisse, certum est. At in dubio utrum aliquis sit Irregularis, abstinere debet a Sacris Ministeriis, ut respondet *Clemens III.* cap. *Ad audientiam*, Extra. *De Homicidio*, cujus hæc sunt verba: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in Sacris Ordinibus non ministret: injuncta tamen Pœnitentia congruenti, sibi poteritis concedere, ut Minoribus Ordinibus sit contentus.* Similis est casus Capitis, *Significasti*, Extra. *De Homicidio*, Quidam Maleficus ingressus Ecclesiam, Sacram Eucharistiam cum Altarium ornamentis, & Libris Ecclesiasticis extra abstulerat. Presbyter Ecclesiæ sacrilegum furem fossorio arrepto percussit: Parochiani arreptis gladiis, & fustibus protinus occiderunt. *Innocentius III.* rogatus respondet: *Si discerni non possit, ex cujus ictu percussus* interiit, *in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos: & si forte homicida non sit, a Sacerdotali Officio abstinere debet: cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare; pro eo quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur.* Idem confirmatur ex cap. *Petitio* ibidem.

De Irregularitatibus.

Tandem, qui aggressorem repellendo homicidium committit, Irregularis pariter est, nisi moderamen inculpatæ tutelæ tenuerit, id est, nisi ad eas redactus fuerit angustias, ut mortem sibi ab aggressore probabiliter imminentem aliter evadere non posset. Ita respondet *Innocentius III.* Extra. *De Homicidio*, cap. *Significasti*, mox citato: *Si vero* (inquit) *Sacerdos iste prius ab illo percussus sacrilego, mox eum cum ligone in capite repercussit: quamvis vim vi repellere omnes Leges, & omnia Jura permittant: quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam: non videtur idem Sacerdos a pœna homicidii penitus excusari: tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit, quod cum grave sit, non solet levem plagam inferre: tum ratione partis, in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis lethaliter solet lædi.* Idem confirmatur ex cap. *Suscepimus*, ibidem, quo *Alexander III.* duos Monachos reos declarat, quorum alter latrones ligaverat, qui noctu domum ingressi ipsos turpiter in personis affligere, & vestimentis propriis denudare præsumpserant: alter vero, cum frater rem ad Abbatem relaturus, eos in fratris custodia ligatos dimisisset, & fures se solvere niterentur (ne ab eis occideretur) occidit. Istum Pontifex Irregularem declarat: *Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus, & transitoriis tam acriter in alios exardescere.* Et utrumque peccatum suum expiare jubet ad arbitrium Abbatis: quia constat latrones, *contra mansuetudinem Ecclesiasticam, ex utriusque ope interemptos*.

Homicidium ob necessariam vitæ defensionem casu commissum non inducit irregularitatem si vero servatum non sit moderamen inculpatæ tutelæ contrahitur Irregularitas.

Idem confirmat Clementina: *Si furiosus*, Tit. *De Homicidio*, his verbis: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex*

hoc

hoc Irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem. Igitur e contrario; si mortem aliter vitare valens aggressorem suum interficiat, in Irregularitatem incurrit.

Tridentina Synodus optat ut cum homicida voluntario nec ad Sacros Ordines, nec ad Beneficiatum quam dispensetur.

Id denique confirmat Concilium Trident. Sessione XIV. cap. VII. De Reformatione: *Cum etiam* (inquit) *qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias ab Altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit; nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi Curam non habeant Animarum, conferri liceat: sed omni Ordine, ac Beneficio Ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris Ministerium, & Beneficia quæcumque, ac Dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo; qui nonnisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit*. Qui ergo invasorem suum cum moderamine inculpatæ tutelæ repellens, casu occiderit, ad Summum Pontificem nihilominus confugere debet ac interim a Sacris Ministeriis abstinere, donec Episcopus ex Mandato Summi Pontificis causa cognita, dispensationem ipsi Jure quodammodo debitam indulserit.

IV. Qui procurat abortionem fœtus animati, aut illius quovis modo causa est, etiam fortuito, & præter intentionem, est Irregularis, ut respondet *Innocentius III.* cap. *Sicut*, Extra. *De Homicidio.*

Qui procurat abortionem fœtus animati, etiam fortuito, est Irregularis.

V. Quæ de homicidio diximus, quatenus causa est Irregularitatis, breviter explicat *Sanctus Thomas*, in IV. *Sententiarum* distinct. XX. quæst. II. art. II. Quæstiuncula II. *Omnes* (inquit) *Ordines referuntur ad Sacramentum Eucharistiæ, quod est Sacramentum pacis nobis per Sanguinem Christi effusum factæ: & quia homicidium maxime contrariatur paci, & homicidæ magis conformantur occidentibus Christum, quam ipsi Christo occiso, cui omnes Ministri prædicti Sacramenti debent conformari; ideo de necessitate præcepti est, quod non sit homicida, qui ad Ordines promovetur; quamvis non sit de necessitate Sacramenti.*

Et in Responsione ad tertium: *Nullus* (inquit) *facit nisi illud, cujus causa est; quod est voluntarium in homine: & ideo ille, qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec Irregularitatem incurrit, nisi dederit operam rei illicitæ, vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia jam quodammodo efficitur voluntarium: nec hoc est propter hoc, quod culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur Irregularitas: & ideo etiam ille, qui se defendendo in aliquo casu, nec peccat homicidium committendo, nihilominus Irregularis est*. Ob hanc rationem, qui absque consilio Medici potionem dedit infirmo, ex qua mortuus est, quamvis bono animo fecerit, est Irregularis, quia dabat operam rei illicitæ, cum non esset peritus artis, ut rursus colligitur ex Cap. *Tua nos*, Extra. *De Homicidio*. Unde custodientes infirmum, & dantes aquam, vel vinum contra, vel præter Medici præceptum, unde mors est sequuta, sunt Irregulares. Item, qui infirmum morti proximum loco movent, quo fit ut citius moriatur, sunt Irregulares, si debitam non adhibuerint diligentiam.

AR-

ARTICULUS IX.

De Impedimento ex defectu perfectæ lenitatis.

I. HOmicidii voluntarii, aut mutilationis perpetratio, sive procuratio, si absque culpa sit, qualis fit e Judicibus, Notariis, lictoribus, carnificibus, dum suo juste funguntur Officio, item ab accusatoribus, denunciatoribus, & testibus in causa criminis, si mors, aut mutilatio sequatur; necnon a Militibus in Bello justo vulnerantibus, & occidentibus, parit Irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis; ut colligitur ex Canone *Si quis viduam*, dist. quinquagesima, & ex cap. *Ad audientiam*, Extra. *De Homicidio*, item ex cap. *Petitio*, eodem Tit. & ex cap. *Clericis*, quod est *Alexandri III.* Responsum: *Clericis* (inquit) *in Sacris Ordinibus constitutis, ex Concilio Toletano* judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas. Quod si quis tale quid fecerit, honore privetur, & loco.* Idem confirmatur ex cap. *Sententiam*, Extra. *Ne Clerici, vel Monachi negotiis sæcularibus se immisceant*, qui Concilii Lateranensis sub *Innocentio III.* Canone XVIII. est. Testes vero a Judice compulsi non censentur Irregulares secundum Jurisprudentiam Gallicanam, moresque, & usum hujus Regni; quia causa proxima mortis reorum non habentur, sed remota dumtaxat. Idem esto de Notariis judicium; sed aliarum Ecclesiarum disciplinæ, ac moribus Gallicani mores non præjudicant.

Clericis judicium sanguinis exercere, aut ad illud concurrere non licet.

* Concilium Toletanum 6. Can. 31.

Testes a Judice compulsi, & Actuarii, in Gallia non sunt Irregulares.

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* distinct. XXV. quæst. II. art. II. Quæstiunc. II. in Responsione ad secundum: *Irregularitas* (inquit) *non incurritur propter peccatum tantum, sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad Sacramentum Eucharistiæ ministrandum: & ideo Judex, & omnes, qui in causa sanguinis ei participant, sunt Irregulares propter hoc, quod effusio sanguinis non decet Ministros tanti Sacramenti.*

II. Episcopus, seu quicumque alius Prælatus, aut Clericus, Jurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in Jurisdictione sua commisso, Baillivo suo, aut alii cuicumque injungat, ut super hoc veritatem inquirens justitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet: quamvis ipse Baillivus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit justitia mediante. *Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat; eas tamen (cum Jurisdictionem obtinent temporalem) debent & possunt, metu Irregularitatis cessante, aliis delegare.* Sic respondet *Bonifacius VIII.* cap. *Episcopus*, Tit. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant, in Sexto.*

Prælati Jurisdictionem temporalem habentes possunt per suos Officiarios criminalem Jurisdictionem exercere.

III. Nec etiam in Irregularitatem incurrunt Clerici, qui de injuriis, damnisque sibi illatis contra malefactores suos querelas deferunt ad Judicem, & *emendam* exposcunt, si Judex mortem illis inferat justitia exigente: *Modo protestentur expresse, quod ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt. Alioquin si Prælati, aut Clerici, propter metum hujusmodi, quia Judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona libere deprædandi.* Responsum est ejusdem Pontificis, cap. *Prælatis*, Tit. *De Homicidio, in Sexto.* Si tamen ea conquerentium intentio est, ut ad mortem damnentur malefactores illi, Irregulares erunt, quibuscumque verbis intentio ista dissimuletur: licet Ecclesia illos ab Ordinum susceptione, vel executione non prohibeat, nisi hujusmodi intentionem ipsorum confessione, vel probatione compertam habeat; ut observat Cardinalis Ostiensis in Summa, Tit. *De Homicidio*, §. IV. num. 5.

An Irregularitatem contrahant Clerici, qui injuriam propriam in causa criminali persequuntur?

IV. Princeps Legem condens, cujus auctoritate rei morte damnandi ſunt, non fit Irregularis, quia Leges non feruntur ad mortem inferendam, ſed ad criminum licentiam reprimendam ſuppliciorum metu, ut docet *S. Antoninus*, III. Part. Tit. XXVIII. cap. II. Nec etiam Irregularis eſt, qui auctor eſt Principi, ut Legem ferat, qua certorum criminum rei, morte digni, capite plectantur.

V. Qui auctor eſt, ut capiatur maleficus, non ideo fit Irregularis, etiamſi is, qui capit maleficum, eum occidat, quia de licito opere conſilium dedit, nec illius occiſionem juſſit, ſuaſit, vel ſuggeſſit, ut docet *Innocent. IV.* in cap. *Ad audientiam*, Extra. *De Homicidio*.

Ad varios caſus Reſponſa.

VI. Qui homicidium pro ſe fieri mandavit, ab Irregularitate immunis eſt, ſi contrarium mandet, antequam crudele Mandatum impleatur, vel ſi pacem ineat cum eo, cujus cædem imperaverat, vel affinitatem, aliamve amicitiam cum eo contrahat, ſciente eo, cui Mandatum dederat, ut eum interficeret: cum enim alterius Mandato, & in ejus gratiam homicidium perpetraturus eſſet, contrario Mandato, vel contraria voluntate Mandantis oſtenſa, Mandatarius ab homicidio niſi abſtineat illi ſoli, & non Mandanti imputatur, ut docet ibidem *Innocentius IV.*

VII. Qui conſilium de perpetrando homicidio dedit, ab Irregularitate non eſt immunis, niſi primum conſilium revocaverit, & contrarium ſuaſerit; imo & illi, de cujus morte tractatum eſt, denuntiaverit, ut ſibi caveat, ſi probabiliter exiſtimet, eum, cui conſilium immane dederat, a cædis propoſito non fuiſſe revocatum.

VIII. Irregularis eſt, qui in aliqua rixa, vel duello impedit aliquem, ne ſe defendat, ne fugiat; aut prohibet, ne aliquis cohibeat impetum aggreſſoris, ne aut rixantes, vel pugnantes vi compeſcat, vel auctoritate. Id colligitur ex cap. *Sicut dignum*, quod *Alexandri III.* Reſponſum eſt. Extra. *De Homicidio*, §. *Illi etiam*. Sic enim loquitur: *Illi etiam, qui non ut ferirent, ſed ut percuſſoribus opem ferrent, ſi forte per aliorum violentiam impedirentur, paulo minori debent pœna mulctari: quia cum ſcriptum ſit*; Qui potuit hominem liberare a morte, & non liberavit, eum occidit: *Conſtat ab homicidii reatu immunes non eſſe, qui occiſoribus opem contra alios præſtare venerunt: nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.*

Spectat illud Prov. 22. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes.

IX. Non eſt Irregularis Confeſſarius, qui negat Abſolutionem Magiſtratui ſceleratum punire nolenti ſecundum Leges, quamvis Lex ipſum capitis damnari jubeat; modo generatim loquatur, neque mortis pœnam directe ſignificet inferendam. Eadem ratione Confeſſarius, abſque metu Irregularitatis urgere poteſt reum juridice interrogatum, ut capitale crimen ſuum legitimo Judici confiteatur. Nec etiam periculum Irregularitatis incurrunt Sacerdotes, qui Caſtra ſequuntur, cum Milites adhortantur; ut ſtrenue pugnent pro patria, pro Rege in bello juſto; quia nec facto, nec auxilio, nec præcepto, neque conſilio ſunt auctores homicidii; ſed ſolum hortantur Milites, ut officio ſuo fungantur.

X. *Qui mandat aliquem verberari; licet expreſſe inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur. Irregularis efficitur, ſi Mandatarius fines Mandati excedens, mutilet, & occidat; cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire poſſe debuerit cogitare.* Reſponſum eſt *Bonifacii VIII.* Tit. *De Homicidio, in Sexto. Cap. Is qui.*

XI. Reorum ſuppliciis, aut vindictæ ſanguinis intereſſe Clericos prohibent Canones: non ſunt tamen Irregulares, qui funeſti illis ſpectaculis interſunt, niſi auctoritatem præſtent, vel auxilium. Id colligitur ex cap. *Sen-*

tentiam

tentiam, Extra. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*: quod ex Concilio Lateranensi sub *Innocentio III.* sumptum est, ex Glossa, & ex Innocentii Quarti Commentario. Verba Canonis subjicio. *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, intersit*. Ubi sic habet Glossa: *Sed si interest tantum, nunquid propter hoc efficitur Irregularis, ut propter hoc deponatur? Non videtur, quod debeat deponi: sed alias debet puniri, quia interfuit contra præceptum hujus Canonis*. Innocentius IV. in Commentario ejusdem capitis, explicans hoc verbum, *Intersit*, eidem sententiæ suffragatur: *Hoc* (inquit) *non facit Irregularitatem, nisi auctoritatem præstet, vel auxilium*. Clericis, qui ad locum examinationis reorum, ut Sententiam capitis in eos ferendam audirent, aut ad locum patibuli, ubi extremo supplicio erant plectendi, ut ferali spectaculo pascerent oculos, accedebant, honoris periculum comminatum est Concilium Matisconense II. Canone XIX.

Qui carnificem hortatur, ut furciferum citius interficiat, ne diu vexetur, quamvis bono animo id faciat, Irregularitatis periculo se exponit. Item, si forte reus præfocatus, & strangulatus non fuerit, sed post suspensionem adhuc vivat & aliquis moneat carnificem eo animo, ut illi mortem inferat, vel ipsi auctor sit, ut Sententiam omnino exequatur, vel ne diutius languere, & pati sinat miserum, Irregularitatis periculum subit. An autem vere sint irregulares, inter Doctores omnes non convenit. Qui enim censent ad Irregularitatem requiri, ut aliquis causa mortis proxima sit, quæ opinio in Galliis fere obtinuit, hos irregulares non censent: quamvis magnæ imprudentiæ rei sint, & contra mansuetudinem Ministerio suo convenientem peccent. In dubio tamen abstinere debent a sacris functionibus, & Dispensationem a Summo Pontifice humiliter postulare, quia *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*. Ext. De Homicid. c. 12.

ARTICULUS X.

De Impedimento infamiæ.

INfamia, una est *juris*, altera *facti*. Infamia juris ab ipso quidem Jure inducitur, sed consequenter ad Sententiam Judicis, qua reus criminis quis declaratur. Infamia facti ea est, quam gravia crimina suis auctoribus inurunt, ex quo satis nota sunt, & pervulgata. Utramque comitatur Irregularitas, ut constat ex Canone *Infames*. Causa VI. quæst. I. & ex Regula Juris 87. in Sexto: *Infamibus portæ non pateant dignitatum*. Contrahitur aliquando infamia delicto vero, quandoque præsumpto. Quamobrem innocens, qui falsis testimoniis, præsumptionibus, aut instrumentis oppressus, capitali pœna, exilio, carcere, aut ad triremes damnatus est in foro sæculari; aut Reus pronunciatus alicujus criminis, cui est annexa infamia, in Judicio Ecclesiastico, incapax est Ordinis, Beneficiorum, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ suscipiendorum, vel exercendorum, ut compertum est ex Canonibus Causa II. quæst. V. & toto Titulo *De Purgatione Canonica* relatis. Infamia facti tollitur notoria morum emendatione. Infamia Juris non tollitur nisi Purgatione Canonica, aut Romani Pontificis Dispensatione. Quamvis ergo aliquis sit innocens, si tamen damnatus sit, ut reus criminis, quod infamiam auctori suo inurit, tenetur in Foro exteriori pro Irregulari se gerere, quousque innocentiam suam probaverit, & Sententia Judicis ejusdem, vel Superioris fuerit absolutus; vel Dispensationem a Sede Apostolica obtinuerit. Sic respondi Titio, qui exilio damnatus fuerat ob stuprum, cujus tamen se insontem contestabatur, & per calumniam oppres-

 sum.

ſum. Sic reſpondi Sempronio, qui in Monaſterio ſuo carcere damnatus, & recluſus, effracto carcere aufugerat, & Religioſo habitu depoſito, velut ſæcularis Presbyter converſabatur, integra manente Sententia, quam aperte iniquam eſſe cauſabatur; cum tamen innocentiam ſuam Superioribus Majoribus non approbaſſet.

CAPUT V.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

„ QUanto quis honoris gradu, atque dignitate præſtat, tanto ceteris omni virtutum genere debet excellere. Ejus enim vita omnium oculis ſic expoſita eſt, ut inde bene, vel male vivendi communiter exempla duci ſoleant. Ex quo, ut vitioſi Principes, ſic flagitioſi Sacerdotes, perniciose de Republica merentur, quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem: præter quam quod efficiunt, ut ipſorum dignitas per ſe præclara, atque laudabilis, odio, atque contemptui apud impium, vel malitioſum hominum genus habeatur. Ideoque Clerici, qui in ſortem Domini vocati ſunt, non ſolum ab omni vitiorum turpitudine abeſſe, ſed etiam omni virtutum genere ornari debent: *Spectaculum facti*, (ut ait Apoſtolus) *Mundo, Angelis, & hominibus. Nemini dantes ullam offenſionem, ne vituperetur ipſorum miniſterium, ſed in omnibus exhibentes ſemetipſos ſicut Dei Miniſtros*. Verba ſunt Concilii Burdigalenſis, anno 1582. celebrati. Quæ autem pertinent ad vitam, & honeſtatem Clericorum certis Regulis exponemus.

1. Cor. 4. 9. 2. Cor. 6.

REGULA I.

Clerici pœnis Canonicis ab Epiſcopis compelli poſſunt, & debent, ut Tonſuram Clericalem, Veſteſque Ordini ſuo congruentes geſtent.

De vita, & honeſtate Clericorum.

CAnonum enim obſervationem urgere debent Epiſcopi, ea, quæ ipſis divinitus tradita eſt a Chriſto, poteſtate. Canones porro Clericis præcipiunt, ut Tonſuram Clericalem, veſteſque decentes, & Ordini ſuo congruentes geſtent.

Honeſtas & modeſtia in habitu.

Concilium Carthaginenſe IV. Canone XLV. *Clericus profeſſionem ſuam & habitu, & inceſſu probet: & ideo nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærat.*

Trullana Synodus, Canone XXVII. *Nullus eorum, qui connumerantur in Clero, veſtimentum indecens habeat, ſive in civitate degens, ſive in itinere ambulans: ſed ſtolis utatur, quæ conceſſæ ſunt Clericis. Si vero quis tale quid fecerit, per unam hebdomadam ſuſpendatur*. Refertur Can. *Nullus* Cauſa XXI. quæſt. IV.

Zacharias Papa in Synodo Romana, Canone III. *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſæcularibus indumentis non utantur, niſi, ut condecet, Tunica Sacerdotali: ſed neque dum ambulaverint in civitate, aut in via, aut in plateis, ſine operimento præſumant ambulare, præter ſi in itinere longo ambulaverint: quia ſicut mulier orans in Eccleſia non velato capite deturpat caput ſuum, juxta Apoſtoli vocem: ita Sacerdos ſine operimento deturpat Sacerdotium ſuum. Quod ſi temere præſumpſerit contra Statuta agere, communione privetur*. (ibidem Can. *Epiſcopi*.)

Leo

Leo IV. in Synodo Romana, Can. XII. *Sine Ornatu Sacerdotali extra domos Sacerdotes apparere non convenit... Contrarius inventus, aut desinat, aut Canonicæ subjaceat Disciplinæ* (Can. *Sine*, ibidem.)

Concilium Lateranense sub *Innocentio II.* Can. IV. *Præcipimus, ut tam Episcopi, quam Clerici, in statu mentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere studeant; & nec in superfluitate, scissura, aut colore vestium, nec in Tonsura intuentium, quorum forma, & exemplum esse debent, offendant aspectum: sed potius, quod eorum deceat sanctitatem præ se ferant: quod si moniti ab Episcopis emendare noluerint, Ecclesiasticis careant Beneficiis.*

Concilium Matisconense I. anno quingentesimo octogesimo primo celebratum, Canone V. statuit, *Ut nullus Clericus sagum, aut vestimenta, vel calceamenta sæcularia, nisi quæ Religionem deceant, induere præsumat. Quod si post hanc definitionem Clericus, cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, a Seniore ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus, aqua tantum, & modico pane diebus singulis sustentetur.*

Gregorius IX. Cap. *Si quis*, Ext. De Vita, & Honestate Clericorum: *Si quis ex Clericis comam relaxaverit; Anathema sit.*

Concilium Carthaginense IV. Canone XLIV. *Clericus neque comam nutriat, neque barbam.* (Cap. *Clericus*, ibidem.)

Alexander III. Cap. *Clericus*, 2. ibidem: *Clerici, qui comam nutriunt, & barbam, etiam inviti a suis Archidiaconis tondeantur.*

Concilium Lateranense sub *Innocentio III.* Can. XVI. *Clerici Coronam, & Tonsuram habeant congruentem ....Clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda.*

Concilium Tridentinum, Sessione XIV. cap. VI. De Reformatione: Quia „ vero etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes „ proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus ex- „ trinseci morum honestatem intrinsecam ostendant: tanta autem hodie a- „ liquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam di- „ gnitatem, & honorem Clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant „ publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in „ carnalibus: propterea omnes Ecclesiasticæ Personæ quantumcumque exem- „ ptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut Dignitates, Personatus, Officia, „ aut Beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint; si, postquam ab E- „ piscopo suo, etiam per Edictum publicum, moniti fuerint, honestum „ Habitum Clericalem, illorum Ordini, & Dignitati congruentem, & jux- „ ta ipsius Episcopi Ordinationem, & Mandatum non detulerint, per Suf- „ pensionem ab Ordinibus, ac Officio, & Beneficio, ac fructibus, reddi- „ tibus, & proventibus ipsorum Beneficiorum; necnon, si semel correpti, „ denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem Officiorum, & Be- „ neficiorum hujusmodi coerceri possint, & debeant: Constitutionem CLE- „ MENTIS V. in Concilio Viennensi editam, quæ incipit, QUONIAM, „ innovando, & ampliando.

Concilium Mediolanense I. Cap. XXII. „ Presbyteri, Diaconi, Subdiaco- „ ni, ceterique Clerici, Clericali Tonsura sint insigniti ad eam formam, „ quam ratio uniuscujusque Ordinis, Episcopi arbitrio postulabit. Ita sint „ abraso capillo, ut Tonsura conspicua sit omnibus. Comam vero, & bar- „ bam, ne studiose nutriant: capillis simplicem cultum adhibeant. Ne in „ Habitu Clericali, aut studiosius exquisita cultus elegantia, aut nimis ab- „ jecta negligentia, & affectatæ sordes appareant. In omni vestitu color „ tantum niger adhibeatur: nisi fortasse alium colorem requirat dignitatis „ gradus. Omnem habitus, & ornamenti novitatem Clerici fugiant. Ne

„ serico vestimento, aut ornamento domi, vel foris utantur. Jubentur vero illos laneum, & ei Ordini decorum vestimentum adhibere. Reticulum, aut subbirretum (ut vocant) ne ferant, nisi valetudinis causa, & sine redimiculis. Camisias ad collum, & ad manus crispas, & rugosas, vel artificio elaboratas reiiciant. Collare simplex, ac modice latum honeste reclinetur. Extrema vestis simplex, ac talaris erit.

Eadem pene præcipiunt Concilium Burdigalense anno MDLXXXIII. Cap. XI. Bituricense anno MDLXXXIV. Tit. XXV. *De Clericis*. Aquense anno MDLXXXV. Tit. *De Vita, & Honestate Clericorum*, breviores quidem vestes in itinere permittit, sed ne omnino supra genua sint, vetat. Tolosanum anno MDXC. P. I. Cap. IV. ubi & *Sixti V.* Constitutionem de Habitu, & Tonsura Clericorum, quæ incipit, *Cum sacrosanctum*, observari jubet. Avenionense, Cap. XXXI.

REGULA II.

Modestiam in vestibus, & in domestica suppellectili, necnon frugalitatem in Mensa, Clerici quavis Dignitate fulgentes, & quantumlibet divites servare tenentur.

Clericorum modestia, & frugalitas.

HAnc Regulam tradit Concilium Carthaginense Quartum, cui *S. Augustinus* intererat, Canone XV. *Episcopus vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide, & vitæ meritis quærat.*

Eamdem Regulam confirmat Sacra Synodus Tridentina Sessione XXV. Cap. I. De Reformatione: *Optandum est* (inquit) *ut ii, qui Episcopale Ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & Fideles reliquos ad Religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint, non ea, quæ Mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam Ecclesiasticam Disciplinam præcipua esse Sancta Synodus animadvertat, admonet Episcopos omnes, ut secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus (quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) se Muneri suo conformes ostendant. In primis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum jubet, ut Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat.* Quæ Lex Episcopis a sacro Concilio posita est, multo magis secundi Ordinis Sacerdotes, splendidis licet, ac opimis Beneficiis auctos, & Patrimonio locupletes, & natalium claritate illustres adstringit.

Nec est, quod tuendum suæ dignitatis splendorem obtendant. Hanc enim excusationem egregie depellit *S. Bernardus* Libro IV. *De Consideratione*, Cap. II. *Vides* (inquit) *Ecclesiasticum zelum fervere pro sola Dignitate tuenda? Honori totum datur; Sanctitati nihil, aut parum. Si causa requirente paulo summissius agere, ac socialius te habere tentaveris: Absit* (inquiunt) *non decet, tempori non congruit, majestati non convenit: quam geras personam attendito. De placito Dei ultima mentio est; pro jactura salutis nulla cur-*

cunctatio: nisi quod sublime est, hoc salutare dicamus, & quod gloriam redolet, id justum: ita omne humile probro ducitur, ut facilius, qui esse, quam qui apparere humilis velit, invenias.

Et *Petrus Blesensis*, Epistola xv. ad filium cujusdam Comitis electum Episcopum Carnotensem: *Si te* (inquit) „ illius discipulum profiteris, qui „ venit ministrare, non ministrari; sic ministrabis pauperibus, ut non vi- „ tuperetur ministerium tuum; ut Patrimonium Christi, & pauperum ejus, „ quod tibi commissum est, in egentium necessitates, non in usus extra- „ ordinarios expendatur. Patrimonii hujus zelator est Dominus, rationem Psal. 10. 13. „ tecum districtissimam positurus,& usque ad novissimum quadrantem exi- „ get universa. Sane propter hoc irritavit impius Deum. Dixit enim in „ corde suo, Non requiret. Sed certe requiret. Nec te poterunt excusabi- „ lem reddere tuæ generositatis eminentia, & numerositas clientelæ. Si „ quia filius Comitis, aut consobrinus Regis es, manu effusiore teneris ex- „ pendere: necessitas hæc Christi Patrimonium non contingit, expensas, „ quas de rebus mundanis fecisses, alias fortassis enormes pro tua genero- „ sitate, debet in rebus Ecclesiasticis Episcopalis Modestia exhibere.

R E G U L A III.

Abstinere debent Clerici a cohabitatione, & frequentatione suspectarum mulierum, necnon consanguinearum, quas Canones ab eorum ædibus excludunt.

ITa sanxit Nicæna Synodus Canone III. *Interdixit per omnia Magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi forte, aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt.* Concilium Carthaginense IV. Canone CII. declarat *Ad reatum Episcopi pertinere, si vel sustentandæ vitæ præsentis causa Viduæ, vel Sanctimoniales Clericorum familiaritatibus subjiciantur.* Ancillas habere sacris hominibus vetant Concilium Aurelianense II. Canone quarto, Toletanum II. Canone tertio, Matisconense Canone primo; Arvernense, Canone xv. & xvi. Turonense II. Canone undecimo. Tam sanctæ disciplinæ violatoribus minas excommunicationis intentant Aurelianense v. Canone III. *Nullus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, extranearum mulierum intra domum præsumat habere solatium, quibus etiam pro utilitate sua aliqua familiarius regenda committat. Quod etiam de propinquis fœminis indicentes similiter prohibemus; ne sub concessa sibi licentia parentali, ex earum sequipedis memoratorum vita, vel opinio polluatur.* Concilium Bracarense III. Canone quarto, solam matrem excipit, non sorores, aut propinquas: *Ne licentia sororum, aut propinquarum mulierum, quisquam solus familiarior habeatur ad perpetrandum scelus.* Hujus præcepti transgressores sex mensibus Pœnitentiæ subdit. Concilium Forojuliense Canone quarto, omnes omnino mulieres, etiam consanguineas propinquioris gradus, a domo, & cohabitatione sacrorum hominum excludit. „ Et quamquam (in- „ quit) de quibusdam inhonesta carentibus suspicione, clementius aliquo „ modo inibi legatur indultum: nos tamen omnes omnino necessarium „ vetare prospeximus; eo quod experimento didicerimus: illarum vela- „ mento alias licentius ad eos aditum veniendi, perditionis causam habuis- „ se. Concilium Metense Canone III. Nequaquam in sua domo secum ali- „ quam fœminam habeant, nec matrem, nec sororem; sed auferentes omnem „ occasionem Satanæ, Angelicam vitam ducant, & Domino Deo casto corpore,

Cohabitatio, & familiarior conversatio cum mulieribus Clericis vetita.

„ & mundo corde fine tenus serviant. *Concilium Nannetense Canone* III. Pro-
„ hibendum, & modis omnibus interminandum est, ut nullus Sacerdos eas
„ personas fœminarum, sicut & in Canone insertum continetur, de quibus
„ suspicio esse potest, in domo sua habeat, sed neque illas, quas Canones
„ concedunt: (quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpe-
„ tratum reperitur, aut etiam in pedissequis illarum,) scilicet matrem, ami-
„ tam, sororem: sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui
„ sit necessaria sustentatio Presbyteri, habeat in vico, aut in villa domum lon-
„ ge a Presbyteri conversatione, & ibi eis subministret, quæ necessaria sunt *In-
„ sertus est hic Canon Lib.* VII. *Capitularium*, *Cap.* CCCLXXVI. *Concilium Aquense*
„ *vetat*, *ne Clerici* cum mulieribus cujusvis generis, & conditionis cohabitent,
„ præterquam cum matribus, & sororibus, sine Ordinarii licentia scriptis
„ concessa: *nec ancillas habere permittit*, nisi quæ annum quinquagesimum æta-
„ tis exegerint, & vitam non suspectam duxerint.

S. Carolus Borromæus in Admonitionibus ad Sacerdotes, & Clericos in Concilio Mediolanensi IV. probatis, hanc Regulam confirmat. „ Ad castitatem
„ (inquit) conservandam, munite omnem viam .... Suspectarum autem
„ mulierum consortium omnino vitate .... Cum aliis vero quibusvis mu-
„ lieribus, quamvis, vel arctissimo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo
„ vobis illæ conjunctæ sint, ne in eisdem domiciliis ædibusve simul habitate,
„ nisi cum ex causa alicui vestrum aliquando Episcopalibus litteris permissum
„ sit. In famulatu Laicorum ne sitis, multo minus fœminarum, quamvis No-
„ bilium. Ne vero illas Musicam, litterasve docete, nisi scripta nominatim fa-
„ cultate ab Episcopo permissum cuiquam sit. *Concilium Avenionense anno*
„ MDXCIV. Caveant Clerici, ne partem domus, quam inhabitant, Laico ha-
„ benti uxorem, vel alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, etiamsi sit
„ frater, locent. *Idem Concilium ancillas Clericis non concedit*, *nisi* sint prove-
„ ctæ ætatis, quæ scilicet quinquagesimum annum expleverint, nec alias im-
„ pudice vixerint, nec nisi licentia prius in scriptis obtenta ab Ordinario.
Horum Decretorum ratio est, ne antiqui Hostis fraude Clerici decipiantur, ne Templum Dei violare ipsos contingat, quod qui violaverit, disperdet illum Deus: ne profanorum hominum oblocutionibus pateant, & vituperetur Ministerium nostrum. Ut enim ait Auctor Libri *De Singularitate Clericorum*, inter Opera S. Cypriani *editi*: „ Noxia est Innocentia, quæ Sponsæ Christi
„ officit famæ. Et cum Christus Agnus innocens, imo ipse cœlestis innocen-
„ tia, totum se contempserit pro Ecclesia, ut eam sine macula ulla, vel ru-
„ ga redderet illibatam; qualis est Clericus, cui ad hoc Sponsa Christi com-
„ mittitur, ut pro unius fœminæ amore culpari totam Ecclesiam patiatur?
„ Audemus dicere, a Deo Patre missus est Filius de sinu Patris, & Regno
„ absens esse duravit, ut Ecclesiam faceret innocentem, & Clericus mulieris
„ deserere non potest, ne Christi Ecclesiam reddat infamem? *Et infra*, *Cle-
„ ricos sic alloquitur*: Contemplamini, quid sit Populo sancto præesse, & con-
„ siderate, quale sit divinis Sacramentis insistere. Alteris placere debent, qui
„ alteris vivunt; & talis convenit cura sinceritatis Sacratis, qualia sunt Sacra
„ ipsa, quibus exhibent officia servitutis; ne circa Dominum offendant ipsi,
„ quod tractant, aut circa Populum incipiant impedire, quod prædicant. Pro-
„ pter quod Apostolus, sic testificatur: Et omnia sustinemus, ne quod impedi-
„ mentum demus Evangelio Christi. Et iterum: Nemini dantes ullam offensio-
„ nem, ut non vituperetur Ministerium nostrum ..... Unusquisque qui securus est,
„ quia necdum tentatur, timeat; quia nihil de illo dicitur, prospiciat ne dica-
„ tur; Homines sumus, fragilitatem nostram carne portamus. Accipimus
„ quidem fortitudinem spiritualem, per quam substantiæ nostræ fragilitas

„ roboretur: sed ita nobis spiritualis fortitudo collata est, ut providos, non „ ut præcipites tueatur: ut illos muniat, qui renunciat importunitatibus de„ lictorum, non eos, qui se magis importunis delictis immergunt. Custos no„ bis datus est Spiritus, sed ut contraria declinantibus assistendo subveniat, „ non ut contraria eligentibus faveat, nec ut voluntarios, & pronos in ad„ versa confortet, sed ut ab adversis nitentes separari confirmet. Nam qui„ cumque perniciosis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet „ Spiritus Sancti, qui neminem vult ultroneum virum fortem ad fraudulentas „ victorias coarctari; nec protegit eum, quin imo deserit, quem periculis irruen„ tem per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit, sicut ipse jam tunc „ per Salomonem locutus est dicens: *AMANS periculum in ipso peribit* . . . . . Ecc. 3. 27.
„ Rogo vos, hæc sint studia omnium Clericorum, ut singularitatis inaccusabi„ lis secessione fungantur: ne aut ipsi per fœminas, aut fœminæ per illos ad igno„ miniosa ludibria provocentur. Si quis habet matrem, vel filiam, vel sororem, „ vel conjugem, vel cognatam, sic habeat, ut nulla ancilla intersit, neque ali„ qua ingrediatur extranea; ne ad hoc videatur tenere proximas suas, ut ipsa„ rum causa libere sibi adhibeat alienas: quod si non possunt ipsæ, quæ sunt „ proximæ, sine famularum ministerio, vel sine amicarum esse solatio; expe„ dit, ut migrent ad aliud domicilium, quam propter illas personæ contra„ riæ teneantur. Humanum est enim, ut nec Clericus illas necessariis fœmi„ nis fraudet, nec ipsæ Clericum per importunas fœminas sordident. Assi„ gnari possunt sanctis mulieribus, cum quibus vivant, dummodo cum Cle„ rico fœmina nulla commaneat. Non despecta, non vetula sine affinitate, „ peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium: quia magis illicito „ delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum, maxime „ quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidii, vel vilis exi„ stit, sed Diabolus pingens speciosum efficit, quicquid fœdum, vel hor„ ridum fuerit.

Legatur *S. Hieronymus* Epistola 11. ad *Nepotianum*, qua Vitæ Clericalis regulas exponit. *Hospitiolum tuum* (inquit) *aut raro, aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, neque in præterita castitate confidas. Nec sanctior David, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana, vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quod si hujuscemodi non fuerint consanguinitatis, castimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio, Quosdam convaluisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis.*

Item *S. Ambrosius*, Libro 1. *De Officiis Ministrorum*, Cap. xx. *Viduarum* (inquit) „ ac Virginum domos nisi visitandi gratia, juniores adires non est „ opus: & hoc cum senioribus, hoc est, cum Episcopo, vel si gravior est „ causa, cum Presbyteris. Quid necesse est, ut demus sæcularibus obtrectandi „ locum? Quid opus est, ut illæ quoque visitationes crebræ accipiant auctori„ tatem? Quid si aliqua illarum forte labatur? Cur alieni lapsus subeas invidiam? „ Quam multos etiam fortes illecebra decipit? Quanti non dederunt errori lo„ cum, & dederunt suspicioni? Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia va„ cas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, „ Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus: illum audimus, cum „ Divina legimus Oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Una est do„ mus, quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt.

„ Quid

„ Quid nobis cum fabulis? Ministerium Altaribus Christi, non obsequium „ hominibus deferendum recepimus.

Et *S. Gregorius*, Libro VII. Epistola XXXIX. ad *Romanum* Defensorem data: „ Si qui (inquit) Episcoporum cum mulieribus degunt, hoc omnino com- „ pescas, & de cetero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis, „ quas sacrorum Canonum Censura permittit, id est, matre, amita, germa- „ na, & aliis hujusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio. Melius „ tamen faciunt, si etiam a talium se cohabitatione contineant. Nam legitur, „ quod Beatus Augustinus nec cum Sorore sua habitare consenserit, dicens: „ Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. Docti ergo Viri cau- „ tela, magna nobis esse debet instructio. Nam incautæ præsumptionis est, „ quod fortis pavet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita su- „ perat, qui didicerit etiam non uti concessis . . . . . Præterea curæ tuæ sit „ eosdem Fratres nostros Episcopos adhortari, ut subjectos sibi, in Sacris vi- „ delicet Ordinibus constitutos, quod ipsi servant, ad similitudinem sui, mo- „ dis omnibus servare commoneant.

Theodorus Cappadociæ Presbyter a *S. Basilio* de dimittenda subintroducta muliere admonitus, respondit, Se hominem septuagenarium, liberum ab omni corporali perturbatione; reposuit vero S. Basilius: „ Neque enim cre- „ do, eum, qui septuaginta annos natus est, cum muliere animi perturba- „ tione commotum habitare: nec tanquam propter aliquam turpem actio- „ nem, quæ facta fuerit, statuimus ea, quæ statuimus; sed quia ab Aposto- „ lo edocti sumus fratri non esse ponendum scandalum, vel offerendiculum. „ Scimus autem, quod recte, & sane fit ab aliquibus, erit aliis occasio ad „ peccatum. Ea de causa decrevimus, Sanctorum Patrum Constitutionem se- „ quentes, Ut a muliere separeris.

REGULA IV.

Taxillis, tesseris, sive Chartis, aliisque ludis aleatoriis ludere Clerici absque gravi crimine non possunt; nec licet illis ludentes studiose spectare, gravibusque pœnis subduntur Sacrorum Canonum hac in re violatores.

HI enim ludi non Clericis solum, sed & Laicis vetiti sunt, ut multiplicis peccati fontes, & per se mali. Ita Canones Apostolici XLII. & XLIII. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati deserviens aut desinat, aut certe damnetur.*

Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens aut desinat, aut Communione privetur. Similiter etiam Laicus. Quatuor verba his in Canonibus observat S. *Raymundus*, scilicet, *deserviens*, *desinat*, *damnetur*, *Communione privetur*. Ex primo colligit, non incursurum excommunicationem, nisi ludum aleæ in consuetudinem duxerit. Ex secundo, etiamsi ludendi consuetudinem contraxerit, ab ea Censura fore immunem, si admonitus destiterit. Ex tertio, & quarto colligit, *Quod tale peccatum sit mortale, & grave. Cum tales pœnæ non sint imponendæ pro levi crimine.* Causa XI. Quæst. III. Can. *Nemo*, & *Nullus*.

Concilium Illiberitanum, Canone LXXIX. *Si quis Fidelis alea, id est, tabula luserit, placuit eum abstinere: & si emendatus cessaverit, post annum poterit Communioni reconciliari.*

Cap. Clerici, Ext. De Vita, & Honestate Clericorum.

Concilium Trullanum Canone L. *Nullum omnino, sive Clericum, sive Laicum, ab hoc deinceps tempore alea ludere: qui secus fecerit, excommunicetur.*

Concilium Oecumenicum Lateranense Quartum sub *Innocentio III.* Canone XVI. *Clerici (inquit) ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis inter-*

intersint. Ubi Glossa : *Hic* (inquit) *prohibetur Clericis non tantum ludere, sed ne intersint ludo. In tantum, quod qui publice aleator est, repellitur a promotione*; id est, arcetur ab Ordinibus, & Beneficiis : quod ex *Innocentio III.* confirmatur, Cap. *Inter dilectos*, Ext. *De excessibus Prælatorum*, ubi Clericum alearum ludo deditum, & ex *consuetudine Clericorum Gallicanorum* se excusantem, ab aditu beneficii ipsi collati repellit *propter indignitatem, & vilitatem ipsius*, cum personis vilibus, & indignis portæ dignitatum patere non debeant juxta legitimas sanctiones, *Nos*, inquit, *qui ex officii nostri debito pestes huiusmodi extirpare proponimus : atque ludos voluptuosos (occasione quorum sub quadam curiositatis imagine, ad dissolutionis materiam devenitur) penitus improbamus, excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem (quæ corruptela dicenda est) palliatur, frivolam reputantes : cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auctoritas usurpatur*, &c. Citat Glossa, & *Justiniani* Imperatoris Legem, in Authentica *De Sanctissimis Episcopis, & Clericis*, seu Novella CXXIII. Cap. X. cujus hæc sunt verba: *Interdicimus autem Sanctissimis Episcopis Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis, Lectoribus, & omnibus aliis cujuslibet venerandi Collegii, aut Schematis constitutis ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes, aut inspectores fieri, aut ad quodlibet Spectaculorum spectandi gratia venire. Si quis autem ex his hoc deliquerit, jubemus hunc tribus annis a venerabili Ministerio prohiberi, & in Monasterium redigi. Si autem in medio tempore ostenderit dignam sui vitii Pœnitentiam, liceat & Sacerdoti, sub quo constitutus est, minuere tempus, & hunc rursus proprio reddere Ministerio : scientibus quoque Sanctissimis Episcopis debentibus hoc vindicare; quia si tale aliquid agnoscentes non vindicaverint, ipsi rationem Deo pro tali causa persolvent*. Quid Concilia Provincialia. Quid Diocesanas Synodos innumeras commemorem? Quid Regum Christianissimorum Edicta, quæ ludos aleatoris Christianis omnibus, sed Clericis præsertim prohibuerunt? Anteriorum ea de re Conciliorum Decreta Canonesque renovavit, & confirmavit Concilium Tridentinum Sess. XXII. Cap. I. De Reformatione. „ Nihil est (inquit) quod alios magis ad „ pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exem„ plum, qui se divino Ministerio dedicarunt : cum a rebus sæculi in altio„ rem sublati locum conspiciantur; in quos tanquam in speculum reliqui ocu„ los conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet „ omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos om„ nes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus re„ bus, nil nisi grave, moderatum, ac Religione plenum præ se ferant; le„ via etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent effugiant, ut eorum actio„ nes cunctis afferant venerationem. Cum igitur quo majore in Ecclesia Dei, „ & utilitate, & ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sint observan„ da: statuit Sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, & a sa„ cris Conciliis, de Clericorum vita, honestate, cultu doctrinaque retinen„ da; ac simul de luxu, comessationibus, choreis, ALEIS, LUSIBUS, ac „ quibuscumque criminibus, necnon sæcularibus negotiis fugendis copiose, „ ac salubriter sancita fuerunt, eadem imposterum iisdem pœnis, vel majo„ ribus, arbitrio Ordinarii imponendis observentur; nec Appellatio execu„ tionem hanc, quæ ad Morum correctionem pertinent, suspendat.

Clerici aleatores, aut ludentium participes, vel inspectores graviter plexi.

Idem confirmarunt Concilia Provincialia Tridentinum secuta. Mediolanense I. P. II. *Clericalis Ordinis hominibus omni genere saltationis, & ludi, præsertim vero aleæ, & tesserarum, ac taiorum interdicimus. Probibemus etiam globos, qui malleis ligneis impelluntur; item foliis ludum, id est pilæ majoris. Nec solum ludere vetamus; sed eos ludorum spectatores esse nolumus, aut quemquam*

Non solum alea ludere, sed ludentium spectatores esse Clericos, Concilia vetant.

quam ludentem in ædibus suis permittere. Si autem valetudinis interdum causa parva pila, aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere uti contigerit; nec publice id faciant, nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam, quod facile pecunia æstimari possit.

Clerici, qui in ludis alearum quæstum faciunt, ad restitutionem tenentur.

Concilium Rhemense anno MDLXXXIII. Tit. De Clericis in genere. „ Ab „ alea, venatione, & omni ludorum genere Ecclesiasticis Personis interdi„ cto, & indecoro prorsus abstineant: nec unquam aliis quam honestis recrea„ tionibus sese exerceant, nulla ducti sordidi lucri cupiditate. Quod si cum „ injuria Ordinis Ecclesiastici deinceps quisquam Ecclesiæ bona, quibus pau„ peres ali oportuit, in ejusmodi lusus profudisse convictus sit; & qui quæ„ stum fecit, rem pauperum male partam restituere: & qui jacturam pas„ sus est, tanquam sacri patrimonii dilapidator, graves pœnas exsolvere „ cogatur.

Sacri patrimonii dilapidatores, qui jacturam faciunt.

Concilium Burdigalense, eodem anno, Tit. XXI. *Clerici ab alea, tesseris, chartis, & quovis alio vetito, & indecore ludo, cum privatim, tum publice penitus abstineant.* Idem statuunt Concilium Bituricense MDLXXXIV. Tit. XX. Can. VII. Aquense MDLXXXV. Tit. *De Vita, & Honestate Clericorum.*

Restitutionis lege tenentur, qui pecuniam in huiusmodi ludis lucrantur.

Synodus Mexicana Libro III. Tit. V. Cap. De ludis Clericis prohibitis. *Cujusvis generis ludus omnibus hominibus maxime nocumento est, Clericis præsertim, quibus ratione Clericalis Officii in sancte, & laudabiliter agendo tempus terendum esset, ab iisque redditus Ecclesiastici piis operibus essent impendendi. Eam ob causam hæc Synodus decernit, & jubet, ne ullus Sacro Ordine initiatus, aut Beneficiatus hujus Archiepiscopatus, & Provinciæ clam, aut publice, per se, vel interpositam personam ludum probibitum exerceat, veluti aleæ, tesserarum, ac talorum, quæ ludorum genera Regiis Sanctionibus probibentur: nec in ludo pecuniæ, gemmæ; aut alia, quæ pecunia æstimari possunt, intercedant, sub pœna restituendi totum id, quod ludendo lucrati fuerint.* Ludentibus præterea mulctam imponit. Vetat etiam ne spectatores ludorum sint, ne in suis domibus ludum permittant, nec aleas porrigant, nec pro aleis pretium extorqueant, nec mutuo pecunias dent ad ludendum, & pro quoquam in ludo spondeant. Sin minus, contra Clericos hujusmodi aleatorum susceptores procedatur, & ita coerceantur, ut populus ædificetur, & tam turpis corruptela, ac Ministris Dei prorsus indigna, funditus extirpetur. *Præterea, ut omnem gravitatem, & modestiam (prout decet Clericalem Statum) Clerici profiteantur, eis publice pila ludere probibetur, & privatim quoque cum sæcularibus, vel coram sæcularibus personis, globos ligneos publice ludendo ne impellant. Schachis, aut aliis ludis permissis ne ludant in locis publicis, aut in domibus, quo ad id multitudo hominum convenit. Si autem in occulto ludos licitos hujusmodi exercuerint, numerosa pecunia in eis non intercedat: aliter enim pro qualitate excessus corrigentur .... Nequaquam autem publice, aut privatim Clerici cum mulieribus etiam consanguineis ludant.* Statuit denique *Ut recreandi animi causa, extra tempus Adventus, & Quadragesimæ, ludi liciti Clericis permittantur, summa duorum pondo tantum intercedente, dummodo id raro, sine scandalo, & cum personis honestis fiat. Qui vero summam pecuniæ hujusmodi excesserint, in foro conscientiæ restituere tenebuntur, quicquid amplius fuerint lucrati.*

Ludus Scachorum, aliique ludi honesti, quibus conditionibus Clericis liceant?

Concilium Aquilejense Rubrica XI. *Alearum, & taxillorum usum, quo tempus misera jucunditate teritur, Clericis omnibus inhibemus: multo vero gravius, si non modo luserint ipsi, sed aliis ludendi potestatem fecerint parato loco, & domestico diversiculo. Episcoporum vero vigilantia, & prudentia Edictis, ac pœnis propositis opportunum erit remedium adhibendum, ut pestis avertatur, qua miserorum facultates suavi morbo exhauriuntur, blasphemiæ, & rerum desperationes*

tiones excitantur, cupiditatum intemperantiorum, & fraudum oblectamenta aluntur denique ipsa Dei clementia assidue offenditur: qui tanto periculosior morbus est, quanto ardentius interdum animos Clericorum occupat, & Ecclesiasticas opes pervadit.

Narbonense anno MDCIX. cap. XLI. *Non ludant aleis, tesseris, chartis, aut alio ludo prohibito, vel indecoro: præsertim publice, ut illorum in omnibus nota modestia promptiores eos reddat ad libere in hoc peccantes arguendum.*

Ludi aleatorii a Patribus damnati.

Ludos aleatorios a Patribus damnatos, nemo negaverit, qui in eorum lectione fuerit, vel mediocriter versatus. *Apollonius* vetus Auctor Ecclesiasticus, Montanum, ejusque sectatrices fœminas, de prophetiæ dono falso gloriari ostendit, quod indignam non Prophetis modo, sed Christianis vitam agerent. *Necesse est* (inquit) *ut omnes Prophetæ fructus, atque actus probentur. Dic mihi, tingitne capillos Propheta? An stibio oculos linit? An studet ornari? Prophetane tabula ludit, & tesseris? An pecuniam locat fœnori? Ingenue fateantur, ac respondeant utrum hæc agere liceat, an secus. Ego vero hæc apud ipsos acta esse convincam.* Refert *Eusebius* Lib. V. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XVIII.

Clemens Alexandrinus Lib. III. *Pædagogi*, cap. XI. *Jam vero* (inquit) *prohibendus quoque est tesserarum ludus, & præterea ex talorum ludo lucri studium, quod nonnulli acriter sequuntur. Talia enim inconsideratus luxuriæ amor otiosis oblectamenta suppeditat: In causa enim est desidia.*

S. Basilius, Homilia VIII. in Hexaemeron: *Si vos* (inquit) *dimisero, sunt qui protinus ad tesseras, aleasque se se conferent. Juramenta sunt illic, contentionesque pergraves, ac avaritiæ partus. Spiritus malignus assistit, furorem punctis ossibus illis ludentium insaniamque accendens. Easdem ille pecunias nunc ad hunc, nunc ad alterum transfert. Atque modo hunc victoria effert, illum victum mestitia premit: modo contra illum elatum, hunc demissum ostendit. Quid prodest quæso, corpore jejunare, animam vero mille vitiis, mille malis esse refertam?* Legatur & *S. Ambrosius* Libro *De Tobia*, cap. XI.

S. Ephrem Libro De Abrenunciatione in Baptismo facta: *Abrenunciatio* (inquit) *quam in Baptismo facimus nominata quidem apparet parva; ceterum intellecta, admodum magna; quam qui servare voluerint, beatissimus erit. Paucis namque verbis cuncta, quæ nominantur mala quæque odit Deus, valere jubemus, & abrenunciamus. Abrenuncio Satanæ, & cunctis operibus ejus. Quibus* (*inquam*) *operibus? Fornicationi, adulterio, immunditiæ, furto, invidiæ, veneficio, divinationi*, &c. *Abrenuncio alearum otio, & tabularum lusui, sicut etiam Sancti Apostoli hisce operam dantes, atque vacantes excommunicatos esse ordinarunt in suis Canonibus si Laici fuerint: at si Clerici, ut deponantur . . . . . Præfata igitur hæc opera mala, qui post gratiam in sacro Baptismate acceptam fecerit, gratia excidit Christusque tali in peccatis permanenti nihil proderit.*

S. Joannes Chrysostomus Homilia XV. ad Populum Antiochenum: *Aleas* (inquit) *tractare, non videntur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre. Circa aleas studium blasphemias, iras, convitia, jacturas, infinitaque alia his graviora sæpe producit.*

S. Cæsarius Arelatensis, seu alius Auctor Sermonis inter Augustinianos olim LVI. *De Tempore*, nunc in Appendice CXLI. „ Tempus (inquit) quod nobis furiosus tabulæ ludus solebat auferre, lectio divina incipiat occupare. Otiosis „ fabulis, & mordacibus jocis & detractionibus venenatis, colloquia de „ Scripturis Sanctis succedant. Horarum spatiis, in quibus solebamus cum „ damno animæ detineri, visitentur infirmi, requirantur in carcere con- „ stitu-

„ ſtituti, peregrini ſuſcipiantur, & diſcordes ad concordiam revocentur. „ Hoc ſi facimus, Fratres, inde nobis parare poſſumus medicamenta, unde nobis vulnera feceramus.

Auctor Libri *De Aleatoribus*, inter *S. Cypriani* Opera editi: „ Quid illud „ eſt, quæſo Fideles, ut manus, quæ jam ab injuriis humanis expiata eſt, „ & ad Sacrificium admiſſa, & quod ad ſalutem totius hominis pertinet di„ gnatione ſuſcipit; quæ ad laudem Domini in oraculo exſurgit; quæ ſignum „ Crucis, per quod tuemur, frontibus imprimit; ipſa quæ divina Sacramen„ ta conſummat; quid eſt (inquam) ut iterum laqueis diaboli, unde exuta „ eſt, implicetur, & per ipſa damnetur? Aleatrices manus libidinoſo ſtudio „ conſueverunt, ideſt, aleæ tabulæ, quod eſt diaboli venabulum, & delicti „ vulnus inſanabile .... Chriſtianus, qui es, & aleæ tabula ludis; licet non ſa„ crifices, lege hujus facinoris particeps es. Chriſtianus quicumque es, & alea „ ludis, hoc primum in hoc loco credere debes, quia non Chriſtianum, ſed Ethni„ cum tibi nomen eſt; & illud, quod ad Sacrificium Dominicum pertinet, in „ vacuum ſumis: ſic enim dicit: Omnis immundus non tanget Sacrificium San„ cti. Aleator quicumque es, Chriſtianum te dicis; quod non es, eo quod „ ſæculo particeps es: nec amicus Chriſti potes eſſe, qui cum inimico Chriſti te„ nes amicitiam .... Alea ne luſeris, ubi luſus nocivus eſt, & crimen mortale.

„ Joannes Sariſberienſis Lib. I. De Nugis Curialium, cap. v. Quis non „ erubeſcat, ſi ſortis ſuæ gratiam non virtuti debeat, ſed taxillis? Nonne „ ſatis improbata eſt cujuſque artis exercitatio, qua quanto quiſque doctior; „ tanto nequior? Aleator quidem omnis hic eſt. Mendaciorum ſiquidem, „ & perjuriorum mater eſt alea, & aliena concupiſcentia ſua prodigit, & nul„ lam habens patrimonii reverentiam, cum illud effuderit, ſenſim in furta „ dilabitur, & rapinas ..... Chilon Lacedemonius jungendæ ſocietatis cauſa „ miſſus Corinthum, Duces, & Seniores populi ludentes invenit alea. In„ fecto itaque negotio reverſus eſt, dicens: Se nolle gloriam Spartanorum, „ quorum virtus conſtructo Byzantio clareſcebat, hac maculare infamia, ut „ dicerentur cum aleatoribus contraxiſſe ſocietatem.

S. Raymundus Libro II. *Summæ*, Tit. VIII. §. XI. *ii, qui ludunt ad aleas, vel taxillos, vel qui ludo interſunt, vel ſunt participes, vel inſpectores ludi, peccant, & maxime ſi ſunt Clerici .... Quam magnum peccatum ſit, patet inter alia ex novem, quæ in talibus ludis attenduntur. Primum, deſiderium lucrandi; ecce cupiditas, quæ radix eſt omnium malorum. Secundum, eſt voluntas ſpoliandi proximum; ecce rapina. Tertium, eſt uſura maxima.* (Extra, De exceſſibus Prælatorum cap. Inter Dilectos.) *Quartum, eſt multiplicata mendacia, & verba otioſa, & vana. Quintum, eſt blaſphemia; ecce hæreſis. Sextum, corruptio multiplex proximorum, qui ad ludum inſpiciendum de conſuetudine pravæ conveniunt. Septimum, eſt ſcandalum bonorum. Octavum, eſt contemptus probibitionis Sanctæ Matris Eccleſiæ. Nonum, eſt amiſſio temporis, & bonorum, quæ in illo tempore tenentur facere.*

Quam grave peccatum aleatorum?

S. Antoninus, II. P. *Summæ*, Tit. I. cap. XXIII. Ludum aleæ peccatum eſſe docet, utpote Legibus Canonicis, & Civilibus prohibitum, non ſolum Clericis, ſed etiam Laicis. Ludum autem aleæ eſſe ludum omnem, qui innititur fortunæ, ut ludus taxillorum: & idem videtur de chartis, quamvis ſit ibi aliquid induſtrię; principaliter enim eſt fortunæ. Ludus autem ſcachorum, non eſt fortunæ, ſed induſtriæ; unde nec ipſis Clericis eſt prohibitus. Docet ſecundo, ludum aleæ eſſe peccatum mortale, *Quando ex cupiditate quis ludit, ea ſcilicet principaliter motus* (ut loquitur) *non ob recreationem, ſed ad acquirendum quid notabile per ludum. Nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, & moderate, non videtur mortale.*

Ludus aleæ quando peccatum mortale eſt? Quando veniale?

Unde,

Unde in Digestis Tit. De alea L. finali dicitur, Quod in convivio vescendi causa ponitur, in eam rem familiæ ludere permittitur. Et hoc etiam videtur innuere textus Canonis, Episcopus; *dicitur enim*, deserviens, *id est, frequenter deditus ludo, quod fit communiter ex cupiditate.* Quod tamen non ita intelligendum admonet, quasi mortale peccatum non sit alea ludere, nisi ex consuetudine fiat, sed quia frequentia, & assiduitas; vehementis cupiditatis indicium est. Ceterum, vel semel taxillis, aut chartis ludere ex cupiditate lucri notabilis, lethale peccatum est: *Sicut etiam vitium ebrietatis, cui ludus æquiparatur in pœna, etiam semel commissum advertenter; est mortale.*

Et §. 6. Vix ullum esse actum ait, ex quo tot mala oriantur, quot ex ludo. *Quot enim in taxillis sunt puncta: tot scelera ex eo procedunt. Primum, est amissio temporis. 2. Blasphemia. 3. Contumelia. 4. Dissipatio substantiæ temporalis. 5. Ecclesiæ contemptus, seu inobedientia. 6. est furtum, 7. est gula. 8. Homicidium. 9. Invidia. 10. Rerum necessariarum in familia penuria*, ex qua uxoris, filiorum, domesticorum quærimoniæ, murmurationes, maledicta. 11. *Jactantia. 12. Mendacium. 13. Neglectus Divinorum*, & Festorum dierum violatio, in quibus ludendo *plura peccata, & graviora committunt, quam si terram colerent, quod est Festa violare.* Opus servile non facietis in eo. *Peccatum est opus maxime servile. 14. est odium*: Oderunt enim eos, qui vincunt, se ipsos, Deum, qui victoriam illis non tribuit. 15. *Participatio sceleris: nam qui dant eis pecunias ad ludendum pro parte lucri, mortaliter peccant. Qui ludentes aspiciunt, non sunt immunes a peccatis multis curiositatis, & vanitatis. Sed & parentes, qui non castigant filios ludentes, graviter peccant.* Item, qui taxilos, chartasve præbent, aut domum ad ludendum. 16. *Contentiones*, ex quibus *contumeliæ, & verba inordinata*, 17. est *Rapina: aliquando enim quasi violenter trahit unus alium ad ludum; vel volentem recedere, invitum tenet; vel falsos taxillos submittit: & tunc est tanquam rapina, & restituere tenetur.* 18. est *Scandalum*. 19. *Tristitia* in desperationem aliquando inducens eos, qui perdunt. 20. *Usura*. Si enim quis pro centum, quæ exponit mutuo, recipiens decem, vel quinque, dicitur usurarius: quid dicendum est de eo; qui exponit se ludo cum decem florenis, & eadem die lucrabitur per ludum centum florenos? *Certe videtur maxima usura* (inquit S. Antoninus) *Unde, & pro se retinere non potest: sed vel restituere tenetur in certis casibus, vel pauperibus erogare in aliis.* 21. est *Christianitatis vituperatio*, contra illud, quod ait Apostolus II. ad Corinthios VI *Non vituperetur Ministerium nostrum*, id est, *servitium, quo servimus Christo, sed per ludum servitur Diabolo. Sicut enim Deus invenit* XXI. *litteras primo, (nam aliæ postea sunt superadditæ) ad componenda Biblia, ubi est omnis Sapientia revelata: ita invenit Diabolus taxillos* (& chartas) *Biblia sua, ubi posuit* XXI. *puncta, litteras suas nigras, ubi repetitur omnis malitia peccati .... Non ergo debet dici Christianus, qui deditus est ludo, cum vituperet nomen Christi.*

Mala ex ludo orta.

Lev. 23. 7.

REGULA V.

Ab omnibus Spectaculis, & Choreis abstinere debent Clerici; Canonum hac in re violatores graviter peccant, gravibusque pœnis ab Episcopis plecti debent.

QUam periculosa sint innocentiæ, castisque moribus hæc oblectamenta, & quam studiose a Christianis omnibus vitari debeant, alias demonstrabimus: nunc satis erit, si probemus Ecclesiastici Ordinis Viris hæc speciatim, ac nominatim Sacris Canones prohibere: adeoque graviter illos peccare, quoties hujusmodi spectaculis, choreis, profanis concentibus, ludisque publicis intersunt. Canonum verba subjicio.

Spectacula & Choreæ Clericis prohibeantur.

Con-

Concilium Turonense III. anno DCCCXIII. celebratum Canone VII. „ Ab „ omnibus quæcumque ad aurium, & ad oculorum pertinet illecebras, un„ de vigor animi amolliri posse credatur, (quod de aliquibus generibus mu„ sicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest,) Dei Sacerdotes abstine„ re debent: quia per aurium, oculorumque illecebras, vitiorum turba ad „ animam ingredi solet. Histrionum quoque turpium, & obscænorum inso„ lentias jocorum, & ipsi animo effugere, ceterisque Sacerdotibus effugien„ da prædicare debent.

Concilium Cabilonense eodem anno, Canone IX. „ Ab omnibus oculo„ rum, auriumque illecebris Sacerdotes abstinere debent: & canum, accipi„ trum, falconum, vel ceterarum hujusmodi rerum curam parvipendere, & „ histrionum, sive scurronum, & turpium, seu obscænorum jocorum inso„ lentiam, non solum ipsi respuant, verum etiam Fidelibus repuenda percenseant.

Concilium Mediolanense I. Constitutionum P. II. Tit. XXV. „ Clerici Cho„ ræas privatas, aut publicas non agent, nec spectabunt. Fabulis, Comœ„ diis, & hastiludiis, aliisve profanis, & inanibus spectaculis non intererunt: „ ne aures, & oculi Sacris Officiis addicti, ludicris, impuris actionibus, ser„ monibusque distracti polluantur.

Concilium Burdigalense anno MDLXXXIII. Tit. XXI. „ Clerici nunquam „ personati incedant, neque Comædias, fabulas, Choræas, vel quid aliud lu„ dricum, ex iis, quæ ab histrionibus exhibentur, agant, vel spectent; ne „ visus, & obtutus Sacris Mysteriis dicati, turpium spectaculorum conta„ gione polluantur.

Concilium Turonense, eodem anno, Cap. XIV. „ Ipsi autem Rectores, „ prout ceteri Ecclesiastici, præsertim Beneficiati, cum non tantum a gra„ vi, sed etiam a leviore vitio abstinere debeant, & a Mundi voluptatibus „ secedere, pompas, & spectacula publica, cætusque ubi amatoria cantan„ tur, aut obscæni motus corporum, choræis & saltationibus exercentur de„ vitare, ne auditus, & obtutus sacris tantum Mysteriis deputati, turpium „ spectaculorum, atque verborum lenocinio polluantur, &c.

Concilium Bituricense anno MDLXXXIV. Tit. XXV. Can. VI. „ Clerici nun„ quam personati sint: a Comædiis, Mimis, Choræis, ac saltationibus agen„ dis, atque spectandis abstineant.

Idem prohibent Concilium Aquense anno MDLXXXV. Titulo *De Vita, & Honestate Clericorum*, Avenionense MDXCIV. Titulo XXXII. Narbonense anno MDCIX. Cap. XLI. *Quod in Populo veniale est*, (inquit) „ in Sacerdote judica„ tur sacrilegum. Ideo, ut monemus Populum, ita Clericos districte Choreas „ quacumque ex causa ducere, aut illis interesse prohibemus: vitent tripu„ dia, ludos publicos, larvas non gestent, aut larvatos sequantur; Comœ„ dias; fabulas, aut ludicra, & quæ ab histrionibus exhibentur, non agant; „ ad histriones non accedant; ne puritas Sacerdotis rerum inanium, aut „ etiam obscænarum aspectu polluatur ...... Contra agentes pœna carceris, & „ alia ad arbitrium Ordinarii comprimantur. Idem Sacerdotibus sub pœna Suspensionis prohibent Statuta Synodalia *S. Francisci Salesii* P. III. Tit. IV.

REGULA VI.

Crapula, ebrietas, popinarum frequentatio Clericis vetitæ.

Clerici a crapula, & ebrietate abstinere debent: ipsisque prohibere possunt Episcopi sub pœna Suspensionis, aut aliis arbitrariis, ne Tabernas ingrediantur.

APostolus I. ad *Timotheum* III. Sacerdotis dotes describens, *Non vinolentum* requirit. Ideo Concilia Tabernarum aditum Clericis inhibuerunt: nisi sint in itinere constituti.

Con-

Concilium Laodicenum Canone XXIV. *Non oportet Altari servientes, a Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps Ordinis Ecclesiastici omnes, tabernas introire.*

Concilium Agatense Canone IV. Clericum ebrium *Aut triginta dierum spatio Communione submovendum* statuit, *aut corporali subdendum supplicio.*

Concilium Aquisgranense, anno DCCCXI. Canone XC. veteris Concilii Africanæ Ecclesię Canonem renovat, quo statutum est, *Ut Clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.*

Concilium Lateranense IV. sub. *Innocentio III.* Canone XV. qui refertur Cap. *A crapula*, Extra, *De Vita, & Honestate Clericorum*, idem confimat: „A crapula (inquit) & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant: unde „vinum sibi temperent, & se vino: nec ad bibendum quispiam incitetur: „cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incenti- „vum: unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibus- „dam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores: & ille ju- „dicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores ex- „haurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiore „commonitus satisfecerit, ab Officio, vel Beneficio suspendatur.

Et Canone XVI. *Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.*

Concilium Herbipolense, Canone II. *Usum tabernarum, præterquam in itinere constitutis, omnibus Clericis, præsertim in Prælaturis, & Sacris Ordinibus constitutis, omnino prohibemus. Et qui contra fecerint in publico, vel alibi, Laicis præsentibus, arbitrio Ordinarii puniantur.*

Concilium Suessionense: *Ordinarii diligenter puniant Clericos aleæ servientes, ac tabernas frequentantes.*

Concilium Londinense anno MCLXXV. Canone II *Clerici in Sacris Ordinibus constituti, edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur.*

Concilium Mediolanense I. Cap. XXVI. *Non in comessationibus, & ebrietatibus, sed ut sobrie vivamus, prædicat Apostolus: ideo Clerici minus honestis conviviis ne intersint, neve ad bibendum quemquam incitent. Quod si interdum solemnibus Festis diebus, vel cum Sacrorum, aut Exequiarum causa in unum congregantur, aliqui sint invitandi; ne plures sex, & eos Clericos, ad suam mensam adhibeant.*

Ut flagitii occasionem, quæ in cauponis, & tabernis deesse non solet, Clericis adimamus, cauponarum aditu, & usu omnino eis interdicimus, nisi in itinere necessitatis causa: quo loco cum mulieribus ne discumbant. Monemus autem Episcopos, & vehementer hortamur, ut in singulis eorum Civitatibus curent parandum unum, aut alterum pudicum, & honestum diversorium, quo suarum Diœceseon Clericis rusticanis necessitatis causa convenire liceat, nec in hospitio improbis, aut nequam hominibus locus sit, neve fœminis ullo modo, sed tantum Clerici, ac Religiosi Viri, si fieri possit, in eo recipiantur.

Concilium Rhemense anno MDLXXXIII. *Ebrietati libidinis parenti, crapulæque, quæ menti est exitio, ne indulgeant: tabernas, nisi peregre profecti, non intrent: ad æquales haustus nec se ipsos, nec alios astringant, vel provocent. Si secus fecerint, & Superiori monenti non paruerint, ab Officio, vel Beneficio suspendantur, & aliis pœnis canonicis afficiantur.* Idem vetat Concilium Burdigalense eodem anno, Tit. XXI. Turonense, eodem anno, Tit. XIV. „Omnibus (inquit) Clericis, ne tabernas, aut cauponas, blasphemia- „rum, & luxuriæ officinas, quovis, nec etiam sponsaliorum, vel obsequio-

„ rum funeralium prætextu, nisi inter peregrinandum, ingrediantur, prohibet „ Concilium, pœna carceris per duos menses pro prima vice, per sex menses pro „ secunda, & per annum pro tertia (si prohibitionem contempserint, illis im- „ ponenda) mitioris pœnæ omni spe sublata.

Julianus Apostata Epistola XLIX. ad *Arsacium* Galatiæ Pontificem Ethnicum, falsorum Numinum Sacerdotes modestiæ, quam profitebantur Sacerdotes Christi, æmulos esse jubet. *Sacerdotem quemque hortare* (inquit) *ne accedat ad spectacula, neve in taberna bibat ... Et qui tibi in his rebus morem gerunt, eis honorem tribuito; qui autem resistunt, expellito.*

A conviviis etiam sæcularium hominum, quantum fieri potest, abstinere debent Clerici, secundum sapiens illud *S. Hieronymi* ad *Nepotianum* scribentis monitum, a Concilio Aquisgranensi repetitum, Cap. XCIV. „ Convi- „ via tibi detestanda sunt sæcularium, maxime horum, qui honoribus tu- „ ment. Turpe est ante fores Sacerdotes Christi Crucifixi, & pauperis, & „ qui cibo, quoque vescebatur alieno, lictores Consulum, & Milites „ excubare, Judicemque Provinciæ melius apud te prandere, quam in „ Palatio. Quod si ostenderis facere te hæc, ut roges pro miseris, Judex sæ- „ culi plus defert Clerico continenti, quam diviti, & magis sanctitatem „ tuam venerabitur, quam opes. Aut si talis est, qui non audiat Clericos nisi „ inter phialas, libenter carebo hujusmodi beneficio. *Ibidem*: Nunquam pe- „ tentes, raro accipiamus rogati. Facile contemnitur Clericus, qui sæpe „ vocatus ad prandium, non recusat. *Et Concilium Aquense, Tit.* De Vita, „ & Honestate Clericorum, *ita statuit*: A comessationibus, & minus hone- „ stis conviviis abstineant omnino; atque ab iis etiam, quæ potius lu- „ xus, aut voluptatis sint, quam propinquitatis, aut necessitudinis causa „ instituta.

REGULA VII.

Clericis omnino probibita est Venatio clamosa, quæ cum armis, avibus, & canibus, exercetur: unde graviter peccant Clerici, qui Venationi incumbunt.

Venatio Clericis vetita.

HÆc Regula nititur Canone *Episcopum*, Ext. *De Clerico Venatore*, cujus hæc sunt verba: *Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuit, si Episcopus est, tribus mensibus a Communione; si Presbyter, duobus; si Diaconus, ab omni Officio suspendatur.* Ubi Glossa: *Saltuosa* (inquit) *& clamosa licita est Laicis; sed Clericis omnino non licet talis venatio: sed quieta causa necessitatis, vel recreationis.* Idque confirmat Canon sequens sub eodem Decretalium Titulo: *Omnibus servis Dei venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus, & accipitribus, & falconibus interdicimus.*

Hinc *Joannes Sarisberiensis*, Lib. I. „ De Nugis Curialium, *Cap.* IV. Sunt „ vero (inquit) personæ, quæ non modo ab hoc, sed ab aliis quibusdam, „ ut pote levioribus, & voluptuosis studiis in perpetuum summoventur, ut „ in Sacris Ordinibus constituti, & qui gerunt amplissimos Magistratus ... Por- „ ro de virtute, & veritate Canonum, venatica clientulis suis non modo clau- „ dit ascensum, sed Summi Sacerdotii gradum adimit jam adeptum, &c.

Idem prohibet Concilium Lateranense IV. Canone XV. *Venationem* (inquit) *& aucupationem universis Clericis interdicimus: unde nec canes, nec aves ad aucupandum habere præsumant.*

Et Concilium Nanetense anno MCCLXV. Canone III. *Qui nullum venatorem*

rem invenimus sanctum, præcipimus, ut Prælati soliciti sint, & intenti in puniendos Clericos venatores; & præcipue Presbyteros, & Religiosos, de quibus majus scandalum generatur. Sanctitati scilicet Status Clericalis clamosa venatio non convenit, cum voluptas, quæ hujusmodi venatione percipitur, hominis cogitationem a Deo distrahat, in quo maxime sacrorum hominum animus defixus esse debet. Id confirmat Canon, *Esau*, Dist. LXXXVI. desumptus ex Commentario in Psalmos sub nomine *S. Hieronymi* edito, in Psalm. XC. *Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in Scripturis Sanctis sanctum aliquem venatorem: piscatores invenimus sanctos.* Hinc *Nicolaus I.* Epist. ad *Albinum* Archiepiscopum Januensem: *Ab omni* (inquit) *bestiarum, vel volucrum venatione penitus alieni existere debent: nullum enim sanctum, ut ait B. Hieronymus, venatorem legimus.* Esau, & Nembrod feroci indoli venationis studium congruebat: miti Clericorum indoli convenit venationis fuga.

Legatur Epistola LVI. *Petri Blesensis* ad *Gualterum* Episcopum Roffensem, venationi deditum, qua eum a venandi studio verbis gravissimis avertere conatur. Venationem gravitate Pontificis indignam esse scribit, quem nec juventus ab hujusmodi voluptate excusaret. *Nicolaum* Papam suspensionis, & excommunicationis Sententiam in *Lanfredum* Episcopum ferendam censuisse, quia venaticam exercebat. Nullum Sanctorum ab exordio mundi legi venatorem. Aliud venationis genus Sacerdotibus incumbere, de quo Dominus Jeremiæ sexto ait: *Ecce ego mittam venatores, & venabuntur in omni monte.* Prælati siquidem Ecclesiæ *venantur in omni monte, dum animas aberrantes, quasi in prædam ad obsequium Christi rapiunt, in eminentia scientiæ, & doctrinæ. Utinam* (inquit) *huic venationi velitis operam dare, longique temporis jacturam, quod in vanitates evanuit; fructu vitæ melioris, & eruditioris Populi compensare.* Venatio Clericis vetita.

Orationi præterea, ac sacris studiis penitus addicti esse debent Ecclesiastici Viri: at venatio, & ab oratione, & a studio animum avertit. Hinc Concilium Romanum sub *Eugenio II.* Canone XII. *Sacerdotes* (inquit) *qui ad debita, & opportuna Officia Ecclesiis indifferenter adesse debent, fœnore aliquo, aut venatione, vel aliqua aucupatione, rusticoque ministerio omnino non occupentur.*

Accedit, quod sine habitu Clericali prodire in publicum non debent Clerici, eisque arma deferri sacri Canones vetant: Clericalis porro habitus venatoribus non convenit, nec sine armis venatio exercetur. Denique non est bonum sumere panem filiorum, & dare illum canibus; loco pauperum canes, & venatores alere. Has rationes urget Concilium Aquilejense anno MDXCVI. celebratum, Tit. IX „ Dicit Canon: Esau venator erat, quoniam „ peccator erat: quam vero sit modestia Clericali indignum, qui paulo ante Breviarium manibus tractabat, & sacræ Lectionis studio intendebat, „ eum publice accipitrem deferre, & sua in eo studia profiteri: quique cum „ Angelis in Ecclesia gratiarum actiones, & laudes Deo persolvebat, eum „ inter canum latratus, & multitudinem versari, & incomptis obstrepere „ vocibus; Sacri Canones declarant, omnes vero facile intelligunt. Consequitur autem, ut panis, qui miserorum pauperum victui sufficeret; panis (inquam) de redditibus Ecclesiasticis collectus, quod est Patrimonium Christi, ad bestiarum cibum indigne transferatur: cujus criminis ratio „ districte in die Domini reddetur. Quod ut longe a Clericorum vita, & honestate removeamus, omnibus Clericis, cujusque conditionis, & gradus „ sint, venatorium studium interdicimus, ac in eos gravius per illorum Ordinarios procedendum statuimus; ac si contumacia fuerit obstinatior, &

„ inhibitionis mollioris ratio contemptui eſſe cœperit, graviori etiam animad- „ verſione proſpiciendum mandamus.

Idem ſtatuit Concilium Senonenſe anno 1528. *Cum ſolatia, & arma Clericorum ſint orationes, & lacrymæ, omnino prohibemus ne venationi, aut aucupationi clamoſæ cum falconibus, accipitribus, ſeu aliis avibus prædatoriis, vel canibus venaticis intendant, nec accipitres, ſeu alias prædatorias aves deferant, aut canes venaticos teneant, aut nutriant, neque enſes, venabula, baculos, aut arma quæcumque invaſiva portent extra neceſſitatem, aut alios caſus jure permiſſos.*

Et Concilium Aquenſe anno 1585. *Ne ullum venationis genus exerceant, aut canes, accipitreſve alant, aut aliud venaticum animal: armave ferant,* &c.

Quod & Regum noſtrorum Capitularibus vetitum eſt, Lib. 5. Cap. 112. *Et hoc cavendum, ut Presbyteri, vel Diaconi, ſive Subdiaconi, arma portare non præſumant, neque venationes aliquas exercere.*

Quamvis autem inquieta, ſeu clamoſa venatio ſit Clericis interdicta, non tamen quieta, quæ fit retibus, aut laqueis, ſine canibus, aut avibus, ut confirmat Clementina prima *De ſtatu Monacorum*. Hanc autem diſtinctionem confirmat etiam Tridentinum Concilium, Seſſione XXIV. Cap. XII. *De Reformatione*, dum jubet Canonicos *ab illicitis venationibus*, & aucupiis abſtinere, tacite innuens, quaſdam licitas eſſe venationes, quæ ſcilicet ſine canibus, & avibus fieri ſolent, & inde quietæ dicuntur.

REGULA VIII.

Negotiis ſæcularibus Clericos implicari, ac vacare, ſacri Canones prohibent, quos abſque gravi peccato violare non poſſunt.

Ne Clerici negotiis ſæcularibus ſe immiſceant.

HAnc Regulam *Timotheo* ſuo, & in eo omnibus Clericali Militiæ adſcriptis tradit Apoſtolus II. ad Timotheum II. *Nemo* (inquit) *militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.* Hanc vero executioni mandari jubet Concilium Chalcedonenſe Canone III. *Pervenit* (inquit) „ ad Sanctam Synodum, quod quidam, qui in Clerum videntur „ adlecti, propter lucra turpia conductores alienarum poſſeſſionum fiant, & „ ſæcularia negotia ſub cura ſua ſuſcipiant, Dei quidem Miniſterium parvi- „ pendentes, ſæcularium vero diſcurrentes domos, & propter avaritiam Pa- „ trimoniorum ſolicitudinem ſumentes. Decrevit itaque Sanctum hoc, ma- „ gnumque Concilium, nullum deinceps, non Epiſcopum, non Clericum, „ vel Monachum, aut poſſeſſiones conducere, aut negotiis ſæcularibus ſe immi- „ ſcere, præter pupillorum (ſi forte Leges imponant) inexcuſabilem curam; „ aut civitatis Epiſcopus Eccleſiaſticarum Rerum ſolicitudinem habere præcipi- „ at, aut orphanorum, & viduarum, earum, quæ ſine ulla proviſione ſunt, „ ac perſonarum, quæ maxime Eccleſiaſtico indigent adjutorio, & propter „ timorem Domini cauſa depoſcat. Si quis autem de cetero tranſgredi „ hæc Statuta tentaverit; qui eſt hujuſmodi, Eccleſiaſticis increpationi- „ bus ſubjacebit.

Excipitur inexcuſabilis pupillorum cura.

Inexcuſabilem pupillorum curam Synodus Chalcedonenſis excepit: nam *S. Cyprianus* ab Africana Synodo decretum eſſe teſtatur, *Ne quis ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offeretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim* (inquit) *apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Miniſtros voluit avocare.* Ideoque pro *Victore*, qui *Fauſtinum* Presbyterum tutorem nominaverat, preces ad Altare fieri vetat, aut pro dormitione ejus Oblationem fieri *Ut Sacerdotum*

Vetus circa hoc Eccleſiæ Africanæ diſciplina.

„ De-

„ Decretum religiose, & necessarie factum servetur, simul & ceteris fra-
„ tribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes, & Ministros Dei, Altari ejus,
„ & Ecclesiæ vacantes ad sæculares molestias devocet. *Hæc ille Epist.* LXVI.
„ *Rationem hujus disciplinæ ibidem reddit*: Quia singuli divino Sacerdotio hono-
„ rati, & in Clericali Ministerio constituti, nonnisi Altari, & Sacrificiis
„ deservire, & precibus, atque orationibus vacare debeant. Scriptum est
„ enim: Nemo militans Deo obligat se molestiis sæcularibus, ut possit pla-
„ cere ei, cui se probavit. Quod cum de omnibus dictum sit, quanto ma-
„ gis Clerici molestiis, & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui spi-
„ ritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos, & sæculares actus
„ vacare non possunt. Cujus ordinationis, & religionis formam Levitæ pri-
„ us in Lege tenuerunt, ut cum terram dividerent, & possessiones partiren-
„ tur undecim Tribus, Levitica Tribus, quæ Templo, & Altari, & Mi-
„ nisteriis vacabat, nihil de illa divisionis portione perciperet, sed aliis ter-
„ ram colentibus, illa tantum Deum coleret, & ad victum, atque alimen-
„ tum ab undecim Tribubus de fructibus, qui nascebantur, decimas reci-
„ peret. Quod totum fiebat de auctoritate, & dispositione divina; ut qui
„ operationibus divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare,
„ aut agere sæcularia cogerentur. Quæ nunc ratio, & forma in Clero te-
„ netur, ut qui in Ecclesia Domini Ordinatione Clericali promoventur, in
„ nullo ab Administratione Divina avocentur, nec molestiis, & negotiis sæ-
„ cularibus alligentur, sed in honore sportulantium Fratrum, tamquam de-
„ cimas ex fructibus accipientes, ab Altari, & Sacrificiis non recedant, sed
„ die, ac nocte cœlestibus rebus, & spiritualibus serviant. Quamvis ergo cogi
„ non possint Clerici ad tutelam suscipiendam, legitimam tamen tutelam pie-
„ tatis, & misericordiæ causa suscipere possunt.

Hanc Regulam confirmat Concilium Parisiense sextum Lib. I. Cap. XXVIII. laudato S. Pauli testimonio, & Concilii Chalcedonensis Canone; subditque: *Oportet, ut Episcopi suæ Parochiæ Sacerdotes, & Monachos a memoratis illicitis actionibus sua auctoritate compescant, transgressores vero Censura Canonica corripiant, quia dicitur. Trasgredientem vero hanc definitionem nostram excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur.*

Canones alios congerere minime necesse est. Legatur Cap. *Sed nec procurationes*, quod est Concilii Lateranensis sub *Alexandro III.* & Cap. *Secundum*, Ext. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.*

Quæ sint vero negotia sæcularia Clerici prohibita, sic explicat Concilium Mediolanense I. Cap. XXVI *Qui Deo militat, implicare se negotiis sæcularibus probibetur; idcirco edicimus: Ne Clericus Sacris initiatus: aut Ecclesiastico Beneficio præditus, coram Judice sæculari Advocati, aut Procuratoris nomine causas agat, nisi ab aliis in Judicium vocatus, suam, vel Ecclesiæ suæ, propinquorum etiam, si necesse erit, & miserabilium personarum causas, ab Episcopo facultate prius scripto concessa, tueatur.* Quæ negotia Clericis illicita?

Ne in profanis negotiis Officium Tabellionatus exerceat.

Ne Artem medendi faciat.

Ne in negotiationibus, & mercaturis se interpretem, & medium interponat.

Negotiationem etiam omnis generis omnino prohibemus:

Artes vero honestas concedimus, ut aliquid manibus suis lucretur, quo sibi, quæ ad victum necessaria sunt, comparare possit.

Ne aliena prædia lucri causa conducat.

Ne aliorum tutelam, aut curam suscipiat.

Ne pro aliis fide jubeat. Quod Apostolorum can. XX. can. *Tequidem*, causa

xi. qu. 1. & cap. *Clericus*, Ext. *De Fidejussoribus*, prohibetur. Excipiuntur tamen fidejussiones, quæ fiunt pietate, vel misericordia suadente, cum Episcopi licentia.

„ Ne alicujus Principis, aut alterius, negotiorum Procurator sit sine facultate ab Episcopo prius per litteras impetrata, singulis annis renovanda. Neve parum memor Ordinis, ac Dignitatis suæ, sit in famulatu Laicorum, etiam Principum: eorumve quibusvis aliis obsequiis, nisi cui ex causa, & ad Officium Sacerdotali Munere non indignum, Episcopus hujus rei potestatem scripto ante fecerit.

„ Neve præcursor aut assecla fœminarum, aut eis discumbentibus assistat, aut ancilletur.

REGULA IX.

Clerici reddituum Ecclesiasticorum Dispensatores sunt, non Domini: unde cum ex iis victum, & honestum vestitum delibarunt, si quid risiduum est, pauperibus debent.

HÆc Regula ex antiqua Ecclesiæ Disciplina colligitur, quæ Redditus Ecclesiasticos in quatuor partes dividi jussit, quarum una Episcopo; alia Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis restaurandis applicaretur, ut constat ex *Simplicii*, & *Gelasii I.* Pontificum Decretis, & ex Epistola xxxi. Libri xii. *S. Gregorii*, cujus hæc sunt verba: *Mos Apostolicæ Sedis est, ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor debeant fieri portiones: una videlicet Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem; alia Clero; tertia vero pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis.*

Eadem Regula confirmatur ex can. *Episcopus*, causa xii. quæst. 1. qui est Antiocheni Concilii xxv. *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, & timore Dei. Participet autem & ipse quibus indiget, (si tamen indiget) tam in suis, quam in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis:*
1. Tim. 6. 8. „ *ita ut in nulla qualibet occasione fraudentur, juxta S. Apostolum sic dicentem*: HABENTES victum, & tegumentum, his contenti sumus. *Quod si contentus istis minime fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos usus domesticos, &c. Synodo Provinciæ pœnas persolvat.*

De recto bonorum Ecclesiasticorum usu.

Et Canone, *Res Ecclesiæ*, qui *Urbani* Papæ nomine a *Gratiano* ibidem refertur: *Res Ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ, cum summo timore non in alios, quam in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ*. Episcopum, par que ratione ceteros Ecclesiastici Ordinis viros. *Rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis* uti debere, declarat Concilium Carthaginense iv. quod & *S. Augustinus* docet, qui huic intererat Concilio, Epist. clxxxv. alias 50. *Si* (inquit) *privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*. Et can. 1. *Quamvis*, causa xii. quæst. ii. qui est Concilii Nicæni ii. can. ii. *Omnium Ecclesiasticarum Rerum Episcopus habeat solicitudinem, & dispenset eas tanquam Deo contemplante, Non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ Dei sunt*. Hinc. *Julianus Pomerius*, Lib. ii. *De Vita Contemplativa*, cap. ix. & post eum Synodus Parisiensis Sexta, Lib. 1. cap. xv. ait: *Nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*: ideoque Sanctos Pontifices non eas vindicasse in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus vindicasse. Hinc *S. Hieronymus* in Expositione „ Sophoniæ

Clerici bonorum Ecclesiasticorum dispensatores sunt, non Domini.

Pro-

„ *Prophetæ*: Judices ejus quasi lupi Arabiæ, occidentes vespere, & nil relinquentes in mane; non aspicientes ad ortum Solis, sed morantes semper in tenebris, & possessiunculas Ecclesiæ, & ea, quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum suum, ut non habeant pauperes, quod mane comedant: qui quasi in nocte; & nullo vidente populantur, & cum luporum more cuncta diripiant, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquunt. *Ex quibus ita colligit Concilium Parisiense* VI. Sicut igitur præmissa documenta declarant, non sunt res Ecclesiæ ut propriæ, sed ut dominicæ, & a Domino commendatæ tractandæ. Quicumque ergo eas ad suos proprios usus, terrenosque honores, & delectationes retorquet, quanti sit discriminis, quantæque transgressionis, aperte animadverti potest. Idem confirmat Concilium Turonense III. can. X. & Cabilonense II. can. VI. Aquisgranense anno DCCCXXXVI. p. II. can. VII. Nannetense, can. X. Idem confirmat *Alexander III.* cap. *Fraternitatem*, Ext. *De Donationibus*, cujus hæc sunt verba: *Cum Episcopus, & quilibet Prælatus rerum Ecclesiasticarum sit Procurator, non Dominus.*

Detrecto bonorum Ecclesiasticorum usu.

Hanc etiam ob causam Concilium Tridentinum sessione XXV. cap. I. *De Reformatione*, Episcopis, & quibuscumque Beneficia Ecclesiastica, tam Sæcularia, quam Regularia obtinentibus, „ Omnino interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne Res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: imo, quam maxime potest, Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quod & Concilia, Tridentinum secuta, scilicet Rothomagense, Burdigalense, Aquense repetunt.

Consanguinei ex Ecclesiæ proventibus non ditandi.

Hanc Regulam confirmat *S. Bernardus*, Epistola II. Clericos omnes in unius *Fulconis* persona sic interpellans: *Conceditur tibi, ut si bene deservis, de Altario vivas, non autem ut de Altario luxurieris, ut de Altario superbias, ut inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaque pellicea a collo, & manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quiquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et Sermone XVIII. in Cantica: *Timeant Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant, & in usus suæ superbiæ, atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur: duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiant, & sacris in suis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur.*

Et Declamatione in illud Evangelii, *Ecce nos reliquimus omnia*, hæc habet: *De Altario vivat, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, nec contra Sancti cujusdam dignam omni acceptione sententiam ex Clericatu ditior fiat. Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla Palatia ædificet, mutans quadrata rotundis; nec loculos inde congreget; nec in vanitate, aut superfluitate dispergat. Non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos, aut neptes, (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur, quicquid sibi Ministri, & Dispensatores, non utique Domini, vel possessores, ultra victum accipiunt, & vestitum. Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere, aut habere delicias, vel ornatum; sed vivere (ait Paulus) ex eo, ut vi-* Matth. 19

delicet sint contenti alimenta corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis; & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere.

Et Epist. XLII. „ Dicite Pontifices, non quidem in Sancto, sed in freno quid facit aurum? Hoc me etiam tacente, et si non Curia Regum, tamen penuria pauperum clamat ... Nobis frigore, & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, & nos Christi Sanguine redempti sumus. Nos ergo fratres vestri. Videte, quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis.

De recto bonorum Ecclesiasticorum usu.

Hanc denique Regulam confirmat *S. Thomas*, 2.2. qu. CLXXXV. art. VII. ubi quærit, Utrum Episcopi mortaliter peccent, si Bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiuntur. Respondet, Aliter esse dicendum de propriis bonis, quæ Episcopi possidere possunt, & de Bonis Ecclesiasticis. „ Nam propriorum bonorum verum dominium habent: unde ex ipsa rerum conditione non obligantur, ut ea aliis conferant, sed possunt ea, vel sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri; possunt tamen in eorum dispensatione peccare propter inordinationem affectus, per quam contingit, quod vel sibi plura conferant, quam oporteat, vel aliis etiam non subveniant, secundum quod requirit debitum charitatis. Non tamen tenentur ad restitutionem, quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputatæ: sed Ecclesiasticorum Bonorum sunt procuratores, vel dispensatores. Ad dispensatorem autem requiritur bona fides, secundum illud I. ad Cor. IV. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Sunt autem Bona Ecclesiastica non solum in usus pauperum, sed etiam ad cultum divinum, & necessitates Ministrorum expendenda ... Si ergo distincta sint bona, quæ debent in usum Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus, & Ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda; & si aliquid sibi retinuerit Episcopus de his, quæ sunt pauperibus eroganda vel etiam in usum Ministrorum, aut in cultum divinum expendenda: non est dubium quin contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis: ut scilicet propter immoderatum affectum, & usum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. Si vero non sint prædicta bona distincta, eorum distributio fidei ejus committitur. Et si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento. Si vero sit multus excessus, non potest latere: unde videtur bonæ fidei repugnare: & ideo non est absque peccato mortali.

Clerici bonorum Ecclesiasticorum dispensatores sunt, non Domini.

Idem docet Quodlibeto VI. qu. VII. art. I. *Bonorum* (inquit) *patrimonialium, vel licite acquisitorum, homo est vere Dominus ... Bonorum vero Ecclesiasticorum Clerici non sunt vere Domini, sed Dispensatores.* Et infra: *Si non conservet bonam fidem in dispensando, mortaliter peccat.*

S. Caroli Admonitio ad Clericos.

Argumentum istud *S. Caroli* Admonitio Conc. Mediolanensis IV. auctoritate firmata concludet. Is Clericos, quorum tenues sunt redditus, sic compellat: Exemplo Sanctorum, vos paupertate, sobrietate, ac parsimonia ita agite; ut non modo a supervacanearum rerum usibus abstinentes, sed vestro etiam defraudantes victu, Ecclesias vestras, & Altaria exornetis, „ sarta

„ sarta tecta habeatis, sacra supellectili instruatis: alienis item necessitatibus „ subveniatis, & pauperibus opitulemini.

Eos vero, qui pinguiora possident Beneficia, his verbis admonet „ Qui „ vero uberiores Ecclesiasticos redditus habetis, Ecclesias e quarum prædiis „ fructus percipitis, eo magnificentius, & augustiusquo amplioribus donis, „ bonisque, augustiorique liberalitate illæ dotatæ sunt, illustri structura, „ præclaro opere reficite, egregiisque muneribus exornate, tum omni Ec- „ clesiasticæ supellectilis apparatu instruite, Christi visceribus substantiam „ Ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet, peregrinis, viduis, pupillis, „ ægrotis, in vincula conjectis, captivis: quibus egentibus, & esurientibus „ cum subvenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatæ charita- „ tis rei estis in conspectu Domini. Memores estote ejus, quod a *SS.* Pa- „ tre Ambrosio scriptum est: Sua Fideles eo animo obtulisse Ecclesiæ Mi- „ nistris, ut per eorum manus, quorum fidei, atque integritati summa om- „ nia tribuebant, ad pauperes pervenirent.

De recto bonorum Ecclesiasticorum usu.

„ Vos item alii, quicumque estis, quorum fidei Christi patrimonium pro- „ prie ad divini cultus, pauperumque usum commissum est; cavete; ne am- „ bitione, aut cupiditate prolapsi, in alium quam cui addictum est, con- „ vertatis; idque propterea sacrilegii rei, damnationem æternam subeatis.

R E G U L A X.

Restitutionis lege tenentur, qui Bona Ecclesiæ, seu Redditus Ecclesiasticos in usus illicitos expendunt.

PRima quidem fronte contrariam sentire videri potest *S. Thomas* Quodlibeti VI. quæstione, & articulo citatis, ad tertium; *Bona* (inquit) Ec- „ clesiastica non solum sunt dispensanda pauperibus, sed etiam Ecclesiæ Mini- „ stris. Aliter ergo dicendum est de illis Ecclesiasticis Bonis, quæ princi- „ paliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, & ex consequenti neces- „ sitatibus Ministrorum, sicut sunt bona Hospitalium, & aliorum hujusmo- „ di: & aliter de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa usibus Mini- „ strorum; sicut sunt Præbendæ Clericorum, & alia hujusmodi: nam in „ primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex „ ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alte- „ rius, & ideo tenetur ad restitutionem tanquam defraudator rei alienæ: in „ secundis vero bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut „ & de bonis patrimonialibus dictum est: unde non tenetur quis ad resti- „ tutionem, sed solum ad Pœnitentiam peragendam. Verum *S. Thomæ* sensus est, ad restitutionem minime teneri, qui in Bonorum Ecclesiasticorum dispensatione sibi commissa paululum modum excesserint, sive in suos usus paulo plus quam par sit expendendo, sive consanguineis, domesticis, aut aliis, quibus propter obsequia, aut beneficia aliquid tribuere possunt, (juxta dispositionem cap. *Relatum est*, Extra, *De Testamentis*,) aliquanto plus erogando quam oporteat. Sed non negat quin ad restitutionem teneantur, si in usus pravos, & illicitos deliberata voluntate expenderint, quod pauperum est: imo id satis aperte significat in eodem articulo. *Verum* (inquit) „ quia horum dispensatio fidei dispensatoris committitur, si quis bona fi- „ de dispenset Ecclesiastica Bona, inde accipiens, quod sibi convenit se- „ cundum conditionem status, & personæ, & aliis largitur secundum, „ quod sibi videtur bona fide expedire, non peccat mortaliter, etiamsi for- „ te aliquid plus in suos usus convertat, quam oporteat: talia enim, quia

De recto bonorum Ecclesiasticorum usu.

„ in sin-

„ in singularibus est eorum judicium, non possunt per omnimodam certi„ tudinem definiri: unde si non sit multus excessus, potest compati bonam „ fidem dispensatoris: si vero multus excessus sit, non potest latere; & „ ita non potest cum bona fide dispensatoris hoc agi: si autem non con„ servat bonam fidem in dispensando, peccat mortaliter. Quicumque ergo mala fide consumit, quod pauperibus debetur, raptor est, & ad restitutionem tenetur.

Et in Responsione ad quartum: *Neque* (inquit) „ moderatus usus divi„ tiarum, neque bona fides dispensatorum salvari videtur in eo, qui scien„ ter superfluas expensas facit in voluptuosis conviviis, & aliis hujusmodi „ superfluitatibus, & sic non est dubium, quod in talibus peccat mortali„ ter: unde dicitur Matthæi XXIV. Si dixerit malus servus ille in corde suo, Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conservos „ suos (quod pertinet ad superbum, & crudele dominium) Manducet au„ tem, & bibat cum ebriosis (quod pertinet ad superflua, & voluptuosa „ convivia:) Veniet dominus servi illius in die, qua non sperat; & ho„ ra, qua ignorat, & dividet eum, (scilicet a societate Sanctorum:) „ Partemque ejus ponet cum hypocritis; scilicet in Inferno; unde ibi sub„ ditur. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Si autem aliquis non multum „ in talibus excedat; potest bona fide fieri ab aliquo, qui vult secundum „ decentiam sui status morem gerere his, quibus convivit.

Ceterum Clericos, qui redditus Ecclesiæ in usus illicitos expendunt, scilicet in meretrices, histriones, canes, equos superfluos, ludos, immoderata & sumptuosa convivia; in consanguineos ditandos, &c. ad restitutionem teneri docet *Sanctus Reymundus* in *Summa* Libr. II. Titulo *de Raptoribus*, §. VIII. „ De Meretricibus autem, & histrionibus, de quibus quæ„ situm est, dico, Prælatos, & Clericos qui res Ecclesiæ talibus, vel si„ milibus personis conferunt, vel etiam consanguineis, non propter natu„ ram sustentandam, sed ut faciant eos divites de patrimonio Crucifixi: „ item divitibus, & potentibus, non propter aliquam causam licitam, vel „ honestam, sed propter favorem sæculi, & pompam: tales (inquam) Præ„ latos, & Clericos, qui talibus conferunt bona Ecclesiastica pauperibus „ debita, dico esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem o„ mnium. Hieronymus: Ecclesiam fraudare, sacrilegium est; accepisse pau„ peribus erogandum, & esurientibus plurimis illud reservare, vel cau„ tum, vel timidum est; aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde „ subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. XII. Quæst. II. „ Gloria Episcopi. Item Concilium Toletanum, Si illi, qui nulla ex re„ bus suis pauperibus distribuunt, æterni Judicis voce condemnabuntur in „ futuro: quanto magis ii, qui auferunt pauperibus, quod non dederunt? „ XII. Quæst. II. Si illi.

De recto bonorum Ecclesiasticorum usu.

Idem docet *Sanctus Antoninus*, III. Part. Summæ, Titulo XV. Cap. I. §. 10. *De bonis* (inquit) „ seu fructibus Beneficiorum, quæ dant Clerici „ consanguineis, vel personis turpibus, Utrum in dando peccent, & te„ neantur ad restitutionem. Super hoc dicit Raymundus, quod Clerici, „ qui consanguineis potentibus, vel meretricibus, & histrionibus, & simi„ libus bona Ecclesiastica pauperibus debita tribuunt, raptores sunt, quia „ quicquid Clerici habent, pauperum est, dicit Hieronymus XVI. Quæst. I. „ Cap. finali. Nam pauperibus debentur: unde ad restitutionem tenentur „ omnium pauperibus, vel in utilitatem Ecclesiæ .... Idem videtur senti„ re S.Thomas Secunda Secundæ, Quæst.CLXXXV.... Petrus vero De Palude „ in Quartum, Distinct. XXIV. Quæst. III. dicit. Quod quidam dicunt, quod

„ illud „

„ illud, quod Clerici in malos usus consumunt de patrimonio Jesu Chri„ sti, non tenentur restituere de proprio, quia sunt domini ejus, quod per„ cipiunt: aliter testari non possent. In re autem propria quilibet est mo„ derator, & arbiter, ut patet. Argumentum etiam ad hoc est: Extra, „ De Clerico non Residente, Cap. I. ubi dicitur, Quod qui non interest „ Horis sine causa rationabili, si recipit distributiones quotidianas, quæ „ pro hujusmodi dantur, non facit eas suas, sed tenetur ad restitutionem: „ ergo a contrariis, si interest Horis, facit eas suas, & si male expen„ dit, non tenetur ad restitutionem. Alii dicunt; Quod non habet fru„ ctum favore sui, sicut pater in bonis filii adventitiis, quorum fructus „ si male consumit, non tenetur restituere: sed pro bono Ecclesiæ, & pau„ perum facti sunt administratores, & tutores, qui sunt quasi domini, „ sed non quando pupillum spoliant. Et ideo, sicut illi possunt sibi vi„ ctum, & vestitum retinere, & benemeritis dare: sed si male expendunt, „ tenentur restituere; sic & isti. Et istud magis consonat dictis Sanctorum, „ & Juri Canonico. Hæc Petrus. Unde Hieronymus: Tibi, o Sacerdos, „ De Altario vivere, non luxuriari permittitur, Distinct. XLIV. Cap. I. Et „ Augustinus dicit: Non illa nostra sunt, quorum procurationem quodam„ modo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindica„ mus, XII. Quæstione I. Can. Si privatum: Ubi dicit Glossa, Quo loco „ Domini habentur Prælati cum bene administrant, loco prædonis cum „ male, ff. pro empt. L. Qui fundum. §. Si tutor. Cui concordat ipse Pe„ trus dicens, Quod Prælati sunt domini sub certa lege: scilicet si bene „ utantur, alias restituere tenentur; sicut in his, quæ dantur ob certam „ causam in legatis relictis sub certo modo, quibus deficientibus, licet do„ minium translatum fuerit, repetuntur.

Panormitanus, in Cap. *Cum secundum*, Extra, *De Prebendis*, censet, quod Beneficiati convertentes redditus Ecclesiæ in usus inhonestos, *Si haberent patrimonium, tenerentur de suo reddere Ecclesiæ, quod male expenderunt.*

Idem docet *Alvarus Pelagius* Joannis XXII. Pœnitentiarius Libro II. *De Planctu Ecclesiæ*, Cap. XXVIII. *Ex dicto* (inquit) Hieronymi potest elici „ solutio hujus Quæstionis, quod teneantur ad restitutionem, cum dicat, „ Permissum victum de bonis Altaris, non abusum. Fateor, quod durus „ est hic sermo, & multos scandalizat, sicut verbum Christi, Nisi quis „ manducaverit carnem meam: Nihilominus verus est; quia licet actio „ contra tales præsumptores directa non procedat, indirecta tamen proce„ dit non solum coram Deo, sed etiam coram Ecclesia, quia rationem „ tenentur reddere de malis expensis Clerici Episcopo, Can. Placuit, Cau„ sa X. Quæst. III. ibi. Et in singulis annis Episcopo ratio fiat. Et Cleri„ ci Ecclesias suas tenentur conservare indemnes de dilapidatione, & ma„ lis expensis, & de damnis, quæ eis intulerunt, ut est expressum XII. „ Quæst. II. Statuimus, ibi: Et de facultatibus, si quas habent proprias, in„ demnem Ecclesiam reddant.

Joan. 6.

Sed luculentius nihil ad istius Regulæ confirmationem afferri potest Concilii Mediolanensis I. Decreto sub *S. Carolo Borromeo*, Tit. LXIII. „ Et sa„ crorum Canonum Decretis statutum est, & Sanctissimorum Patrum te„ stimoniis celebratum, quæ bona Fidelium pietas Deo consecravit, ea vel „ illorum necessitatibus honeste sublevandis, qui divinis dicati obsequiis, „ Christi Ministri, & dispensatores Mysteriorum Dei effecti essent; vel Ec„ clesiis reficiendis, earumque ornamentis ad divinum cultum necessariis „ comparandis, vel pauperibus sustentandis addicta esse; siquidem ubi pri„ mum Ecclesiæ bona esse cæperunt, eam naturam, & conditionem con-

„ secuta

De recto bonorum Ecclesiasticorum usu.

„ secuta sunt, ut in alium quam sacrum, & pium usum eorum fructus con-
„ verti nefas esset. Quare cavendum est, ne cupiditate prolapsi, quæ radix
„ est omnium malorum, dum vel propriis, vel propinquorum, & familia-
„ rum divitiis, & honoribus studemus, quæ Deo dicata sunt bona, & Ec-
„ clesiæ detrimento, & pauperum gemitu, & bonorum offensione ad alio-
„ rum usum convertamus. Itaque nos Sacrorum Canonum, & Sanctorum
„ Patrum auctoritate innixi, atque iis inducti, quæ Sacra Tridentina Sy-
„ nodus de Officio administrandi Bona Ecclesiastica significavit, eos omnes,
„ qui ea obtinent, vehementer monemus, ut muneris sui memores hæc,
„ quæ sequuntur diligentissime præstent. Episcopi, Abbates, Præpositi, Pa-
„ rochi, ac ceteri omnes cujuscumque dignitatis, & gradus, Ecclesias, et-
„ iam eorum Administrationi commissas, ac quæcumque Beneficia Eccle-
„ siastica, etiam simplicia, quomodocumque etiam commendata, in Pro-
„ vincia nostra obtinentes, omni diligentia cognoscere studeant, quibus o-
„ neribus eorum Ecclesiæ, & Beneficia ex bonorum Ecclesiasticorum na-
„ tura, vel ex illorum, quæ obtinent, propria institutione; vel ex condi-
„ tione Apostolicis Litteris in Provisione dictorum Beneficiorum eis præ-
„ scripta, vel alia quacumque ejus generis ratione subjaceant, illisque in-
„ tegre satisfaciant. Quod si facere omiserint, sed eos fructus sibi vindica-
„ re, vel ad alios transferre ausi fuerint, vel in quem debent usum, non
„ impenderint; se ex Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum Sententia
„ sacrilegii reos esse intelligant; & eorum omnium necessaria restitutione
„ teneri; neque ulla omnino, etiam immemorabili, consuetudine excusari.
„ Noverint etiam ii, ad quos scientes hujusmodi fructus, vel aliquod
„ ex illis commodum quovis nomine pervenerit, se eadem restitutionis
„ lege teneri.
„ Ii vero, qui Ecclesias, & Beneficia Ecclesiastica quæcumque obtinent,
„ quorum fructus ad eos, tanquam divinorum obsequiorum Ministros, ho-
„ neste sustentandos proprie sunt attributi, si uberiores sint quam ad tuen-
„ dam vitam, conditionisque suæ rationem requiratur; dubitare non de-
„ bent, ad eum finem hanc copiam illis esse attributam, ut præter ea,
„ quæ ad victum, & cultum eorum satis essent, suppeterent etiam, qui-
„ bus divini cultus ornatus, ac splendor conservaretur, & pauperum ino-
„ pia, & indigentia sublevaretur; quemadmodum etiam Deus plerosque di-
„ vitiis cumulat, ut amicos sibi faciant, a quibus, cum defecerint, in æ-
„ terna recipiantur tabernacula. Quamobrem per viscera misericordiæ Jesu
„ Christi obtestamur, atque monemus, ut meminerint, ea bona non esse
„ sibi credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos, sed ad vitam
„ honeste, ut fidelem Dei Ministrum, & pietatis Christianæ Magistrum
„ decet, traducendam. Ex eo vero quod supererit, si necessaria pauperi-
„ bus alimenta denegarint, intelligant se, quos non paverint, occidisse;
„ atque ob violatam sanctissimæ charitatis legem mortale peccatum commi-
„ sisse, quo sibi iram in die iræ thesaurizaverunt.
„ Modum autem, & rationem, qua metiri se pro conditione, & gra-
„ du unumquemque oporteat ad vitam suam fructibus Ecclesiasticis hone-
„ ste ducendam, eam esse omnes debent intelligere, quæ ab iis non discre-
„ pet, quæ in Sacris Canonibus, & præsertim in his nostris Constitutioni-
„ bus, de Clericali frugalitate, & modestia statuta sunt.

RE-

REGULA XI.

Personæ turpes, lusores, consanguinei divites Clericorum, & alii, quibus sine justa causa Ecclesiasticorum Bonorum fructus contulerunt, ad restitutionem tenentur.

ITa docet *S. Raymundus* loco supra citato, §. 9. *Sed quid* (inquit) *defocaris*, & *hujusmodi turpibus personis, & aliis supra dictis, quæ sic pascuntur, vel ditantur de rebus Ecclesiæ, numquid & ipsi tenentur ad restitutionem? Utique* XIV. quæst. VI. Si Res *aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: sed differenter* (inquit S. Raymundus) *nam turpes personæ indistincte tenentur restituere, si possunt; nisi forte fuerit eis datum causa eleemosynæ, cum essent in necessitate, quod fieri debuit. Divites vero, & Potentes, credo, quod teneantur similiter ad restitutionem; si illud recipiebant per fraudes, vel minas, vel importunitatem indebitam, vel alias sine justa causa .·. Sed cui fiet hæc restitutio? Credo, quod auctoritate Judicis Pœnitentialis debeat fieri Ecclesiæ, cui sic injuriose ablatum est: item illi eidem, qui dedit, nisi cum turpiter dedit; tunc enim non sibi, sed Successori suo poterit fieri: vel in utilitatem Ecclesiæ convertetur; vel etiam ejusdem loci pauperibus, si hoc expedire videbitur, erogetur.*

Idem confirmat *S. Antoninus* loco supra citato: *Male autem recipientes a Personis Ecclesiasticis de Bonis Ecclesiarum, videlicet de fructibus, & eleemosynis Beneficiorum, ut fornicariæ, & histriones, & consanguinei, non ratione indigentiæ, sed parentelæ, & lusores & alii hujusmodi; & domini potentes per fraudes, minas, & importunitates, secundum Raymundum, tenentur restituere: non quidem illi, qui turpiter dedit, sed auctoritate Superioris convertere in utilitatem illius Ecclesiæ, vel pauperibus erogare.* XVII. quæst. IV. Si quis in atrio.

De recto bonorum Ecclesiasticorum usu.

REGULA XII.

Si Clerici de Bonorum Ecclesiasticorum portione usui suo destinata, (sive illa in fixis redditibus, sive in distributionibus, aut oblationibus adventitiis consistat) aliquid sibi subtraxerint, id consanguineis suis, aut aliis erogare licite possunt, ea moderatione adhibita, ut ditiores inde non fiant:

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, 2. 2. quæst. CLXXXV. art. VII. ad II. *Bona* (inquit) *Ecclesiarum non sunt solum expendenda in usus pauperum, sed etiam in alios usus. Et ideo si de eo, quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis suis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, idest, ut non indigeant, non autem ut divites inde fiant.* Id confirmat ex *S. Ambrosio* Lib. I. *De Officiis*, cap. XXX. dicente: *Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui subsidium necessitati: non tamen, ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus; causa enim præstat, non gratia. Neque enim propterea te Domine dicasti, ut tuos divites facias? sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata redimas tua. Putant se parum poscere? Pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & se juste facere putant. Et accusat, quod eum divitem non feceris, cum te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede.*

RE-

REGULA XIII.

Graviter peccat Clericus, qui imminente necessitate pauperibus subveniendi, reservat, ac reponit in futurum id, quod ex Ecclesiasticis redditibus ipsi residuum est.

DOctrina est *S. Thomæ*, 2. 2. quæstione, & articulo mox laudatis, in Responsione ad quartum: *Bona* (inquit) *Ecclesiarum usibus pauperum deservire debent. Et ideo si quis necessitate non imminente providendi pauperibus, de his, quæ superfluunt ex proventibus Ecclesiæ, possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati Ecclesiæ, & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit. Si vero necessitas immineat pauperibus erogandi, superflua cura est, & inordinata, ut aliquis in futurum conservet. Quod Dominus prohibet, Matth.* VI. dicens Nolite *soliciti esse in crastinum*. Quando vero necessitas illa non imminet, cum semper pauperes nobiscum habeamus? Præclare *Petrus Cantor* in *Verbo Abbreviato*, cap. LIX. *Quomodo* (inquit) *Prælati, successores Apostolorum, hujus temporis dicunt.* Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? *Cum temporalibus abundent, etiam supra laicos; cum omnia ea inquirant, quæ Gentes; cum thesaurizent sic contra præceptum Domini multiplicantes aurum, & argentum, equos, & phaleras, & pompam sæculi, quod etiam Regibus Israel erat probibitum, ne reducerentur in Ægyptum ... Quomodo prædicabunt subditis dispergere, & erogare bona sua pauperibus, qui dispersa non cessant congregare, & reponere? Tutius esset, nec habere, unde aliis erogarent.*

REGULA XIV.

Clerici, qui sufficiens ad sustentationem suam Patrimonium habent, Ecclesiasticorum tamen Beneficiorum redditibus, oblationibus, aliisve stipendiis ad necessarium victum, honestumque vestitum tuta conscientia uti possunt.

De recto bonorum Ecclesiasticorum usu.

HÆc Regula colligitur ex Apostolo 1. ad Corinth. IX. cap. ubi probat, se ipsum, ac Barnabam exigere potuisse a Corinthiis necessitatem sustentationis, quamvis ex manuum suarum labore viverent, qui patrimonii loco ipsis erat. *Quis* (inquit) *militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam; & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An & Lex hoc non*
Deut. 25. *dicit? Scriptum est enim in Lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: Quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

Id confirmat perpetua Ecclesiæ Disciplina, praxisque: nunquam enim Clericos Patrimonium sufficiens habentes a redituum Ecclesiasticorum, Decimarum, distributionum, aut oblationum participatione exclusit, aut Beneficia possidentes ad relinquendum Patrimonium obligavit; aut ad erogandum pauperibus portionem Bonorum Ecclesiasticorum ipsorum sustentationi, atque usui alias destinatam. Imo Canones bona propria de-

functi Episcopi, aut cujusvis alterius Clerici, a Redditibus Ecclesiasticis diligenter separari jubent, & ista Ecclesiæ, illa vero ejus hæredibus servari. Episcopis etiam, aliisve Clericis permittunt, ut patrimonialia, propriaque bona donent, vel testamento legent, quibus voluerint: Ecclesiasticorum vero Bonorum fructus, sive oblationes, alteri, quam Ecclesiæ, relinquere non possint. Ita can. XL. inter eos, qui Apostolici vocantur: *Sint manifestæ res propriæ Episcopi, si tamen habet proprias; & manifestæ Dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere; ne sub occasione Ecclesiasticarum Rerum intercidant Res Episcopi. Justum enim est apud Deum pariter, & homines simul, ne Ecclesia per ignorationem rerum Episcopi damni aliquid sustineat; simul ne Episcopus, aut cognati ejus, prætextu Ecclesiæ oblædantur.* Refertur can. *Sint manifestæ*, causa XII. quæst. I.

Concilium Antiochenum, can. XXIV. *Manifesta sint* (inquit) *quæ pertinere videntur ad Ecclesiam cum notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipsum sunt, ita ut agnoscant, nec ignorent, quæ sunt Ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat: ut si contigerit Episcopum migrare de sæculo, certis existentibus rebus; quæ sunt Ecclesiæ, nec ipse collapsæ depereant, nec quæ propria probantur Episcopi sub occasione rerum pervadantur Ecclesiæ. Justum namque, & acceptum est coram Deo, & hominibus, ut sua Episcopus, quibus voluerit derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt, eidem conserventur Ecclesiæ; ut nec Ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ, & in causas incidant, qui ad eum pertinent, & ipse post obitum maledictionibus ingravetur.*

Concilium Agathense, can. XLVIII. *Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant: quicquid vero de provisione suæ Ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiæ servare censuimus.* Hi, aliique Canones manifeste probant, Clericos Patrimonium habentes, Ecclesiasticos redditus nihilominus percepisse, iisque uti potuisse ad congruam, & honestam sustentationem: ita tamen, ut quod ex illis residuum esset, Ecclesiæ post eorum obitum servaretur.

Præterea, Ecclesiæ redditus esse stipendia Clericorum ministerio, & laboribus debita, Canones asserunt: Jure igitur utendi stipendiis illis non privantur, quibus sufficiens Patrimonium est; si Ecclesiæ serviant. Ita Concilium Agathense can. XXXVI. *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum, vel ordinationem Canonum a Sacerdotibus consequantur.*

Et *Innocentius III.* cap. *Cum secundum*, Extra. *De Præbendis*, ait: *Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari: & qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede; patet a simili, ut Clerici vivere debeant de Patrimonio Jesu Christi, &c.* De recto bonorum Ecclesiasticorum usu.

Frustra vero quidam objiciunt can. *Ex his*, causa XII. quæst. I. cujus hæc sunt verba: *Ex his, quibus Episcopus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus & ipse percipiat, ut nihil ei possit omnino deesse.* Hæc enim verba, *si tamen indiget*, non significant, Episcopum, vel Clericum, cui sufficiens Patrimonium est, Ecclesiasticis redditibus ad sustentationem suam uti non posse; sed ex hujusmodi redditibus tantum accipere, & expendere ei licere, quantum opus erit & ad peregrinos suscipiendos & hospitalitatem exercendam. Unde subdit idem Canon: *Lex enim Dei præcipit, ut qui Altario deserviunt, pascantur de ipso.*

Frustra

Frustra etiam objiciunt Canonem, *Clericos*, sub *S. Hieronymi* nomine citatum causa 1. quæst. 11. *Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant, & bibunt*. Hic enim Canon de iis intelligendus est, qui cum Patrimonium sufficiens habeant, Ecclesiasticis redditibus abutuntur, eosque in malos usus convertunt; vel occasione augendi Patrimonii se a divinis subtrahunt obsequiis, quibus sic absentibus, & Ecclesiæ minime servientibus, fructus Bonorum Ecclesiasticorum jure non competunt, nec illos suos faciunt. Vel de quarta pauperibus debita, quæ dari prohibetur divitibus, Canon exponendus est. Denique si absolute, & absque illis exceptionibus, verba Canonis accipiantur, exhortationem, & consilium, non præceptum continet. Si tamen locupletes Clerici de bonis Ecclesiæ percipiunt, licet non debeat eis denegari portio, quia nemo cogitur suis stipendiis militare, mortaliter peccant, si ex cupiditate sua reservant. Ita Canonem illum explicat Glossa.

Frustra tandem objiciunt illa *S. Augustini* verba, Epistola CLXXXV. alias L. *Si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum; si autem privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*.

Item verba *Juliani Pomerii*, Libro II. *De Vita Contemplativa*, cap. X. „Nec „ illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid inde volunt, sine grandi pec- „ cato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis, quidem, „ dicit Spiritus Sanctus, Peccata populi mei comedunt. Sed sicut nihil ha- „ bentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, „ accipiunt: ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena pec- „ cata suscipiunt. Refertur Canone Pastor, causa 1. qu. 11.

Verum hæc verba non perstringunt Clericos, qui Patrimonium habentes, ex redditibus Ecclesiæ nihilominus vivebant, sed eos, quibus cupiditas ingressum in Collegia, seu Congregationes, ac Societates Ecclesiasticas suadebat, non ut Ecclesiæ servirent, sed ut a suscipiendis apud se pauperibus, & peregrinis immunes, Patrimonium augerent, & ex substantia pauperum interim viverent. Ita horum Patrum sententias interpretatur *Innocentius IV.* in cap. *Episcopus*, Extra, *De Præbendis*, scribens: „ Intendit Auctor Canonicis prohibere, ne quis „ de Patrimonio avare thesaurizet; & bona Ecclesiæ expendat; alias autem li- „ cet bona sua conservare hæredibus, & bona Ecclesiæ expendere. Atque hunc „ esse Juliani Pomerii sensum, verba sequenti Canone relata ostendunt: Illi „ quoque (inquit) qui velut idonei, nihil quidem sibi dari, velut debitum po- „ scunt, sed tamen Ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali pec- „ cato cibos pauperum præsumendo suscipiant; qui Ecclesiam, quam juvare de „ propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant: propter hoc „ fortassis in Congregatione viventes, ne aliquot pauperes pascant; ne adve- „ nientes suscipiant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant.

Hinc Aquisgranense Concilium anno DCCCXVI. cum ex *Julianii Pomerii* verbis cap. 107. Regulæ, quam præscripsit Canonicis, contexuerit, ait tamen cap. 115. ipsos *Proprias res, & Ecclesiæ cum humilitate, & justitia habere posse*. Et cap. 120. *Proinde* (inquit) *qui suas, & Ecclesiæ habent facultates, & in utilitatem Ecclesiæ interius, & exterius conferunt, accipiant in Congregatione cibum, & potum, & partes eleemosynarum, & his contenti sint, ne plus accipientes, pauperes gravare videantur*. Et cap. 122. *Qui vero suis, & Ecclesiæ abundat rebus, instante sterilitatis tempore, eis, quos*

De recto bonorum Ecclesiasticorum usu.

quos pauperes pascit Ecclesia , suis facultatibus cum charitate , & humilitate suffragari procurent .

Prosper Fagnanus Vir Canonici Juris Consultissimus, oppositos hac in materia Canones trium temporum distinctione conciliat , in cap. *Si quis* , Ex„ tra, *De Peculio Clericorum* . Primum tempus est (inquit) quando in pri„ mitiva Ecclesia Clerici communiter habitabant , & nihil proprii habebant, „ sed omnia habebant communia , & de illis bonis communibus Clerici vi„ vebant primo juxta dispensationem Apostolorum , deinde juxta dispensa„ tionem Episcoporum, qui Apostolis successerunt. Et secundum hoc tem„ pus non est quærendum , an Sacerdotes , & Clerici habentes propria, pos„ sent vivere de bonis Ecclesiæ , cum nihil proprium possiderent. Secundum „ tempus successit , in quo Episcopi videntes utiles fore , ut prædia oblata „ conservarentur Ecclesiis Cathedralibus , ut ex eorum fructibus posset om„ nibus indigentibus uberius subveniri , statuerunt , ut bona hujusmodi non „ venderentur, sed conservarentur , & Episcopus haberet potestatem ea dis„ pensandi , prout cuique opus esset : & de redditibus Ecclesiæ fierent qua„ tuor partes , quarum una deberetur Episcopis , alia Clericis , tertia fabri„ cæ, quarta pauperibus . Et hoc tempore emanarunt Jura , quæ disponunt, „ ut Clerici habentes proprium nullatenus participent de redditibus Eccle„ siæ. Ratio ejus dispositionis fuit, quia cum adhuc illicitum videretur, ut „ Clerici proprium possiderent contra vestigia Apostolorum , & nonnulli id „ facerent clam , ut ostenderent se sanctiores, quam essent, ut in *C. Certe* , „ XII. Quæst. I. multo detestabilius videbatur , ut proprium haberent , & „ nihilominus viverent de Redditibus Ecclesiasticis, qui reservati erant prin„ cipaliter pro subsidio indigentium : unde satis erat , ut permitteretur eis , „ Bona Patrimonialia possidere. Ideoque constitutum fuit , ut Clerici etiam „ servientes , stipendia Ecclesiastica non acciperent , nisi essent pauperes , „ prout disponitur *C. Sacerdos* I. Quæst. 2. Tertium , & ultimum tempus „ fuit, quando Clerici , cum non essent ita ferventes in fide , cœperunt li„ cite, omni scandalo cessante, possidere propria , & Ecclesiæ construi , & „ dotari principaliter pro earum Ministris , & erecti etiam fuerunt Tituli „ Beneficiales . Et hoc tempore statutum fuit , ut Clerici possent licite vi„ vere de redditibus Ecclesiæ , & Bona Patrimonialia suis hæredibus relin„ quere . Sit igitur firma Conclusio , quod Clerici etiam habentes proprium „ Patrimonium , possint sustentari de redditibus Beneficii : cui suffragatur „ etiam universalis consuetudo.

REGULA XV.

Clerici , quibus sufficiens Patrimonium est , urgente pauperum necessitate Redditus omnes Ecclesiasticos , sive fructus Beneficiorum , decimas , distributiones , oblationes , aliasque obventiones sacras , pauperibus erogare tenentur , & ex Patrimonio suo vivere : alioqui graviter peccant .

HAnc Regulam tradit *S. Thomas* , 2. 2. quæst. CLXXXV. art. VII. ad tertium : *Nom omnia Bona Ecclesiarum* (inquit) *sunt pauperibus largienda , nisi forte in articulo necessitatis , in quo etiam pro redemptione captivorum , & aliis necessitatibus pauperum , vasa cultui divino dicata distrahuntur , ut Ambrosius dicit : Et in tali necessitate peccaret Clericus , si vellet de rebus Ecclesiæ vivere , dummodo haberet patrimonialia bona , de quibus vivere posset .* De recto bonorum Ecclesiasticorum usu .

„ Denique illis , qui plene sufficientem habent sustentationem ex Patri„ monio, vel ex Beneficio, alterum est superfluum , ac proinde pauperibus „ debitum : qui vero , neque ex Patrimonio , neque ex Beneficio sufficien- Lib. II. Officiorum cap. XXVIII.

„ tem omnino sustentationem habent, ea lege utrumque retinere possunt, „ ut ex utroque nihil accipiant ultra sustentationem decentem, juxta con„ ditionem proprii status. Quod enim vere superfluum est, dandum esse „ pauperibus, Theologi communiter docent (ait pius, & eruditus Cardina„ lis Bellarminus Libr. I. *De Clericis*, cap. XXVIII.) Certe si divino præcepto divites Laici obligantur ad ea pauperibus eroganda, quæ sibi superflua sunt, secundum illud Lucæ III. *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat:* sic Christianæ Moralis egregii Doctores SS. Hieronymus, & Augustinus vere dixerunt, ille in Epistola ad Hedibiam, quæst. I. *Si plus habes, quam tibi ad victum, vestitumque necessarium est; illud eroga, & in illo debitricem esse te noveris:* iste vero Ennarratione in Psalm. XLVII. num. 12. *Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur:* quanto magis Clerici tenentur superflua, sive Beneficii, sive Patrimonii, sive utriusque, pauperibus erogare, non solum extremam, non solum gravem, sed communem etiam necessitatem patientibus; cum thesaurizare in terris non debeant, qui Dominum partem esse suam, ac hæreditatem singulari quadam ratione profitentur; bonaque Ecclesiastica, quæ possident, deposita sint pietatis, & Patrimonia pauperum, illorum fidei, ac dispensationi commissa?

APPENDIX AD TRACTATUM DE ORDINE.

CAPUT VI.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,

Illicitaque eorum Captatione, Possessione, Resignatione, Permutatione, & Beneficiorum Officiis.

BEneficium *Ecclesiasticum est Jus perpetuum percipiendi fructus ex Bonis Ecclesiasticis provenientes, Ecclesiæ auctoritate constitutum, competens Clerico propter Sacrum Ministerium, seu Officium spirituale, quod exhibere debet Ecclesiæ, cujus ex bonis sustentatur.*

Ecclesiastici Beneficii definitio explicatur.

Dicitur *Jus perpetuum*. Pensiones enim, quæ ad certum duntaxat tempus sunt concessæ, & Pensionarii morte extinguuntur, non sunt Beneficia. Nec etiam Dignitates, & Administrationes temporariæ, quales sunt Vicariorum Generalium, & Officialium Episcopi. Dicitur *Auctoritate Ecclesiæ constitutum:* Quia Summi Pontificis, aut Episcopi approbatio, & confirmatio necessaria est, ut proventus aliqui Ecclesiis, sive Clericis ob officium spirituale concessi, rationem Beneficiorum habeant. Unde Capellaniæ, seu redditus ob Missarum celebrationem in perpetuum fundati, quos vulgo *Obitus* nuncupamus, Beneficia Ecclesiastica non censentur, sed stipendia duntaxat, vel eleemosynæ; nisi ab Episcopo, aut a Romano Pontifice in Beneficii Titulum accepti sint, & instituti. Dicitur *Clerico competens:* Quia nemini conferri potest, qui non sit prima saltem Tonsura initiatus. Dicitur denique *Propter Sacrum Ministerium:* Quia *Beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica Munia obeunda sunt constituta*, ut loquitur Concilium Tridentinum Sess. XXI. cap. III. *De Reformatione*. Unde Beneficium, *Ecclesiasticum Ministerium* appellatur, Cap. *Quia nonnulli*, Extra. *De Clericis non residentibus:* Ut merito *Beneficium propter Officium* dari dicatur, Cap. *Quia per ambitiosam*,

sam, Tit. *De Rescriptis*, in Sexto. Officium autem illud non sola Canonicarum Horarum, seu Breviarii recitatio intelligenda est, ad quam omnes Beneficiarii tenentur, sed Sacramentorum Administratio, Missarum celebratio, Evangelii prædicatio, aliæque functiones sacræ, quibus ex institutione, & ordine Ecclesiæ Beneficiarii sunt obstricti, ut colligitur ex cap. *Significatum*, Extra. *De Præbendis*, *& Dignitatibus*. Cum enim æquum sit, eos, qui Altari serviunt, de Altari vivere; a contrario sensu sequitur, eos, qui de Altari vivunt, Altari servire oportere. Unde Concilium Coloniense anno MDXLIX. celebratum Tit. IX. cap. III. *Divini* (inquit) *Juris est*, *ut qui servit Altari*, *de Altari vivat*: *Nec bono jure is*, *qui non servit Altari*, *de Altari vivit* : *Sicut stipendium non debetur nisi militanti*. Quamobrem, si nullum speciale munus Beneficiis sit annexum, iis Ecclesiasticum aliquod Ministerium, ut annectat Episcopus conveniens est Ecclesiæ Disciplinæ, ut statuit Concilium Mediolanense I. Constitutionum P. II. Tit. XXVI. *Si* (inquit) *aliqua Dignitas*, *Personatus*, *aut Officium in Ecclesia fuerit*, *cui neque ab Institutione*, *neque a Jure communi*, *neque a propriis Constitutionibus*, *quæ probatæ sint*, *neque his Decretis proprium Munus in divinis Officiis sit attributum*, *aut quod sit non satis constet*; *Episcopi*, *duobus adhibitis de Capitulo*, *quorum alter ab Episcopo*, *alter a Capitulo deligatur*, *assignet singulis Dignitatibus*, *& Officiis proprium Munus*, *quemadmodum cum sententia sacrorum Canonum*, *& cum propriæ Ecclesiæ probatis Constitutionibus*, *& cum his Sanctionibus pro ratione loci magis congruere judicabunt*. *Ceteris etiam Beneficiis*, *quæcumque jam ab Ecclesiasticis Officiis immunia reperiuntur*, *sive Canonicatus*, *sive Clericatus*, *sive etiam simplicium nomine appellantur*, *iis Episcopus pristina Munera restituat*: *Ac*, *si non constat satis*, *qualia essent*, *pro fructuum ratione Munera imponat*, *aut Missas*, *Divinaque Officia celebrandi*; *aut si Clericatus*, *simpliciave Beneficia sint*, *Minorum etiam Ordinum functiones obeundi ad divini cultus propagationem*. Idem statuit Concilium Burdigalense anno 1624. celebratum, cap. XVIII. Num. I.

Beneficia porro nuncupata sunt, quod actione benefica, & spontanea conferantur Clericis Ecclesiæ militantibus, sicut & prædia, quæ Militibus profanis, & sæcularibus, concedebantur, feuda, & beneficia dicta sunt.

Omissa Beneficiorum divisione in ea, quæ Dignitatem habent, & præeminentiam singularem, quæ & Personatus interdum appellantur; & ea, quibus annexa est Cura Animarum; & ea, quæ sunt absque Dignitate, & Cura: Beneficiorum primaria, & maxime vulgata divisio est in Sæcularia, & Regularia. Sæcularia sunt, quæ Clericis Sæcularibus tantum; Regularia, quæ Regularibus tantum debentur, & conferri possunt, id est, qui Professionem in aliquo Ordine Religioso, Beneficiorum capace, secundum Ecclesiæ Disciplinam emiserint; vel ei nomen dederint, profitendique intra annum conditionem subeant. Hinc tritum illud, & praxi receptum: *Sæcularia Sæcularibus*, *Regularia Regularibus*. Prout Concordatis a Concilio Lateranensi V. confirmatis, & Concilii Tridentini Sessione XIV. cap. X. & XI. *De Reformatione* statutum est. Quotuplex Beneficiorum genus.

Quædam rursus Beneficia sunt cum Animarum Cura conjuncta, ut Episcopatus, Decanatus, Cura Parochialis, Abbatia, Prioratus Regularis, &c. Quædam sine Animarum cura, ut Canonicatus, Præbendæ, Capellaniæ, ac Prioratus simplices. Ad Ordinem Beneficiorum curam Animarum habentium revocantur Ecclesiasticæ Dignitates, & Beneficia, quibus Jurisdictio contentiosa, & Jus quoddam correctionis morum est adnexum, quales sunt Archidiaconatus, & quædam Ecclesiarum Collegiatarum Præfecturæ.

Beneficia rursus alia in Titulum, alia in Commendam collata sunt, Jure

novo Ecclesiæ probato: Alias enim reciproca erant in Ecclesia, Tituli Beneficiique nomina. Ceterum commendata Beneficia dicuntur, quæ cum Regularia sint, a Summo Pontifice Clericis Sæcularibus, eorum immutata natura, velut Administratoribus conferuntur, atque commendantur. Commendatarios porro, si ætatem præscriptam a Jure ad suscipiendos Sacros Ordines attigerint, Concilium Rothomagense Tit. *De Monasteriis*, intra annum promoveri debere decrevit; alias Episcopum pro suo jure agere posse, usque ad declarationem vacantium omnium Beneficiorum. Promotos vero ad celebrandam Missam, iisdem legibus, quibus omnes Presbyteri obligandos, & compellendos esse ab Ordinariis, si fuerint contumaces, aut contemptores. Tum de eorum vita, & honestate subdit: *Commendatarii, quamvis ad Regularem observantiam non obligentur, ne tamen sint sine jugo, atque omni Regula, decet eos medium statum, atque Ordinem sequi, & ostendere inter Regulares, & seculares Clericos in vestitu, in victu, & in omni ornatu. Tonsura utantur ampliori, quam Sacerdotali, habitu propius ad Regularem accedente: Nec existiment sibi commendatum Monasteriorum Regimen ad luxum, aut prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, & consanguineorum familiam; sed ad piam, & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem, Deoque de omnibus reddendam esse rationem.*

Abbatum, & Priorum Commendatariorum obligatio.

Ut autem præcipua vitia noscantur, quæ in Beneficiorum Collatione, Captatione, Possessione, Resignatione, & Permutatione contingunt, Regulas quasdam pro more statuemus.

REGULA I.

Ad Beneficia Ecclesiastica promoveri non debent, nisi legitimi, & qui sint moribus, scientia, ætate, Ordineque idonei: Si vero sint Parochiales Ecclesiæ, requiritur insuper, ut idioma loci intelligant, & expedite loqui sciant.

Qui ad Beneficia Ecclesiastica possidenda idonei?

Beneficium enim *Ecclesiasticum non potest sine institutione Canonica obtineri*; secundum Regulam 1. Juris, in Sexto. Pertinet autem ad Institutionem Canonicam, ut Beneficium conferatur ei, qui sit ad illud possidendum, ejusque functiones obeundas idoneus, puta, qui non sit Irregularis, nec infra legitimam ætatem (inquit *S. Antoninus* III. P. Tit. xv. §. *De Beneficiis*) Hinc Cap. *Postulasti*, Ext. *De Clerico Excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*, Innocentius III. respondet: *Cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licite retinere, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum: Cum ea non fuerint canonice consecuti.*

Excommunicatis conferri non possunt.

Ætas 25. annorum inchoatorum ad regimen Parochialis Ecclesiæ necessaria.

„ Idem confirmatur ex cap. *Licet*, Tit. *De Electione*. in Sexto. Licet Canon a felicis recordationis Alexandro Papa III Prædecessore nostro editus, inter cetera statuerit, ut nullus Regimen Ecclesiæ Parochialis suscipiat, nisi vigesimum quintum annum ætatis attigerit, ac scientia, & moribus commendandus existat: Quodque talis ad Regimen assumptus hujusmodi si monitus non fuerit præfixo a Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, a Regiminis ejusdem amoveatur Officio, & alii conferatur: Quia tamen in observatione Canonis memorati se multi exhibent negligentes: Nos periculosam illorum negligentiam volentes Juris executione suppleri, præsenti Decreto statuimus, ut nullus ad Regimen Parochialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia, & ætate: Decernentes collationes de Parochialibus Ecclesiis, his qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cetero faciendas, viribus omnino carere.

Et

Et ex cap. *In Lateranensi*, Ext. *De Praebendis, & Dignitatibus*, quo *Innocentius III.* ex sententia Concilii Lateranensis IV. statuit, ut Regulares ad Regimen Parochialium Ecclesiarum, quae ad ipsos pleno jure non pertinent, Episcopis Presbyteros instituendos praesentent, *Quos vel conversatio notos reddit, vel commendat probabile testimonium Praelatorum.*

Et Clemens V. Clementina *Cum ei* Tit. III. *De Concessione Praebendae*, eum, cui Beneficium confertur, esse vult *Scientia idoneum, vitae laudabilis, & conversationis honestae.* Scientia, & Morum integritas.

Hanc Regulam confirmat Concilium Tridentinum, Sess. XXIV. cap. XII. De Reformatione. *Nemo* (inquit) *deinceps ad Dignitates quascumque, quibus Animarum Cura subest, promoveatur nisi qui saltem vigesimum quintum suae aetatis annum attigerit; & in Clericali Ordine versatus, doctrina ad suum Munus exequendum necessaria ac Morum integritate commendetur, juxta Constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quae incipit;* CUM IN CUNCTIS. *Archidiaconi etiam, qui Oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati in Jure Canonico. Ad ceteras autem Dignitates, vel Personatus, quibus Animarum Cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores adsciscantur.* Quod de anno inchoato est intelligendum. Ad simplices autem Cathedralium Canonicatus sufficit decimus quartus annus completus: Ad Canonicatus Collegiatarum, decennium completum in Galliis: Ad Beneficia simplicia, quae dicuntur ad simplicem Tonsuram, septennium completum. At extra Galliam nullus ante XIV. aetatis annum Beneficium quodvis obtinere potest, juxta Tridentini Concilii Decretum Sess. XXXIII. cap. VI. *De Reformatione.* Archidiaconi oculi Episcopi. Ætas ad ceteras Dignitates, Canonicatus, & simplicia Beneficia necessaria.

Et infra. *Neminem etiam deinceps ad Dignitatem, Canonicatum, aut Portionem recipiant, nisi qui eo Ordine aut sit initiatus, quem illa Dignitas, Praebenda, aut Portio requirit; aut in tali aetate, ut infra tempus a Jure, & ab hac Sancta Synodo statutum initiari valeant.*

In Galliae Regno Oppidorum mutatorum Parochi Graduati esse debent, vel Artium Magistri, aut saltem triennium Studii Theologici, vel Juris Canonici in aliqua Academia complevisse, ut patet ex Concordatis, Tit. *De Collationibus*. Idemque statuitur de omnibus Ecclesiarum Cathedralium Dignitatibus, & Primariis Collegiatarum, Edicto *Henrici IV.* anni 1606. Art. XXXI. Ad Praebendam Theologalem, non tamen ad Praeceptorialem exigitur Gradus Doctoris in Theologia, ex Edicto Aurelianensi *Caroli IX.* Art. VIII. & Blesensi *Henrici III.* Art. XXXIII. Gradus Academici quibus necessarii?

Major autem scientia in Episcopis requiritur, quam in Parochialium Ecclesiarum Rectoribus; major in Parochis, quam in Presbyteris animarum curam non habentibus, major in Parochis urbium, quam Pagorum. Ad Episcopatum promovendi, *Scrutabiliter, & non transitorie*, debent legisse *Sacros Canones, & omnem Divinam Scripturam. Substantia enim Summi Sacerdotii, sunt Eloquia divinitus tradita.* Quod si hujusmodi lectione, & doctrina sint destituti, nullatenus ordinandi sunt. Verba sunt Septimae Synodi Oecumenicae, relata Canone *Omnes Psallentes*. Dist. XXXVIII. Sed, & Curati in studio Scripturae Sacrae, & Canonum mediocriter saltem versati esse debent, ut colligitur ex Canone *Ignorantia*, Dist. X. qui ex Concilio Toletano desumptus est: *Sciant ergo Sacerdotes Scripturas Sanctas, & Canones, & omne opus eorum in Praedicatione, & Doctrina consistat; atque aedificent cunctos tam Fidei scientia, quam Morum disciplina.* Et Canone *Nulli*, Dist. XXXVIII. *Celestinus I.* ait: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare: nec quicquam facere, quod Patrum possit Regulis obviare.* Eminentem litterarum in iis, Episcoporum scientia.

iis, qui ad Episcopatum, & Parochialium Ecclesiarum regimen promoventur, optat Ecclesia, competentem requirit, ut constat ex *Innocentio III.* Cap. *Cum nobis*, Extra. *De electione, & electi potestate*. Eminentis scientiæ est, *Qui subtiles Quæstiones discutere, & definire novit, & in promptu Responsiones habet*. Mediocris vero scientiæ est. *Qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere; & qui in Libris veritatem eorum, quæ scire tenetur, scit quærere; etsi in promptu omnia non habeat*; ut explicat *Innocentius IV.* in Cap. *Cum in cunctis, De electione, & electi potestate*. Hinc Episcopos in lectione, & studio Scripturæ Sacræ, Sanctorum Patrum, Canonum, & Pastoralis Libri *S. Gregorii* assiduos esse jubent Concilia, Rhemense II. Canone XIV. Turonense III. Canone II. & III. Cabilonense II. Canone I. Aquisgranense II. Canonibus II. III. & IV.

Eamdem Regulam mire confirmat Concilii Toletani XI. Canon II. Quantum (*inquit*) quis præcelsi culminis obtinet locum, tanto necesse est præcedat ceteros gratia meritorum; ut in eo quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis, habens semper in ore gladium veritatis, & in opere efficientiam luminis; ut juxta Paulum potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes arguere. Nos proinde nostri Ordinis gradum, vel suscepti Regiminis modum magnopere cogitare debemus, ut qui officium prædicationis suscepimus, nullis curis a divina lectione privemur. Nam quorumdam mentes Pontificum, ita corporis otio a lectionis gratia secluduntur, ut quid doctrinæ subditis exhibeat gregibus, non inveniat Præco mutus. Insistendum ergo semper erit Majoribus, ut quos sub Regiminis sui cura tuentur, fame verbi Dei perire non sinant. Sic Metropolitanis in confinitimos confinitimis in commisso sibi Religiosorum numero vigilandum est, qualiter nescientia talium divinæ Legis traditionibus imbuatur: Ita ut indesinenti solicitudine Prælatus quisque subditos quærens, aut profectum eorum lætabundus agnoscat, aut nescientiam sine arrogantia instruat. Placuit ergo de talibus juxta Instituta Toletani Concilii, ut aut sponte sumant intentionem necessariam perdiscendi, aut a Majoribus ad lectionis exercitia cogantur inviti.

Hinc *S. Gregorius Magnus* P. I. *Pastoralis*, cap. I. Nulla ars (*inquit*) doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo Magisterium Pastorale suscipitur in magna temeritate: Quoniam Ars est artium Regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nequaquam spiritalia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: Dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri Medici carnis erubescunt.

Parochialibus Ecclesiis non præficiendi, nisi qui loci idioma intelligant, & loqui possint.

Quod vero promoveri ad Parochiales Ecclesias non debeant, nisi *Qui intelligant, & intelligibiliter loqui sciant idioma loci, ubi Ecclesia, aut Beneficium hujusmodi consistit*, aliasque provisio nullius sit roboris, constat ex Regula XX. Cancellariæ Apostolicæ, *De Idiomate*. Cum enim Parochus Confessiones Pœnitentium excipere, illisque verbum Dei prædicare, & Doctrina Christiana imbuere illos debeat, omnino necesse est, ut eorum idiomate *intelligibiliter* loquatur. Quam Regulam confirmant verba Domini Ezechielis III. *Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel, quorum non possis audire sermones, &c.*

RE-

REGULA II.

Qui Beneficium impetravit Graduatis duntaxat, vel Doctoribus secundum Ecclesiæ Leges conferendum; aut illud vi Graduum obtinuit; illud tuta conscientia possidere, & retinere non potest, nisi præscriptum Studii tempus in aliqua Universitate perfecerit, ac scientiam adeptus sit competentem.

HAnc Regulam firmant pacta inter *Leonem X.* Romanum Pontificem, & *Franciscum I.* Concordata, & Concilium Lateranense v. ea confirmans Sess. xi. & Regum Christianissimorum Constitutiones Blesensis, *Ludovici XII.* anno 1498. Artic. ii. & Lugdunensis anni 1510. Art. viii. necnon *Henrici III.* quibus sancitum est, ut Beneficia Graduatis debita nonnisi illis conferantur, qui præscriptum, ac legitimum Studiorum tempus impleverint. Quamobrem, qui ad Gradus per saltum promoti fuerunt, Beneficia retinere non possunt Graduatis debita. Idem esto judicium de illis, qui cum legitimo tempore studuerint, scientiam tamen competentem non sunt adepti. Alioqui Ecclesiæ Legibus illuditur, quæ certa Beneficia nonnisi Doctoribus, & Licentiatis in Theologia, & Jure Canonico conferri decrevit, quia scientia, quam postulant Gradus illi Academici, necessaria est ad hujusmodi Beneficiorum functiones exercendas. Nam *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*. Regula est Juris lxxxviii. in Sexto.

Quid in eis desideretur, qui vi graduum Beneficia obtinent.

REGULA III.

Beneficia Ecclesiastica, Curam præsertim Animarum annexam habentia, suscipere nemo debet, nisi qui ad illa vocatus a Deo est.

NEc enim *quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron*; (inquit Apostolus Epistola ad *Hebræos*, cap. v.) Censeri autem debet a Deo vocatus, qui morum integritate, scientia, ætate, Ordine, ceterisque dotibus ad Beneficium obtinendum ejusque sacras functiones obeundas necessariis instructus, Ecclesiisque, ad quas, aut in quibus promovetur, necessarius, aut utilis ab Episcopo judicatur. Non solum enim ad Beneficia, sed ne ad Ordines quidem ullus est promovendus. *Qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis*, ut statuit Concilium Tridentinum Sessione xxiii. cap. xvi. *De Reformatione*. Necesse est præterea, ut seipsum serio examinet, qui ad Beneficium promovetur, videatque, ne forte illud pro seipso postulaverit, suisque, aut parentum, vel amicorum precibus, aut favore illud impetraverit: Ne pactionibus, aut conventionibus secretis, atque simoniacis: Ne Pensionis absque legitima causa impositæ, aut tertiam partem redditJuum excedentis onus subierit, & conditionem acceperit, ut Beneficium obtineret: Ne denique absque Institutione Canonica illud sit adeptus, aut prava intentione illud suscipiat. Explorare insuper debet voluntatem Dei, suis, piorumque orationibus, exemplo Christi, qui *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*; (ut habetur *Luc.* vi.) Virorum denique sapientum, & spiritualium consilium adhibere debet, sibique ipsi diffidere, ne cupiditate sua decipiatur, ac seducatur.

Legitima vocatio. Quomodo exploranda?

REGULA IV.

Qui in Beneficia Ecclesiastica Curam Animarum habentia se ingerunt, vel illa ambiunt, a Deo minime sunt vocati.

Non sunt a Deo vocati, qui in Beneficia Curam animarum habentia se ingerunt aut illa ambiunt

NAm (ut scite ait *Origenes* Homilia VI. in Isaiam) *Bonum est non prosilire ad eas, quæ a Deo sunt Dignitates, & Principatus, & Ministeria Ecclesiæ; sed imitari Moysen, & dicere cum eo,* Provide alium, quem mittas: *Neque ad Principatum Ecclesiæ venit, qui salvari vult, sed ad servitutem Ecclesiæ.*

Id confirmatur ex Canone, *Principatus*, qui est *S. Leonis*, & refertur Causa I. q. I. *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus, aut actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo, & difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.*

Et ex Canone, *In Scripturis*, qui est *S. Gregorii*, & legitur Causa VIII. qu. I. *Sicut locus Regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. Et sicut scriptum est*, nec *quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Desiderium quidem boni operis, & laboris, Ecclesiastico Beneficio annexi, laudabile est, secundum illud Apostoli, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; sed Principatus, ac dominationis desiderium damnandum est. Illud charitatis est, adeoque divinæ vocationi congruum, istud ambitionis, ac proinde cœlesti vocationi adversum, ut explicant *S. Jo: Chrysostomus* Homilia X. in Epistolam I. ad *Timotheum*; & *Theodoretus* Commentario in cap. III. ejusdem Epistolæ. Laudabile fuerit Episcopatum appetere tempore persecutionis, quia *Nihil aliud erat quam optare quotidie millies pro Christo mori*; sed vix id absque vitio contingeret nostris temporibus, quibus non aliud intelligitur Episcopatus appellatione, *Quam fructus, & vectigalia, & honores*, (inquit *S. Gaudentius Brixiensis*, in eumdem Apostoli locum.) Et quamvis laboris solius bonique operis intuitu, optaret aliquis, aut postularet Beneficium Ecclesiasticum, cui annexa est animarum cura, ad idque esset idoneus, periculosum tamen esset hujusmodi desiderium, periculosa postulatio: Quia sibi inesse eam, quæ ad Sacras talis Beneficii functiones est necessaria, dispositionem, sine præsumptione vix quisquam de se ex propria animi sententia suspicatus: Præsertim quia *Sæpe sibi de se ipsa mens humana mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de Mundi autem gloria non amare quod amat: Quæ principari appetens, fit ad hoc pavida, cum quærit; audax cum pervenerit.* Quamobrem *S. Augustinus* Lib. IX. *De Civitate Dei*, cap. XIX. recte ait: *Locus superior, sine quo regi non potest, etsi ita teneatur, atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* Et *S. Gregorius Magnus*, Pastoralis P. I. cap. IX. inter Ecclesiastici Regiminis difficultates, & bona medium illud tenendum docet. *Ut virtutibus pollens, coactus ad Regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat.* Hinc *S. Isidorus Hispalensis*, Lib. III. *Sententiarum*, cap. XXXIV. Viro Ecclesiastico præcipit, ut *Ad dispensationem Ecclesiastici Ordinis, si ex Dei voluntate pervenerit, nolens quidem, sed humilis gubernandam suscipiat.* Id divinæ vocationis argumentum est.

Quando laudabile fuit Episcopatum appetere.

Locus Superior indecenter appetitur.

Nolentes ad Ecclesiæ regimen promovendi.

Huc accedit, quod Lib. VII. Capitularium, cap. 449. scriptum est: *Ille in ovile ovium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur, qui de eodem Creatore, ac Redemptore humani generis vera sentit, & prædicat, & prædicata custodit; culmen Regiminis ad officium portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ transitorii honoris; curæ quoque suscepti ovi-*

Quis intrat per ostium?

vilis solerter invigilat, ne oves Dei, aut perversi homines prava loquentes dilanient, aut maligni Spiritus oblectamenta vitiorum suadentes devastent.

Denique *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione centesima, art. v. ad tertium, hanc Moralis Christianæ, quam stabilimus, regulam his verbis confirmat: *Si aliquis pro se rogat, ut obtineat Curam Animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus: & sic preces sunt pro indigno.* Qui pro se petit Curam Animarum, indignus est.

Consonat ista Doctoris Angelici doctrina *S. Jo: Chrysostomi* Sententiæ, Homilia III. in Acta Apostolorum. Quem enim (*inquit*) conscium adibis, „ si procuraris vel per teipsum, vel per alium? Quibus oculis intueberis il- „ lum, qui tibi fuit auxilio? Quid habebis, quod excuses? Etenim qui no- „ lens, & invitus compulsus est, habiturus est aliquam excusationem. „ Quamquam maxime & hic privatus est venia, nisi quod ad hoc coactus „ aliquid habet excusationis. Cogita, quid acciderit Simoni. Quid enim re- „ fert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multa- „ que machinaris? Pecunia tua sit tecum in perditionem, ad illum dictum „ est: & his dicitur, Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam puta- „ sti ambitu humano parari Regnum Dei.

REGULA V.

Qui Beneficia Ecclesiastica honoris, & redditauum temporalium intuitu principaliter suscipiunt, non solum a Deo non sunt vocati, sed lethalis peccati rei sunt.

„ HÆc Regula colligitur ex *S. Augustino*, Lib. II. *De Sermone Domini* „ *in Monte*, cap. XIII. Sæpe (*inquit*) cogitatio necessariarum rerum, „ ad istam vitam pertinentium, sauciat, & sordidat interiorem oculum no- „ strum, & plerumque cor duplicat, ut ea, quæ videmur cum hominibus „ recte facere, non eo corde faciamus, quo Dominus præcipit, idest, non „ quia eos diligimus, sed quia commodum ab eis aliquod propter necessita- „ tem præsentis vitæ adipisci volumus. Debemus autem benefacere illis pro- „ pter salutem ipsorum æternam, non propter temporale commodum no- „ strum. Inclinet ergo Deus cor nostrum in testimonia sua, & non in emo- „ lumentum. Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscien- „ tia bona, & fide non ficta. Qui autem propter suam in hac vita necessi- „ tatem fratri consulit, non utique charitati consulit: Quia non illi, quem „ debet tanquam se ipsum diligere, sed sibi consulit; vel potius nec sibi: „ Quandoquidem hinc sibi facit duplex cor, quo impeditur ad videndum „ Deum: In qua sola visione beatitudo est vera, atque perpetua. *Et infra*: „ Ergo si in terra erit cor, idest, si eo corde quisque operetur aliquid, ut „ terrenum commodum adipiscatur, quomodo erit mundum, quod in terra „ volutatur? Si autem in cœlo, mundum erit, quia munda sunt quæcumque „ cœlestia. Sordescit enim aliquid, cum inferiori naturæ miscetur, quam- „ vis in suo genere non sordidæ; quia etiam de puro argento sordidatur au- „ rum, si misceatur: Ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit.

Beneficia Ecclesiastica ob honorem, aut propria commoda non suscipienda.

Idem confirmat *Gaufridus* Clarævallensis Abbas, Declamatione in Evangelium *Ecce nos reliquimus omnia*, inter Opera S. Bernardi, §. II. *Petro dictum est*, Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas. *Idemque tertio repetitum. Tertio dictum*, Pasce, *nec Mulge, seu Tonde, vel semel additum est. Speret ergo Discipuli locum, gradum Ministri, qui dominicum pascere gregem satagit, quam tondere: Pascere vero tripliciter, exemplo conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis; & pascere ad mandatum Christi, ut Nemo sibi hunc sumat honorem, sed qui vocatus fuerit a Deo tanquam Aaron.* Joann. 21. Hebr. 5.

Quod de Episcopis dixit Tridentina Synodus Sess. 25. *De Reformatione* cap.

cap. I. reliquos Beneficiarios etiam ſpectat. *Optandum eſt, ut ſe non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum; ſed ad labores, & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant. Nec enim dubitandum eſt, & Fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, ſi Præpoſitos ſuos viderint non ea, quæ Mundi ſunt; ſed animarum ſalutem, ac cœleſtem patriam cogitantes.*

Puritas intentionis ſignum eſt legitimæ vocationis.

De divinæ vocationis ad Beneficia neceſſitate, ac recta intentione, quæ vocationis illius argumentum eſt, ſic loquitur Concilium Bituricenſe anno Chriſti 1484. Tit. XXXVI. Canone I. *Cum Beneficium Eccleſiaſticum non otioſis, ſed Officium ſuum exequentibus ſit conſtitutum, & propter Officium detur Beneficium, denunciat hæc Synodus omnibus cujuſcumque gradus, & conditionis, qui Beneficia Eccleſiaſtica ſolius temporalis proventus gratia ſuſcipiunt, eos non facere fructus ſuos, ſed ad reſtitutionem teneri.*

Hanc Regulam confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto IX. qu. VII. art. II. *Si aliquis* (inquit) *hac intentione plura Beneficia habeat, ut ſit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Epiſcopatum perveniat in aliqua Eccleſiarum, ubi eſt præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, ſed augentur; quia cum tali intentione & unum Beneficium habere, eſſet illicitum.*

S. Antoninus, P. II. Summæ, Tit. III. cap. V. §. IV. *Quærere* (inquit) *& appetere hujuſmodi Curata* (ſive Beneficia, quibus adnexa Cura Animarum eſt) *principaliter propter honores, & divitias, quæ inde ſequuntur hominibus, videtur eſſe mortale: & ratio eſt, quia eſt contra ordinem charitatis. Nam non ſolum dilectio Dei, & proximi eſt in præcepto, ſed etiam ipſe ordo dilectionis. Eſt autem de ordine dilectionis, ut diligatur prius ſalus animarum, quam corporum: ſed hunc ordinem talis pervertit, præferens temporalia, quæ ordinantur ad corpus, ſcilicet divitias, & honorem, ſaluti animarum, quæ exercetur per curam.*

Qui a Deo non vocati.

Nemo igitur a Deo vocatos dixerit, qui malis artibus captant Beneficia, fraudulentæ, verbi gratia, permutationis commento, quales eæ ſunt, quæ imminente morte fieri ſolent; cum ſcilicet Clericus morti proximus Beneficium ſuſcipit, non ut illius impleat officium, ſed ut Beneficium aliud locupletius, commodius, aut illuſtrius in alterum transferat; atque hoc pacto Ordinarium Collatorem Jure ſuo fraudet.

A Deo vocatos nemo dixerit Beneficiorum nundinatores, qui empti prædii redditum, ſeu quemlibet collocatæ pecuniæ proventum, a ſe, vel parentibus ſuis hebdomadariæ Miſſarum celebrationi addictum, & Obitus nomine, tituloque Beneficii ornatum, cum vero Beneficio, verbi gratia, Canonicatu, Eccleſiaſtica Dignitate, Parochiali Cura, vel ſimplici Prioratu permutant: Quod palliatæ Simoniæ genus eſt.

A Deo vocatos nemo dixerit, qui Beneficium cum aliis permutant, non ut Eccleſiæ neceſſitati, vel utilitati conſulant, ſed ut rem familiarem augeant, majuſve commodum conſequantur.

A Deo vocatos nemo dixerit, qui adulterinas Reſignationes, & Permutationes cauſa mortis ſupponunt; vel Reſignationes per plures annos cum detrimento Collatorum celant contra Legem Eccleſiæ, ſeu Regulam Cancellariæ Apoſtolicæ *De Publicandis Reſignationibus*: Aut Beneficiariorum mortem publicæ notitiæ ſubducunt, reconditis eorum cadaveribus, ut furtim in ipſorum Beneficia irrepant, aut Reſcriptum de Reſignatione in Romana Curia admiſſa recipiant: Quo pacto Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ *De Infirmis Reſignantibus*, *ſive de viginti diebus*, & *De veriſimili notitia*, fœde illudunt. Gravius hac in ſpecie Gallorum peccatum eſt, quia non Eccleſiaſtica tantum, ſed & Regia violare non dubitant Edicta. Jubet enim *Franciſcus*

ciscus I. Edicto dato anno 1539. Artic. 54. domesticis defuncti Beneficiarii, sub pœna corpori infligenda, ut Ecclesiæ sincere significent diem, ac horam obitus. In Laicos vero, qui corpus celaverint, pœnam capitis decernit: In Clericos exclusionem a quibuscumque Defuncti Beneficiis, præter mulctam pecuniariam a Judicibus infligendam.

A Deo vocatos nemo dixerit, Beneficiorum aucupes, seu Devolutarios, qui pacificis per annum possessoribus insidiantur, & ob commentitiam incapacitatem adversus ipsos litem movent: Aut, si revera sint incapaces, qui Beneficia illa possident, illos non ob Ecclesiæ amorem, Deique gloriam, sed solius ambitionis, & avaritiæ impulsu, privatique commodi causa in Jus vocant, & e Beneficiorum possessione dejiciunt.

A Deo vocatos nemo dixerit eos, qui Parochialem Ecclesiam, seu Curatum Beneficium postulant, & suscipiunt cum proposito in illo non ministrandi: Idemque de Præbendis dicendum est.

Quicumque enim quinque illis modis proxime recensitis captant Ecclesiastica Beneficia, lethaliter peccant, Beneficium absque vocatione, plerumque, & absque legitimo titulo suscipiunt, & retinent, fructus suos non faciunt, Beneficium sic impetratum inter manus Ordinarii Collatoris, sub æternæ damnationis periculo, ejurare tenentur.

REGULA VI.

Resignatio Beneficii in manus Collatoris fieri debet.

Beneficiorum resignationes.

SIc enim Renunciationem definit *S. Antoninus* II. P. Summæ, Tit. I. cap. v. §. II. *Renunciatio est Juris proprii spontanea refutatio, quæ fieri debet in manibus ejus, a quo habetur institutio, & confirmatio.*

Eadem Regula nititur auctoritate *Alexandri III.* Cap. *Admonet*; & *Innocentii III.* Cap. *Quod in Dubiis*, Ext. *De Renunciatione*.

REGULA VII.

Beneficium Ecclesiasticum sine causa legitima, & canonica resignari non potest, vel ejurari.

Causæ Canonicæ propter quas resignari possunt Beneficia.

HAnc Regulam tradit *Innocentius III.* Cap. *Nisi cum pridem*, Ext. *De Renunciatione*: Causasque enumerat, & explicat, ob quas hujusmodi Renunciatio, aut Resignatio fieri potest.

Prima est, *Conscientia criminis, forsitan non cujuslibet, sed duntaxat illius, propter quod ipsius officii executio post peractam Pœnitentiam impeditur.*

Secunda est, *Debilitas corporis, quæ vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit: Nec tamen omnis, sed illa solummodo per quam impotens redditur* Beneficiarius *ad exequendum Officium.*

Tertia est, *Defectus scientiæ competentis, quæ circa spiritualium administrationem est potissimum necessaria, & circa curam temporalium opportuna.*

Quarta est, *Malitia plebis; quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut Pastor proficere nequeat apud ipsam. Non autem pro qualibet culpa Pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: Sed de Superioris licentia, tunc demum potest non tam timide fugere quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos: & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt.*

Quinta est, *Grave scandalum, quod aliter sedari non potest.*

Sexta est, *Personæ Irregularitas, si forte sit bigamus, vel viduæ maritus.*

Quas causas hoc Distichon complectitur:

De-

Debilis, ignarus, male conscius, Irregularis:
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

Subdit ibidem Innocentius III. *Si propter aliquam causam utilem, & honestam in hujusmodi proposito perseveres, de licentia nostra cedas, alioquin cedendi licentiam Auctoritate Apostolica tibi scias esse penitus interdictam.*

Hanc Regulam confirmat *S. Pius V.* Constitutione LVIII. quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ Dei*, cujus hæc sunt verba: *Episcopi, & alii facultatem habentes, eorum duntaxat Resignationes recipere, & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxii, Censuris Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel Beneficio inservire; seu qui unum aliud, vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri; Religionem quoque ingressuri, vel Matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur; denique si quis ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione felicis recordationis Innocentii Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco Beneficii residere securi.*

Quamobrem graviter peccant, qui alias ob causas Beneficio Ecclesiastico renunciant, illudve resignant, scilicet ad laborem declinandum, vitamque in otio traducendam: *Cum otiositas, & voluptas arma sint Hostis antiqui ad miseras animas captivandas*, (ut loquitur *Innocentius III.* Cap. supra citato) & *S. Martini* exemplum imitari Viros Ecclesiasticos deceat, qui viribus corporis destitutus dixit: *Domine, si adhuc Populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua*: Et exemplum Apostoli dicentis: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo: Manere autem in carne, necessarium propter vos.* Phil. 1. 23.

REGULA VIII.

Resignatio in favorem, qua Clericus Beneficio renunciat, ea lege, ut illud certo cuipiam viro ab ipso Renunciante designato conferatur, Ecclesiastico Jure vetita est, & illicita: Et a solo Pontifice Romano admitti potest: Alioquin nullius est roboris, & Simoniæ pœnis obnoxios facit Resignantem, & Collatorem.

Resignationes in favorem cur antiquis Canonibus prohibitæ?

IN *Beneficiis* enim *Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sunt odiosa, & Patrum Decretis contraria*; (ut loquitur Concilium Tridentinum sess. XXV. cap. VII.) Quod autem Canones omnem in Beneficiis hæreditariæ successioni spem adimant, ac damnent, evidens est ex Canone *Plerique*, Causa VIII. qu. 1 qui est Synodi Romanæ sub *Hilaro* Papa Canon V. *Plerique Sacerdotes* (inquit) *in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare: Ut scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quam grave sit, æstimate. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter de Ecclesiis auferamus: Ne, quod turpe dictu est, homini putet quisquam deberi, quod Dei est: Ab universis acclamatum est: Hæc præsumptio nunquam fiat: Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt.* Item ex Canone *Apostolica*, qui est Concilii Lateranensis sub *Innocentio II.* decimus sextus, & refertur Causa, & Quæstione eisdem. Idem ex Cap. *Ex transmissa*, quod Alexandri III. Responsum est, Ext. *De filiis Presbyterorum.* Et ex cap. *Quia Clerici*, Ext. *De Jure Patronatus.*

Alia præterea ratio fuit, cur Resignationes in favorem antiqui Canones prohibuerint, quia *In spiritualibus omnis pactio, vel conventio cessare debet, juxta Canonicas sanctiones*, (ut respondet *Innocentius III.* Cap. *Tua nos*, Ext. *De Simonia.*) Resignatio autem in favorem, fit cum pacto quodam ut Bene-

Beneficium illi conferatur, quem nominat Resignans, qui Beneficium suum non erat alias resignaturus. Hæc autem pactio, cum ex natura sua simoniaca non sit, modo temporalis alicujus commodi intuitu non fiat, quod in personam, vel familiam Resignantis ex ipsa Resignatione, & collatione ei facta, cujus in favorem est, redundet; sed una Ecclesiæ utilitas, & merita Resignatarii spectentur: Consequens est, illam non esse malam, nisi quia Canonibus prohibita est: Unde cum Summus Pontifex de Canonibus dispensandi summam potestatem habeat, Resignationis in favorem approbatio illi uni reservata est, cum tamen Collatores Ordinarii puras, & simplices Resignationes admittere, & approbare possint.

Accedit & tertia ratio, cur Resignationes in favorem veteribus Ecclesiæ Sanctionibus improbatæ fuerint, quia nimirum Collatorum Ordinariorum libertatem coarctant, & oppugnant. Hanc ob causam Regum Christianissimorum ad Tridentinam Synodum Oratores in Mandatis habuere, ut Resignationum in favorem abrogationem postularent, ac diligenter urgerent. Id tamen obtinere non potuerunt. Potestas enim ipsas approbandi penes Summum Pontificem remansit: Episcopis autem, aliisque Collatoribus est adempta. Solus Rom. Pontifex eas admittere potest.

Id confirmat Constitutio LVIII. *S. Pii V.* quæ incipit, *Quanta Ecclesiæ Dei*, cujus hæc sunt verba: *Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes Electores, Præsentatores, & Patroni, tam Ecclesiastici, quam Laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in hujusmodi Beneficiis, & Officiis Successores, ab ipsis Resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.*

REGULA IX.

Qui Beneficium resignant in manus Ordinarii Collatoris, cum pacto expresso, vel tacito, ut illud conferat certæ cuidam personæ ab ipsis Resignantibus designatæ, aut ab aliis, eorum significatione, vel hortatu, rei sunt peccati mortalis, & in pœnas contra Simoniacos latas incurrunt.

HÆc Regula sequitur ex præcedenti, & iisdem argumentis nititur: Eamque confirmat *S. Raymundus* Lib. I. *Summæ*, Tit. I. *De Simonia*, §. XXIII. Quid (*inquit*) de quadam consuetudine, quæ in plerisque Eccle- Resignationes Simoniacæ.
„ siis inolevit, videlicet dum debent fieri multi Canonici, dicunt, majores
„ præcipue ad invicem: Canonizemus Nepotulos nostros, forte adhuc in cu-
„ nabulis, vel quasi vagientes; Placeat tibi de meo, & mihi placebit de tuo:
„ Sic paciscuntur per hæc verba, vel æquipollentia. Alius modus est etiam.
„ Dicit aliquis: Consuetudo est, quod sicut fuisti exauditus in una petitione,
„ ego debeam exaudiri in alia. Item alius dicit: Nunquam me vivente fiet
„ aliquis Canonicus in Ecclesia ista, nisi ille, pro quo rogavi prius fiat Ca-
„ nonicus, vel ad minus cum aliis. Nunquid in talibus, & similibus com-
„ mittitur Simonia? Respondeo: In primo, & ultimo casu committitur Si-
„ monia; quia dicit Canon: ABSIT omnis pactio cesset omnis conventio.
Caus. I. qu. II. Can. *QUAM PIO*. Licet tamen Resignanti rogare Collatorem, ut Beneficium, cui pure, & simpliciter renunciat, alteri conferat, si ille sit idoneus: Quamquam non teneatur Ordinarius illi conferre, pro quo rogatum est. (Cap. *Tua nos*, Ext. *De Simonia*.) Idemque docet S. Raymundus: *Si preces sint spirituales*, (inquit) *non est Simonia.... Si sint carnales, vel ex pacto quodam facto, vel nunc faciendo, Simonia est.*

RE-

REGULA X.

Reformatio in favorem, in manus Summi Pontificis facta, ab Eoque approbata Resignantem a Simonia immunem non præstat, si ea intentione, eoque intuitu suum Beneficium alicui resignet, ut commodum aliquod temporale sibi, aut familiæ suæ inde proveniat, non autem ob Ecclesiæ utilitatem, & merita personæ, cujus in favorem fit Resignatio.

Resignatio in favorem Simoniaca est, nisi mere gratuita, & ob Ecclesiæ utilitatem, ac merita personæ facta.

TUnc enim Renunciatio gratuita non est, sed contractum quemdam involvit ex parte Renunciantis, quem Jurisperiti his verbis exprimunt, *Facio ut des*: Adeoque Jure divino est prohibita, utpote per se, & ex natura sua Simoniaca. Quod ex meo sensu non assero, sed ex sententia *S. Thomæ* in IV. *Sentent.* Dist. XXV. qu. III. art. III. ad septimum: *Ille* (inquit) *qui dat ratione consanguinitatis præbendam alicui principaliter, aut intendit temporale bonum illius, cui datur, & non alterius; & sic peccat graviter, sed Simoniam non committit, quia non vendit; cum nihil accipiat. Aut intendit aliquod bonum in se ipsum redundans, sic quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua, vel quod ipse in consanguineis sit fortior: Et sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, & Simoniam committit; & reducitur ad id munus, in quo continetur commodum, quod ex tali datione sperat.* Pactio autem quæ natura sua Simoniaca est, Romani Pontificis auctoritate non potest a labe Simoniæ purgari. Falsum namque est quod a quibusdam decantatur, *Simoniam coram Summo Pontifice non committi*. Si enim quamcumque Simoniæ labem purgare posset, nunquam ipse Simoniacus esse posset. At id asserentium *Opinio erronea est* (judice *S. Thoma* ibidem, ad secundum:) *Si enim Papa pro aliquo spirituali munus acciperet, Simoniam committeret, sicut & alius homo; quia sub Petro, cui Papa succedit, Simoniæ vitium damnationem inchoavit in Novo Testamento. Et quamvis res Ecclesiæ sint aliquo modo Papæ, non sunt tamen ejus omnibus modis habendi, sicut illud, quod ad manum habet. Non est autem dubium quod Simoniam committeret, si quis aliquod spirituale debitori suo daret ut quod suum est recuperaret: Et ita etiam in proposito Papa a Simonia non excusaretur, si (quod absit) spiritualia pro temporalibus rebus Ecclesiarum daret.*

REGULA XI.

Resignationes cum expressa, vel tacita conditione Regressus in eadem Beneficia, illicitæ sunt: Et ita Resignantes rei sunt peccati mortalis; nec ad illa Beneficia redire possunt absque nova Collatione, aut ea tuta conscientia retinere, eorumque fructus facere suos.

Resignationes cum regressus conditione illicitæ.

HÆc Regula nititur Decreto Conc. Trid. sess. 25. cap. 7. *De Reformatione*, cujus hæc sunt verba: *Cum in Beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria; nemini imposterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur. Nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque Decretum in quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, ac in quibuscumque Personis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat.*

Eamdem Regulam confirmat Constitutio *S. Pii V.* 134. quæ incipit, *Romani Pontificis*, cujus hæc sunt verba: *Volentes omnem hæreditariam Beneficiorum Ecclesiasticorum successionem de Ecclesia Dei tollere, ac libertati Beneficiorum hujusmodi providere, & ut de persona magis utili, & idonea, prout requi-*

quiritur, facilius provideri valeat: Omnes, & singulos regressus, accessus, & ingressus, etiam eventuales, aut pœnales, aut Coadjutorias etiam de consensu, aut alias quomodolibet, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis efficacissimis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, Clausulis irritantibus, & aliis Decretis quomodolibet per quosvis Romanos Pontifices Prædecessores nostros ad Beneficia Ecclesiastica, cum Cura, & sine Cura, sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia .... quibusvis Personis cujuscumque status, gradus, Ordinis, & conditionis existentibus, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, dignitate, aut Cardinalatus honore pollentibus concessa..... Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium revocamus, cassamus, & abolemus.

Tuta tamen conscientia potest aliquis ad resignatum Beneficium regredi, si Resignatarius sponte, & ultro illud ipsi offerat, & Episcopus hujusmodi regressum, ob majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem judicio suo approbet: Hęc enim nova Collatio, & Provisio censetur. Imo Gallicanæ Ecclesiæ Jurisprudentia, & consuetudo, ei, qui infirmitate gravi, & mortis periculo constitutus, coram Ordinario resignaverit, permittit Regressum recuperata valetudine, aut cessante periculo, ut declaratur Edicto *Ludovici XIII.* Regis Christianissimi dato anno 1638. Articulo 20. Est etiam Regressui locus, si contingat unum ex compermutatis Beneficiis evinci: Certum enim pro incerto, & caduco Beneficio permutare nemo velit; quamobrem Jus ipsi succurrit hac in specie, *Cap. Si Beneficia* 20. *De Præbendis, in Sexto.*

Gallicanæ Ecclesiæ jurisprudentia.

R E G U L A XII.

Quælibet Resignatio dolo, fraude, vi aut metu facta, illicita, & irrita judicanda est; Nec Beneficium ita sibi collatum tuta conscientia retinere potest Resignatarius, aut illius fructus suos facere.

HÆc Regula colligitur ex Cap. *Super hoc*, quod *Clementis III.* Responsum est, Ext. *De Renunciatione*, cujus hæc sunt verba: *Supervacuum esse non credimus, causam Resignationis diligenter inquiri: Quam si forte probabilem, id est, non vi, nec metu, nec oppressione, nec interventu pecuniæ, nec promissione extortam Judex invenerit.... admittere non postponat. Porro licet negantis factum, per rerum naturam nulla sit probatio, ejus tamen qui spontaneam Renunciationem negat, probationes credimus admittendas.*

Quæ resignationes irritæ?

Eadem Regula confirmatur ex Cap. *Abbas*, quod est *Alexandri III.* & cap. *Ad audientiam*, quod est *Innocentii III.* Responsum, Ext. *De iis, quæ vi, metusve causa fiunt*; cujus hæc sunt verba: *Quia vero, quæ vi, metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis: Mandamus, quatenus si eumdem ad Resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit, & debuerit cadere in virum constantem, non obstante juramento prædicto, quo non ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis.* Unde si committatur alicui Resignationis receptio a Romano Pontifice, in Litteris adscribi solet hæc clausula: *Attente quoque provideas, quod in Resignatione prædicta dolus, vis, metus, aut aliqua simoniaca labes non intervenerit*; (ut patet ex Regula Romanæ Cancellariæ XL.)

Idem rursus confirmatur ex Canone, *Si quandoque*, causa XV. qu. VI. cujus hæc sunt verba: *Si quandoque a Sacerdotibus, & Auctoribus Ecclesiæ, quædam scripturæ quoquomodo per metum, aut fraudem, aut per vim extortæ fue-*

tæ fuerint.... ad nullum eis præjudicium, vel nocumentum valere censemus. Resignationes itaque dolo, vi, aut metu factæ, judicandæ sunt irritæ. Quamobrem ei, qui in gravi infirmitate, aut mortis periculo, quocumque constitutus resignavit, si Beneficium repetat, ipsumque Resignationis pœniteat, tenetur Resignatarius Beneficium restituere, coram Ordinario resignatum: Cum enim ægritudo periculosa valde minuat hominis libertatem, & adigat ad ea, quæ nunquam in animum induceret, ob idque votum Religionis, pavore mortis Deo nuncupatum remittatur, cap. *Litterarum*, Ext. *De Voto*: Libere omnino non resignasse præsumitur, qui nunquam resignasset, si ex illa infirmitate, seu mortis periculo se sospitem evasurum certo præscivisset. Ut enim respondet *Clemens III.* cap. *Super hoc*, Ext. De Renunciatione, *Nulla ratio hoc verisimile reddit, ut quisquam Beneficium multis forte expensis, & laboribus quæsitum, quo sustentari debet, facile, sine magna causa, sua sponte resignet.*

R E G U L A XIII.

Qui Beneficium suum in favorem alterius resignavit, illud tuta conscientia retinere non potest, nec fructus suos facere: Unde in statu peccati mortalis est, si Provisiones Romanæ Curiæ, seu Litteras Resignationem approbantes apud se retineat, etiam consentiente Resignatario; aut ab eo promissionem extorqueat, de possessione Beneficii non captanda, nisi post obitum ipsius Resignantis, aut certe morte ipsius imminente.

Beneficium resignatum tuta conscientia retineri a resignante non potest, admissa resignatione.

FIducia enim hujusmodi in Resignationibus teterrimum simoniæ genus est, ac Resignantem simul, & Resignatarium, Excommunicationi Summo Pontifici reservatæ, aliisque Simoniacorum pœnis obnoxios facit. Præterea, eum, qui Beneficio suo renunciavit, non posse illud retinere, aut repetere, absque nova Institutione Canonica, sive Collatione, confirmat *Alexander III.* Cap. *Ex transmissa*, Ext. *De Renunciatione*.

Regula Cancellariæ Ro. de publicandis Resignationibus.

Denique Regula Cancellariæ Apostolicæ, *De publicandis Resignationibus*, „ quæ in hoc Regno recepta est, statuit: Ut quæcumque Beneficia Ecclesiastica, sive in Romana Curia, sive extra eam resignata, nisi de illis factæ Resignationes, si in eadem Curia, intra sex menses a data Supplicationis, & non a die præstiti consensus computandos: Si vero extra dictam Curiam factæ sint, intra mensem, ex tunc, ubi dicta Beneficia consistunt, publicatæ fuerint: Vel possessio illorum ab eis: quos id contingit, petita extiterit: Si Resignantes ista postmodum in eorumdem resignatorum Beneficiorum possessione decesserint, non per Resignationem, sed per Obitum hujusmodi vacare censeantur: Collationes quoque, & quævis aliæ dispositiones de illis tanquam per Resignationem vacantibus factæ, & inde secutæ, nullius sint roboris, vel momenti.

Gallicana jurisprudentia.

In Gallia tamen tempus sex mensium, aut unius mensis, hac Regula præstitum, computatur a die admissæ Resignationis, & non a die præstiti a Resignante consensus. Quæ autem ante diem mortis ejus, qui resignavit, non est facta publicatio, nostris Moribus invalida est.

Favet *Rebuffus* vir Juris consultissimus in *Praxi Beneficiorum*, hanc Regulam Cancellariæ explicans. *Resignans* (inquit) *qui post Resignationem, quam scit expeditam, remanet in detentione Beneficii, & capit fructus, non est in conscientia tutus: Nec ille, in cujus favorem resignavit, si permittat: Quia Resignans per Resignationem amisit Jus percipiendi fructus, cum amiserit Beneficium, & possessionem illius*, C. Post translationem, §. Rursus. De Renun-

nunciatione. C. Inter. De præbendis. *Et sic est malæ fidei possessor, qui fructus non facit suos.* L. Bonæ fidei ff. De acquir. Rerum domin. Gloss. in Cap. Gravis De Restitut. spoliator. *Is etiam, cui fuit resignatum, peccat, permittendo Resignantem uti Beneficio, cum non sit Pastor: Et verus Pastor dimittit oves mercenario, qui non servit ut verus Pastor, vel prout teneretur: Publiceque interest eum, qui Jus habet in Beneficio, possidere illud: Et ille, qui non habet Jus, illud non teneat. Tum propter hospitalitatem, quam exerceret verus Curatus, ut tenetur, non vero mercenarius*, cap. *De Monachis*, Extra de Præbendis: *Tum ut oves Pastorem suum agnoscant, ut est in Evangelio.* Si autem elapso triennio Resignatarius possessionem non iniverit, idem Beneficium ipsi ab eodem resignari legitime, ac valide non potest, & Provisiones in Romana Curia obtentæ censerentur subreptitiæ, nisi Summo Pontifici fuisset expositus prioris Resignationis, & retentionis Provisionum per triennium casus.

REGULA XIV.

Simoniæ reus est, qui Beneficium suum resignat alteri cum pactione expressa, vel tacita, ut ille vicissim suo renunciet in favorem nepotis, seu consanguinei ipsius Resignantis.

IBi enim intervenit contractus, *Do ut des*. Id confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, quæstione centesima, art. v. ad secundum, scribens: *Si aliquis det Beneficium Ecclesiasticum alicui, hoc pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia.* Quamobrem simoniæ rei sunt Canonici, qui paciscuntur invicem de promovendis ad Canonicatum cognatis, & proximis suis; aut mutuam a se in hoc genere officii gratiam exigunt, interposito etiam juramento. Quæ resignationes Simoniacæ?

REGULA XV.

Resignatio Beneficiorum Permutationis gratia, illicita, & simoniaca est, si ex pacto fiat, & conventione inter partes, Episcopi arbitrio, & judicio non permissa; aut commodi alicujus temporalis intuitu.

ITa respondet *Urbanus III.* cap. *Quæsitum*, Extra. *De Rerum Permutatione*, cujus hæc sunt verba: *Generaliter itaque teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt: Præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite potest de uno loco ad alium transferre personas: Ut quæ uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.* Id confirmat *Innocentius III.* Cap. *Cum olim*, sub eodem Titulo, quo duos Clericos, qui Archidiaconatum, & Præposituram propria auctoritate compermutaverant, illis Dignitatibus spoliavit. Idem constat ex cap. *Majoribus*, Ext. *De Præbendis, & dignitatibus*, quod Turonensis Concilii nomine inscribitur. Et ex cap. *Pactiones*, Extra. *De Pactis*, quod est *Gregorii IX.* Responsum. *Pactiones* (inquit) *factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis: cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti.* Resignationes permutationis gratia.

Idem confirmat Glossa Clementinæ, *Ne concessione*, Tit. *De Rerum Permutatione*, his verbis: *Tractatus de permutandis Beneficiis est permissus, dummodo non fiat pactio arrestata inter partes, sed totum ponatur in arbitrio Superioris.* Non potest tamen Superior Beneficia causa permutationis resignata aliis conferre quam permutare volentibus: Alioquin Collationem irritam fore *Clemens V.*

declarat, *Ne conceſſione Juris utentibus, præſertim circa ſpiritualia, illudatur.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum* Diſtinct. XXV. quæſt. III. art. III. ad octavum: *In permutatione* (inquit) *eſt ſimonia, ſi pro aliquo terreno commodo utriuſque, vel alterius, talis commutatio fiat: Si autem pro aliquo ſpirituali, utpote quia hic in illo loco melius poſſit Deo ſervire, non eſt ſimonia: Unde tunc poteſt fieri commutatio auctoritate Epiſcopi Diæceſani*. Et Secunda Secundæ, Quæſtione centeſima, articulo I. ad quintum: *Nomine* (inquit) *emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec Permutatio Præbendarum, vel Eccleſiaſticorum Beneficiorum fieri poteſt auctoritate partium, abſque periculo ſimoniæ, ſicut nec tranſactio, ut Jura determinant. Poteſt tamen Prælatus ex officio ſuo Permutationes hujuſmodi facere pro cauſa utili, & neceſſaria.*

Epiſcoporum vigilantia in Reſignationibus examinandis, & admittendis.

Epiſcopi autem eſt invigilare, 1. Ne ſimonia, fraus, aut aliud vitium, ſeu canonicum impedimentum in Permutationibus intercedat: 2. Ut, ſi Beneficia permutanda in diverſis Diœceſibus ſita ſint, utriuſque Epiſcopi interveniat auctoritas: 3. Ut illis, ad quos ſpectat Electio, vel Præſentatio ad hæc Beneficia, Reſignatio cauſa Permutationis ſignificetur, eorumque poſtuletur conſenſus: Qui, ſi Patroni Laici fuerint, ita neceſſarius eſt hoc in Regno, ut abſque eo irrita foret Permutatio: 4. Ut Permutatio fiat rerum ejuſdem generis, ſpiritualium ſcilicet cum ſpiritualibus, juris in re cum jure in re, & non cum jure ad rem: Nominationem enim ad beneficium, ſeu jus ex Indulto, Gradibus, Apoſtolicove Mandato, quæ ſolam ſpem obtinendi beneficii, non autem jus proximum tribuunt, cum beneficio jure quæſito, & cujus Proviſiones præ manibus habentur, permutare non licet. Quod autem Permutatio ſpiritualium cum temporalibus jure improbetur, ac damnetur, declarat *Gregorius IX.* cap. *Exhibita*, Extra. *De Rerum Permutatione*. Quamobrem nec Jus decimarum pro re temporali permutari poteſt. *Ex hac Decretali* (inquit Gloſſa) *ſolvitur Quæſtio, quæ multum occurrit de facto: Quandoque aliqui volunt certas poſſeſſiones tradere quoad proprietatem, vel uſumfructum Eccleſiis, quibus tenentur ſolvere decimas poſſeſſionum ſuarum, ut ſic aliæ poſſeſſiones liberæ remaneant ab exactione decimarum: Patet, quod hoc fieri non poteſt: Et hoc idem habuimus in antiqua Compilatione*, tit. *De Decimis*, cap. Intelleximus, *quod non debuit removeri*, cap. *Intelleximus*, eſt *Alexandri III.* Reſponſum, & habetur in antiqua Collectione 1. Decretalium, edita ab *Antonio Auguſtino*.

Quæ permutationes ſuſpectæ?

In fraudis autem, ac doli ſuſpicionem merito veniunt Permutationes Beneficiorum factæ in periculo mortis, aut in decrepita ſenectute; maxime ſi fiant cum conſanguineo aut familiari. Item, ſi citra Beneficiorum inæqualitatem Penſio reſervetur; ſi uterque Compermutans ſibi Penſionem reſervet, aut ſi de Penſione in gratiam tertiæ perſonæ partes conveniant: Aut ſi Penſio ſuper alio quam compermutato beneficio conſtituatur: Item ſi ſit magna Beneficiorum, ſine ulla compenſatione, inæqualitas. Sed manifeſta fraus eſt, ſi Permutatio fiat cum ficto beneficio, aut pro beneficio, quod reſignatur, aliud indefinite beneficium ſimilis, ac paris proventus titulo Permutationis promittatur, aut beneficium, cujus nondum Proviſiones habet compermutantium alter, ut conſtat, ex cap. *Quæſitum*, & cap. *Univerſorum*, Extra. *De Rerum Permutatione*.

Simoniam quod ſpectat in Permutationibus contingentem, de illa ſermo erit cap. ſeq. in quo de Simonia agemus.

RE-

REGULA XVI.

Pensiones super Beneficiis resignatis constitui non possunt, nisi Romani Pontificis Auctoritate, & ex causa canonica. Qui vero Beneficiarias Pensiones aliter sibi reservant, aut sine causa canonica impetratas percipiunt, lethaliter peccant, & ad Restitutionem tenentur.

Quod sine Summi Pontificis Auctoritate constitui non possint Beneficiariæ Pensiones, probat cap. *Ut nostrum*, quod *Innocentii III.* Responsum est, Extra. *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*. Cum ergo Pensio sit delibatio quædam beneficii, & onus illi impositum; & Summo Pontifici concredita sit Canonum dispensatio, necessarius est ad constituendam super Ecclesiasticis Beneficiis Pensionem Summi Pontificis consensus. Deinde cum Pactiones omnes circa beneficia Canonibus vetitæ sint, requiritur ad purgandam Simoniæ suspicionem, ut illæ etiam, quæ natura sua, & per se vitiosæ non sunt, ac simoniacæ, Romani Pontificis Auctoritate, ac Judicio approbentur. Nec Gallicana Jurisprudentia Pensiones super beneficiis ratas habet, præter illas, quæ a Summo Pontifice constitutæ sunt. Tres duntaxat casus excipiuntur. Primus est, cum beneficiario ob ægritudinem, vel impotentiam, sive Censuram Ecclesiasticam, de Vicario providendum est, qui functiones ejus suppleat. Tunc enim Episcopus congruam reddit
uum portionem ex beneficio delibare potest ad sustentationem Vicarii, ut statuit Concilium Tridentinum sess. XXI. c. VI. *De Reformatione*; idemque colligitur ex sess. XXV. cap. XIV. Secundus casus est, Seminarii fundatio, ad quam si necessarii aliunde sumptus non suppetant, Episcopus ex Beneficiis suæ Diœcesis, suæque Collationis, certas contributiones, seu pensiones annuas delibare, ac reservare potest ad pium istud opus, ut sancitum est in Concilio Tridentino sess. XXIII. *De Reformatione*, cap. XVIII. & Regiis Constitutionibus confirmatum. Tertius casus est, bonum pacis inter Clericos de eodem Beneficio contendentes firmandæ, cum Jus illorum obscurum est. Si enim coram Episcopo litigent, potest ille tamquam Judex, vel Arbiter, Beneficium uni, pensionem alteri, pro bono pacis adjudicare; ut colligitur ex cap. *De cetero*, Extra. *De Transactionibus*. Quæ tamen compositio toleratur potius, quam laudetur ab *Innocentio III.* cap. *Nisi essent*, Extra. *De Præbendis*.

Pensionum super Beneficiis resignatis creatio.

II. Pensio autem Canonica non est, nisi ob causas in Jure approbatas constituatur. Tres porro assignari solent: Prima est, favor Resignationis, ne Resignans grave dispendium patiatur ejurato Beneficio, unde alimenta percipiebat vitæ fovendæ necessaria. Secunda est, æqualitatis ratio in Beneficiorum Permutatione: Quando enim locupletius Beneficium cum tenui, & exiguo permutandum est, inæqualitas reddituum adæquari potest constituta Pensione, ut colligitur ex cap. *Ad quæstiones*, Extra. *De Rerum Permutatione*, Tertia causa est, quam jam innuimus, finiendæ litis occasio.

Quæ Pensiones Canonicæ?

III. Atque ut Pensio his de causis constituta juste percipiatur, necesse est imprimis, ut Clericus cui est assignata, hoc egeat subsidio ad inopiam sublevandam, & ad vitam, honestati Status Clericalis congruentem, sustentandam. Solius enim eleemosynæ sive subventionis nomine, ad necessaria vitæ subsidia, Pensiones antiquitus assignatas legimus Ecclesiasticis Viris. Quod ex Actis Calcedonensis Concilii facile probari potest, Actione X. XII. & XIV. & ex Consilio delectorum Cardinalium, & aliorum Prælato-

rum sub *Paulo III.* ejusdem Pontificis jussu conscripto, anno MDXXXVII. Romæ anno sequenti typis edito, confirmatur. *Alius* (inquiunt) „ abusus, „ cum Beneficia conferuntur, seu cum ceduntur aliis, irrepsit in constituendis super eorum fructibus Pensionibus. Imo quandoque cedens Beneficio, „ omnes sibi fructus reservat. Qua in re illud est animadvertendum. Nulla alia de causa, nulloque alio Jure Pensiones constitui posse, nisi ut „ quasdam eleemosynas, quæ in pios usus, & indigentibus concedi debent. „ Nam redditus sunt annexi Beneficio, ut corpus animæ: Ideo sua natura „ pertinent ad eum, qui Beneficium habet, ut possit ex eis vivere honeste „ pro suo ordine, simulque queat sustinere impensas pro Divino cultu, & „ & Templi, Sacrarumque Ædium reparatione, ut quod reliquum est, impendat in pios usus. Hæc est enim natura eorum reddituum. Verum sicuti in rerum naturæ administratione nonnulla fiunt a natura particulari „ præter inclinationem universalis naturæ: Sic in Pontifice, quoniam est „ universalis dispensator bonorum Ecclesiæ, si viderit eam fructuum portionem, quæ in pios usus expendi debet, aut ejus partem, in pium quempiam alium usum ut expendatur, magis expedire, potest proculdubio id „ facere. Ideo jure merito Pensionem ponere potest, ut subveniat egeno, „ præsertim Clerico, ut honeste queat vitam ducere pro ejusdem ordine. „ Ideo omnes fructus reservari, adimique id omne, quod divino cultui, sustentationique habentis Beneficium tribui debet, magnus est abusus. „ Itemque Pensiones dari Clericis divitibus, qui commode & honeste vivere queunt ex redditibus, quos habent, magnus certe abusus, tollendus „ uterque. Unde qui Beneficium Curatum, aut Præbendam suscipiunt, cum proposito illa non servandi, nec in iis Ecclesiæ inserviendi, sed captandæ tantum ex eorum Resignatione Pensionis, graviter peccant, nec Pensionem hujusmodi tuta conscientia percipere possunt..

Secundo, Pensio excedere non debet tertiam partem fructuum: quod Constitutione Caroli VI. Regis Christianissimi statutum est, Canonibus congruenter. Verum si Resignationis, aut permutationis causa pensionis modus productus sit ultra metas, ad fructuum verbi gratia medietatem, quod Romana Curia interdum approbat, reduci non solet, etiam conquerente resignatario: Odiosum quippe judicatur, ut qui consensum præstitit certæ pensionis annuæ super beneficio creationi ejusque solvendæ sponte subiit onus, & hac lege fruitur resignato sibi beneficio, mox adversus pactum, & approbatam in Romana Curia stipulationem, benefactorem suum eludere, & frustrare promissis non erubescat. Idque Juri consentaneum est: *Cum illusio, & variatio in personis Ecclesiasticis maxime sint vitandæ*; (ut ait Clementina unica *De Renuntiatione.*)

Tertio requiritur, ut exsoluta pensione, & persolutis beneficii oneribus Resignatario supersit Congrua portio trecentarum libellarum, præter oblationes, & quotidianas obventiones, & quæcunque interiorum Ecclesiæ fructuum, & reddituum nomine veniunt.

Quarto, necesse est, ut ille, cui pensio assignata est, per plures annos beneficii illius munia obiverit, vel in iis obeundis infirmitatem contraxerit, ex qua factus sit impotens ad hujusmodi functiones deinceps exercendas. Edicto autem *Ludovici Magni* Regis Christianissimi anno MDCLXX. mense Octobris dato, cautum est, ne quis pensionem ex præbendis Ecclesiarum Cathedralium, aut etiam Collegiatarum, vel Parochialium Curarum beneficiis percipiat, nisi hujusmodi beneficiorum sacras functiones solido quindecim annorum spatio exercuerit, officiaque impleverit. Quicumque beneficiarias pensiones, his conditionibus minime concurrentibus, percipiunt, furti sacrilegi rei sunt, & ad restitutionem te-

vis Pensio sit approbata ab Apostolica Sede , cui fæde obrepserunt. His belle convenit quod scribebat *Sanctus Bernardus* ad *Adam* Monachum Epistola VII. *Remorsas, ac remordentes conscientias Apostolica conati estis delinire licentia. O frivolum satis remedium, quod non est aliud nisi more Protoplastorum cauteriatis conscientiis texere perizomata, non ad medicamentum, sed ad velamentum!* Ibidem: *Apostolicam* (inquit) *licentiam quæsivimus, & impetravimus. Utinam licentiam non quæsissetis, sed consilium! Idest, non ut liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam; Ut liceret, quod non licebat: Itaque volebatis, quod non licebat: Sed quod non licebat, malum erat, mala erat igitur intentio, quæ in malum tendebat.*

REGULA XVII.

Nec postulare licet, nec promittere Beneficium ante obitum possessoris. Qui secus fecerint, gravis peccati rei sunt.

HAnc Regulam tradit Concilium Oecumenicum Lateranense III. sub *Alexandro III.* can. VIII. & refertur cap. *Nulla*, Extra. *De concessione Præbendæ*, cujus hæc sunt verba: *Nulla Ecclesiastica Ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent: Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & Beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsis etiam Legibus Gentilium inveniatur inhibitum, turpe est, & divini plenum animadversione Judicii, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt.*

REGULA XVIII.

Absque Institutione Diœcesani Episcopi Beneficium ordinarie obtineri tuta conscientia non potest.

UT enim habet Regula I. Juris, in Sexto: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine Institutione Canonica obtineri.* Et cap. *Quod autem*, Extra. *De Jure Patronatus*, quod est *Alexandri III:* Responsum dicitur: „ Antequam præsentatio per Diœcesanum Episcopum approbetur, ratum „ non est quod a Patrono fuerat inchoatum. De cetero tuæ Prudentiæ respondemus, quod si Laici Clericis, vel Collegiis, de concessionibus, vel „ donationibus Instrumenta confecerint in hæc verba, vel similia: Concessi, vel dedi Ecclesiam, & præsenti charta firmavi: Si consensus Episcopi non accesserit, nihil agi videtur: Quia pro non dato habetur, quod „ ab illo datur, qui non potest de Jure donare: Et cap. Cum Laici, sub „ eodem Titulo: Cum Laici Episcopis nescientibus, aut non consentientibus Ecclesias Clericis concedunt, in quibus habent Jus Patronatus, & „ postea pœnitentia ducti alios ad easdem Episcopis repræsentant, & illi „ ad eorum præsentationem in eisdem Ecclesiis ab Episcopis instituuntur: „ Eorum debet Institutio stare, qui Auctoritate sunt Episcopi instituti: „ Concessione priori, quæ nulla est, omnino evacuata. Non enim licet „ Laicis Clericos in Ecclesiis præsumptione propria ordinare. Idem confirmatur ex cap. Ex frequentibus, Extra. De Institutionibus, quod est Alexandri III. Responsum: Didicimus (inquit) in partibus vestris consuetudinem pravam a multis retroactis temporibus invaluisse, quod Clerici Ecclesiastica beneficia sine consensu Episcopi Diœcesis, vel Officialium suorum (qui hoc de jure possunt) recipiunt; minus quam deceat cogitantes, „ quo-

Quæ institutio Canonica in Beneficiis?

Diœcesani Episcopi in illis conferendis auctoritas.

„ quomodo id a SS. Patrum est institutionibus alienum, & Ecclesiasticæ con„ trarium honestati. Unde cum tu, Frater Archiepiscope, ex Officio tibi „ commisso, tam iniquam consuetudinem de Provincia tua velis (sicut de„ bes) radicitus extirpare, tam in illos, qui Ecclesiastica beneficia taliter „ occupata scienter detinent, quam in eos, qui de cetero occupare præ„ sumpserint, Excommunicationis Sententiam protulisti. Nos itaque eam„ dem Sententiam ratam habentes, & eam Auctoritate Apostolica confir„ mantes, mandamus, quatenus Clericos ipsos, qui ipsam Sententiam in„ currerint, nisi congrue satisfecerint, absolvere minime præsumatis.

Provisiones Rom. Pont. in forma dignum.

Quam ob rem Romanus Pontifex provisiones beneficii non concedit, nisi *in forma dignum*, idest, ea lege, ut Clericus, cui de beneficio provisum est, coram Episcopo se sistat, ab eoque examinetur de probitate, doctrina, & aliis dotibus ad hujusmodi beneficium possidendum, ejusque functiones digne obeundas necessariis; atque approbationem, & institutionem ab eo obtineat, quæ vulgo *Visa* dicitur. Quod si ab Episcopo repulsam passus fuerit, id juste ab illo factum credendum est, & in ejus acquiescendum judicio; nisi forte manifesta esset injusticia; non ipsius Candidati, quem forte cupiditas, & ambitio in propria causa obcæcarent, sed virorum pietate, prudentia, & experientia in negotiis Ecclesiasticis spectabilium, consilio discutienda. Quo casu ad Metropolitanum confugere potest, & apud ipsum de injusta repulsa expostulare, causamque dicere, ac illius judicium expectare, nulla commendatione, nullis precibus interpositis, ne ab ipso Institutionem extorsisse potius quam promeruisse videatur. Ad alium vero Episcopum recurrere non licet, quemadmodum declaravit Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus anni MDXLV.

An tuta conscientia peti possint a Rom. Pont. provisiones in forma gratiosa.

Ex his colligitur Provisiones beneficii *In forma gratiosa*, ad declinandum proprii Episcopi judicium, a Summo Pontifice tuta conscientia postulari non posse.

REGULA XIX.

Graviter peccant non solum, qui indignis quæcumque beneficia Ecclesiastica conferunt, vel indignos ad ea nominant, & præsentant; sed & qui ad beneficia Curam Animarum annexam habentia non promovent digniores; aut iis postpositis, minus dignorum institutioni quovis modo cooperantur.

Ad Beneficia curam animarum habentia promovendi digniores.

HAnc Regulam quoad primam partem tradunt *Siricius* Pontifex Maximus Epistola III. *Ad Thimotheum loquitur Apostolus*: Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. *Quod propterea memoratur, ut examine habito, & probitate morum, & Ecclesiastico labore sit commendatior, qui vocatur in medium, & Summum Sacerdotium possit accipere, probatus judicio, non favore; susceptus veritate, non gratia; Apostolico ordine fretus, non præcipiti voluntate.*

Quam grave peccatum promoveatur indigne.

S. Leo. Epist. I. alias LXXXVII. ad Episcopos Africanos: *Miramur tantum apud vos per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, ut indignis quibusque, & longe extra Sacerdotale meritum constitutis Pastorale fastigium, & gubernatio Ecclesiæ crederetur. Non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim Præsidentium salus est subditorum: & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ ∴ Quod si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter, scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum: quanto magis elaborandum est, ut in electione*

ejus;

ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Ubi est illa B. Pauli per Spiritum Dei emissa præceptio, „ Manus cito „ nemini imposueris, neque communicaveris, peccatis alienis? „ Quid est „ cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus exa- „ minis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdota- „ lem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis „ alienis, nisi talem effici Ordinantem, qualis est ille, qui ordinatur? Si- „ cut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum sectatur in eli- „ gendo Sacerdote judicium: Ita gravi semetipsum afficit damno, qui ad „ suæ Dignitatis collegium sublimat indignum.

S. Leoni in eadem doctrina tradenda præiverant *S. Augustinus*, Epistola CLXVII. alias XXIX. ubi explicans illud Apostoli *Jacobi* cap. II. arguentis eos, qui personas accipientes dicunt diviti, „ Sede hic: Pauperi vero, Tu „ sta illic; hæc habet: Nec sane, quantum arbitror, putandum est leve „ peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini Nostri Jesu „ Christi, si illam distantiam sedendi, ac standi ad Honores Ecclesiasticos „ referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad Sedem honoris Ecclesiæ, „ contempto paupere instructiore atque sanctiore?

Pensionarum acceptio in collatione Beneficiorum animarum curam habentium, grave peccatum.

S. Hieronymus in cap. I. Epistolæ ad *Titum*, ad illa verba, *Constituas per civitates Presbyteros*: & refertur can. *Moyses*, causa VIII. quæst. I. „ Moy- „ ses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus est, potuit utique Suc- „ cessores Principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere di- „ gnitatem: Sed extraneus de alia Tribu eligitur Jesus, ut sciremus Prin- „ cipatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc „ cernimus plures hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Ec- „ clesia erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse; sed quos, „ vel amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti; vel pro quibus Majorum „ quispiam rogaverit; & (ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent, „ muneribus impetrarunt.

Illis conferenda sunt, qui Ecclesiæ magis profuturi cognoscuntur.

Origenes Hom. VI. *in Leviticum*: ut refertur Canone *Licet*, causa VIII. „ Licet ergo Dominus de constituendo Principe præcepisset, & Dominus „ elegisset, tamen convocatur etiam Synagoga. Requiritur enim in ordi- „ nando Sacerdote, & præsentia Populi, ut sciant omnes, & certi sint, „ quia qui præstantior est ex omni Populo, qui doctior, qui sanctior, qui „ in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium.

Doctior, & sanctior eligendus.

Concilium Oecumenicum Lateranense IV. can. XXVI. *Nihil est* (inquit) „ quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur Præ- „ lati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo necessariam ad- „ hibere medicinam, irrefragabili Constitutione sancimus, quatenus cum „ quisquam fuerit ad regimen Animarum assumptus, is ad quem pertinet „ ejus Confirmatio, diligenter examinet & electionis processum, & perso- „ nam electi, ut cum omnia rite concurrerint, munus ei Confirmationis „ impendat: Quia si secus fuerit incaute præsumptum, non solum dejicien- „ dus est indigne promotus, verum etiam indigne promovens puniendus.

Dejiciendus indigne promotus, indigne promovens puniendus.

Et can. XXX. Grave nimis est, & absurdum, quod quidam Prælati Eccle- „ siarum, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promovere, „ assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litte- „ rarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium „ rationis. Unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis „ ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut præter- „ missis indignis assumant idoneos, qui Deo, & Ecclesiis velint, & va-

„ leant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in Provinciali Concilio „ diligens inquisitio annuatim: ita quod, qui post primam, & secundam corre- „ ptionem fuerit repertus culpabilis, a conferendis beneficiis per ipsum Con- „ cilium suspendatur, *&c.*

Concilium denique Tridentinum sess. VII. cap. III. *De reformatione*, idem confirmat. *Inferiora beneficia Ecclesiastica* (inquit) *præsertim Curam Animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos Curam ipsam exercere valeant, juxta Constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quæ incipit*, Quia nonnulli, *& aliam Gregorii X. in Generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit*, Licet Canon, *editam, conferantur: Aliter autem facta collatio, sive provisio omnino irritetur; & Ordinarius Collator pœnas Constitutionis Concilii Generalis, quæ incipit*, Grave nimis *se noverint incursurum.*

Beneficia Ecclesiæ curam animarum habentia magis idoneis conferenda.

Secundam partem Regulæ, scilicet quod graviter peccent, qui ad beneficia Curam Animarum annexam habentia non promovent digniores, aut illis postpositis minus digniorum institutioni quovis modo cooperantur, probat cap. *Constitutis*, Ext *De Appellationibus*, quo *Innocentius III.* approbat, laudatque factum Episcopi Metensis, qui vacante Præpositura die electioni præfixo, „ Per „ Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in virtute obedientiæ, ac sub ani- „ mæ Periculo Canonicos adjuravit, ut secundum Deum, & juxta conscien- „ tiam suam, unum eligerent de duobus, in quos partes videbantur oculos „ extendisse, quem Ecclesiæ magis utilem, & idoneum reputarent.

Et cap. *Ut nostrum*, Ext. *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, sic respondet Mediolanensi Archiepiscopo: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare.* Et cap. *Quoniam*, Ext. *De Jure Patronatus*, quod ex Concilio Generali Lateranensi III. sumptum est, statuitur, *Ut si forte in plures partes Fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur assensu.*

Non ex affectu carnali.

Eamdem veritatem declaratione sua confirmat Concil. Tridentinum sess. XXIV. cap. I. De reformatione. „ Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus (inquit) „ providenter, scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inor- „ dinatum, nihilque præposterum: Multo magis elaborandum est, ut in electio- „ ne ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius fa- „ miliæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non „ inveniatur in capite. Unde etsi alias Sancta Synodus de promovendis ad „ Cathedrales, & Superiores Ecclesias nonnulla utiliter decrevit; hoc ta- „ men munus hujusmodi esse censet, ut, si pro rei magnitudine expen- „ datur nunquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, ut cum „ primum Ecclesia vacaverit, supplicationes, ac preces publice, privatimque „ habeantur; atque a Capitulo per Civitatem, & Diœcesim indicantur, qui- „ bus Clerus, Populusque bonum a Deo Pastorem valeat impetrare. Omnes „ vero, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus „ quacumque ratione a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam „ præstant, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, horta- „ tur, & monet, ut imprimis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & po- „ pulorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Eccle- „ siæ gubernandæ idoneos promoveri studeant. Eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles *ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.*

Alienis peccatis communicant, qui digniores, & Ecclesiæ magis utiles non præficiunt Beneficiis curam Animarum habentibus.

Et cap. XVIII. de Parochialium Ecclesiarum provisionibus agens, examen fieri jubet per Examinatores in Diœcesana Synodo deputatos; & ex benefi-

fici-

ficii candidatis, atque competitoribus, qui fuerint judicati idonei, eum ab Episcopo eligi, quem ceteris judicaverit digniorem. „ Peracto deinde examine, renuncientur quotquot ab his judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, & aliis rebus advocantem Ecclesiam gubernandam opportunis: Ex hisque Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit ∴∵ Quod si sit beneficium Juris Patronatus Ecclesiastici, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat; quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero Institutio ab alio quam Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem Institutio spectat ∴ Alias provisiones omnes, seu Institutiones præter supra dictam formam factæ, subreptitiæ censeantur: Non obstantibus huic Decreto executionibus, Indultis, Privilegiis, Præventionibus, affectionibus, novis Provisionibus, Indultis concessis quibuscumque Universitatibus, etiam ad certam summam, & aliis impedimentis quibuscumque.

Idem confirmat B. Pontifex *Pius V.* Constitutione, quæ incipit, *In conferendis Beneficiis* data XV. Calend. Aprilis MDLVII. „ Ut autem (inquit) non solum dignis, sed magis idoneis repertis, juxta ejusdem Concilii Decretum, Parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint, a mala electione hujusmodi ad Metropolitanum; vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit; ad viciniorem Ordinarium, uti nostrum, & Sedis hujusmodi Delegatum, aut alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare; ac præelectum ad novum examen coram ipso Appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare. Ubi tamen non est receptus concursus, non datur locus hujusmodi Actioni, & Appellationi: Quamvis gravis peccati reus sit coram Deo Episcopus, aliusve Collator, qui minus dignum postpositis magis idoneis eligit, vel instituit.

Regulam, quam exponimus, multis confirmat *Guillelmus Parisiensis*, Tractatu *De collatione Beneficiorum*. Prælatos Architectos esse ostendit, quorum officium est ædificare domum Domino, instar Salomonis, ex lapidibus grandibus, & pretiosis, & dolatis, atque quadratis, non ex paleis, festucis, & luto; quod tamen faciunt, qui indignos ad Ecclesiastica beneficia promovent. Nec excusant eos preces Magnatum: Nam *Architecto nemo auderent hujusmodi preces porrigere, ut pro columna forti festucam fragilem in ædificio, cujus fabrica fidei ejus commissa est, poneret: Et si forte eo usque aliquis insaniret ut præsumeret, & diceret: Magister, ego diligo festucam istam ultra modum, charissima mihi est, rogo te, quantum possum, honora eam, & pone in loco honorabili, videlicet in loco columnæ fortis, & altæ; nunquid subsannari se ab „ illo non adverteret, & in faciem ejus spueret?* Addit Officium Prælatorum, „ non solum esse ædificare Templum Domino, sed etiam corpus mysticum „ Christo. Membra igitur, quæ tanto Capiti congruant, in corpore Eccle- „ siæ ponenda sunt: Nemo autem dubitat, peccatores esse membra Diabo- „ li *Quare, qui peccatores in Ecclesiis suis constituunt, non corpus mysticum Chri- „ sto Domino; sed corpus utique quale decet Diabolum, Diabolo ædificant, ex „ membris videlicet putridis, omnique deformitate horribilibus*. Prælatus Dux est, cujus officium est eligere, & colligere Bellatores ad præliandum contra Diabolum, & exercitum ejus. Quapropter eligere debet fortes, & doctos ad bella. *An igitur parvuli, an mortui, scilicet mortalibus peccatis extincti, ad præliandum prælia Domini eligendi sint, quis non judicet? Qui non noverunt gladium Spiritus, quod est verbum Dei, qui non moverunt arcum sacrarum disciplinarum, sacrorum eloquiorum sagittas, scutum fidei, galeam salutis, loricam justitiæ, & omnino igna-*

Dignitates, & Beneficia curam Animarum habentia, dignioribus esse conferenda censent, ac probant Guillelmus Parif. Episcopus.

ignaros armorum lucis, quis eligat ad bellandum, nisi damnabilissimus Domini sui proditor, quique hostibus ejus de eo quærit victoriam? Prælatus Princeps Pastorum est: Debet igitur vocare electos Pastores, non qui pascant semetipsos, sed qui pascant populum scientia, & doctrina: Non Pastores, qui sint idola, Zech. 11. deserentes gregem, quibus maledixit Zacharias, sed magis, qui cum Jacob Gen. 31. possint dicere Domino: *Oves, & capræ tuæ non fuerunt steriles, arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi; ego omne damnum reddebam, quidquid furto peribat, a me exigebas, die ac nocte æstu urebar, ac gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.*

Ostendit præterea *Guilielmus Parisiensis*, Collatores beneficiorum dispensatores esse, non dominos, adeoque bona fide juxta mandatum illis a Domino traditum, nonnisi idoneis conferre illa debere; alioqui collationem a Deo ratam non haberi, & collatorem rapinæ, & furti reum esse. *Pulchre Episcopum habentem pyrum onustam fructibus, & volentem Archidiaconatum conferre Robinulo nepotulo suo quidam delusit. Cum interrogaret Episcopus, cui pyrum illam committeret custodiendam, & responsum esset a quodam, ut illam memorato Robinulo committeret, Episcopus respondit: Absit, quia pyra illa omnia devoraret: Dicit Episcopo, Domine, qualiter committetis Robinulo tot millia Animarum custodienda, cui tam pauca pyra committere non audetis?*

S. Thomas, 2, 2. qu. LXIII. art. II. ad tertium, digniores ad Ecclesiasticas Dignitates, & beneficia eligendos, ac promovendos esse docet. Quantum ad hoc (inquit) quod electio impugnari non possit in foro judiciali, „ sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem: Quia sic omnis ele-
S. Thomas. „ ctio posset habere calumniam; Sed quantum ad conscientiam eligentis, „ necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: Quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam „ Dignitatem, & alius præferatur, oportet, quod sit propter aliquam „ causam. Quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, „ qui eligitur, magis idoneus: Si vero non pertineat ad negotium, id quod „ consideratur ut causa, erit manifeste acceptio personæ.

Et quæst CLXXXV. art. III. *Circa assumptionem alicujus ad Episcopatum, aliquid cosiderandum est ex parte ejus, qui assumitur, & aliquid ex parte ejus, qui assumit. Ex parte enim ejus, qui assumit vel eligendo, vel providendo, requiritur, quod talem eligat, qui fideliter divina Mysteria dispenset; quæ quidem dispensari debent ad utilitatem Ecclesiæ, secundum illud* 1. *ad Cor.* XIV. Ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut abundetis. *Non autem divina Mysteria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam exspectare debent in futuro. Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem; sed meliorem, quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam & instruere, & defendere, & pacifice gubernare.* Non eligere autem eos, quos Ecclesiæ utiliores futuros noveris, *pertinet ad acceptionem personarum, quæ in talibus est grave peccatum. Ex parte autem ejus, qui assumitur, non requiritur, quod reputet se aliis meliorem, (hoc enim esset superbum, & præsumptuosum;) sed sufficit quod nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere Prælationis Officium. Unde licet Petrus interrogatus esset, an ceteris plus Dominum diligeret, in sua responsione non se prætulit cæteris, sed simpliciter respondit, quod Christum amaret.*

Et Quolibeto VII. quæst. IV. art. I. *Aliquis homo potest dici bonus, vel melior altero dupliciter: Uno modo simpliciter; sic melior est, qui est in charitate perfectior: Alio modo secundum quid, & sic dicitur aliquis melior altero, vel ad Militiam, vel ad Magisterium, vel ad Prælationem, vel ad aliquid hujusmodi,*

quia

qui non est melior simpliciter, eo quod in singulis Officiis tam spiritualibus, quam corporalibus requiruntur aliqua præter moralem bonitatem, ad hoc ut aliquis sit idoneus ad illud Officium exequendum. Dicendum est ergo, quod oportet eligere ad Prælationem, vel Ecclesiasticum Officium aliquem, qui sit bonus simpliciter; quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum. Non tamen oportet, quod semper eligatur ille, qui est melior simpliciter: Possibile enim est, quod illi, qui est in charitate perfectior, deficiant multa, quæ requiruntur ad hoc, quod aliquis sit Prælatus idoneus, quæ in alio, qui est minoris charitatis, inveniuntur; ut sunt scientia, industria, potentia, et alia hujusmodi; Unde non oportet semper eligere meliorem simpliciter, sed eum, qui sit melior ad hoc Officium. Si autem eligat, quis eum quem reputat minus idoneum ad tale Officium, peccat. Non enim potest esse, quod de duobus unus alteri præeligatur, nisi propter aliquod in ipso consideratum: Illud autem quod consideratur in eo, qui est minus idoneus, ad hoc, quod magis idoneo præferatur, est aliqua conditio indebite movens, vel familiaritas, vel consanguinitas, vel aliquid hujusmodi: Non enim potest esse aliqua conditio pertinens ad Prælati idoneitatem, ex quo alter simpliciter magis idoneus reputatur; & sic indebite movet: & sic in tali electione erit acceptio personarum, quæ sine peccato fit.

Insignis pietatis Magister *Ludovicus Granatensis*, in Concione *De Officio Pastoris*, habita in Consecratione Episcopi Mirandensis anno MDLXV. luculentissimis rationibus probat, quod *Eligere minus dignum, digniore prætermisso, omnibus justitiæ legibus adversetur, tam ejus, quæ distributiva, quam quæ commutativa nominatur.* In quo quidem crimine multiplex reatus invenitur. *Præferens enim indignum, reus est omnium Animarum, quæ ob ejus indignitatem periclitantur: Reus est omnium flagitiorum, quæ ex hoc crimine consequuntur: Reus denique omnium, aut eleemosynarum, aut aliorum bonorum, quæ boni Rectoris studio perficerentur. Quemadmodum enim, qui aut imperitum Medicum, aut Nauclerum, aut Pastorem præficit, reus est omnium damnorum, quæ ex horum ignorantia consecuta sunt: Ita plane, qui indignum eligit in Ecclesiæ Ministrum, omnium malorum consequentium reus est. Omnia enim hæc, & nomina, & officia cuilibet Ecclesiæ Ministro simili ratione conveniunt .˙.˙. Cum ad Davidem Abiathar Sacerdos, amissis, injuria, & crudelitate Saulis, parentibus, ac fratribus, in desertum profugus pervenisset, ait ad illum David:* EGO sum reus omnium animarum patris tui: *Nimirum, quia neque volens, neque animadvertens, in causa fuerat, ut Saul præcipiti quodam furore percitus, invidiaque stimulatus, Sacerdotes Domini jugularet. Quid ergo dicet, qui & sciens, & volens, & affectibus suis, aut amicorum serviens, contemptis dignioribus præficit indignos, ex qua indignitate tot pereuntium Animarum strages consequuntur? Quoniam vero abusus hic vehementissime semper Ecclesiæ nocuit, Concilium Basileense tanto malo occurrere volens, Pragmatica Sanctione decrevit, ut electores Ministrorum Ecclesiæ, decantata prius Missa Spiritus Sancti, post Sacramentalem. Peccatorum Confessionem, & Venerabilis Eucharistiæ sumptionem, in manibus Præsidentium hujusmodi se Religione Juramenti constringerent.* EGO „ juro, & promitto omnipotenti Deo, & tali Sancto, vel Sanctæ, sub cujus „ vocabulo dedicata est Ecclesia, eum eligere, quem credam futurum Eccle- „ siæ in spiritualibus, & temporalibus utiliorem: Nec illi vocem dare, quem „ verisimiliter scivero promissione, aut datione alicujus rei temporalis, seu „ prece per se, aut alium interposita, aut alias qualitercumque directe, vel indirecte, pro se electionem procurare. *Et quamvis Decretum hoc non obliget, novum Jus inducendo, declarat tamen, quid hoc nostro calamitosissimo sæculo (quando fides nutat, & omnis justitia, atque virtus exulat, solaque externa bona petuntur,) Pastorbius Ecclesiæ necessarium sit, ut tanto discrimini occurrant.*

Veneráb. P. Ludovicus Granatensis. Multiplex crimen promoventium indignos, aut minus dignos prætermissis dignioribus.

1. Reg. 28.

Deni-

Propositio damnata.

Denique inter Propositiones ab *Innoc. XI.* Pontifice Maximo die 11. Martii anno MDCLXXIX. Romæ damnatas, hęc legitur 47. „ Cum dicit Concilium „ Tridentinum, Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui „ nisi, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Eccle- „ sias promovent: Concilium, vel primo videtur per hoc, DIGNIORES, „ non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto compa- „ rativo pro positivo: Vel secundo, locutione minus propria ponit DIGNIO- „ RES, ut excludat indignos, non vero dignos: Vel tandem loquitur ter- tio, quando fit concursus. *De eadem Propositione hoc judicium tulit Clerus* „ *Gallicanus anno* MDCC. Hæc Propositio Concilio Tridentino contraria est, „ Ecclesiæ utilitati, ac saluti Animarum, quæ a Pastorum delectu præcipue „ pendet, adversatur.

R E G U L A XX.

Absque peccato conferuntur Beneficia Curam Animarum annexam habentia, minus sanctis, & minus doctis, si Ecclesiæ, cui providendum est, utiliores futuri judicentur iis, qui sanctiores sunt, atque doctiores.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, 2. 2. qu. LXIII. art. II. „ Acceptio (inquit) personarum est peccatum in quantum contrariatur justitiæ. Quanto autem in majoribus aliquis justitiam transgreditur tanto gravius peccat. „ Unde cum spiritualia sint temporalibus potiora, gravius peccatum est personas accipere in dispensatione spiritualium, quam in dispensatione temporalium. Et quia personarum acceptio est, cum aliquid personæ attribuitur „ præter proportionem dignitatis ipsius; considerare oportet, quod dignitas „ alicujus personæ potest attendi dupliciter. Uno modo simpliciter, & secundum se: Et sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque quod ille, qui est minus sanctus, & minus „ sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel „ industriam sæcularem, vel propter aliquid hujusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, secundum illud 1. ad Corinth. XII. *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*: Ideo quandoque absque acceptione personarum; in dispensatione „ spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, melioribus præferuntur. Sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis.

Et Quodlibeto IV. quæst. V. art. III. *Aliquis*, inquit, „ potest dici melior „ dupliciter: Uno modo simpliciter, qui est sanctior, vel plus habens de „ charitate: Alio modo dicitur aliquis melior quoad aliquid: Contingit autem quandoque, aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quod Beneficium percipiat; quia aliquis forte potest Ecclesiam magis juvare, vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia servivit in Ecclesia. Non ergo Episcopus tenetur „ semper dare meliori simpliciter; sed tenetur dare meliori quoad hoc,

REGULA XXI.

Consanguineos suos in Collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum aliis præferre nemo potest absque gravi peccato, nisi sint æque digni & id absque scandalo fieri possit, Simplicia tamen Beneficia illis conferre potest, unde sustententur si indigni non fuerint.

HAnc Regulam tradit *Petrus Cantor* Ecclesiæ Parisiensis, in *Verbo Abbreviato*, cap. XLIII. *Cum* (inquit) *de intrantibus in Ecclesiam per ostium dicatur*: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt: *De intrantibus per carnem, & sanguinem dici potest: Qui ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, non ex Deo nati sunt, in Ordinum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum perceptione. Tales nequeunt dicere*, In manibus tuis sortes meæ. *Non enim consideratur voluntas, & Beneplacitum Domini, cum sors, & hæreditas Christi eis confertur. De talibus ait Michæas*: Væ illis, qui ædificant Sion, *scilicet Ecclesiam*, in sanguinibus, *in peccatis*: *In carnalibus etiam affectibus, dantes carni, & sanguini, potius ad destructionem Ecclesiæ, quam ad ædificationem. Sic danti Ecclesiasticum Beneficium potest objici, Quia caro, & sanguis revelat ei sic dare, non Pater meus, qui in cœlis est*. Qui non odit „ Patrem, & matrem, propter me, *idest, non postposuerit carnales affectus*, „ *quod non illi in dando spirituale naturæ, & ideo non sunt digni Deo. Item* „ *Dominus*: Qui sunt pater, & mater mea, & fratres mei? Et extendens „ manum in Discipulos, ait: Hi sunt mater, & soror, & fratres mei. Om„ nis enim, qui facit voluntatem Patris mei, ipse est & frater, & soror, &c. *Quasi diceret: Vir spiritualis carnales nescit: Ac si diceret patri, & matri*, Nescio vos: *Insinuans nobis se esse imitandum, maxime in spiritualibus conferendis. Ob hoc etiam Petrum, & de alia Tribu genitum Joanni præposuit. Item Hieronymus*: Moyses Amicus Dei &c. *Nepotem ergo tuum in columnam Ecclesiæ non erigas: Tamen Ecclesiasticum Beneficium, unde sustentetur, ei assignare potes. Sed quid si æque honestus est, & dignus ut extraneus? Sed & hoc periculosum est, nisi probitas ejus exigat, & excludat omnem infamiam, scandalum, & malum exemplum, quod de facili non fit. Non enim exemplum a bene gestis nostris sumitur, sed a cortice, specie, & superficie illorum, non a veritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii meo utentur exemplo, ut dent suis propter naturam magis, quam propter gratiam, dicentes: Nonne meis, sicut & ille suis, dabo? Ego gratiæ, ille dat naturæ. Ex præmissis patet, quantum recesserimus a cunabulis primitivæ Ecclesiæ in conferendo Administrationem, & Dispensationem rerum pauperum, consuetudinem potius, quam antiquos Sanctos sequentes, quasi præscriptione nos tuentes.*

Joan. 1.
Psalm. 30. 16.
Mich. 3.
Consanguinei in collatione Beneficiorum curam habentium Animarum ceteris preferri sine gravi peccato non possunt, nisi sint eque digni.
Luc. 14. 26.
Matt. 12. 49.
Can. Moyses Causa 8. q. 1.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, qu. LXIII. art. „ II. ad primum: Circa consanguineos Prælati (inquit) distinguendum est. „ Quia quandoque sunt minus digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum „ commune. Et sic, si dignioribus præferantur, est peccatum personarum ac„ ceptionis in dispensatione spiritualium, quorum Prælatus Ecclesiasticus non „ est dominus, ut possit ea dare pro libito, sed dispensator, secundum il„ lud I. ad Corinthios IV. Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & „ dispensatores Mysteriorum Dei. Quandoque vero consanguinei Prælati „ Ecclesiastici sunt æque digni: ut alii: Et sic licite potest absque personarum „ acceptione consanguineos suos præferre: Quia saltem in hoc præeminent, quod „ de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum Ecclesiæ negotia tractent. „ Esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum „ sumerent, etiam præter dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi.

Ratio duplex cur consanguinei minus idonei non sint preferendi.

Et

Et Quodlibeto IV. qu. VIII. Artic. IV. „ Aliter (inquit) eſt dicendum „ de conſanguineo Prælati æque idoneo , & aliter de minus idoneo : Si „ enim ſit æque idoneus, poteſt Prælatus ſuum conſanguineum præferre, „ niſi forte ex hoc ſcandalum oriatur , vel aliqui exinde malum exemplum „ accipiant, ut probabiliter præſumi poſſit, quod alii Prælati hoc exemplo in- „ ducantur ad dandum ſuis conſanguineis etiam minus dignis: Et hoc ideo, „ quia ex quo nihil deperit utilitati Eccleſiæ , cum æque idoneo providetur, li- „ cet circa hujuſmodi proviſionem etiam amori naturali ſatisfacere, qui non eſt „ contrarius charitati , ſed magis charitate informatur : Et hoc ſignificatur „ Gen. XLVIII. ubi Pharao dixit ad Joſeph de fratribus ſuis: Si noſti in eis viros „ induſtrios, conſtitue eos magiſtros pecorum meorum. Si vero ſit minus idoneus „ conſanguineus Prælati, non debet eum præficere ad Curam Eccleſiæ, poſt- „ poſito meliori; duplici ratione: Primo quidem, quia hoc videtur eſſe contra „ fidelitatem, quam in bono diſpenſatore Dominus requirit. Non enim faceret „ fideliter negotium alicujus domini, qui poſſet rem ejus meliorare , ſi hoc „ prætermitteret, ut ſuis conſanguineis ſatisfaceret. Secundo, quia hoc vide- „ tur ad perſonarum acceptionem pertinere, quæ conſiſtit in hoc, quod aliquis „ accipit pro cauſa conditionem perſonæ, quæ non facit ad negotium; ſi- „ cut ſi aliquis daret Sententiam pro aliquo; quia dives eſt , & non quia „ juſtitiam habet, quæ eſt conditio faciens ad negotium; Eſſe autem conſangui- „ neum, non eſt aliqua conditio pertinens ad Curam Eccleſiæ, quæ non obtine- „ tur jure ſanguinis, ſed divino munere; eſſet autem conditio faciens ad nego- „ tium circa diſpenſationem patrimonialium bonorum. Unde ſi Epiſcopus de „ patrimonialibus bonis magis provideat conſanguineo ſuo minus idoneo, non „ eſt acceptio perſonarum: Sed ſi ratione conſanguinitatis ei provideat in patri- „ monio Crucifixi, non caret vitio perſonarum acceptionis, quam Auguſtinus „ dicit eſſe in Eccleſiaſticis gradibus diſpenſandis, exponens illud Jacobi II. *No-* „ *lite* in perſonarum acceptione habere fidem Domini Jeſu Chriſti.

REGULA XXII.

Dignum ex Eccleſiæ gremio alteri alias digniori præferre licet.

I*Lle* enim, *qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, ut in pluribus conſuevit eſſe utilior, quantum ad bonum commune ; Quia magis diligit Eccleſiam, in qua eſt nutritus. Et propter hoc etiam mandatur Deuteron.* XVII. *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non ſit frater tuus.* Ita *S. Thomas* ibidem in Reſponſione ad quartam Objectionem.

REGULA XXIII.

Quamvis graviter peccent Patroni, qui minus dignum præſentant poſtpoſitis dignioribus; non peccat Epiſcopus illum inſtituens.

LIberum enim non eſt Epiſcopo alium in Beneficio inſtituere, niſi quem Patronus præſentaverit , modo non ſit incapax. Hinc *Innocentius III.* Ext. *De Electione*, cap. *Cum dilectus*, de ipſa Epiſcopi electione loquens, illam improbandam non putat, licet alii ſupponerentur digniores , niſi alia impedimenta eſſent. Verum hæc Decretalis (ut explicat *S. Thomas*, Quodlibeto VIII. qu. IV. art. I.) *Non loquitur quantum ad forum conſcientiæ, ſed quantum ad forum contentioſum , in quo non reprobatur electio ex hoc , quod poteſt aliquis alius magis idoneus inveniri; dummodo ille, qui eligitur, idoneus ſit; alias omnis electio calumniam pateretur* . Sic Epiſcopus negare non poteſt inſtitutionem illi, quem Patronus præſentaverit , ſi revera dignus ſit, quam-

quamvis alii digniores occurrant. Tenetur tamen Patronus eligere digniorem. At si duo, pluresve Patroni diversas personas nominent, & sint æqualia horum suffragia, tenetur Episcopus instituere digniorem: Alioqui gravis peccati reus erit.

REGULA XXIV.

Plures Episcopatus, aut plures Parochiales Ecclesias, aut duas Dignitates, Personatus, vel Præbendas uniformes sub eodem tecto possidere nemini licet.

HÆc enim Beneficia incompatibilia esse Theologi omnes, & Juris Canonici Periti, summo consensu fatentur; adeo ut, qui plura hujusmodi Beneficia possident, nisi infra sex menses unico contenti, cetera dimittant, omnibus ipso Jure excidant, & ad fructuum omnium post dictum tempus perceptorum restitutionem teneantur. Ita declarat Concilium Tridentinum Sessione VII. *De Reformatione*, cap. II. IV. & V. Sessione XXIV. *De Reformatione*, cap. XVII. *Illi vero* (inquit) *qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum Parochiali, vel sola Cathedrali relicta, alias Parochiales infra spatium sex mensium dimittere: Alioqui tam Parochiales, quam Beneficia omnia, quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur; ac tanquam vacantia libere aliis idoneis conferantur, nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscientia, fructus post dictum tempus retineant.* Quæ beneficia incompatibilia.

Eamdem Regulam antea statuerant Oecumenica duo Concilia Lateranensia, Tertium scilicet sub Alexandro III. Can. XIII. *Quia* (inquit) *nonnulli modum avaritiæ non ponentes, Dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales contra Sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere, ita ut cum unum Officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum, ne id de cetero fiat, districtius inhibemus. Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsam valeat exercere: Quod si aliter fuerit factum, & qui receperit, quod contra Sanctos Canones accepit, amittat: & qui dederit largiendi potestate privetur.* Refertur cap. *Quia nonnulli*, Ext. *De Clericis non Residentibus*.

Et Quartum sub *Innocentio III.* Canone XIX. „ Præsenti Decreto statuimus, ut quicumque receperit aliquod Beneficium habens Curam Animarum annexam, si prius tale obtinebat, eo sit Jure ipso privatus; & si forte illud retinere contenderit, alio etiam spolietur. Is quoque, ad quem prioris spectat collatio, illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum: & si ultra sex menses conferre distulerit, non solum ad aliud, secundum Statutum Lateranensis Concilii ejus Collatio devolvatur, verum etiam tantum de suis cogantur proventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud Beneficium assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit ex eo esse perceptum. Hoc idem in Personatibus decernimus observandum, addentes, ut in eadem Ecclesia nullus plures Dignitates, aut Personatus habere præsumat, etiamsi Curam non habeant Animarum. Refertur cap. *De multa providentia*, Ext. *De Præbendis*. Quam *Innocentii III.* Constitutionem confirmat disertis verbis Concil. Tridentinum Session. VII. *De Reformatione*, cap. IV.

REGULA XXV.

Parochialem Ecclesiam cum Annexa unus, idemque Sacerdos regere potest, constituto in ista Vicario. Canonicatum item in Ecclesia Cathedrali, cum Parochia annexa possidere quis potest, modo perpetuus in ea Vicarius constituatur cum Portione congrua.

HÆc Regula, quoad primam partem nititur cap. *Eam de te decet*, Ext. *De Ætate, & Qualitatibus Ordinandorum*, quod est *Alexandri III.* Responsum: *Habentes plures Ecclesias, quæ ex una non pendeant, tibi liceat, Appellatione postposita, cogere ad unam ipsarum, quam maluerint, dimittendam, nisi ita fuerint tenues in substantia, quod proprios Sacerdotes non possint convenienter alere.* Quoad alteram vero partem nititur cap. *Extirpandæ*, Ext. *De Præbendis*, §. *Qui vero*, & Concilii Tridentini Decreto Sessione VII. cap. VII. An tamen Vicarii Perpetui sint in hujusmodi Parochiis instituendi, judicium penes Episcopum Sacra Synodus esse voluit, his verbis: *Nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur.*

REGULA XXVI.

Plura Beneficia etiam diversi generis, Residentiam postulantia, in diversis Ecclesiis possidere, prorsus illicitum est.

Plura Beneficia residentiam postulantia in diversis Ecclesiis possidere non licet.

SAcris enim Canonibus constitutum est, Neminem licere *in duabus simul Ecclesiis conscribi*, scilicet Concilii Chalcedonensis Can. x. Nicæni II. quod est Oecumenicum VII. Canone xv. Placentini sub *Urbano II.* Canone xv. sive Canone, *Sanctorum*, Dist. LXX. & III. Lateranensis Concilii Oecumenici sub *Alexandro III.* Can. XIV. qui refertur cap. *Quia in tantum*, Extra *de Præbendis*, cujus hæc sunt verba: *Quia in tantum quorumdam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam Provisionem impendere; per Fratres, & Coepiscopos nostros hoc emendari præcipimus; & de multitudine Præbendarum Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam, & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, eorum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevari.*

Et cap. *Ad hæc licet*, sub eodem Titulo: *Illud est omni rationi contrarium, ut unus Clericus in una, vel diversis Ecclesiis plures Dignitates, vel Personatus obtineat; Cum singula Officia in Ecclesiis assiduitatem exigant Personarum.*

Innocentius III. cap. *Cum jamdudum*, sub eodem Titulo; quemdam Clericum pluribus Dignitatibus, & Præbendis gravem, a nova Præpositura excludit: *Cum multa per patientiam tolerentur, quæ si deducta fuerint in Judicium, exigente justitia non debeant tolerari.*

Eamdem Regulam confirmat *Joannes XXII.* Extravaganti *Execrabilis*, Tit. *De Præbendis*, non solum plura Beneficia Curam Animarum habentia retineri prohibens, sed & plures Dignitates, Personatus, Officia, seu Prioratus, dispensationes omnes revocans, quam improbitas importuna petentium ab eo, & Prædecessoribus Romanis Pontificibus extorserat magis, quam obtinuerat. Iis quibuscum ab Apostolica Sede dispensatum fuerat, solummodo indulget, ut cum Beneficio Curam Animarum habente, simplex alterum, seu Curam non habens retinere ipsis licet. Illos vero, qui sine Dispensatione Canonica pluribus hujusmodi Beneficiis sunt adaucti, illa dimittere jubet, eo dumtaxat servato, quod ultimo receperunt: Alioqui ipso Jure omnibus, & illo etiam postremo privatos, atque ad alia cujuscumque sint generis obtinenda penitus

tus inhabiles declarat. Mala deplorat, quæ ex hac spiritali polygamia oriuntur. *Quod videlicet interdum unus, qui unicum quamvis modicum vix Officium implere sufficeret, plurimorum sibi vindicet stipendia, quæ multis literatis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere æqua distributione collata; Habentibus ipsa paratur vagandi materia; divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non servatur: Et dum non sunt suis in unaquaque regione Rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis, & honori, quæ carentes defensorum auxilio, in Juribus suis, & libertatibus multipliciter collabuntur; & ruinis patent ædificia nobilia; quæ magnificentia extruxerat Decessorum: &, (quod amarius est dolendum) Animarum cura negligitur, & vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur.*

Hujusmodi Beneficiorum pluralitatem velut horrendum cupiditatis monstrum insectantur *Petrus Cantor* Parisiensis Ecclesiæ in *Verbo Abbreviato*, cap. XXXI. XXXII. XXXIII. & XXXIV. *Gaillelmus Parisiensis*, Tractatu *De Vitiis, & Peccatis*, cap. IX. & Tractatu *De Collatione Beneficiorum*, cap. VI. *Thomas Cantipratanus* Libro I. *Apum*, cap. XIX. ubi refert, anno millesimo ducentesimo trigesimo octavo, quo Parisiis versabatur *Guillelmum* Parisiensem Episcopum Magistris omnibus Sacræ Facultatis in Capitulo FF. Prædicatorum, ad *S. Jacobi* congregatis, proposita Quæstione de Pluralitate Beneficiorum, ipsis suffragantibus declarasse: *Duo Beneficia, dummodo unum valeret quindecim libras Parisienses, teneri cum salute animæ non posse*. Multo solemniorem ante triennium habitam Disputationem addit, in qua etiam omnes Magistri Theologiæ, exceptis duobus, idem pronunciaverunt, ac declaraverunt. Horum alter *Philippus* erat Parisiensis Ecclesiæ Cancellarius, qui post obitum *Guillelmo* Parisiensi Episcopo apparuit, Deo ita volente, seque æterna morte damnatum significavit triplicem ob causam: Primo quod crescentes fructus annuos reservasset, neque subvenisset pauperibus: Secundo, quod contra Sententiam plurimorum, de pluralitate Beneficiorum, quasi licite tenendorum sententiam propugnans, mortalis peccati periculo se commisisset: Tertio, quod vitio carnis multo tempore se inquinasset. His adde *Dionysium Cartusianum* in Tractatu *De Beneficiorum Pluralitate*, *Guillelmum Peraldum* Ordinis Prædicatorum, in Summa *De virtutibus, & vitiis*, (quod Opus magni fecit *S. Carolus Borromæus*) Tractatu *De avaritia*, cap. XI. & alios bene multos, quos vel nominare longum foret.

Sacræ Facultatis Paris. sententia contra Beneficiorum hujusmodi pluralitatem.

R E G U L A XXVII.

Plura Beneficia, cujuscumque naturæ sint, etiam simplicia, simul possidere non licet. Qui absque canonica, & justa Dispensatione plura obtinuerit, lethalis peccati reus est, si unum ad vitam ejus honeste sustentandam sufficiat.

HAnc Regulam colligimus ex cap. *Cum teneamur*, Ext. *De Præbendis*, quod *Alexandri III.* Responsum est: *Si Mandatum nostrum* (inquit) *pro alicujus Provisione receperis, qui aliud Beneficium habeat, de quo valeat commode sustentari: Nisi forte in litteris de hoc mentio habeatur. Aut si non potest ei sine scandalo provideri, æquanimiter sustinemus, si pro eo Mandatum nostrum non duxeris exequendum.*

Pluralita Beneficiorum damnanda in eo, qui unum possidet, de quo potest commode sustentari.

Nititur eadem Regulam cap. *Ad aures*, Ext. *De Rescriptis*, quod est *Lucii III.* Responsum: *Cum non sit* (inquit) *intentionis nostræ, ut Personæ pluribus redditibus abundantes per litteras nostras pauperes Clericos super minoribus Beneficiis inquietent; litteras, in quibus Actor suæ nomen Dignitatis supprimit, vires nolumus obtinere.*

Hanc Regulam confirmat Conc. Tridentinum, Sess. xxiv. cap. xvii. De Reformatione. *Cum (inquit) Ecclesiasticus Ordo pervertatur, quando unus plurium Officia occupat Clericorum; sancte sacris Canonibus cautum fuit, Neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos, non Deum decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul Beneficia obtinere non erubescunt; Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis Disciplinam restituere cupiens, quod in quibuscumque Personis quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari; statuit ut imposterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem Residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Ecclesias; sed etiam ad alia omnia Beneficia, tam sæcularia, quam Regularia quæcumque, etiam Commendata, pertineant, cujuscumque tituli, ac qualitatis existant.*

Inter Articulos Reformationis, quos *Carolus IX.* Rex Christianissimus per Oratores suos a Sacra Synodo Tridentina postulaverat, hi leguntur: *Unum tantum Beneficium uni conferatur, sublata, quod attinet ad pluralitatem, compatibilium, & incompatibilium differentia. Quæ distinctio, ut est nova & antiquis Decretis incognita, ita Ecclesiæ Catholicæ magnam calamitatem attulit. Dentur autem Regularia Regularibus, Sæcularia Sęcularibus. Qui vero duo, vel plura possident, aut illud tantum retineant, quod intra breve tempus elegerint, aut in pœnas antiquorum Canonum incidant.*

Idem statuerunt Concilia Provincialia Tridentinum secuta. Mediolanense iv. P. ii. Tit. De Beneficiorum Collatione: *Beneficiorum etiam simplex obtinenti* (inquit) *quod ad vitę sustentationem satis est, si alterum simplex, aut Ecclesia etiam Parochialis, aliudve Beneficium cujusvis generis conferatur; ubi is alterius Beneficii cujuscumque generis illud sit, possessionem pacificam adeptus est: aut si per eum steterit, quominus duobus mensibus, quos a die, quo alterum collatum est, præstituimus, illa adipiscatur; primum ipso jure vacare censeatur: Cui vacanti provideatur; cum ex Tridentini Concil. Sententia unum, & alterum item ab illo simul retineri nullo modo liceat.*

Beneficii quacumque Auctoritate deinceps collati, unde satis ad victum sumitur, possessionem pacificam quis adeptus, si nulla sibi facultate, dispensationeve legitima concessa, Beneficii prioris, quod obtinebat, censum exegerit; ea pœna illi sit, ut quod egerit, illius duplum ad Ecclesiæ usum restituat: Tum alia ratione etiam mulctetur, plectaturve Episcopi arbitratu.

Mediolanense v. Par. iii. Tit. Quæ ad Beneficiorum Collationem pertinent: *Quod Synodi Tridentinæ auctoritate quarto Concilio nostro Provinciali permissum est, simplex Beneficium habenti alterum etiam ejusdem generis, quod personalis Residentiæ munus non requirat, ob honestam illius vitæ sustentationem conferri, id ita locum habeat, ut ne tamen eo prætextu, causave vitæ honeste sustentandæ, plura, quam duo Beneficia Simplicia uni eidemque conferri liceat sine concessu permissuve Sedis Apostolicę.*

Concilium Avenionense 1594. Tit. xxxvi. *Nemo audeat plura Beneficia incompatibilia tenere. Quod si dispensationem se obtinuisse aliquis dicat, eam ostendere intra duorum mensium spatium post hujus Concilii publicationem compellatur. Juxta Decreti Concilii Tridentini tenorem, unum tantum beneficium Ecclesiasticum conferatur singulis. Quod quidem si ad vitam ejus honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre.*

Con-

Concilium Mechliniense, anno MDCVII. tit. XIX. cap. V. *Pluraliter* (inquit) *beneficiorum & certum continet animarum periculum, & totius Ordinis Ecclesiastici perversio est: Ideoque mandat hæc Synodus exacte servari, quidquid de ea* cap. De mulcta, x. De Præbendis, *ac in aliis sacris Canonibus, & præsertim in Sacro Concilio Tridentino, statutum, & decretum est.*

REGULA XXVIII.

Plurium Beneficiorum possessio plures in se deformitates continet.

ITa docet *S. Thomas*, Quodlibeto x. quæst. VII. art. II. *Quædam* (inquit) *sunt actiones, quæ de se indifferentes sunt ad bonum, vel malum; Inter quarum numerum quidam computant habere plures Præbendas, dicentes*; Ita licitum est habere plures Præbendas, sicut habere plura poma. *Sed hoc non videtur esse verum, cum hoc quod est habere plures Præbendas, plurimas in se inordinationes contineat; utpote quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est Præbendatus, cum Præbendæ videantur esse ordinatæ quasi quædam stipendia Deo ibidem Ministrantium. Sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest: Et multa alia hujusmodi, quæ de facili patent: Unde non potest contineri inter indifferentes actiones: & multo minus inter eas, quæ sunt secundum se bonæ; ut dare eleemosynam, & hujusmodi.* Hinc. *S. Thomas* hanc velut *S. Bernardi* Sententiam citat: *Qui non unus sed plures est in beneficiis, non unus sed plures erit in suppliciis.*

Multiplex deformitas in pluralitate Beneficiorum.

Intentionem fundatorum fraudari, cum uni plura Beneficia conferuntur, pariter asserit *Guillelmus Parisiensis* Tractatu *De Collatione Beneficiorum*, cap. VI. *Quoniam sicut certum numerum voluerunt habere servitiorum, sic & servitorum.* Si quis vero dixerit Ministrum unum sufficere ad plura Ministeria obeunda: Id manifeste falsum esse respondet Episcopus Doctissimus: Quia *Ad majorem gloriam sunt ei multi præcones laudum ipsius, quam unus: Alioquin ad quid institutæ essent tot, & tantæ Ecclesiæ Collegiatæ, totque Chori canentium laudes ipsius?* Si autem dixerit, quod hoc sufficit ipsis Ecclesiis: & hoc falsum esse quis dubitet? *Quæ enim Ecclesia est, nisi forte malignantium, quam Deus odivit, quæ nolit habere integritatem corporis sui, & universitatem membrorum suorum? Quæ* (inquam) *quæ portione sui contenta velit esse pro toto, nisi quæ magis est Synagoga Satanæ, quam Ecclesia?* Quod si quis dixerit quod sufficit Prælato: Vel intelligit, sufficere ei ad meritum, quod est impossibile manifesto. „ Sed revera sufficit ei ad gehennam. Defraudare enim Dominum præconibus gloriæ suæ, atque præconiis, & „ ipsam etiam membris suis, & membrorum Officiis; Animas vero tam „ mortuorum, quam vivorum patronis similiter, & patrociniis, sive suffragantibus, atque suffragiis, sufficiens meritum est, & causa damnationis æternæ. *Et. inf.* Si Dux Exercitus daret uni ex Bellatoribus decem „ bellatorum stipendia, nunquid non fraudem faceret Domino, & victoriam Adversarii contra ipsum procuraret? Ubi enim debet habere mille „ Bellatores, per hanc viam non haberet, nisi centum. Quantum minuat Dei „ Exercitum ista pestis, quamque graviter plectendi sunt a Deo hujusmodi Proditores, manifestum est satis.

Hinc can. *Singula*, dist. LXXXIX. hæc *S. Gregorii* Sententia refertur; *Singula Ecclesiastici Juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus.*

bemus. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; Ita in Ecclesiæ corpore, secundum veridicam Pauli Sententiam, uno, eodemque Spirituali conferendum est hoc officium, alii committendum est illud: Neque uni, quantumlibet exercitatæ personæ, uno tempore duarum rerum Officia committenda sunt: Quia si totum corpus est oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat: Ita varietas personarum per diversa nihilominus Officia distributa, & fortitudinem, & venustatem Sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium, simulque turpissimum, si singula rerum Ministeria personis totidem non fuerint distributa. Auream illam SS. Pontificis Sententiam refert *Joannes Diaconus* in ejus Vita, Lib. 11.

Multiplex igitur deformitas est in Beneficiorum pluralitate secundum se spectata. 1. Privatur Deus cultu suo: Magis enim & melius per plures Ministros, quam per paucos, colitur. 2. Privatur Ecclesia suo Jure: Dum enim plura beneficia unus usurpat, Ecclesia caret Ministris sibi debitis. 3. Fit injuria aliis dignis, imo dignioribus, qui nullum beneficium habent. 4. Id pugnat contra rationem naturalem, quæ docet unum membrum corporis unum in corpore officium habere debere. 5. Datur locus ambitioni, & cupiditati. 6. Pereunt studia litterarum, emulatione laudabili sublata.

REGULA XXIX.

Plurium Beneficiorum possessio ex Dispensatione Canonica, & justis de causis a Summo Pontifice concessa, scilicet ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, honesta, & licita esse potest.

Circa Beneficiorum pluralitatem justis de causis dispensare Summus Pontifex potest.

HÆc Regula colligitur ex *S. Thoma*, Quodlibeto supra citato. „ Sunt „ quædam actiones (inquit) quæ absolute deformitatem, vel inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur: Sicut occidere hominem, vel percutere, in se deformitatem quamdam importat: Sed si addatur, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures Præbendas: Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur; ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdem absens quam alius præsens; & si qua alia sunt hujusmodi: Et tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla dispensatione interveniente, si consideretur tantum Jus naturale; quia dispensatio ad Jus naturale non pertinet, sed solum ad positivum: Si vero aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum ubi est Præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur; quia cum tali intentione & unum beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundum Jus naturale, etiam nullo Jure positivo superveniente Nunc autem certum est, per antiqua Jura hoc esse prohibitum ∵ Si ergo antiqua Jura, quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetudine non obstante, certum est non posse aliquem plures Præbendas „ habe-

Justæ causæ sunt Ecclesiæ necessitas vel utilitas.

Nemo potest plura Beneficia possidere tuta conscientia, ut sit ditior, & lautius vivat.

„ habere absque dispensatione; etiam illis circumstantiis supervenientibus, „ quæ secundum considerationem Juris naturalis actum poterant honestare.

Hanc Regulam acceperat *S. Thomas* ex c. *De Multa*, quod est Conc. Lateranensis XIII. sub Alexandro III. „ In eadem Ecclesia (inquit) nullus „ plures Dignitates, aut Personatus habere præsumat, etiamsi Curam non „ habeant Animarum. Circa sublimes tamen, & litteratas Personas, quæ „ majoribus sunt Beneficiis honorandæ, *cum ratio postulaverit*, per Sedem „ Apostolicam poterit dispensari.

Sola porro nobilitas, vel eruditio rationes non sunt legitimæ dispensationis, sed Ecclesiæ necessitas, cum scilicet Ministri desunt, per quos plura Officia impleantur; Vel utilitas personæ erga Ecclesiam. Cum scilicet viri nobilitate sublimes, aut doctrina eximii, plus Ecclesiæ prosunt, quam plures alii, quibus beneficia conferrentur, magisque laborant in verbo, & doctrina: & cum unum beneficium sublimibus istis, litteratisque viris non sufficit, ut ex eorum opera, studiisque ac laboribus utilitatem maximam reportet Ecclesia. Alias nulla ratio postulat, ut cum sublimibus, litteratisque viris circa pluralitatem Beneficiorum dispensetur, ut docet *S. Bern.* Epist. CCLXXI. ad Principem *Theobaldum* Campaniæ Comitem a quo rogatus fuerat, ut apud *Eug. III.* Pontif. Maximum pro filio suo *Vvillelmo* intercederet, & certum quoddam Beneficium in ejus gratiam, qui tamen jam unum habebat, impetraret. *Scitis* (inquit) „ quia diligo vos: Sed quantum, novit „ Deus melius quam vos. Me quoque diligi a vobis non dubito, sed pro„ pter Deum. Quem si offendero, non erit quod me diligere debeatis, cum „ jam non fuerit in causa Deus. Qui enim ego sum, ut de me tantillo tan„ tus Princeps curetis, nisi quandiu Deum in me esse creditis? Ergo ut of„ fendam eum, fortassis nec vobis expedit. Offendo autem procul dubio, si „ facio, quod requiritis. Nam Honores, & Dignitates Ecclesiasticas non „ ignoro deberi his, qui eas digne secundum Deum administrare, & velint, „ & possint. Porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis, vel vestris, „ nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam, vel „ adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet: Nisi dispensatorie quidem ob „ magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personæ utilitatem. Quamobrem si „ vobis videtur hic durus sermo, & placet quod cogitastis implere: Parcite mihi „ in hoc; nam vos satis (ni fallor) per vos & per alios amicos vestros istud „ obtinere potestis. Ita nec vos minus quod vultis efficitis: Nec ego peccavi. „ Sane Vvillelmulo nostro cupio bene per omnia, sed ante omnia Deum. „ Hinc est, quod contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. „ Quod si alius secus voluerit: Nolo per me habeat: Ne perdam & ego Deum.

Sola nobilitas, vel eruditio, rationes non sunt legitimæ dispensationis.

REGULA XXX.

Dispensatio Pontificia possidentem plura Beneficia cujuscumque sint generis, quorum alterum ad vitam honeste sustentandam sufficiat, a peccato mortali non præstat immunem, nisi justa sit causa dispensationis.

HÆc Regula firmatur 1. auctoritate *Guilielmi Parisiensis* Episcopi, Lib. *De Collatione Beneficiorum*, cap. VI. Si quis (inquit) „ objecerit nobis ex Ec„ clesiis, in quibus non compellitur fieri Residentia: Dicimus, Quia non est „ libertas ex constitutione, vel fundatione, sed magis ex longa consuetudine, „ & Clericorum malitia usurpata. Quod si objecerit nobis de Dispensationibus „ Apostolicis: Respondemus, Quod illæ supra nos sunt, & quod diligentius con„ sideratæ, irritæ sunt: & de omni Dispensatione facta idem sentimus, nec in„ terpretari præsumimus. E contrario tamen indubitanter sciendum est, quod „ Ro-

Pontificia dispensatio plura Beneficia possidentem non excusat, nisi justa sit causa dispensationis.

„ Romanus Pontifex quantumcumque largam Dispensationis gratiam videatur „ facere in Beneficiis cum aliquibus personis; tamen non dispensat cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum: Non enim intendit pascere, vel nutrire pestes vitiorum de bonis temporalibus Ecclesiasticis, quæ plene novit ad sustentationem Servorum Dei in ejus servitio certificata esse Domino, & oblata.

Secundo, ex *S. Thoma*, Quodlibeto IX. qu. VII. art. II. „ Si antiqua Jura (inquit) sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circumstantiis supervenientibus, etiam sine dispensatione licitum est plures Præbendas habere: „ Sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcumque dispensatio interveniat; eo quod dispensatio humana non aufert ligamen Juris naturalis, sed „ solum ligamen Juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.

Tertio, ex Cardinali *Cajetano*, in Summa, verbo *Beneficium*, num. IX. *Nec excusatur (inquit) peccatum mortale propter dispensationem Papæ sine rationabili causa: Quoniam dispensatio Papæ cadit super Jus Positivum, & non super Jus Divinum, aut Morale: Pluralitas autem Beneficiorum sine rationabili causa est contra Jus Divinum, & Morale, quo communia Ecclesiæ bona distribui juste debent partibus Ecclesiæ.*

Beneficiatis in hoc casu constitutis neganda Sacramentalis absolutio.

Et infra, in Beneficiorum pluralitate tria spectanda esse ait: „ Primo damnum „ Ecclesiarum quoad divinum cultum, numerum Ministrorum, & temporalia: Secundo, damnum Clericorum benemeritorum in illis partibus, ubi sunt „ hæc Beneficia, qui deberent ex his Beneficiis & honorari, & pasci. Tertio, „ scandalum bonorum virorum, qui vident hujusmodi exorbitantes distributiones conservari ab his, qui in formam gregis Christiani dati sunt: Inde enim „ alii similia audent; & sic in præceps ruit Ecclesia Christi. Et propterea qui „ hæc parvipendit, quia sic communiter a tot fit, & quia forte Papa dissipando dispensavit, non esset absolvendus; ut absque alia probatione clare patet. Qui vero hæc æstimat, provideat opere, & veritate, ut hæc mala „ non sint: Alioquin tepidus est, & evomendus.

Quarto, ex Cardinali *Toleto*, Lib. V. *De Institutione Sacerdotum*, cap. LXXXII. „ Non obstante (inquit) illo Jure Concilii, qui cum Pontificis dispensatione plura quæcumque, & quomodocumque Beneficia habet, tutus est in conscientia. Sed adverte, ut in foro exteriori possit illa habere, satis est dispensatio, tamen ut in conscientia, & coram Deo tutus sit, necessaria est causa „ dispensationis. Hæc autem causa debet esse in utilitatem Ecclesiæ, vel ob ipsius „ Ecclesiæ necessitatem. Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est „ bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo. Rursus quamvis ista causa „ sit, non potest sine dispensatione habere plura Beneficia pinguia, quia est contra „ Concilium: Sed utrumque est necessarium, dispensatio cum causa convenienti.

Quinto, ex Cardinali *Bellarmino* in Admonitione ad Episcopum Theanensem, Nepotem suum: „ Sed quia multi (inquit) multa beneficia ex dispensatione Pontificia possident: Sciendum est, Pontificam dispensationem, „ quando non adest justa causa dispensandi, valere in foro fori, sed non in „ foro poli, ut aperte docet S. Thomas: Idest, in foro exteriori, non in foro conscientiæ, & coram Deo.

Sexto, ex *Panormitano*, in cap. *Dudum* 2. *De Electione*, cujus hæc verba refert ibidem Bellarminus: *Dispensatus etiam per Papam circa pluralitatem istorum beneficiorum, sine causa, etiamsi sit tutus quoad Ecclesiam Militantem, non tamen quoad Triumphantem, & sic non videtur dispensatio quoad Deum.*

Quæ dispensationes legitimæ.

Aliorum Theologorum, ac Juris Canonici Peritorum suffragia hac in re concordantia adscribere minime necesse est: Satis sit observare, illorum Assertionem *S. Bernardi* Sententiæ plane consentaneam esse, Lib. III. *De Considera-*

deratione ad *Eugenium* Pontificem Maximum cap. IV. scribentis: „ Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio: Ubi utilitas provocat, dispensatio „ laudabilis est: Utilitas, dico, communis, non propria: Nam cum nihil „ horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. *Et E-* „ *pist.* VII. *ad* Adam *Monachum*: Apostolicam (inquiunt) licentiam quæsi- „ vimus, & impetravimus. Utinam non licentiam quæsissetis, sed consi- „ lium; idest, non ut liceret, sed an liceret. Unde tamen quærebatis licen- „ tiam? Ut liceret, quod non licebat? Facere itaque volebatis, quod non „ licebat; Sed quod non licebat; malum erat. Mala igitur erat intentio, quæ „ in malum tendebat. *Et inf.* Hujus patrandi mali quærendam putastis esse li- „ centiam. Sed ad quid? An ut quanto licentius, tanto securius; & quo secu- „ rius, eo & periculosius peccaretis? Mira cautela, & stupenda providen- „ tia! Malum quod jam corde conceperant, opere tamen cauti fue- „ runt non implere, nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pe- „ pererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuisset assensum. Quo „ lucro? Quove saltem compendio mali? Numquid ideo aut malum esse desiit, „ aut vel minoratum est, quia Papa concessit? Quis vero malum esse neget, as- „ sensum præbere malo? Quod tamen Summum fecisse Pontificem, nequaquam „ crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.

REGULA XXXI.

Intentio expendendi redditus Beneficiorum in bonos & pios usus, pluralitatem Beneficiorum non excusat.

CUm enim non sint facienda mala, ut eveniant bona, pluriumque Beneficiorum possessio secundum se sumpta, & his destituta circumstantiis, quas explicuimus, mala sit, non excusantur a peccato, qui plura beneficia possident, quorum unum ad honestam ipsorum sustentationem sufficiat habita ratione personæ, loci, & temporis, nisi ob Ecclesię necessitatem, vel utilitatem personarum in Ecclesiam, cum ipsis fuerit dispensatum; quamvis intentionem habeant expendendi redditus hujusmodi beneficiorum in pios usus. Ita docet *Guillelmus Parisiensis*, Lib *De Collatione beneficiorum*, cap. VI. *Quam ridiculosum sit; quod quidam dicunt, quod potest habere quælibet, & quantumcumque pinguia temporaliter beneficia quivis, dum ea bene expendat, ex his apparet. Licet enim Medicus salarium in quantumcumque pios usus expendat, quod ab ægro pro eo medicando recepit, non omnino propter hoc satisfacit ægro, qui nunc minus ęgrotat. Idem dicimus & de Bellatore, quantumcumque large, & magnifice expendat stipendium, non propter hoc minus exhæredatur Rex, cujus bellum debuit agi. Similiter & de Vinitore, & de Advocato eis objici potest: Non enim solam dispensationem temporalium suscipiunt proventuum Clerici institutione, vel evocatione sua, sed officium medicandi sauciatum, de quo loquitur Lucæ X & officium agendi bellum Dei; similiter, & officium allegandi causam Animarum, & officium operandi in vinea Domini.*

Intentio expendendi redditus Beneficiorum in pios usus non sufficit ad pluralitatem excusandam.

Idem docet *Dionysius Carthusianus* in Tractatu *Contra Pluralitatem Beneficiorum*, Art. XII. *At vero (inquit) hospitalitatem servare, & eleemosynas erogare, non est sufficiens causa habendi hujusmodi Beneficia plura, cum ex hoc aliunde proveniant multa inconvenientia graviora. Deus quoque non exigit ab aliquo hospitalitatem, & eleemosynarum largitionem ultra vires ipsius, seu ultra id, quod sibi de uno competenti Beneficio superest.*

REGULA XXXII.

Beneficiorum pluralitatem non excusat quorumdam huic pluralitati favens opinio, vel exempla.

NOn enim hominum opiniones Legi Dei, aut Sacris Canonibus, & Ecclesiæ Decretis contrariæ; vel eorum exempla nos excusant, cum id committimus quod Legi Dei, vel Ecclesiæ vetitum est.

Præterea, (ut recte disserit *Guillelmus Parisiensis* loco supra citato) Si „ dubium est, utrum liceat, vel non liceat, ipsa dubietas certitudo est, „ & determinatio, quia procul dubio non licet. Nulli enim dubium est, „ quod non licet alicui committere se discrimini: Discrimini autem se com- „ mitti qui aliquod facere præsumit, de quo dubitat, an peccatum morta- „ le sit. Quare sicut dicimus, quod ipsa dubietas efficit hoc discriminosum, „ & propter hoc vitandum ex necessitate; quare & illicitum.

„ Amplius, nullus dicit hoc, videlicet quod liceat, nisi vel qui plurima „ habet hujusmodi Beneficia, vel qui ea habere intendit: Quare in causa „ sua, & pro se ipso dicit hujusmodi testimonium: Non ergo verum, sive „ conveniens est testimonium ejus; & ideo non est credendum ei. Qui au- „ tem e contrario dicunt, quodammodo se obligant, ut plurima in futuro non „ habeant, & uno contenti sint tali Beneficio, sicut legitur Prov. XIII. Qui detrahit alicui, in futurum se obligat; *Subaudi, ne illud faciat* ...

„ Amplius quærimus ab hujusmodi avaris, & ambitiosis, ut videtur, utrum „ ex charitate detineant multa hujusmodi Beneficia, an cupiditate, vel am- „ bitione? Quod si ex charitate *respondeant*; non est qui eis credat: Non „ enim ex charitate Dei, & proximi tanta damna suffragiorum, nec ipsi Ec- „ clesiæ, quæ incomparabiliter magis diligenda est, quam quivis proximus, „ tantam sui corporis vastationem facerent. Quod si ex cupiditate, vel am- „ bitione, ex ore suo judicentur: Manifeste enim confitentur quia male.

REGULA XXXIII.

Episcopi, & Parochialium Ecclesiarum Rectores Divino, Naturali, & Ecclesiastico Jure ad Mansionem, sive Residentiam personalem in suis Ecclesiis tenentur.

In Beneficiis Curam Animarum habentibus residendi obligatio, ex jure divino positivo.

EPiscopalis enim dignitas non est instituta nisi propter Officium, & nunquam in sacris Litteris nisi Officii nomine designatur. Ait Christus Petro Joan. XX. *Pasce oves meas*: Non ait, Sis Præsul, aut Episcopus, imo nec, Sis Pastor; nam & Pastores socordes, & somnolenti esse possunt, sed Pasce, idest, doce, institue, guberna exemplo meo oves meas. Hinc Apostolus ait: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: Idest, si legitimum est desiderium, non ad dignitatem, sed ad opus referendum est. Quare statim subiunxit, Episcopum *Doctorem* esse oportere, idest, necesse esse ut doceat. Unde Episcopo in ejus Consecratione dicitur: *Vade, prædica Populo Dei*. Episcopis igitur, & inferioris Ordinis Pastoribus per se incumbit gregem pascere. Id porro sine personali præsentia fieri non potest: Ex quo sequitur, Episcopos, & Parochialium Ecclesiarum Rectores jure divino ad Residentiam obligari. Nam quo quisque jure obligatur ad finem, obligatur etiam ad media quæ ad illius assecutionem sunt necessaria. Id confirmat Christus (*Joannis X.*) boni Pastoris indolem explicans: *Ego sum* (inquit) *Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lu-*

1. Tim. 3.

pum

sum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves: Mercenarius autem fugit, quia Mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Certe nisi Residentia jure divino Episcopis, ceterisque Pastoribus præscripta esset, non tenerentur vitam potius exponere quam a grege recedant, cum gregi periculum imminet, in quo Pastoris præsentia illi opus est. Pergit Christus in explicanda boni Pastoris indole *Ego sum Pastor bonus: Et cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Quomodo vero Pastor cognoscet oves, ut earum ingenium, mores, morbosque animi non ex aliorum relatione, sed propria observatione sciat; quomodo item oves Pastorem, ut eum diligere, vocantem, ac præcipientem audire, ducentem sequi, ac imitari valeant, absque assidua mansione, & personali Residentia? *Qui intrat per ostium, Pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: Et oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* Sacramentorum Administratio, verbi divini prædicatio, sacra Visitatio, pauperum, viduarum, orphanorum, peregrinorum cura, morum reformatio, atque correctio Pastoralis partes sunt Officii Pastoris prædicantis, docentis, admonentis, in omni patientia & doctrina increpantis; vocem audiunt Oves Christi ejus curæ commissæ. Vocat eas nominatim, & educit eas in optima, & saluberrima Christianæ Doctrinę, & Sacramentorum pascua: Singularum morbis medetur, & necessitatibus subvenit: Hunc consilio, illum solatio, istum correptione, illum eleemosynæ subsidio sublevat: Illos e vitiorum cęno educit, ex lupi tartarei faucibus eripit: Illorum lites sine judiciorum strepitu componit, dissidentes conciliat. Hæc vero Officia nonne mansionem assiduam, sive personalem Residentiam, postulant? Ex Scriptura ergo Sacra colligitur evidenter, Episcopos, aliosque Pastores ad Residentiam esse obstrictos; adeoque divini juris est obligatio residendi. Quod argumentum contra *Catharinum* triumphali calamo tractarunt, & exornarunt *Bartolomæus Caranza* Toletanus Archiepiscopus ex Ordine Prædicatorum assumptus, *Dominicus Soto* Lib. x. *De Justitia, & Jure*, qu. III. *Franciscus Torrensis*, seu *Turrianus*, Societatis Jesu Theologus Doctissimus, *Thomas Campeggius*, Cardinalis *Bellarminus* in Epistola ad Nepotem suum Theanensem Episcopum, & ante illos Cardinalis *Cajetanus* in Secundam Secundæ *S. Thomæ*, ad Quæst. CLXXXV. Art. V.

Ex jure naturali.

Quo vero naturali etiam Juri consentanea sit facile demonstratur ex Officio Pastorum. *Lux* enim *Mundi*, *Civitas supra montem posita*, *Sal terræ*, a Christo nuncupantur: Lux mundi, quia ignorantiæ tenebras a Populorum sibi commissorum mentibus dispellere tenentur: At lucem natura docet nisi præsentem lucere non posse. Civitas supra montem posita esse debet, ut ipsos aspiciens Populus, vitæque ipsorum sanctimoniam, & egregia virtutum exempla considerans, ad viam salutis redeat, si forte ab ea deflexerit: Oculis autem omnium patere non possunt Pastores, nisi præsentes sint. Sal terræ esse debent, ut pravos affectus divino quodam sacræ doctrinæ, sanctæque conversationis sapore condiant, quod præstare non possunt absentes. Medici sunt Animarum: Quod officium industriam personæ, ac præsentiam desiderat. Naucleri sunt, Duces, fideles servi, ac Dispensatores Mysteriorum Dei. Sunt ad arcendum hostes custodes, & vigiles a Christo constituti. Eorum officium est parare Domino plebem perfectam, & uni viro virginem castam exhibere Christo: Quæ Officia personæ industriam, ac præsentiam postulant.

Ex jure Ecclesiastico.

Quod denique Episcopi Ecclesiastico etiam jure ad mansionem assiduam, seu Residentiam in suis Diœcesibus; & Parochi in suis parochiis teneantur, con-

stat

ſtat ex cap. *Quia nonnulli*, Extra. *De Clericis non Reſidentibus*, quod eſt XIII. Lateranenſis Concilii ſub Alexandro III. *Cum* (inquit) *Eccleſia, vel Eccleſiaſticum Miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſeipſam valeat exercere. Quod ſi aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra Sacros Canones accepit, amittat, & qui dederit, largiendi poteſtate privetur.* Idem confirmatur ex cap. *Relatum*, quod eſt *Alexandri III.* Reſcriptum ad Eboracenſem Archiepiſcopum, ex cap. *Qualiter*, quod eſt *Innocentii III.* & aliis Pontificum Decretis, ſub eodem Titulo. Præterea Concilium Sardicenſe can. XIV. vetat, ne Epiſcopus ultra tres ſeptimanas, ſive tres Dominicos dies ſit abſens ab Eccleſia ſua. Diaconus, vel Presbyter, ſi per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua abſuerit, triennio a Communione ſuſpenditur, can. *Si quis*; cauſa VII. quæſt. I. qui eſt Agathenſis Concilii LXIV. Concilium Sardicenſe Canonibus VIII. IX. & X. Epiſcoporum aditum ad Principum Aulas prohibet, niſi litteris ipſorum invitati, aut vocati fuerint: Si vero cauſa aliqua emerſerit, in qua pauperibus, viduis, pupillis, oppreſſis, neceſſaria ſit eorum interceſſio, ſtatuit, ut Diaconum mittant cum precibus, ipſique in Eccleſiis ſuis maneant. Et can. *Clericus*, cauſa XXI. quæſt. I. Reſidentiæ gratia prohibetur *Ne in duabus Eccleſiis Clericus connumeretur*: Qui Septimæ Synodi can. XV. eſt: Idque divino teſtimonio confirmatur, quia ſcilicet, *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, can. *Placuit* cauſa VII. quæſt. I. prohibetur Epiſcopo, *Ne relicta principali Cathedra, ad aliquam Eccleſiam in Diœceſi conſtitutam ſe conferat*; (niſi cauſa Viſitationis, aut alia neceſſitas id poſtulet;) *vel in re propria diutius, quam oporteat conſtitutus, curam, vel frequentationem propriæ Eccleſiæ negligat.* Eſt Concilii Carthaginenſis V. can. V. & can. *Sciſcitaris*, eadem cauſa, & quæſtione, *Nicolaus I.* reſpondet non minus juri naturali repugnare, ut Epiſcopus Eccleſiam ſibi commiſſam perſecutionis tempore deſerat, quam ut Proreta navim tempeſtate jactatam. *Præcipue nos* (inquit) „ qui tamquam arietes „ ducatum gregibus præbemus, imo qui & horum Paſtores ſumus, Deo au- „ ctore cum eis in periculis pro viribus perſiſtere pro certo convenit: Et „ cum tranquillitas reddita divina fuerit pietate, ſopitaque furentium in- „ feſtatio, mox gregem requirere, & in unum colligere, & ejus animos „ cœleſtis patriæ pace, ac potiſſimum ſecuritate prædicata ſurſum erigere „ debemus. Et can. *Decrevimus*, cauſa X. quæſt. I. qui eſt Concilii Tarraconenſis VIII. ſtatuit *Ut antiquæ conſuetudinis ordo ſervetur, & annuis vicibus ab Epiſcopo Diœceſes viſitentur.* Legi poſſunt & Epiſtolæ *Athanaſii* Patriarchæ Conſtantinopolitani, *De Reſidentia Epiſcoporum*, quibus *Andronicum* Imperatorem adhortatur, ut Epiſcopos in Regia Urbe degentes Sacra Juſſione in Diœceſes ſuas remittat. Editæ ſunt Tom. XXV. Bibliothecæ Patrum, Editionis Lugdunenſis.

Matth. 6. 24.

Antiquos illos Canones adverſus Prælatos non reſidentes Tridentina Synodus innovat ſeſſione VI. cap. I. *De Reformatione*, Ipſos monet, „ Ut at- „ tendentes ſibi, & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit eos „ regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo, vigilent ſicut Apo- „ ſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant: „ Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos „ mercenariorum more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de „ eorum eſt manibus a ſupremo Judice requirendus, cuſtodiæ minime in- „ cumbant. Cum certiſſimum ſit, non admitti Paſtoris excuſationem, ſi „ lupus oves comedit, & Paſtor neſcit. Statuit inſuper, ut qui ſex men- „ ſibus continuis extra ſuam Diœceſim morando abſuerint, pœnam privationis quartæ partis fructuum ipſo Jure incurrant. Si per alios ſex men-

ſes

ses in hujusmodi absentia perseveraverint, aliam quartam partem fructuum amittant. Crescente vero contumacia, Metropolitanus Suffraganeos absentes, Metropolitanum absentem Suffraganeus Episcopus antiquior, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda, *Infra tres menses Romano Pontifici denunciare teneatur: Qui in ipsos absentes, prout cujusque major, aut minor contumacia exegerit, suæ Supremæ Sedis Auctoritate animadvertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.* Et sessione XXIII. cap. I. *De Reformatione*, assiduæ mansionis, sive Residentiæ obligationem divino præcepto Episcopis omnibus impositam luculentius explicat, ut mox videbimus.

REGULA XXXIV.

Episcopi, Parochi, & alii quicumque Beneficia Curam Animarum habentia obtinentes, peccati mortalis reatum incurrunt, cum sacram de Residentia legem violant; Fructus etiam suos non faciunt pro rata temporis absentiæ, nec tuta conscientia illos retinere possunt.

HÆc Regula nititur Decreto, & declaratione Concilii Tridentini sess. XVIII. cap. I. De Reformatione. *Cum* (inquit) „ præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre; verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum paternam Curam gerere, & in cetera Munia Pastoralia incumbere: Quæ omnia nequaquam ab eis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant. Ne vero ea, quæ de Residentia sancte, & utiliter jam antea sub felicis recordationis Paulo III. sancita fuerunt, in sensus a Sacrosanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac si rigore illius Decreti quinque mensibus continuis abesse liceat: illis inhærendo declarat Sancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine, & titulo præfectos, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, Diœcesive Residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse nisi ex causis, & modis infrascriptis, &c. Si quis autem, (quod utinam nunquam eveniat,) contra hujus Decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes, sub Paulo III. impositas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque compositione, vel conventione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur: ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur.

Conc. Trid. doctrina, & Decretum de Pastorum Residentia.

„ Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum, Curam Animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit: ita tamen ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum,

„ idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assigna-„ tione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque conce-„ dendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. „ Quod si per Edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, „ liberum esse vult Ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & sequestratio-„ nem, & subtractionem fructuum, aliaque Juris remedia, usque ad priva-„ tionem compellere. His adde *Pii V.* Constitutionem contra non Redentes, quæ incipit: *In suprema*.

Ista Concilii Tridentini de Residentia Episcoporum, & Parochorum Decreta promulgarunt, & observari jusserunt Synodi Provinciales, & Diœcesanæ pleræque omnes postea celebratæ Mediolanenses I. & V. p. II. tit. *De Residentia*, Rothomagensis MDLXXXI. Burdigalensis anno MDLXXXII. Rhemensis, & Turonensis MDLXXXIII. Aquensis MDLXXXV. Tolosana MDXC. Ebroicensis ann. MDLXXVI. quæ Curatos omnes obtestatur, *Ut cogitent de gravioribus illis pœnis, quæ juris divini, & naturalis transgressoribus imminent: Cogitent (inquam) se vivere in perpetuo mortali peccato, quandiu præceptum divinum de Pastorum Residentia violant: Cogitent utroque jure non sibi deberi Beneficium, nisi propter Officium. Ideoque fructus suos non facere, si suum non obierint Ministerium, quemadmodum a Concilio Tridentino fuit declaratum.* Tridentini Concilii Decretum consentaneæ sunt Regiæ Constitutiones Blesenses, anno MDLXXIX. promulgatæ.

REGULA XXXV.

Episcopos, Parochos, aliosque Beneficia Curam Animarum habentia, aut alia quæcumque Residentiam postulantia obtinentes, a lethalis peccati reatu, pœnisque a Jure statutis contra non Residentes, nulla Dispensatio excusat, nullave ratio, nisi causa absentiæ legitima sit, & canonica. Nulla porro absentiæ causa legitima est, & canonica, nisi Christiana Charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas.

Nulla dispensatio non residentes beneficiatos excusat, nisi ratio absentiæ legitima sit.

Hanc Regulam statuit sacra Synodus Tridentina sess. VI. cap. I. De Reformatione: *Episcopi inferiores* (inquit) „ quævis Beneficia Ecclesia-„ stica personalem Residentiam de Jure, vel consuetudine exigentia, in „ Titulum sive Commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmo-„ dum eis pro bono Ecclesiarum regimine, & divini cultus augmento, lo-„ corum & personarum qualitate pensata, expediens videtur, opportunis „ Juris remediis residere cogantur: Nullique Privilegia, seu Indulta per-„ petua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffra-„ gantur. Indulgentiis vero, & dispensationibus temporalibus, ex veris, & „ rationabilibus causis tantum concessis; & coram Ordinario legitime pro-„ bandis, in suo robore permansuris: Quibus casibus nihilominus officium „ sit Episcoporum, tamquam in hac parte a Sede Apostolica delegatorum, „ providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ por-„ tionis fructuum assignationem, Cura Animarum nullatenus negligatur: „ Nemini quoad hoc Privilegio, seu Exemptione quacumque suffragante.

Quæ rationes legitimæ absentiæ.

Et Sessione 23. cap. I. De Reformatione: *Cum* (inquit) „ Christiana Charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Rei-„ publicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant; de-„ cernit eadem Sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas a Bea-„ tissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, Suf-„ fraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absen-„ tiam probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi cum absentia in-

„ ciderit propter aliquod Munus, & Reipublicæ Officium Episcopatibus adjunctum, cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem significare Metropolitano necesse erit. Ad eumdem tamen cum Concilio Provinciali spectabit judicare de licentiis a se vel a Suffraganeis datis; & videre ne quis eo jure abutatur, ut pœnis canonicis errantes puniantur.

„ Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, Sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, ut id ex æqua causa fiat, & absque ullo gregis detrimento: Quod an ita sit, abscendentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam, & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium; Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, & Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia Munia in sua Diœcesi eos alio vocent.

Nullæ causæ absentiæ Episcoporum, aut Pastorum inferiorum ab Ecclesiis suis legitimæ sunt, & canonicæ, nisi ad supra scriptas revocentur. Unde Concilium Rothomagense anno MDLXXXI. ita statuit: „ Plerique ne resideant, prætexunt litigia, aut suscitant ipsimet Devoluta, ne videantur sua Beneficia pacifice possidere. Verum quisquis Beneficio, aut ejus fructibus gaudet, aut resideat, aut fructus non percipiat, quos sine Residentia facere non potest, & aliis Decretis pœnis subjaceat. Alii causantur Nobilium, aut Parœcianorum vexationem, & oppressionem. Sed si nihil ipsis de fructibus, aut saltem major portio non deperit, Residentiæ sunt obnoxii, aut ad fructuum restitutionem obligati. Obtestamur autem in Domino Nobilitatem, atque alios quoscumque, ut residentem Parochum, sicut oves Pastorum, ament, & sequantur, atque ut filii patrem honorent: Unde cum gaudio, & non gemens gregem pascat. Quisquis vero proprio Parocho injuriam fecerit, & ad Residentiam impedierit, sit ille maledictus sicut Cham, & ipso facto Anathema. Sit suspensus quoque a Divinis ipso facto qui sciens & volens illi Communionem, aut aliud Sacramentum, nisi in mortis articulo subministraverit. Obsecramus Judices sæculares sub divini Judicii interminatione, ut in favorem Residentiæ contra oppressores Curatorum severius insurgant. Idem statuunt Synodus Aquensis, & Tolosana.

Mansionem, & servitium in Curia Romana Canonicam absentiæ rationem non esse, declarat Synodus Ebroicensis ex Responsis Romanorum Pontificum. *Olim maxime* (inquit) „ in nostra Diœcesi Ebroicensi diu, multumque quæsitum, & litigatum, quosnam Episcopus pro dispensatis de residentia judicare posset, ita ut non semel fuerit necessarium a nostris Antecessoribus ea de re Apostolicam Sedem Romanam consuli, quæ per felicis recordationis Papa Urbanum, & Gregorium X. respondit, Solos ab illa Residentia eximendos esse, qui ipso facto universali Ecclesiæ in Curia Romana servirent.·.·. Nostra ætate post Concilium Tridentinum ne quidem Sanctissimis Romanis Pontificibus Pio IV. V. & Gregorio XIII. placuit illos excipi, sed Episcopos, etiam Cardinales, & Curatos, vel ad Residentiam de Curia, & Ecclesia Romana expulerunt, vel coegerunt

„ Benefi-

„ Beneficiis cedere, ac graviſſimas pœnas non reſidentibus conſtituerunt, „ non obſtante quocumque Privilegio, vel conſuetudine. Quæ omnia ad noſtram conſcientiam exonerandam ſingulis noſtræ Diœceſis Curatis in præſenti Synodo ſignificanda duximus, ne quærant excuſationes in peccatis, aut „ exiſtiment in noſtra, vel alterius poteſtate ſitum eſſe, illos a debito reſidentiæ non ſolum coram Deo, & in conſcientia, ſed vel in Eccleſiæ foro quocumque prætextu liberare.

Concilium Mediolanenſe v. p. 111. tit. *De Reſidentia*, ſolas cauſas a Tridentina Synodo deſignatas a Reſidentia excuſare declarat, ceteras ſeu non legitimas excludit, ac rejicit: *Perſonalis* (inquit) „ Reſidentiæ munus, ut revera per „ eos præſtetur, qui illius generis Beneficia Eccleſiaſtica obtinent, omnem rationem can. Jure, Tridentiniſque Sanctionibus præſcriptam Epiſcopus ineat.

„ A quo munere non excuſetur, neque qui Beneficium, Eccleſiamve habet, „ de cujus titulo adhuc lis, & controverſia pendet: Nec vero item qui nondum „ Sacerdotio, aut eo Ordine, quem Beneficium illud requirit, initiatus eſt: „ Nec præterea, qui juſta aliqua cauſa, impedimentove diſtinetur, quominus „ eo initietur.

„ Nec vero a Reſidentiæ munere liberi ſint, qui tertiam partem fructuum, qui ſibi ex Dignitatibus obveniebant, quas in Eccleſiis Cathedralibus obeunt, in diſtributiones contulerint. Imo vero ii cetera etiam, „ quæ Tridentino Decreto in Seſſione xxiv. promulgato, ipſis præſcripta „ ſunt, præſtare ab Epiſcopo cogantur.

„ Ne ille quidem excuſetur, cujus Eccleſia, aut Beneficium ejuſmodi eſt, „ unde omnis, aut certe magna pars fructuum, aliquo modo reſervata ad „ alium pervenit.

„ Ne Epiſcopus, propterea quod ſibi liberum, integrumque eſt, facultatem permittere, qua liceat aliquem ab Eccleſia commiſſa, Beneficiove „ perſonalis Reſidentiæ abeſſe, ea poteſtate, facultateve deinceps ob cujuſvis generis cauſam utatur: Sed in illa concedenda modum, & rationes „ adhibeat, Concilii Tridentini Sanctione præſcriptas.

„ Ne vel ad Seminarii quidem Curam, vel ad Vicarii Munus, vel ad „ Sanctæ etiam Inquiſitionis Officium, ne vero ad aliud quidquam opera „ Sacerdotis, Curam Animarum gerentis, Epiſcopus ita utatur, ut ab Eccleſia, Beneficiove, in ejus Curam tradito, diutius abſit, ac muneri debitæ reſidentiæ perſonalis deſit.

„ Ne Parochus, Animarumve Curator ob ſenectutem, aut ob adverſam „ valetudinem, cœlive gravitatem, ab eo reſidentiæ munere excuſetur. Si „ vero ejus invaletudo id generis eſt, quæ curari poſſit, atque eo loci, „ ubi Eccleſia Parochialis ſita eſt, non datur, nec aliunde facultas Medici, „ & medicamentorum; tunc Parocho, ex infirma illa valetudine laboranti, Epiſcopus curationis cauſa facultatem dare poſſit, qua liceat ei tribus, quatuorve menſibus ad ſummum, loco propinquiori in quo ejuſmodi neceſſaria non deſint, manere, ubi valetudinem curet. Interea ad illius Eccleſiæ Parochialis curam gerendam Vicarium Epiſcopus conſtituat, „ Parochi ſumptu.

„ Nec præterea ſimultatis, odiive ſolum cauſa Parochum ab Eccleſiæ Parochialis Statione, locove abeſſe permittat, ac ne inimicitiarum quidem, „ quæ vel leves, vel fictæ ſint, cauſa, prætextuve. Si vero unquam graves illæ erunt, ac veræ, ortæque poſteaquam Parochialis Curæ Munus „ obit, idque ſine culpa Parochi; permittere Epiſcopus poterit illum inde „ abeſſe, locove propinquo, ubi tuto ſit, morari, eo ſolum tempore inimicitiarum, non tamen ultra annum, etiamſi diuturniores anno ſint inimicitiæ.

RE-

REGULA XXXVI.

Summus Pontifex obligationem residendi Episcopis, aut Parochis, aliisve Curam Animarum habentibus remittere non potest.

IN iis enim, quæ divino Jure constituta, & a Deo præcepta sunt, Pontifex Maximus, & Ecclesia, dispensare non possunt; Sed in iis dumtaxat quæ humano Jure sunt posita. Si tamen dispensatio minus stricte sumatur pro divini Juris interpretatione, & declaratione, Summus Pontifex cum Episcopis, & Parochis super Residentia dispensare dicitur, quia declarare potest Jus divinum in certis casibus propter aliquam circumstantiam non obligare. Attamen ut declaratio illa coram Deo valeat, necesse est, ut veniam faciat discedendi ad tempus ab Ecclesiis intuitu boni publici, nimirum charitatis, aut urgentis necessitatis, aut debitæ obedientiæ, aut evidentis utilitatis Ecclesiæ, vel Reipublicæ, ut explicat Concilium Tridentinum. Quas causas *Cajetanus*, & plerique Theologi recentiores ad tria capita revocant: Prima est necessitas impedimenti: Secundum qualitas negotii: Tertium, conditio personæ. Impedimentum duplicis generis distinguunt: Intrinsecum unum, ex infirmitate proveniens; quod quidem, si spes sit recuperandæ sanitatis, justam causam præbet abscedendi ad tempus ab Ecclesia, ut si mutare cœlum, aut ire ad balnea oporteat. Impedimentum extrinsecum est persecutio, in qua non est commune ovium, Pastorisque periculum, nec subditorum salus exigit Pastoris præsentiam. Unde *S. Augustinus* Epistola CCXXVIII. alias CLXXX. ad *Honoratum*, scribit: *Faciant ergo servi Christi Ministri verbi, & Sacramenti ejus, quod præcepit, sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, idest, Episcoporum, Clericorum, & Laicorum est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent.* Si enim perniciosum est, nautam in tranquillitate navem deserere, quanto magis in fluctibus? (ut ait *Nicolaus* Papa causa VII. quæst. I. can. *Siscitaris*.)

Negotium autem excusans Episcopum a Residentia, vel propriam ipsius Ecclesiam spectat, vel alias Ecclesias, vel Ecclesiam universalem. Nam si necessitas immineat Ecclesiam suam, & Jura ipsius defendendi, ad Curiam Romanam, vel ad Aulam Regiam, aut alio proficisci potest Episcopus, dummodo id per alios perficere non possit. Id confirmat cap. *Ex parte*, Extra. *De Clericis non residentibus*, cujus hæc sunt verba: *Præpositura tuæ Jura fideliter prosequeris, cum per hoc censeri debeas residens*. Quamvis enim ab Ecclesia absit, abest tamen negotiis Ecclesiæ. Secundo, interdum abesse potest Episcopus ab Ecclesia sua ob aliarum Ecclesiarum necessitatem, aut utilitatem, ita jubente charitate, qua *sumus omnes unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra*. Ad negotium igitur fidei, vel pacis procurandum, ad alienam Ecclesiam divertere, in eaque per aliquod tempus morari Episcopus potest: & pacis etiam inter Principes Christianos componendæ causa Legationem obire. Sed quod promiscue ad Principum temporalia negotia gerenda ab Ecclesiis suis Episcopi discedant, abusum esse *Cajetanus* ait, quia *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Excipienda tamen sunt Regis, & Reipublicæ negotia, quæ in Comitiis Regni, & Provinciarum tractantur, in quibus suffragii Jus habent: Ipsosque interesse, est ex Ecclesiæ, aut Reipublicæ bono. Ob negotium universalis Ecclesiæ multo æquius a suis ad tempus absunt Pastores, si negotium illud necessario exigat Episcopum, ut profectio ad Concilium

Quæ negotia Episcopos excusent Residentia.

cilium Generale, vel ad Synodum Provincialem: At si negotium non exigat necessario Episcopum, non excusat a Residentia. Nec est quod dicatur, Residentes in Ecclesia communi, qualis est Romana, censendos esse ubique residere: Etsi enim id forte verum sit fictione juris positivi, non tamen verum est quoad Deum (inquit *Cajetanus*.)

Conditio personæ excusans Episcopum a Residentia, unica est, secundum eumdem *Cajetanum*; videlicet cum persona talis est, ut melius, aut æque bene regat Ecclesiam absens, ac alius præsens regeret. Hac ratione Cardinales Episcopi sex Diœcesium Urbi finitimarum, a mansione in illis Ecclesiis excusantur. Porro cum aliqua circa hujusmodi causas dubitatio subest, ad Romanum Pontificem pertinet, Auctoritate sua declarare, num Episcopus a Residentia in illo casu excusetur. Hoc sensu a Residentia dicitur dispensare.

REGULA XXXVII.

Episcopo, qui longo annorum tractu in Ecclesia sua assidue mansit, & ne quidem ipsa vacatione, quam ex causa justa Concilium per tres menses quotannis permittit, unquam usus est, concedi non potest licentia non residendi ad aliquod tempus, nisi aliqua ex causis a Concilio Tridentino approbatis ad id moveat.

ITa respondit Sacra Congregatio Concilii Interpres, die XVII. Julii MDCLVII. referente *Fagnano* in cap. *Qualiter*, *De Clericis non Residentibus*.

REGULA XXXVIII.

Episcopus jungere non potest trimestrem absentiam unius anni cum absentia trimestri sequentis anni; adeo ut licite abesse valeat a sua Ecclesia mensibus Octobri, Novembri, & Decembri anni currentis, & prorogare absentiam mensibus Januario, Februario, & Martio anni proximi.

ITa respondit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, (ut refert *Fagnanus* loco mox citato) his rationibus freta: Primo, quod ejusmodi semestris absentia tempus Dominici Adventus, & Quadragesimæ complectatur, quo ne a sua quidem Cathedrali, nedum a Diœcesi, Episcopo abesse licet, ut ex Concilio Tridentino sessione XXIII. cap. I. *De Reformatione*, colligitur, Secundo, quia non *aliquantisper* tantum abest, nec *statim* est reversurus, qui sex mensibus continuis præsentiam suam Ecclesiæ subtrahit: Adeoque peccat graviter contra Residentiæ legem veteribus Canonibus confirmatam, & a Sacra Synodo Tridentina amplius explicatam his verbis: *Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: Sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere*. Tertio, quia semestris absentia non censetur brevis a Tridentini Concilii Patribus, ut patet ex his verbis sessionis VI. cap. I. De Reformatione: *Si quis, legitimo impedimento, seu justis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipso Jure incurrat*. Quarto, quia magis relaxari potest nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ, majusque detrimentum in spiritualibus, & temporalibus pati potest Ecclesia, si trimestre tempus absentiæ unius anni cum alterius anni trimestri conjungatur, quam si trimestria sint interpolata.

RE-

REGULA XXXIX.

Adeo stricta est Residentiæ obligatio, ut ne duobus quidem mensibus, aut breviori temporis intervallo, Episcopi, & inferiores Pastores ab Ecclesiis suis abesse possint, nisi id fiat ex justa causa, & absque gregis ipsis commissi detrimento.

ITa declarat Concilium Tridentinum sessione XXIII. cap. I. *De Reformatione*; idque confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, Quæstione CLXXXV. Articulo V. In qualibet (*inquit*) obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exequendum Pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter gregem suum deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori, vel propter aliquod Ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum, corporaliter gregem deserere.

REGULA XL.

Curati Residentiæ officium non implent, nisi Parochialem Ecclesiam per seipsos regant, in eaque Pastorales functiones obeant, non per Vicarios, aut conductitios Sacerdotes: Si tamen Parochialis Ecclesia Dignitati, vel Præbendæ annexa sit, Curatus in Ecclesia Majori residens Officio suo satisfacit, modo Perpetuum in Parochia Vicarium canonice institutum, & congrua Portione de ipsius Parochiæ proventu donatum habeat.

Parochi residentiæ legem violare censendi sunt, qui per vicarium, non per seipsos functiones Pastorales obeunt.

HAnc Regulam statuit Concilium Lateranense sub *Innocentio III.* can. VI. & refertur cap. *Extirpandæ* Ext. *De Præbendis*, cujus hæc sunt verba: *Qui vero Parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat, nisi forte Dignitati, vel Præbendæ Parochialis Ecclesia sit annexa: In quo casu concedimus, ut qui talem habet Præbendam, vel Dignitatem, cum oporteat eum in Majori Ecclesia deservire, in ipsa Parochiali Ecclesia idoneum, & perpetuum habeat Vicarium canonice institutum, qui congruam habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus Portionem: Alioqui illa se sciat Auctoritate hujus Decreti privatum, libere alii conferenda, qui velit, & possit, quod dictum est, adimplere.* Hujus Regulæ ratio est, quia omnes Animarum Rectores gregem sibi commissum pascere tenentur, secundum præceptum a Christo *S. Petro* datum, ac subinde Pastoribus omnibus, quibus forma *S. Petri* proponitur, Joan. XX. *Pasce oves meas*. Pascendi autem officium personale est: Nam qui gregem alienum pascit, non est Pastor, sed Mercenarius, ad quem non pertinet de ovibus. Certe qui per Vicarios commissas sibi Ecclesias regunt, videntur meretricibus esse similes, quæ statim ut pepererunt, infantes aliis nutricibus tradunt educandos, ut citius libidinem explere valeant: Sic & isti populos sibi commissos aliis instituendos, & educandos tradunt, ut otio, genioque liberius indulgeant, ut Urbes frequentent, ut Magnatum favorem consectentur, aut sæcularibus negotiis vacent. Sed est, cur timeant illud *S. Bernardi* nomine ab Ostiensi in cap. *Extirpandæ* vulgatum: *Qui per Vicarium inservit, per Vicarium remunerabitur*. Præterea publici Magistratus, illi potissimum, quibus ob personalem functionem justa stipendia decreta sunt, juste per Vicarios non administrantur. Quis enim Consulem,

Prætorem, aut Ducem creari dixerit, ut per alium rem administret? Immo vero in rebus privatis quis œconomum, medicum, nauclerum, aurigam conducit, qui non ejusdem personæ industriam requirat? Quod si Magistratus alii & privata etiam officia personalem eorum operam, & ministerium exigunt, qui ad ea sunt electi, & quibus constituta sunt stipendia, ut iis fungantur: Id multo magis in Officiis Pastorum necessarium est, qui electi sunt, ut regant Animas Christi Sanguine redemptas; utque eas pascant verbo, doctrina, Sacramentis, exemplo; quo nomine proventus, decimas, oblationes recipiunt.

REGULA XLI.

Fructuum tenuitas Parochum a Residentia personali non excusat.

ID constat ex cap. *Conquerente*, Ext. *De Clericis non Residentibus*, quod est *Alexandri III.* Responsum. Quinimo si Parochialis Ecclesia nullos habeat fructus, tenetur nihilominus in ea residere, qui hujusmodi Curam volens suscepit. Unde proposito dubio in Sacra Congregatione Concilii, An Parochus a Residentia excusetur, quia fructus omnes reservati sunt, & nihil pro ipso Parocho residuum est: Vel quia Parochialem Ecclesiam parum a Civitate distantem obtinet: Vel quia dat operam litteris in eadem Civitate; ita tamen ut singulis diebus Dominicis in Ecclesia præsens sit, & sacras functiones obeat: Vel ob aeris intemperiem: Vel quia loco in quo mansurus est Parochus, opera ejus ad docendam Grammaticam necessaria est; Sacra Congregatio respondit, In nullo ex his casibus Parochum a Residentia excusari: Ejus tamen inopiæ ordinario vel extraordinario subsidio subveniendum, secundum cap. *Licet*, Ext. *De Censibus*, & Concilii Tridentini Decretum cap. XIII. sess. XXIV. *De Reformatione*. Idest, aut Beneficiorum unione, aut Primitiarum, vel Decimarum assignatione, aut Parochianorum symbolis, & collectis, aut qua commodiori ratione Episcopo videbitur.

Hinc cum Canonici Collegiatæ cujusdam Ecclesiæ, qui Canonicatus, & Parochiales tenuis redditus obtinebant, peterent, ut Beneficiorum quorumdam unione ipsis provideretur; nec interim compellerentur ad residendum in Parochialibus, prout compellebantur vi Constitutionis *S. Pii V.* & Concilii Provincialis Mediolanensis: Sacra Congregatio censuit non posse suspendi Constitutionem *S. Pii V.* & Decretum Synodi Provincialis, sed scribendum ad Episcopum, ut Beneficiorum unione tenuitatem redditaum suppleat. Ita refert *Fagnanus* in cap. *Extirpandæ*, Extra, *De Præbendis*.

REGULA XLII.

Quamvis paucissimi sint Parochiani, ad Residentiam nihilominus adstrictus est Parochus.

ITa declaravit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres. Dubio siquidem proposito, An Parochus residere teneretur, cujus in Parochia tres tantum, vel quatuor essent incolæ? Respondit, Omnino teneri, ut refert *Fagnanus*.

REGULA XLIII.

Non sufficit Parochum infra limites Parochiæ manere, sed in Ædibus Parochialibus ipsum commorari necesse est.

SIc multoties respondit eadem Congregatio. Qui tamen in propriis, aut paternis ædibus infra Parochiæ fines sitis manens, munia Curæ Parochia-

chialis per seipsum exerceret, gravis peccati reus non esset, nisi ab Episcopo jussus in Domo Parochiali habitare renueret: Faceretque nihilominus fructus suos. Quod si Parochialem Ædem Ecclesia non habeat, vel commoda non sit ejus habitatio, aut ædificari non possit ob tenuitatem proventuum, & Parochianorum inopiam, insons erit Parochus, si in domo conducta, vel alia, ubi Episcopus permiserit, intra Parochiæ fines commoretur; ex ejusdem Congregationis Sententia.

Ex his sequitur, in sacram Residentiæ legem peccare Parochos, qui totis hebdomadibus a Parochiis suis absunt, Officio suo satis functos se esse arbitrati, si Dominicis, Festisque diebus Missam Parochialem celebraverint, Vesperasque decantaverint.

REGULA XLIV.

Si quis ex Dispensatione Præbendam, vel Dignitatem simul cum Ecclesia Parochiali obtineat, in Ecclesia Parochiali residere tenetur, & Parochialia munia per seipsum obire, ad idque ab Episcopo compelli potest, ac debet.

PRima enim, & præcipua est Animarum Cura: Atque ita declaravit Sanctissimus Pontifex *S. Pius V.* Constitutione, quæ incipit, *Cupientes*, edita VIII. Idus Julii MCLXVIII. Et merito quidem, cum Residentia in Parochialibus sit Juris Divini, in aliis vero Beneficiis Curam Animarum non habentibus, Juris sit duntaxat Ecclesiastici. Quamobrem Curatos, si qui Dignitatem, aut præbendam in Cathedralibus Ecclesiis obtinent, Dominicis, Festisque diebus Ecclesia Parochiali relicta Choro Cathedralis Ecclesiæ interesse, & Distributionum participes esse, pati non debent Episcopi, ut statuit Concilium Mediolanense v. par. III. tit. VIII. Sed illos cogere, ut Parochiali Ecclesiæ statis horis operam, curam, muneraque suscepti Parochialis officii usque adeo præstent, ut ei nulla stata hora desint, nullumque Officium omnino prætermittant suæ Curæ, sollicitudinique commissum. Si tamen præstito Parochiali debito servitio, temporis aliquid superfuerit, tunc Canonicatus servitio vacare, & distributiones quotidianas jure lucrari poterunt, ut declarat Concilium Tolosanum anno MDXC. cap. VII. *De Residentia*, Decretum illud Mediolanensis Concilii V. suum faciens.

REGULA XLV.

Divino Residentiæ præcepto non satisfaciunt Episcopi, & Clerici in Beneficiis Animarum Curam habentibus corpore duntaxat præsentes, nisi pro viribus omnes Pastoralis Officii partes impleant.

SAcra enim Synodus Tridentina sess. XXIII. cap. I. *De Reformatione*, omnes, quibus Animarum Cura commissa est, admonet, & hortatur, *Ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant.*

Id explicat magis Concilium Aquilejense anno MDXCVI. cap. V. *Quod vero de Episcoporum Residentia a Sacro Tridentino Concilio, & Summorum Pontificum Constitutionibus cautum est; hoc non est intelligendum, ut præsentia assideant, nihil præterea agant: Cum ex Sacris Canonibus Residentia sit accipienda in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa: Id quod duobus præsertim Tridentinæ Synodi verbis egregie exprimitur*, Ut pascant, & regant: *Quorum primum ad vitæ innocentiam, ad salutaris verbi prædicationem, ad Sacramentorum Administrationem, & bonum exemplum pertinet: Secundum ad Disciplinam restituendam, ad Mores purgandos, & Juris Ecclesiastici dictionem: ad* Divino Residentiæ præcepto non satisfaciunt, qui omnes Pastoralis Officii partes pro viribus non implent.

bonorum laudem, & vindictam malorum sustinendam spectat. Utrumque si præstiterint Episcopi, satis illa, quæ sunt Episcopalis Muneris videbunt præstitisse, & implesse.

Et cap. VI. *Qui Curam Animarum ex officio susceptam habent, rei debent, quam sustinent, quæ singulis periclitatur momentis, præsentem operam dare: Atque hi quidem ut corporali insistunt Residentia, ita piis debent conatibus urgere, ne quid propter illorum injuriam, aut nequitiam pereat, & reddendæ rationis obligatione malum custodem obstringat. Debent Curati meminisse, datos se Populis Mediatores inter Deum, & homines, ut Sacra frequenter facere pro Ecclesia Sancta Dei, & Populo sibi commisso non omittant: ut verbum Dei, cujus dispensatores facti sunt, inculcare animis Fidelium non desinant, ut Sacramenta petentibus ministrare, vel proponere, & suadere maxima diligentia studeant; ut vitæ integritatem in exemplum aliis prætendant, & quasi lucernis ardentibus viam demonstrent, qua per divinorum mandatorum observantiam in cœlum ascenditur.*

Et infra: *Sint igitur Curati diligentia, & fideli Ministerio commendabiles, ut opus, quod tenent, diligenter sustineant, Dei, & Episcopi sui animadversionem subituri, si negligenter se gesserint.*

Idipsum confirmat Diœcesana Synodus Ebroicensis anno MDLXXVI. Scimus (inquit) *in Residentia Curatorum potius requiri personæ industriam, & diligentiam, quam corporis in eodem loco Residentiam, & inertiam: Atque inter residentes numerandos potius, qui absentes corpore, spiritu, & assidua speculatione gregi invigilant, quam qui præsentes corporaliter, seipsos pascunt potius quam gregem, cui scandalo sunt.*

Continuas igitur excubias agere debet Parochus super gregem sibi commissum, ideoque nec pernoctare debet absque necessaria, & legitima causa extra Parochiales Ædes, quamvis nulli actu sint ægroti. Semper enim timenda sunt pericula, & repentini casus, quorum exempla tam frequentia sunt.

REGULA XLVI.

Parochi ad Residentiam tenentur tempore pestis, alteriusve morbi contagiosi, & ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Unctionis Extremæ Parochianis per se administranda obligantur, si major pars infecta sit.

Parochi residere tenentur tempore pestis.

NAm *Qui sic fugit, ut gregi Christi ea, quibus spiritualiter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius est*, (inquit *S. Augustinus* Epistola ad *Honoratum*:) Idem constat ex Concilio Mediolanensi V. sub *S. Carolo Borromæo*. Si vero pauci, aut certe minor Parochianorum pars pestifera lue fuerit infecta, & Vicarius, seu alius Sacerdos ab Episcopo approbatus devovere se periculo ex charitate voluerit, poterit Parochus ipsius uti opera ad Sacramenta peste laborantibus administranda, seque multitudini servare, interimque sedulo invigilare, ne cui salutis subsidia desint.

REGULA XLVII.

Qui Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis obtinent, Ecclesiastico Jure ad Residentiam tenentur, gravisque peccati rei sunt, si diutius quam tribus ad summum mensibus, sive continuis, sive interruptis, a Beneficiis suis absint.

Canonicorum Residentia.

HAnc Regulam statuit Sacra Synodus Tridentina sess. XXIV. *De Reformatione*, cap. I. *Præterea* (inquit) *obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut*

aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: Salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt: Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum Constitutiones procedatur; idest priventur Beneficio, juxta dispositionem cap. *Inter*, & cap. *Clericos*, Ext. *De Clericis non Residentibus*: Quam privationis pœnam ante triennium elapsum infligi non posse, declaravit Sacra Congregatio Tridentini Concilii Interpres. Quod vero spectat privationem fructuum, eam non incurrunt ipso Jure, quamvis ab Ordinario infligi ipsis possit, & debeat. Quo Tridentini Concilii Decreto, omni consuetudini non residendi, aut diutius quam tribus mensibus vacandi, aut fructus in absentia percipiendi, derogatum est. Nec tamen Sacra Synodus Canonicis omnibus concessit, ut tres menses abesse possint: Ecclesiarum enim Statuta, quæ longius quam novem mensium servitium, diuturnioremque Residentiam exigunt, observari voluit: Unde illarum Ecclesiarum beneficiati, si toto temporis, quod illis Statutis præscriptum est, intervallo in Beneficiis non manserint, pœnis a Concilio Decretis subjacent, ut respondit Sacra Congregatio Concilii ejusdem Interpres.

Quod autem minime necesse sit absentiam esse continuam, ut Canonicus ultra tres menses abfuisse censeatur, sed satis esse ut dies absentiæ, licet interpolati, trimestre superent, declaravit Concilium Burdigalense an. MDCXXIV. can. VII. *Sed & illa fraus* (inquit) *longe amovenda, qua quod cuilibet Canonico per tres menses abesse concedatur, quidam tuti, nullam fere residentiam Ecclesiis exhibere dignoscuntur. Decernimus igitur tres illos absentiæ menses ita numerandos esse, ut in iisdem omnes dies, sive continui, sive non continui, & interpolati, concludantur: Unde qui a residentia ultra tres menses eo modo reductos abfuerit, pœnis eum a Sacris Canonibus contra absentes latis feriri, & Capitulum in hoc contra Sacros Canones dispensare non posse censemus.* Sed nec Episcopos posse contrarium statuere, declaravit Congregatio Concilii Interpres. Additque, tres absentiæ menses continuos esse posse: Non tamen omnibus Canonicis eodem tempore abesse licere, ne omni servitio destituatur Ecclesia; sed tantum per vices.

REGULA XLVIII.

Ad Distributiones quotidianas illi soli Jus habent Canonici, aliive Cathedralium aut Collegiatarum Ecclesiarum Beneficiati, qui Divinis Officiis interfuerint; A qua lege sola infirmitas, seu justa, & rationabilis corporis necessitas, & evidens Ecclesiæ utilitas excusant.

HÆc Regula traditur cap. *Consuetudinem*, tit. *De Clericis non Residentibus*, in Sexto, *Statuimus*, (inquit) *ut distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis, ac aliis Beneficiatis, & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem Officiis, in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur, juxta Ecclesiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, seu etiam faciendam. Qui vero aliter de Distributionibus ipsis quicquam exceperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem, quæ contra hujusmodi nostram Constitutionem receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro Defunctorum Anniversariis largiendis idem decernimus observandum.*

Illi soli Canonici ad distributiones quotidianas jus habent, qui divinis Officiis intersunt.

Eamdem Regulam confirmat Synodus Tridentina sess. xxiv. *De Reformatione* cap. xii. *Distributiones vero* (inquit) *qui statis Horis interfuerint, recipiant : Reliqui, quamvis collusione, aut remissione exclusa, his careant, & juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit*, Consuetudinem : *Quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque Statutis, & Consuetudinibus. Omnes vero Divina per se, & non per Substitutos, compellantur obire Officia; & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere, & inservire, atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.*

Servandam nihilominus consuetudinem, secundum quam, qui non sunt Presbyteri, licet inserviant, distributiones non lucrantur, Sacra Congregatio Concilii Interpres respondit. Item servandam consuetudinem, secundum quam de mensa communi nullus Presbyter participat, nisi per annum gratis inservierit. 3. Absentes tribus mensibus a Concilio permissis, fructus Præbendæ, non tamen distributiones lucrari. 4. Absentes a loco Beneficii tempore pestis, fructus quidem Præbendæ, non tamen distributiones percipere, nisi consuetudo obtinuerit, ut justa ex causa absentibus dentur. 5. Nec absentes studiorum causa, nec duos Canonicos in servitio Episcopi constitutos, etiamsi Diœcesis Visitationem obeant, quotidianarum distributionum esse participes, nisi forte fructus omnes in certis distributionibus consistant: Quo tamen casu tertiam illam partem, quæ inservientibus accrescit, non lucrantur. 6. Nec Vicariis Episcoporum, nec Theologis iis diebus, quibus non docent, distributiones deberi. 7. Nec iis, qui in Choro corpore quidem præsentes, Officium tamen privatim recitant, aut stant in sedibus suis otiosi, neque cum aliis psallunt : Nec etiam iis, qui Divini Officii tempore Missam celebrant, nisi forte ea hora ab eo ad quem pertinet, ad celebrandum sint notati. Has Sacræ Congregationis Declarationes refert *Fagnanus* in cap. *Licet*. Ext. *De Præbendis*.

Exceptiones.

Secundum Exceptiones *Bonifacii VIII.* cap. *Consuetudinem*, a Tridentina Synodo confirmatas, & Declarationes Sacræ Congregationis ejusdem Concilii Interpretis, Distributiones Canonicis a Choro absentibus debentur. 1. Si sint infirmi, aut sine vitæ periculo Divinis Officiis interesse non possint. 2. Si cæci. 3. Si senio confecti. 4. Si sanguine minuti fuerint, aut medicinam sumpserint. 5. Si injuste in carcerem conjecti, aut ob causam criminalem in jus vocati, & illorum probata sit innocentia. 6. Si qualibet injusta vexatione impediti fuerint, ne Divinis Officiis interessent. 7. Si absint ob evidentem Ecclesiæ, cujus distributiones sunt, utilitatem, sive ob negotia Capituli. 8. Si absint ob functiones Curæ Animarum, suæ Dignitati, vel Præbendæ incumbentis, ut rursus declarat Concilium Tridentinum Sessione xxii. cap. iii. 9. Cum assistunt, & inserviunt Episcopo Pontificalia celebranti. 10. Theologo debentur, iis diebus, quibus docet, vel Concionem habet. Nec non Canonico Pœnitentiario, quo tempore Confessiones audit, aliis in Choro Divina celebrantibus.

REGULA XLIX.

Theologiæ Professores, dum in Scholis docent, & Studentes, per quinquennium, a Residentia in Ecclesiis, in quibus Dignitates, Præbendas, aut alia Beneficia obtinent, legitime excusantur, absentesque Jure percipiunt fructus Beneficiorum suorum.

Professorum Theologiæ, & Studentium Privilegium.

HÆc Regula nititur Decretali *Honorii III.* cap. *Super specula*, Ext. *De Magistris*, quam *Clemens V.* anno 1308. *Joannes XXII.* anno 1332. *Clemens*

VI.

VI. annis 1342. & 1356. confirmarunt, & Concilium Tridentinum Sessione v. cap. 1. De Reformatione. *Docentes vero ipsam Sacram Scripturam* (inquit) *dum publice in Scholis docuerint, & Scholares, qui in ipsis Scholis student, Privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum suorum, in absentia a Jure communi concessis, plene gaudeant, & fruantur.*

Ad Professores, & Studentes in Jure Canonico idem Privilegium pertinere, Sacra Congregatio declaravit: Parochis tamen Ordinarios indulgere non posse, ut absint ratione studiorum, teste *Fagnano* in 1. Par. Libro v. Decretalium, cap. *Super Specula*. Tit. *De Magistris*. Num. 17. Parochorum exceptio.

Canonicos ratione studiorum abesse non posse, absque licentia Episcopi, eadem Congregatio declaravit, posseque Episcopum revocare Canonicos, & Præbendatos, & qui absque ejus licentia se ad Studia Universitatis etiam Privilegiatæ contulerunt, præsertim in Ecclesia propter eorum absentiam Ministrorum defectum patiatur. Posse etiam Episcopum eos ad Residentiam revocare, qui manentes in Universitate cum sua licentia, negligenter, & inutiliter dant operam litteris, Juris Canonici Periti summo consensu asserunt. Tales enim viri ad studia se contulisse censentur in fraudem legis, & ut fugiant Episcopi correctionem, vel ut liberius vivant. Quocirca Concilium Mediolanense 1. P. 11. cap. xxvii. statuit, ut in facultatibus absentiæ, studiorum causa concedendis, hæ conditiones necessario exprimantur: *Ut vere in publico, celebrique Gymnasio Theologiæ, vel Sacris Canonibus studeant.* 2. *Ut minores sint triginta annis, aut fuerint; cum in publico Gymnasio iisdem studiis operam dare cœperunt, quæ nunc cupiunt absolvere.* 3. *Ut intra annum ad Ordinem saltem Subdiaconatus promoveantur.* 4. *Ut singulis sex mensibus Episcopo scriptum sui Doctoris exhibeant, quo ipsos in eo studii genere proficere testetur, quod etiam Episcopus secreto ab aliis cognoscere studeat.* Quod si suprascriptæ conditiones omnes in licentia expressæ non fuerint; aut is qui impetrat, qualitates omnes requisitas non habeat; aut quæ ipsi servanda proponuntur, deinceps non præstiterit, *Facultates irritæ, ac nullæ sint: Et qui impetrarit, sciat se fructus suos non fecisse, neque facere, ac pœnis, quæ non residentibus propositæ sunt, teneri. Concedatur autem ad quinquennium tantum, ab eo die numerandum, quo eum in publico Gymnasio Theologiæ, aut Sacris Canonibus constet, operam dare cœpisse.*

Canonici abesse non possunt, etiam ratione Studiorum sine licentia Episcopi.

Conditiones in facultatibus absentiæ Canonicorum studiorum causa observandæ.

„ Idem edixit Concilium Turonense anno 1583. cap. 13. Quod si qui in „ celebri Universitate Theologiæ aut Sacrorum Canonum Professioni studium, strenuamque operam navare desiderant: Hi licentia, privilegioque „ percipiendi in absentia fructus Præbendarum ita demum potiantur, si minores triginta annis existentes, docibiles fuerint judicati; & postquam „ præsentes recepti, & promoti fuerint saltem ad Subdiaconatum: Nec cuiquam tale indultum ultra quinquennium suffragetur. Quandiu autem in „ Universitatibus studiorum causa manebunt, tamdiu suorum Præceptorum „ testimonium litteris authenticis confirmatum quotannis exhibere tenebuntur, se serio, graviterque prædictarum Facultatum studiis incumbere. Ex „ actoque tandem justo studiorum tempore, ipsius Capituli arbitrio revocati, ad Ecclesiam sua Munia obituri redire tenebuntur assignatam Studiorum causa portionem, nec quamvis aliam haud aliter consecuti.

Idem decrevit Concilium Acquense anno 1585. Prohibuitque insuper, *Ne similes facultates, etiam prædictis requisitis concurrentibus, iis, qui Parochiales Ecclesias obtinent, concedantur.*

Idem confirmavit Concilium Aquilejense anno 1596. cap. vii. & obtinentes Ecclesias Parochiales a licentia hujusmodi proficiscendi ad publica

Gymnasia pariter esse repellendos declaravit. *Qui enim* (inquit) *collationis tempore per concursum examinatus, & canonice promotus fuit, & publico Examinatorum Synodalium testimonio ad Animarum Curam exercendam idoneus habitus, dimittendus non est, ut discat, cum ad docendos alios provectus fuerit.*

Denique Canonici, quibus Studiorum gratia est indultum, ut absentes percipiant fructus Præbendarum suarum, illis privandi sunt, si accepta licentia se ad villas transferunt, vel castella, in quibus nullum est, vel minus competens Studiorum exercitium: *Cum fraus, & dolus nemini debeant patrocinari.* Sic respondet *Innocentius III.* Antisiodorensi Episcopo, cap. *Tuæ*, Ext. *De Clericis non Residentibus.*

REGULA L.

Duo Canonici Episcopo ad Ecclesiæ utilitatem servientes; a Residentia legitime excusantur, fructusque Beneficiorum suorum absentes Jure percipiunt.

HAnc Regulam statuit *Honorius III.* cap. *Ad audientiam*, Ext. *De Clericis non Residentibus.* Potiori jure excusantur, qui Summo Pontifici serviunt ad Ecclesiæ universalis utilitatem, ut declarat *Innocentius III.* cap. *Cum dilectus*, sub eodem Titulo.

Regiæ Capellæ Clerici a Residentia pariter dispensantur, Privilegiis Summorum Pontificum, quo tempore Christianissimis Regibus, aut Reginis, in sacris Ministeriis serviunt. Elapso autem servitii tempore ad Ecclesias, in quibus Dignitates, aut Præbendas obtinent, redire, in iisque reliquo anni tempore residere tenentur, fructibus earum alioquin privandi, secundum Edictum Melodunense *Henrici III.* Regis Christianissimi. Privilegium illud a *Clemente VI.* Pontifice Maximo ad Regis Christianissimi *Joannis*, & Reginæ *Joannæ* illius conjugis preces concessum est. Editum est Tom. IV. *Specilegii Acheriani*, pag. 295. Illud confirmavit *Pius II.* teste *Guimerio* in Glossa Pragmaticæ Sanctionis Tit. *Qualiter Horæ sunt dicendæ extra Chorum.* Capellani domestici Principum ceterorum, etiam Regii Sanguinis, simili Privilegio non gaudent, nec fructus Beneficiorum suorum jure percipiunt quamdiu absunt, ut Principibus serviant. Sed ne ipsis quidem Regum, aut Reginarum Capellanis, quos Beneficium Hebdomadarii titulo addicit Ministerio Altaris, tale Privilegium suffragatur, secundum Jurisprudentiam Gallicanam, testibus *Chopino* Lib. III. *Monasticon*, cap. III. & *Feureto*, Lib. III. *De Abusu*, cap. I. Reg. XI. Neque etiam hoc Privilegio uti possunt Curiarum Supremarum Senatores, cum non sint Capellani domestici Regis; nec tuta conscientia retinere possunt Beneficia, in quibus residere nolunt Officii sui prætextu, aut fructus Præbendarum suarum, vel Dignitatum absentes percipere, nisi forsan simile Privilegium ipsis a Sede Apostolica sit indultum.

REGULA LI.

Abbates, & Priores Commendatarii mortaliter peccant, qui Sacrum Presbyteratus Ordinem non suscipiunt intra annum, ex quo legitimam ætatem attigerunt; nisi a Summo Pontifice cum ipsis fuerit dispensatum, ut illa Beneficia sine Presbyteratus Ordine retineant.

VIolant enim legem Ecclesiasticam, & Civilem in materia gravi: Siquidem utraque statuit, ut intra annum pacificæ possessionis, ex quo legitimam ætatem attigerunt, ad Sacerdotium promoveantur. Ita Clementina *Ne in agro*, Tit. *De Statu Monachorum*, §. *Ceterum*, decretum est:

Cete-

Ceterum Prioratus Conventuales, alicui nisi xxv. *annum attigerit, alii vero Curam Animarum habentes, etsi Cura ipsa per sæculares habeant Presbyteros exerceri, cuiquam nisi* xx. *annum peregerit, conferri nequeant, aut committi. Qui autem Prioratus istos, vel illos habuerint, infra annum computandum a tempore collationis seu commissionis sibi factæ de eis, & possessionis eorum adeptæ, vel infra vigesimum quintum ætatis suæ annum, si ante annum ipsum non Conventuales Prioratus eis* commissi fuerint, aut collati, *se faciant ad Sacerdotium promoveri. Quod si (cessante rationabili causa) non fecerint; eo ipso nulla etiam monitione præmissa, prædictis Prioratibus sint privati, qui ipsis iterum ea vice nullatenus conferantur.* Unde in Abbatiarum Commendatariarum Bullis Pontificiis hæc apponitur clausula, quod ætatem legitimam adepti Presbyteratus Ordinem suscipere teneantur. Regiis etiam Constitutionibus Blesensibus idem sancitum est, Articulo nono.

REGULA LII.

Lethaliter peccant, qui Parochialem Ecclesiam, seu Beneficium Curatum suscipiunt cum deliberata voluntate illud non servandi, & in eo non inserviendi: & ad fructuum restitutionem tenentur.

HÆc Regula colligitur ex cap. *Commissa*, Tit. *De Electione*, in Sexto. *Ceterum* (inquit) *si ad Sacerdotium promoveri non intendens Parochialem receperis Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipias: Ipsam postmodum dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem: cum eos receperis fraudulenter.*

REGULA LIII.

Qui Præbendam obtinet, vel suscipit cum deliberata voluntate illam non servandi, nec in ea Ecclesiæ inserviendi, graviter peccat, nec eam pro alio Beneficio permutare potest.

NEque enim Beneficium legitime confertur, aut suscipitur, nisi propter Officium. Unde Concilium Lateranense III. sub *Alexandro III.* ex quo refertur cap. *Nulla*, Ext. *De concessione Præbendæ*, ait: *Cum vero Præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet Officia in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non diu maneat in suspenso; Sed intra sex menses personis, quæ digne administrare valeant, conferantur.* Quare si quis Præbendam impetrat, ac suscipit cum deliberata voluntate illam non servandi, vel Ecclesiæ in ea non inserviendi, graviter peccat, nec in foro conscientiæ Beneficium illud canonice, ac legitime possidet, proindeque illud cum alio permutare non potest.

CAPUT VII.

DE SIMONIA.

CUm in sacras Ordinationes, & Beneficiorum Ecclesiasticorum distributionem, vel captationem, atque in Sacramentorum dispensationem, quæ Ministris Ecclesiæ concredita est, Simonia potissimum grassetur; ad complementum Tractatus de Sacramento Ordinis agendum superest de Simoniæ crimine.

ARTICULUS I.

Quid sit Simonia?

Definitio Simoniæ.

Simonia est studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum.

Ita crimen illud *S. Thomas* definit, *Secunda Secundæ*, quæst. 100. art. 1. Quæ definitio tria complectitur, scilicet actum voluntatis, quia omne peccatum in actu voluntatis consistit. Unde ille, cui parentes Beneficium pecunia, aut qualibet alia re pecunia æstimabili obtinuerunt, Simoniæ reus non est, si id factum sit, illo nesciente, & cum primum scivit, improbaverit, ac detestatus fuerit sacrilegam nundinationem, & Beneficium ejuraverit in manibus Collatoris. Dicitur autem studiosa voluntas, id est, deliberata. Complementum namque peccati, & virtutis consistit in electione. Secundo, definitio exprimit materiam proximam hujus peccati, scilicet emptionem, & venditionem. *Nomine* autem *emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus*; (inquit *S. Thomas*) quales sunt permutatio, transactio, locatio, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias. Tertio, definitio exprimit materiam remotam, sive objectum sacrilegæ istius actionis, scilicet rem spiritualem, aut spirituali annexam. Dicitur autem aliquid spirituale tripliciter: Primo per essentiam, ut gratia, virtutes, Jurisdictio Ecclesiastica: Secundo, ratione effectus, sicut Sacramenta, quæ gratiam, vel spiritualem potestatem conferunt: Tertio, ratione causæ, ut Administratio Sacramentorum, quæ est a spirituali potestate, consecrationes personarum, locorum, vasorum, aut aliarum quarumcumque rerum, Ecclesiasticæ jurisdictionis usus, vel gratiarum datis datarum.

Spiritualibus annexa dicuntur, quæ ad usum Sacramentorum, aut Ministrorum Ecclesiæ deputata sunt, ut Calices, & Ecclesiastica Beneficia. Nam *sicut anima vivit secundum se ipsam, corpus autem vivit ex unione animæ: Ita etiam quædam sunt spiritualia secundum seipsa, sicut Sacramenta, & alia hujusmodi; quædam autem dicuntur spiritualia ex hoc, quod talibus adhærent. Unde Can.* Si quis objecerit, *Causa* 1. *quæst.* 3. *dicitur, quod spiritualia sine corporalibus rebus non proficiunt, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit.* Ita *S. Thomas*, Secunda Secundæ, quæstione centesima, art. 1. ad sextum.

Spiritualibus aliquid annexum est dupliciter, scilicet antecedenter & consequenter. Annexum antecedenter est, quod cum natura sua materiale sit, præcedit rem sacram, ad quam refertur: Hujus generis sunt Calices, Altaria, sacra Vestimenta, quæ cum primario, & ex se materiale sint, spiritualem formam induunt ex consecratione illis accedente. Ad hanc etiam classem pertinet Jus Patronatus, quod nominationem, seu præsentationem ad Beneficia antecedit. Spiritualibus consequenter annexum est, quod rem spiritualem sequitur, & ab ea dependet, sicut Ecclesiastica Beneficia, quæ non competunt nisi habenti Officium Clericale. Ita rem explicat *S. Thomas*, quæstione mox citata, art. IV.

ARTICULUS II.

Simonia crimen est gravissimum.

1 Criminis istius gravitatem Sacra Scriptura docet, quæ illud execratur in *Balaam*, Qui *Mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit suæ insipientiæ subjugale mutum animal, quod in hominis voce loquens* pro-

prohibuit Prophetæ insipientiam; (ut loquitur *S. Petrus* Epist. II. cap. II.) Et in *Giezi*, quem a *Naaman* Principe Assyriorum, quem *Elisæus* a lepra mundaverat, duo talenta accepisse refert, statimque *Elisæo* hoc divinitus cognoscente, & sacrilegium istud ulciscente, lepra fuisse infectum: (IV. *Regum* V.) Unde qui res sacras vendunt, *Giezitæ* nuncupantur, Et in *Simone Mago*, qui donum Spiritus Sancti, sive potestatem spiritualem dandi Spiritum Sanctum, & Miracula patrandi instar Apostolorum, emere voluit, ut eam postea venderet, & ex venditione signorum, quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. (*Actuum* cap. VIII.) *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligationis iniquitatis video te esse.* Ab hoc parente Simoniaci nuncupati, qui res spirituales, aut spiritualibus annexas, pretio distrahere, aut emere volunt, aut de illis paciscuntur: Simoniæque nomen illi vitio inditum.

II. Simonia lethale peccatum est, repugnans religioni justitiæ, pietati, & studio, quo omnes Ecclesiæ Catholicæ filii ejus bonum prosequi debent. Religioni quidem repugnat, quæ violatur, tum contemptu Dei, cum non meliores, qui ei gratissimi sunt; sed pecuniosiores in Sacerdotes, ac Ministros assumuntur; tum contemptu rerum spiritualium, quibus infertur injuria, cum pecunia æstimantur: Nam *Quis non vile putat esse, quod venditur?* (inquit *Hormisdas* Pontifex Maximus in Epistola ad Episcopos Hispaniæ) Vilia ergo dona Dei existimat, qui ea vendi putat. Ex hoc capite Simoniæ pravitatem ostendit *S. Petrus*, & secundum ipsum *Gennadius* Constantinopolitanus Patriarcha in Epistola Encyclica: *Cœlestia enim, & spiritualia Dona* (inquit) *nulla est cum terrenis commutandi ratio*. Quæ enim commutantur, tantumdem valere existimantur, quantum ea, quibuscum commutantur. At valoris spiritualium donorum, quæ pretium omne excedunt, cum pecunia nulla proportio est. Justitiæ quoque Simonia opponitur, tum quod turpi ista rerum spiritualium nundinatione doctiores, ac sanctiores, qui Dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum minus cupidi esse solent, indoctioribus, ac minus probis in ea involantibus, in eorum distributione postponantur, imo prætermittantur: Tum quod iniquum sit, & contra justitiæ commutativæ regulas, id pretio commutare, quod pretio commutari non potest; donum gratuitum vendere, vel emere, quod gratis acceptum est a Deo, & ea conditione, ut gratis detur, secundum Christi Domini sententiam Matthæi X. *Gratis accepistis, gratis date*. Denique pietati Ecclesiæ debitæ, seu studio publici boni repugnat sibi, vel alteri quovis pretio procurata ad Ecclesiasticos Gradus, & Beneficia promotio. Ea siquidem labes Ecclesiæ sanctitatem obscurat, Canonicarum Institutionum ordinem pervertit, indignis ad Dignitatum apicem aditum aperit, contra præclaram illam *Tertulliani* Sententiam primævæ Ecclesiæ ordinem describentis, Apologetici cap. XXXIX. *Præsident probati quique Seniores, Honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: Neque enim pretio ulla res Dei constat.* Simoniæ deformitates.

At Simoniæ deformitatem *S. Thomæ* verbis luculentius, ac facilius exponam, quam meis. Sic ille *Secunda Secundæ*, quæstione centesima, art. I. *Actus aliquis* (inquit) *est malus ex genere, eo quod cadit super materiam indebitam. Emptionis autem, & venditionis est materia indebita rei spiritualis, triplici ratione. Primo quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio*

„ *tio compensari; ut de Sapientia dicitur Proverb.* III. Pretiosior est cunctis „ opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. *Ideo* „ *etiam Petrus in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans, dixit:* Pe- „ cunia tua tecum sit in perditionem: Quoniam donum Dei existimasti pe- „ cunia possideri. *Secundo, quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus: Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator, secundum illud* I. *ad Corinthios* IV. Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei. *Tertio, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate* „ *Dei proveniunt. Unde & Dominus dicit Matth.* x. Gratis accepistis, gratis „ date. *Et ideo aliquis emendo, vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo, & rebus divinis: Propter quod peccat peccato irreligiositatis.*

Simoniaca pravitas Hæresis appellata.

III. Simoniacam pravitatem Hæresim vocant Pontifices, & Concilia. *S. Gregorius Magnus* Lib. IV. Regesti, Epistola LV. *Pervenit* (inquit) *ad Nos, quod in illis partibus nullus ad Sacrum Ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuncio: Quia cum Sacerdotalis Ordo intus ceciderit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit: Quia ingressus Templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere, est de Sancto Spiritu, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo malo jam innuitur, quid sequatur, quia qui in Templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo Judice Cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui ad Sacrum Ordinem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare, quod emit. Et ubi est, quod scriptum est:* Gratis accepistis, gratis date? *& cum primo contra Ecclesiam* Simoniaca Hæresis *sit extorta: Cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fiat.* Idem repetit Epistola LVI. ejusdem Libri, & Libri VII. Epistola CXI. CXIV. & CXV. Simoniam *Hæresim* pariter vocant *Gregorius VII.* Epistola XXXIV. Libri XI. *Paschalis II.* Canone *Altare*, Causa I. quæst. III. Concilium Turonense sub Carolo Magno, Canone XV. Rhemense Canone XXI. Moguntinum sub Rabano, Canone XII. & Caput *Quoties*, quod *Adeodato* Papæ tribuitur, Ext. *De Simonia*; & Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, in Epistola ad *Adrianum I.* Pontificem Maximum, nec non *Goffridus Vindocinensis* in Opusculo, quod *Calixto II.* nuncupavit, &c. Quamvis enim simoniaca pravitas per se non sit hæresis, cum aliquis Simoniacus esse possit ex sola depravatione voluntatis per avaritiam, remanente recto judicio intellectus circa ea, quæ fides tradit: Potest tamen præsumptione Juris, vel operis Simoniacus omnis in fide haberi suspectus, ut *Gersonius* loquitur in Tractatu *De Simonia:* Sive, ut ait *S. Thomas*, Secunda Secundæ quæstione centesima, Art. I. ad primum, Simonia hæresis dicitur secundum exteriorem protestationem. Nam *Sicut Religio consistit in quadam fidei protestatione, quam tamen aliquis interdum non habet in corde: Ita etiam vitia opposita Religioni habent quamdam protestationem infidelitatis, licet quandoque non sit infidelitas in mente. Secundum hoc ergo simonia hæresis dicitur secundum exteriorem protestationem: Quia in hoc quod aliquis vendit Donum Spiritus Sancti, quodammodo protestatur se esse dominum spiritualis Doni, quod est hæreticum.* Paulo aliter id explicat IV. *Sententiarum*, Dist. XXV. qu. III. art. I. Quæstiuncula II. *Aliquid* (inquit) *attribuitur alteri dupliciter: Uno modo simpliciter: Alio modo propter similitudinem actus, sicut dicit Philosophus* VII. *Ethicorum, quod incontinentes quandoque dicuntur intemperati,*

ti, quia faciunt, quæ intemperati, sed non eodem modo; sicut etiam dicit, quod Milesii stulti non sunt, sed operantur qualia stulti: Et secundum hoc dicendum, quod Simoniaci non sunt proprie, & per se loquendo Hæretici, cum non habeant aliquam falsam opinionem; sed dicuntur hæretici propter similitudinem actus, quia ita operantur, ac si æstimarent Donum Spiritus Sancti pecunia possideri, quæ æstimatio esset hæretica, Unde *S. Gregorius* Libro IX. Epistolarum, Indictione IV. Epistola LIII. ex qua refertur Canone *Cum omnis*, Causa I. quæst. I. ait: *Cum omnis avaritia sit Idolorum servitus, quisquis hanc in Ecclesiasticis Dignitatibus dandis non præcavet, infidelitatis perditioni subiicitur, etiamsi fidem, quam negligit, tenere videatur.*

Hoc sensu *Tharasius* Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola ad *Adrianum I.* ex qua refertur Canone *Eos*, Causa I. q. I. Simoniacam Pravitatem hæresim esse Macedonianorum errore damnabiliorem asserit: *Illi enim* (inquit) *creaturam, & servum Dei Patris, & Filii Spiritum Sanctum delirando fatentur: Isti vero* (scilicet Simoniaci) *eumdem Spiritum Sanctum efficiunt suum servum. Omnis enim dominus, quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquid aliud eorum, quæ possidet: Similiter, & qui emit, dominus ejus volens esse quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit: Ita, & qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui Sancto, æqualiter peccantes his, qui blasphemaverunt, dicentes, Christus in Beelsebub ejicere Demonia: Atque, ut verius dicam, Judæ comparantur proditori, qui Judæis Christum vendidit.* Quod sic explicat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, loco supra citato, ad secundum: *Ratione falsæ æstimationis quam Simoniacus in actu demonstrat, dicitur Simonia esse gravior quam Macedonii Hæresis, qui posuit Spiritum Sanctum esse Patris, & Filii servum: Simoniaci autem in suo actu ostendunt se æstimare, quod sit servus hominis, si ab homine potest emi, & vendi.*

Quo sensu Simonia gravior dicatur, quam Macedonii Hæresis?

Ethnicos Deorum quos se colere profitebantur, revera contemptores, & illusores fuisse *Tertullianus* probat *Apologetici* cap. XIII. quia nimirum illos „ vendebant. Domesticos Deos (*inquit*) quos Lares dicitis, domestica po- „ testate tractatis, pignorando, venditando, demutando.... Publicos æque „ publico Jure fœdatis, quos in hastario vectigales habetis. Sic Capitolium, „ sic olitorium forum petitur: Sub eadem voce Præconis, sub eadem an- „ notatione Quæstoris Divinitas addicta conducitur. Sed enim agri tributo „ onusti, viliores: Hominum capita stipendio censa, ignobiliora. Nam hæ „ sunt notæ captivitatis. Dii vero qui magis tributarii, magis sancti; imo „ qui magis sancti, magis tributarii. Majestas quæstuaria efficitur, circuit „ cauponas Religio mendicans. Exigitis mercedem pro solo Templi, pro „ aditu Sacri. Non licet Deos nosse gratis: Venales sunt „. Quanti ergo contemptus in Spiritum Sanctum rei sunt, qui res spirituales vendunt, vel emunt.

Ethnicos qui Deos suos vendebant Simoniacus imitatur?

Simoniam crimen esse omnibus criminibus atrocius, sacri Canones diserte docent: *Omnia crimina* (inquit Paschalis II.) *ad comparationem Simoniacæ Hæresis quasi pro nihilo reputantur.* Refertur Causa I. qu. ultima, Canone ultimo. Idemque repetit *Innocentius III.* cap. *Per tuas*. Ext. *De Simonia*. Simoniaca *pestis sui magnitudine alios morbos vincit:* (inquit *Lucius* Papa, cap. *Sicut*, Ext. *De Simonia*.) Quamobrem crimen illud sensu quodam inexpia- „ bile *S. Ambrosius* dixit Lib. IV. in Lucam: Inexpiabilis est (*inquit*) ven- „ diti culpa Mysterii, & gratiæ vindicta cęlestis transit ad posteros. Deni- „ que Moabitæ, & ceteri, non intrabunt in Ecclesiam Dei usque ad ter- „ tiam, & quartam generationem. Tamdiu videlicet donec culpam aucto- „ rum multiplicis successio generationis aboleret. Sed cum illi, qui in Deum

Simonia crimen atrocissimum.

„ ido-

„ idololatriæ errore deliquerunt, in quartam generationem videantur esse „ mulctati: profecto durior videtur esse sententia, qua Giezi semen usque in „ æternum pro cupiditate habendi, Prophetica Auctoritate damnatur, præ- „ sertim cum Dominus noster Jesus Christus per Lavacri Regenerationem „ omnibus remissionem dederit peccatorum; nisi ut vitiorum magis quam „ generis semen intelligas. Sicut enim, qui filii promissionis sunt, æsti- „ mantur in semen bonum: Ita etiam, qui filii erroris sunt, æstimantur in „ semen malum. Nam & Judæi ex patre Diabolo, non utique carnis suc- „ cessione, sed criminis. Ergo omnes cupidi, omnes avari, Giezi lepram „ cum divitiis suis possident, & male quæsita mercede, non tam patrimo- „ nium facultatum, quam thesaurum criminum congregarunt æterno suppli- „ cio, & brevi fructu. *Hæc S. Ambrosius, qui & paulo superius ait*: Habes „ Domini præceptum, Vatis exemplum, Gratis accipere, gratis dare: nec „ vendere Ministerium, sed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gra- „ tia, nec in Sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium Sacerdotis.

V. Pecuniam igitur, vel quodlibet aliud pecunia æstimandum, dare, vel accipere non licet, neque pro Sacramentis, quæ sunt causa gratiæ, quæ prætio æstimari non potest, & cui repugnat, quod gratuito non detur: Neque pro spiritualibus actibus, quales sunt Administratio Sacramentorum, usus spiritualium donorum, ut Prophetiæ, divini verbi prædicatio, Ecclesiasticæ Jurisdictionis usus, laudes divinæ, Religiosa Professio, &c. Neque pro his, quæ sunt spiritualibus annexa, ut Beneficia Ecclesiastica, Jus Patronatus, &c. Hæc enim omnia spectat sententia illa Christi Domini: *Gratis accepistis, gratis date*: Quam *Diligenter, accurate, & ad litteram observare* debemus; *nec in iis, quæ technas sophisticas non admittunt, ut sophistica calliditate, nec aleam periculosam jacere* (inquit *Gennadius* Patriarcha Constantinopolitanus cum sua Synodo.) Nihil ergo refert, an pecunia pro Beneficio, aut quavis alia re spirituali offeratur *Tanquam pretium*, vel incitamentum, seu *Motivum*; & flagitiosa, ac erronea illa opinio est, quæ *Simoniam Juris divini* esse negat, quando datur spirituale propter temporale, solum tanquam *Propter motivum*, vel *titulo gratitudinis antidorali*, modo non detur, ut rei spirituali, verbi gratia Ordinationi, vel Beneficio *æquale pretium*, nec spirituale pro temporali *tanquam pro æquali* commutare quis velit, ut temporale pluris, vel tanti æstimet, quam ipsum spirituale. Distinctiuncularum enim hujusmodi vanitas ex eo patet, quod his admissis tam rarum esset Simoniæ vitium, ut ab illo possent facile defendi, & excusari, vel *Balaam*, vel *Giezi*, vel ipse *Simon Magus*. Numquid enim *Balaam* confidenter asseverare non poterat, se munus a Rege Moabitarum accepisse non ut pretium, sed ut motivum? Neque enim vel Rex curabat, quoniam ille titulo munus acciperet, dum quoquo modo ad maledicendum Populo Israel ipsum permoveret: Nec *Balaam* admodum curabat, quonam titulo oblatum munus sibi obveniret, modo suam inde avaritiam expleret. Numquid profanus *Giezi* cum magna confidentia non obtenderet se immerito Simoniæ insimulari, ob idque lepra percuti, cum non alio quam gratuitæ compensationis titulo munus a *Naaman* petierit, & impetraverit; nec sub ratione pretii, quasi divinum miraculum compensaturus, ipsi duo talenta *Naaman* obtulerit, sed gratiam tantum ei relaturus: *Obsecro* (inquit) *ut accipias benedictionem a servo tuo*. Unde nec *Elisæus* ipsum reprehendens ait: Accepisti argentum, accepisti vestes, ut pretium miraculi: sed simpliciter, *Accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas*. Numquid tamdem & ipse *Simon Magus* dicere non pos-

Error est asserere Simoniam non esse, pecuniam offerre pro Beneficio, aut quavis alia re spirituali, tanquam motivum, tametsi dicatur non offerri tanquam pretium.

possent. Se obtulisse Apostolis pecuniam non sub formali ratione pretii, sed tanquam motivum, quo eorum voluntatem incitaret ad conferendum sibi potestatem impertiendi Spiritum Sanctum per manuum impositionem? Neque enim ille curabat modum, dum tamen spiritualem illam potestatem quoquo modo consequeretur. Nec S. Petrus eum reprehendit, quod voluerit pecuniam pro æquali commutare: sed, *Pecunia tua* (inquit) *tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecunia possideri?* Quod enim pecuniæ collatione per modum illecebræ permoventis, absque pretii cogitatione, vel expressa comparatione rei spiritualis cum temporali obtinetur, nihilominus pecunia possidetur.

Præterea omnia Conciliorum Decreta, omnia Summorum Pontificum Statuta, omnes Patrum Sententiæ, quibus Simonia proscribitur, ita generales sunt, ut nulla earum excipiatur illa species, in qua datur pecunia, non ut pretium, sed ut motivum; licet hoc genus dandæ pro Beneficiis pecuniæ semper frequentissimum fuerit: Quinimmo his verbis concepta sunt multa Ecclesiæ Decreta, ut vanas illas argutias penitus elidant. Nunc enim generatim negant fas esse per pecuniam ad Ecclesiæ Dignitates pervenire. *Si quis* (inquit Canon Apostolicus xxx.) *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit Dignitatem, dejiciatur*. Nunc generatim vetant ne quis ad Ecclesiæ Munia consequenda aliquid offerat: *Si quis* (inquit Concilium Toletanum VIII.) *pro percipienda dignitate*. Quolibet Præmium *detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore Anathematis se noverit opprobrio condemnatum*. Nunc decernunt nullo prorsus modo in conferendis Ecclesiæ Honoribus utilitatis terrenæ rationem irrepere debere. *In nulla Ordinatione* (inquit *S. Gregorius* Libro IV. Epistola VIII.) *Fraternitati vestræ commoda* Quolibet modo *surrepant, ne laqueis Simoniacæ (quod absit) Hæreseos alligetur*. Concilium Tolosanum anno millesimo quinquagesimo sexto, Canone I. *Si quis Episcoporum* (inquit) *accepta* Quocumque modo *pecunia ordinaverit Episcopum, Abbatem, Presbyterum, Diaconum, aut quemcumque alium, qui numeratur inter Clericos, ipse gradus sui subjaceat periculo: & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex hujusmodi mercimonio, sed sit alienus ejus Dignitatis, & Ordinis, quem per pecunias acquisivit*.

Denique *Innocentius III.* detestandas illas astutias, quibus Simoniæ vitium palliatur, diserte damnavit in Epistola ad Archiepiscopum Cantuariensem. „ In tantum (*inquit*) peccatis exigentibus, corda quorumdam Simoniaca „ Pravitas depravavit, ut in exterminium Canonicæ Sanctionis, & in elu„ sionem quodammodo divini Judicii, lucris turpibus inhiantes, ac dicen„ tes in corde suo, Non est Deus, Simoniam sub honesto nomine pallient, „ quasi mutato nomine, culpa transferatur, & pena. Verum nec Deus, se„ cundum Apostolum, irridetur, nec tales Simonis Sectatores, etsi tempo„ ralem in præsenti forsan eludant, in futuro pœnam effugient sempiter„ nam, cum nec honestas nominis malitiam palliabit, nec vox poterit abo„ lere reatum.

Merito itaque ab Academia Lovaniensi anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo, a Sacra Facultate Parisiensi die decima sexta Julii anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi octavi in Censura Apologiæ Casuitarum, a plerisque Galliarum Episcopis in Censuris perniciosi ejusdem Libri, & ab *Alexandro VII. & Innocentio XI.* Pontificibus Maximis damnatæ sunt Propositiones sequentes. Propositiones damnatæ.

Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi con-

conferre non tenebatur. Quæ propositio XXII. est inter eas, quas damnavit *Alexander VII.* die XXIV. Septembris anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto.

„ Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non „ datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel „ efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita com- „ pensatio pro spirituali, aut e contra.

„ Et id quoque locum habet etiamsi temporale sit principale motivum „ dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud plu- „ ris æstimetur quam res spiritualis. Quæ Propositiones sunt XLV. & XLVI. inter eas, quas damnavit *Innocentius XI.* die secunda Martii, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo nono.

De his Propositionibus ita judicavit Clerus Gallicanus in Generali Conventu anni 1700. *Hæ Propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ, Hæresim simoniacam, Sacra Scriptura, Canonibus, & Pontificiis Constitutionibus reprobatam, mutato tantum nomine, per fallacem mentis, sive intentionis Directionem inducunt*.

S. Thomas hac in materia Moralis Christianæ corruptoribus non favet.

Perperam vero *S. Thomæ* suffragio damnatas illas Propositiones defendere quidam moliti sunt, his illius verbis freti in IV. *Sententiarum* Dist. XXV. qu. II. art. II. Quæstiunc. I. *Sacramenta non possunt licite vendi, aut emi, quia pretium emptionis ponitur quasi mensura adæquans illud, quod emitur*. Qui enim totum loci hujus contextum expenderit, statim agnoscet, secundum *S. Thomæ* mentem vere vendi Sacramenta, seu quaslibet res alias spirituales, cum gratis non dantur, quamvis pecuniam, quam dat aliquis, vel recipit, non spectet, ut pretium rei spiritualis, nec ipsam cum re spirituali æ- „ quare velit. Cum (*inquit*) Sacramenta contineant, & causent gratiam, „ non possunt licite vendi, aut emi propter tria: Primo, quia Dispensator „ Sacramenti non est dominus, sed minister; emptio autem debet fieri a „ domino rei. Secundo, quia pretium emptionis ponitur quasi mensura a- „ dæquans illud, quod emitur: Gratia autem non potest commensurari ali- „ cui corporali bono. Unde injuriam gratiæ facit, qui Sacramenta gratiæ „ vendit, aut emit. Tertio, quia gratia ex hoc nomen accepit, quod gra- „ tis datur; unde contra rationem gratiæ facit, qui Sacramenta gratiæ quasi „ venalia tractat.

Præterea *S. Thomas* quæst. III. art. III. rotunde asserit, *Quicumque pro aliquo temporali commodo dat aliquod spirituale, vel annexum, Simoniam committit:* Nec discernendum innuit an detur tanquam pretium rei spiritualis, vel motivum seu incitamentum flectens alicujus animum ad conferendam rem spiritualem, vel spirituali annexam.

Tertio, si ad Simoniam Juris Divini necesse esset, ut quis rem temporalem rei spiritualis pretium esse crederet, aut pluris, vel tanti valere, ac rem spiritualem, Simonia esse non posset absque hæresi proprie dicta. Sed non ita se res habet secundum *S. Thomam*, qui Simoniacos proprie, & per se loquendo hæreticos esse negat, *Cum non habeant falsam opinionem*: Sed hæreticos dici ait *propter similitudinem actus, quia ita operantur, ac si æstimarent Donum Spiritus Sancti pecunia possideri, quæ æstimatio esset hæretica*.

Nec illis patrocinatur Gersonius.

Perperam etiam Venerabili *Gersonio* Parisiensis Academiæ Cancellario damnatus error tribuitur in Tractatu *De Simonia*, cum ibi duplex Simoniacæ pravitatis genus expresse distinguat, unum, quo temporale bonum, ut motivum principale spiritualis actionis spectatur; alterum, quo consideratur ut pretium rei spiritualis. Sic enim habet: *Prima Propositio: Finis principaliter intentus recipiendi temporalia pro ministratione spiritualium reddit hominem proprie*

prie

prie simoniacum in foro conscientiæ, & ad Deum. Et si hanc intentionem apertis ad extra monstret indiciis, censendus est in Ecclesiastico foro Simoniacus, vel de Simonia vehementer suspectus.

Secunda Propositio: Finis principaliter intentus accipiendi temporalia pro administratione spiritualium, tanquam ibi sit adæquatio vera pretii ad pretium, sicut est in commutatione temporalium ad invicem, reddit hominem proprie Simoniacum.

Et infra: „ Resolvendo (inquit) materiam de Simonia, possumus inveni-
„ re distinctionem quadruplicem de intuitu, vel respectu commodi temporalis
„ pro spirituali. Potest enim intuitus ferri ad temporale commodum, primo
„ tanquam ad pretium rei spiritualis, quasi sit adæquatio valoris unius rei ad al-
„ teram, sicut inest in emptione, & venditione civilibus. Potest secundo
„ ferri intuitus ad commodum temporale, tanquam ad motivum principale
„ dandi spiritualia, vel ad finem ultimum in quo consistit intuitus spiritua-
„ le conferentis. Potest tertio ferri intuitus commodi temporalis tanquam ad
„ motivum minus principale, vel ad finem subordinatum sub ultimo fine.
„ Potest quarto ferri intuitus commodi temporalis, tanquam ad rem debi-
„ tam jure divino pro sustentatione illius, qui spiritualia administrat ....
„ Tunc ad propositum dicimus, quod primus intuitus, & secundus, sunt
„ vere simoniaci de Jure Divino, & humano. Tertium vero, & quar- 1. Thessal.
„ tum intuitum a Simoniæ labe puros esse docet, modo illud Apostoli ob- 5. 22.
servetur: *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Neque etiam necesse est ad Simoniæ pravitatem, ut pactio aliqua expressa intercedat; sed datio, vel acceptio munerum, absque expressa pactione, simoniaca censetur. Unde Canone *Salvator*, Causa 1. qu. III. *Urbanus II.* ait: „ Quis-
„ quis res Ecclesiasticas (quæ dona Dei sunt, quoniam a Deo fidelibus, &
„ a fidelibus Deo donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis
„ dari debent) propter sua lucra vendit, vel emit, cum eodem Simone Do-
„ num Dei possideri pecunia existimat. Ideo qui easdem res non ad hoc, ad
„ quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti ob-
„ sequii, vel pecuniæ largitur, vel adipiscitur, Simoniacus est, cum prin-
„ cipalis intentio Simonis fuerit sola pecuniæ avaritia.

Datio, vel acceptio munerum pro Beneficiorum collatione Simoniaca est, tametsi pactio expressa non intercedat.

Idem confirmat *B. Petrus Damiani*, Opusculo XXXI. cap. V. „ Et quia (*in-*
„ *quit*) sunt nonnulli, qui vel antequam Consecrationis exhibeant Ministeri-
„ um, vel ante decisum causæ negotium, nullum pacti sunt commodum: post-
„ modum vero tanquam a debitoribus exigunt, & extorquendis remuneratio-
„ nibus vehementer insistunt; hi se Giezi non dubitent crimen incurrere, qui
„ postquam Naaman curatus est, jamque revertens, de Dono Sancti Spiritus
„ ausus est pecuniam postulare. Et sicut ille non alia quam lepræ plaga per-
„ cussus est, quæ homines removebat a castris, sic iste non levi, sed illius
„ labe perfunditur criminis, quod ab Ecclesiæ separat Sacramentis.

ARTICULUS III.

Quotuplex Simoniæ genus?

I. Simonia triplex est, mentalis, conventionalis, & realis. Mentalis est, quæ solo animi consensu perficitur absque ulla conventione expressa, vel tacita. Conventionalis est, qua expresse, vel tacite initur contractus super re spirituali vendenda, vel emenda, sed ille contractus non est executioni mandatus ab utraque parte; ut si emptor recepit quidem Beneficium, sed pretium conventum non solvit; aut si vice versa pretium quidem solvit, sed Beneficium non recepit. Realis est, in qua tria hæc concurrunt actu, scilicet pactio expressa, vel tacita de re temporali pro spirituali, solutio pretii, & receptio rei sacræ.

Nec tamen necesse est ad Simoniam realem, ut totum temporale, quod promissum est, sit solutum; vel totum spirituale, quod promissum est, sit traditum: sed sufficit ad completam Simoniæ realis rationem, quod utrinque aliquid sit traditum.

II. Dividunt alii Simoniam in eam, quæ Divini, & eam, quæ Ecclesiastici Juris est. Prima (inquiunt) prohibita est, quia mala, ut emptiones, aut venditiones Sacramentorum, Sacramentalium, Excommunicationis, Absolutionis, Præbendæ, Prædicationis, Beneficiorum, Juris Patronatus. Altera mala est, quia prohibita. Hujus generis Simoniam esse volunt in Permutatione Beneficiorum absque Superioris auctoritate: neque enim hic datur spirituale pro temporali, ut ut in Simonia prioris generis; sed datur spirituale pro spirituali, quod non est ex se malum, siquidem auctoritate Superioris fieri potest; sed propterea malum est, quia per Ecclesiam est prohibitum cap. *Quæsitum*, & cap. *Cum olim*, Ext. *De Rerum Permutatione*. Similem Simoniam esse ajunt, quando Beneficiorum præsentationes, collationes, possessiones, institutiones fiunt cum pacto, modo, vel conditione, per se forte non malis, sed tamen ab Ecclesia prohibitis, cap. *Accepimus*, & cap. *Pactiones*, Ext. *De Pactis*. Ad idem genus pertinere volunt venditionem, & emptionem rerum aliquarum, quæ nihil spirituale continent, sed solum sunt Officia ad temporalium Ecclesiæ Administrationem instituta, ut Oeconomatus, Vicedominatus, Advocatio, &c Quorum venditionem velut Simoniacam prohibent Concilium Chalcedonense, & Canon *Salvator*, Causa 1. quæst. 111.

Divisio Simoniæ in eam, quæ divini, & eam, quæ sit Ecclesiastici juris, Patribus, Conciliis, Pontificibus, & S. Thomæ incognita.

Verum hæc divisio Simoniæ veteribus Patribus, Conciliis, Pontificibus, ipsique *S. Thomæ*, incognita, aut saltem ab iis non probata, mihi non placet. Cum enim Simonia sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, & res spirituales sint indebita venditionis materia, ob triplicem rationem ex jure naturali, & divino petitam, quam exponit *S. Thomas*; fieri non potest Ecclesiæ Decreto, ut res spiritualis, vel spirituali annexa, vendatur, aut ematur absque violatione Divini Juris: Quamvis Ecclesia pactiones quasdam, permutationes, aut venditiones, emptionesque, propter Simoniæ speciem, aut periculum prohibere possit, justeque prohibeat sub iisdem pœnis, quæ in Simoniacos latæ sunt. Unde recte *Silvius* in Secundam Secundæ, quæstione centesima, art. 1. quæsito 11. ubi hanc simoniæ duplicis distinctionem explicuit: *Sunt quidem* (inquit) *Auctores, qui divisionem allatam non approbant, existimantes nullam esse Simoniam, quæ jure tantum humano prohibeatur. Verum discordia videtur esse de nomine: Non enim asseritur, quod aliqua sit Simonia, in quam proprie, & perfecte competat ratio Simoniæ, & tamen solum prohibeatur jure humano; sed dicitur esse aliquod vitium habens similitudinem, & participans imperfectam rationem Simoniæ: Quod ideo vocatur Simonia, non naturali, sed positivo jure prohibita.*

Id Venerabilis *Gersonii* verbis Tractatu *De Simonia*, Consideratione 1. confirmatur. *Plane* (inquit) *nulla est proprie Simonia, nisi quia prohibita Jure Divino, ubi scilicet convenit contractus iste rerum spiritualium pro re commensurabili numismate, Do si des, vel, Do ut des. Nihilominus apponitur in aliquibus contractibus non de se simoniacis pœna Simoniæ; ubi verum est, quod hoc ideo dicitur simoniacum, quia lege humana prohibitum, sicut aliquis punitur tanquam Hæreticus præsumptione Juris positivi, vel operis, qui veraciter est Catholicus.* Sed de nomine litigare nolim, modo ea distinctione Simoniæ duplicis, unius, quæ Divino, alterius quæ Ecclesiastico tantum jure prohibita sit, ad laxiores hac in materia opiniones asserendas non abutantur, qui illam usurpant.

III. Celebrior est divisio Simoniæ ratione simoniaci muneris, quod pro re spirituali datur, scilicet muneris *A manu*, *Ab obsequio*, & *A lingua*. Munus a manu est pecunia, vel res quæcumque pecunia æstimabilis. Munus ab obsequio est obsequium ab aliquo exhibitum ea lege, vel intentione ut Beneficium ipsi conferatur; ut si quis Episcopi sit Capellanus, seu (ut loquimur) Eleemosynarius, aut Notarius, aliave ratione illi ministret absque stipendiis, ea lege, vel pactione expressa, vel tacita, sive ea spe, & intentione, ut ei Beneficium tribuatur: vel ipsi Beneficium detur ea conditione, ut absque stipendiis ministret: vel si Nobilis Patronus filiorum suorum Præceptori, aut suorum negotiorum Procuratori stipendii loco Beneficium conferat, vel promittat. Munus a lingua est favor, adulatio, preces in gratiam alicujus, maxime indigni factæ. Simoniacum munus triplex, 1. a manu 2. ab obsequio 3. a lingua.

Hæc divisio traditur Canone *Salvator*, Causa 1. qu. III. ex *Urbano II.* eamque antea exposuerat *S. Gregorius* Homilia IV. in Evangelia, ex qua refertur Canone *Sunt nonnulli*, Causa 1. qu. 1. *Sunt nonnulli* (inquit) *qui quidem nummorum præmia ex Ordinatione non accipiunt, sed tamen sacros Ordines pro humana gratia largiuntur; atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt: Quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris. Unde bene cum justum virum describeret Propheta, ait:* Qui excutit manus suas ab omni munere. *Neque enim dicit: Qui excutit manus suas a munere; sed adjunxit*, ab omni; *quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa: Munus a manu, pecunia est: Munus a lingua, favor. Qui ergo Sacros Ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.* Totam hanc sententiam repetit Concilium Aquisgranense sub *Ludovico Pio* Imperatore Canone XXXVIII. sed & ante *S. Gregorium* eam divisionem non obscure innuit *S. Hieronymus* in cap. 1. Epistolæ ad *Titum*, ex quo refertur Canone *Moyses*, Causa VIII. qu. 1. Eamdem divisionem tradit *Gregorius VII.* Lib. VI. Regesti, Epist. XXXIV. Isa. 33.

Et *B. Petrus Damiani* Epist. II. Lib. II. explicans eumdem Isaiæ locum: *Munus a manu* (inquit) *pecunia: Munus ab obsequio, obedientia subjectionis: Munus a lingua, favor adulationis. Et cum ab unoquoque horum manus excutiendas Propheta denunciet, omnibus his manus implicasse convincitur, qui nanciscendæ Dignitatis ambitu Potestatum sublimium castra sectatur. Nam dum in vehiculis acquirendis, diversorumque sumptuum apparatibus, non modica summa profunditur. hic procul dubio datæ pecuniæ obnoxius invenitur: Qui etiam nulli dubium quin ei, & obsequium præbeat, cui factus assecla sub tanto laboris, & itineris fasce desudat. Postremo dum Domino suo blandiri, ejusque voluntati congruere per omnia nititur, sæpe sibi quibusdam adulatoris favoribus assentatur. Porro autem quisquis in dandis, accipiendisve Dignitatibus Ecclesiasticis una duntaxat earum, quæ prædictæ sunt, peste corrumpitur, Simoniacæ Hæreseos teneri crimine judicatur. Quam ergo sui afferent excusationem, qui licet verbis non contraxerint venalis pacta commercii, operatione tamen non uno, sed omnibus his probantur laqueis irretiti? Verumtamen jactant se, & eo gloriantur innoxios, quia nullam talenti summam pro suscipiendis honoribus se pepigere daturos. Sed dic mihi, o Clerice! quisquis es, si redempto quolibet aureo vase, vel prædio, distractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii hujusmodi sibi sedulitatis impendium exhiberes, numquid non postmodum constanter assereres, te, quod acceptum est, justo pretio comparasse? Non videlicet, quia pecuniam persolvisti, sed quia servitium præbuisti .... Nequaquam ergo sibi*

innocentiam spondeant, & a Simoniacæ Hæreseos maculis se mundos esse confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro suscipiendis Honoribus subjectionis, & obsequii, quædam quasi talenta persolvunt.

Eamdem Simoniæ divisionem explicat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Dist. XXV. qu. III. art. III. *Simonia* (inquit) *consistit in emptione, & venditione spiritualium, vel eorum, quæ sunt eis annexa. Emptio autem, vel venditio consistit non solum in datione, & acceptione pecuniæ, sed omnium eorum, quorum potest pretium numismate mensurari. Omnis autem temporalis commodi pretium potest numismate mensurari: Et ideo quicumque pro aliquo temporali commodo dat aliquod spirituale, vel annexum, Simoniam committit. Bonum autem temporale, quod potest aliquis ab alio exspectare, vel est ex parte animæ, sicut amicitia, aut favor aliquis; & quantum ad hoc est munus a lingua: vel ex parte corporis, sicut aliquis actus corporaliter exercitus; & quantum ad hoc est munus ab obsequio, sicut obsequium aliquod exhibitum: vel est aliquid exteriorum bonorum; & sic est munus a manu, quod consistit in exterioribus bonis. Quantum ad primum, committitur Simonia per munus a lingua; quia lingua opinionem exprimit, & gratiam conceptam: Quantum ad secundum, per munus ab obsequio: Quantum ad tertium, per munus a manu.*

Et Secunda Secundæ, quæstione centesima, art. V. *Nomine* (inquit) *pecuniæ intelligitur cujuscumque pretium, quod pecunia mensurari potest. Manifestum est autem, quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari. Unde, & pecuniaria mercede Ministri conducuntur. Et ideo idem est, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data, vel promissa qua illud obsequium æstimari posset. Similiter etiam, quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideo sicut contrahitur Simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus a manu: ita etiam contrahitur per munus a lingua, vel ab obsequio.*

Frustra vero quis objiceret, Beneficium duo complecti, unum spirituale, aliud temporale: Hoc pecunia æstimari, & commutari posse, non illud: Adeoque se pecunia, obsequio, vel precibus temporale duntaxat, non spirituale obtinere velle.

Spirituale & temporale Beneficiis indivulsa, adeo ut unũ sine altero vendi non possit.

Ista namque duo esse prorsus indivulsa, & inseparabilia, nec flexu mentis fieri posse, ut unum vendatur alio non vendito docet *Paschalis* Papa, Canone. *Si quis objecerit*. Causa I. qu. III. *Si quis objecerit, non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur: Nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale quid sine corporalibus rebus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit; quisquis alterum vendit, sine quo, nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit. Nullus igitur emat Ecclesiam, vel Præbendam, vel aliquid Ecclesiasticum: nec pastellum antea, vel postea pro hujusmodi solvat.*

Hinc Rhemense Concilium anno 1583. *Illi* (inquit) *inprimis, & proprie habeantur, prout sunt, Simoniaci, qui Beneficia, resque spirituales pecunia comparant, vel conferunt, vel certe rebus, quæ pecunia æstimari queant. Nam eorum impudentissimum prætextum detestamur, qui de solo proventu, reque temporaria se pacisci dicunt, cum ea spirituali tam arcto sit annexa vinculo, ut non magis una ab altera divelli queat, quam in homine vivo manente corpus a sua Anima.*

Hinc *B. Petrus Damiani* in Epistola ad *Alexandrum II.* Clericos Schismaticos refellit, qui Simoniam committi negabant emptione Episcopatus, aut alterius Beneficii, quia *Non emi Sacerdotium, sed possessionem prædiorum obtendebant. Nam quemadmodum ille Pater dicitur, ex cujus femore sola*

caro

caro est egressa, non anima: sic ille proculdubio dicendus est mercator Ecclesiæ, qui per terrena, quæ redimit, ad honoris culmen ascendit & per temporalis commercium lucri, emptor efficitur nihilominus Sacramenti.

Verum (inquies) Calix consecratus licite venditur, modo pretium non augeatur propter consecrationem, ut colligitur ex Canone *Hoc Jus*, Causa x. qu. II. & Jus Patronatus transfertur per venditionem feudi cum Juribus temporalibus, quibus est annexum, ut habetur cap. *Cum sæculum*, & cap. *De Jure*. Ext. *De Jure Patronatus*: Quidni ergo & fructus, seu proventus Beneficii licite vendi possunt, re spirituali minime vendita?

Respondetur, Id intercedere discriminis inter Calicem, & Jus Patronatus ex una parte, & Beneficium ex altera, quod venditio Calicis, aut feudi, non cadat super consecrationem, aut Jus Patronatus feudo adhærens, sed super vas ipsum materiale, aut bona temporalia, quibus Jus Patronatus annexum est, & quorum Patronus dominium habet. At in venditione Beneficii, venditio non caderet in fructus, quorum collator non est dominus, sed merus dispensator: Nemo enim vendere potest id, cujus dominium non habet: Caderet itaque pretium pro Beneficio datum, & receptum in ipsam Beneficii collationem, sive institutionem ad divinum Ministerium, quæ plane spiritualis est. Præterea, in temporalibus, quæ antecedenter spiritualibus sunt annexa, ut Calix sacer, & feudum Jus Patronatus conjunctum habens, res sacra est, quid accessorium, res autem temporalis est ipsum principale: *accessorium* autem *naturam sequitur principalis*, ut habet Regula Juris in Sexto. In temporalibus vero consequenter adnexis rei spirituali, qualia sunt Beneficia, res sacra est ipsum principale, & res temporalis est accessorium: siquidem Beneficium non datur nisi propter Officium: Unde Beneficii proventus vendi non possunt, sicut nec ipsum Officium, seu Ministerium sacrum. Ita rem explicat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 100. art. IV. „ Aliquid (*inquit*) „ potest esse annexum spiritualibus dupliciter: Uno modo, sicut ex spiri- „ tualibus dependens: sicut habere Beneficia Ecclesiastica dicitur spirituali- „ bus annexum: quia non competit nisi habenti Officium Clericale: unde „ hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus: & propter hoc ea „ nullo modo vendere licet: quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritua- „ lia venditioni subjici. Quædam autem sunt annexa spiritualibus, in quan- „ tum ad spiritualia ordinantur: sicut Jus Patronatus, quod ordinatur ad „ præsentandum Clericos ad Ecclesiastica Beneficia: & vasa sacra, quæ or- „ dinantur ad Sacramentorum usum: unde hujusmodi non præsupponunt „ spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt; & ideo aliquo mo- „ do vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa. *Et in* „ *responsione ad secundum*: Vasa sacra (*inquit*) sunt spiritualibus annexa „ sicut fini; & ideo eorum consecratio vendi non potest. Tamen pro ne- „ cessitate Ecclesiæ, & pauperum materia eorum vendi potest. *Et ad ter-* „ *tium*: Jus autem Patronatus per se vendi non potest, nec in feudum dari; „ sed transit cum villa, quæ venditur, vel conceditur. Jus autem spiritua- „ le accipiendi decimas non conceditur Laicis, sed tantummodo res tem- „ porales, quæ nomine decimæ dantur. *Quod expressius dixerat quæst.* „ LXXXVII. art. III. Jus accipiendi decimas spirituale est; Consequitur „ enim illud debitum, quo Ministris Altaris debentur sumptus de Mini- „ sterio, & quo seminantibus spiritualia debentur temporalia .... Res „ autem, quæ nomine decimarum dantur, & corporales sunt „. Ita de Beneficiorum fructibus dicendum: Jus percipiendi fructus spirituale est, & ab officio sacro, seu divino Ministerio indivulsum; ideoque vendi non potest: Ipsi vero fructus corporales sunt, puta, certa quantitas frumenti, vi-

ni, olei, &c. Quamobrem licite vendi possunt ab eo, qui Beneficium jure possidet; quamvis promitti non possint, vel toti, vel ex parte ei, qui Beneficium confert, aut collationem procurat, vel alteri quem indicaverint: aut ab ipso collatore reservari. *Si ab eo, cui Beneficium confert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius Beneficii; idem est, ac si aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio Simoniæ* (inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, quæstione centesima, articulo III. ad tertium.)

Nec est, quod opponatur, Beneficiorum Curam Animarum non habentium, quæ simplicia vocantur, institutionem, seu Præbendarum assignationem, esse Juris Ecclesiastici, non divini, aut naturalis: adeoque divino Juri, atque naturali non repugnare Beneficiorum hujusmodi venalitatem, sed Juri tantum Ecclesiastico, sicque approbante Romano Pontifice licitam evadere posse.

Sc te namque respondet Cardinalis *Cajetanus*, Tomo II. Opusculorum Tractatu IX. .... Istud esse Sophisma non causæ, ut causæ. Nam dependentia Beneficiorum simplicium a Jure Ecclesiastico non est causa cur licite vendi non possint, sed ipsorum spiritualitas. Res enim spirituales quantumvis a Jure Ecclesiastico pendeant, sunt extra humanum commercium, nec vendi absque Simonia possunt. Tales sunt Consecrationes Altarium, Ecclesiarum, Calicum, Virginum, &c. quæ positivo quidem Jure sunt institutæ, sed tamen vendi non possunt sine violatione Divini Juris, & Religionis, quia spirituales sunt. Ut igitur vim aliquam haberet Objectio, necesse esset probare Titulum Beneficii rem profanam esse, & mere temporalem, non vero esse quid Ecclesiastico Jure institutum. Ita quamvis Episcopalis Ordo sit a Deo institutus, numerus tamen Episcoporum, & Episcopatuum erectiones, & Diœcesum limites, sunt Ecclesiastici Juris. Nemo enim nescit Ecclesiam posse Diœceses multiplicare, dividere, unire, limites arctare, vel proferre, novos Episcopatus inter barbaras Nationes erigere: Nec tamen Episcopatum ullum etiam novissime erectum vendi posse quis dixerit.

Hinc *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, distinctione XXV. quæstione I. articulo III. hanc sibi secundo loco proponit Objectionem: *Papa potest munus a manu suscipere pro aliquo spirituali: Sed (ut quidam dicunt) Papa non potest committere Simoniam, maxime cum aliqua Persona Ecclesiastica, quia res Ecclesiæ sunt suæ: Ergo non semper committitur Simonia per munus a manu.* Quam objectionem sic diluit: *Ad secundum, dicendum quod opinio illa erronea est: Si enim Papa pro aliquo spirituali munus acciperet, Simoniam committeret, sicut & alius homo; quia sub Petro, cui Papa succedit, Simoniæ vitium damnationem inchoavit in Novo Testamento. Et quamvis res Ecclesiæ sint aliquo modo Papæ, non tamen sunt ejus omnibus modis habendi, sicut aliud, quod ad manum habet. Non est autem dubium, quod Simoniam committeret, si quis aliquod spirituale debitori suo daret, ut quod suum est recuperaret: & ita etiam in proposito Papa a Simonia non excusaretur, si (quod absit) spiritualia pro temporalibus rebus Ecclesiarum daret.*

Et 2. 2. qu. 100. art. I. in Responsione ad septimam Objectionem; *Papa* (inquit) *potest incurrere vitium Simoniæ, sicut & quilibet alius homo. Peccatum enim tanto in aliqua persona est gravius, quanto majorem obtinet locum. Quamvis enim res Ecclesiæ sint ejus ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini, & possessoris. Et ideo si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de redditibus Ecclesiæ alicujus, non careret vitio Simoniæ, Et similiter etiam posset Simoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo Laico non de bonis Ecclesiæ.*

AR-

ARTICULUS IV.

Quæ sint Simoniacorum pœnæ canonicæ?

I. Excommunicationem latæ sententiæ, & Suspensionem ab Ordinum executione, & Beneficiorum administratione sacri Canones, & Constitutiones Summorum Pontificum decernunt in eos, qui Simoniam commiserunt in collatione, aut susceptione Ordinum: Excommunicationem pariter latæ sententiæ in eos, qui Beneficium Ecclesiasticum per Simoniam alicui conferunt, vel procurant, vel ab alio recipiunt: cujus pœnæ remissio, sive Absolutio ab hujusmodi Censuris Sedi Apostolicæ reservata est, secundum Constitutionem *Martini V.* in Concilio Constantiensi editam, quæ incipit, *Multæ*, & *Pauli II.* quæ incipit, *Cum detestabile*, inter Extravagantes communes, Tit. *De Simonia*, quam *Sixtus IV. Leo X.* in Concilio Lateranensi v. & *S. Pius V.* Constitutione, quæ incipit, *Cum primum*, confirmarunt. In similem Excommunicationem incurrunt, quicumque Simoniam commiserunt in ingressu Religionis, tam dantes, quam accipientes, secundum Extravag. *Sane*. Tit. *De Simonia*; quæ est *Urbani V.* Quin & ipsi sacrilegæ nundinationis in Ordinationibus, Collatione Beneficiorum, & receptione ad Religiosam Professionem Mediatores, & sequestri eadem Excommunicatione percelluntur Canone 11. Concilii Chalcedonensis, & Constitutionibus *Pauli II.* & *Martini V.* Simoniaci excommunicationem incurrunt Sedi Apostolicæ reservatam.

II. Beneficii, aut Pensionis Ecclesiasticæ collatio simoniace facta, penitus invalida est: Ideoque tenetur, qui Beneficium illud, aut Pensionem ita suscepit, illis se absolute abdicare, omnesque fructus a se perceptos restituere, sub animæ suæ periculo, secundum Extravag. *Cum detestabile a S. Pio V.* confirmatam. Idem docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, quæstione centesima, art. vi. *Nullus* (inquit) *potest licite retinere id, quod contra voluntatem domini acquisivit; puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alieni contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille, qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt Dispensatores, & Ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundum illud Matth. x.* „Gratis accepistis, gratis date. *Et ideo, qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest.* Simoniacæ collationes invalidæ.

Et in Responsione ad tertium: *Quod aliquis privetur, eo quod accepit, non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ: puta, cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest. Et ideo si aliquis scienter, & propria sponte simoniace accipiat Ordinem, vel Ecclesiasticum Beneficium, non solum privatur, eo quod accepit, ut scilicet careat executione Ordinis, & Beneficium resignet cum fructibus inde perceptis: sed etiam ulterius punitur, quia notatur infamia.*

Concilium Rothomagense anno 1581. Tit *De Episcoporum Officiis*, §. 13. Singulis diebus Dominicis in Pronao, & in omnibus Concionibus declarari jubet, *Vivere in perpetuo statu damnationis, jure & ipso facto excommunicari, nec facere fructus suos, sed teneri ad restitutionem, & Tituli cessionem, quicumque pecunia, aut alterius rei temporariæ pretio expresso, vel tacito Beneficium Ecclesiasticum adipiscuntur, vel alteri procurant, & ab Ecclesiasticis Viris Irregularitatem incurri, quoties in eodem statu celebrarint divinum Missæ Officium. In Confessionibus de Simonia diligenter inquirendum, ac confitenti se aliquod Beneficium pecunia, aut alia re temporali sibi, aut alteri comparasse, Absolutionem (sicut de casu Summo Pontifici reservato) nisi in mortis articulo denegari statuimus.*

Non solum collatio simoniaca Beneficii, sed electiones, postulationes, con-

Idem esto de Electionibus Simoniacis judicium.

firmationes, provisiones, seu quævis aliæ dispositiones omnino irritæ sunt; si labe simoniaca sint infectæ, nec per illos actus Jus ullum ad Beneficia, Dignitates, & Officia Ecclesiastica acquiri potest. Unde si in aliquo illorum actuum Simonia intervenerit, in manibus Collatoris Beneficium ejurare tenetur, qui ad illud promotus est, & fructus Ecclesiæ restituere, secundum *Pauli II.* Constitutionem supra laudatam.

Pœna Simoniæ inhabilitas ad alia Beneficia obtinenda.

III. Simoniaci præterea inhabiles redduntur ad alia Beneficia imposterum obtinenda, ex Concilio Tridentino Sess. XXIV. cap. XVIII. & *S. Pii V.* Constitutione: Quem tamen incapacitatis obicem removet Absolutio a Romano Pontifice impetrata.

Pretium Simoniacum restitundum est, etiam ante sententiam judicis.

IV. Denique Simoniacus tenetur ad restituendum pretium simoniace acceptum, etiam ante Sententiam Judicis, secundum probabiliorem opinionem, cum prætium illud sit injuste quæsitum, nulloque Jure illud retinere possit, qui accepit: Siquidem, nec res spiritualis vendi poterat, nec illius rei dominus erat. Idque colligitur ex *Alexandro III.* cap. *De hoc*, & *Innocentio III.* cap. *Audivimus*, Ext. *De Simonia*: Quorum primum sic habet: *Regem autem, & Principes ejus debes inducere, ut si qua receperint a præfato Episcopo, ut ejus electioni præberent assensum, Ecclesiæ Oxomensi sine diminutione restituant; cum ea sine gravi suæ salutis periculo retinere non possint.* Cui porro fieri debeat Simoniaci pretii restitutio, postea dicemus.

ARTICULUS V.

Regulæ Morales absolutionem Quæstionum circa Simoniam emergentium.

REGULA I.

Quamvis aliqua munera modici valoris sponte oblata post Ordinationem recipere non sit absolute simoniacum, id tamen Episcopis, & eorum Ministris non licet, gravisque peccati rei essent, si aliquid, vel sponte oblatum reciperent.

ID absolute simoniacum non esse, constat ex Canone *Sicut Episcopum*, Causa I. qu. II. qui ex Romana Synodo sub *Gregorio VII.* sumptus est, sive ex Lib. IV. illius Regesti, Epistola XLIV. *Is autem* (inquit) *qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus post acceptas Chartas, & Pallium, aliquid cuilibet ex Clero, & gratiæ tantummodo causa dare voluerit, accipi nullo modo prohibemus: Quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit.*

Idem confirmatur ex cap. *Etsi quæstiones*, Ext. *De Simonia*, quod est *Alexandri III.* Rescriptum ad Archiepiscopum Strigoniensem.

Nihilominus *Paschalis II.* Canone, *Si quis objecerit*, Causa I. quæstione III. & *Innocentius II.* in Synodo Romana Canone secundo, aliquid dari, sive ante, sive post Ordinationem, etiam consuetudinis prætextu prohibuerunt, eamque prohibitionem ad omnem Simoniæ speciem, & occasionem penitus excidendam confirmavit Concilium Tridentinum Sessione XXI. cap. I. De Reformatione: *Quoniam* (inquit) *ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum Collatores, aut eorum Ministri, quovis prætextu accipiant.* Decretum istud saluberrimum amplexa sunt, & promulgarunt Concilia pleraque post Tridentinum celebrata. Mediolanense I. tit. *De his, quæ ad Ordinis administrationem pertinent*, Burdigalense I. tit. *De Sacramento Ordinis*, Tolosanum anno MDXC. &c.

RE-

REGULA II.

Simoniæ vitium incurrunt Examinatores, si munus aliquod occasione examinis ad Ordines suscipiendos, aut ad Beneficia, ante, vel post recipiant.

CUm enim in eos Episcopi circa sacros Ordines potissima cura transmittatur, & ex eorum integritate Clericorum optima designatio maxime pendeat, *Cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscumque muneris cupiditate illecti a vero devient, ut indignum, & minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent, quod si fecerint, & illicite, qui indigne accessit, & illi, qui Spiritus Sancti donum vendere conati sunt, coram Deo condemnati Ecclesiastica Dignitate carebunt.* Verba sunt Concilii Nannetensis can. XI. ex quo refertur hoc Decretum can. *Quando*, dist. XXIV.

Id confirmat Sacra Synodus Tridentina sess. XXIV. *De Reformatione*, cap. XVIII. *Caveantque* (inquit) *ne quidquam prorsus occasione hujus Examinis, nec ante, nec post accipiant: alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi neqeant, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocumque antea obtinebant, & ad alia imposterum inhabiles reddantur.*

Et Concilium Mediolanense V. p. III. tit. De Examinandi Ratione: *Nec vero item, qui Examinatores adsciscuntur, Examinis occasione unquam quicquam, ne esculenta quidem, poculentave capiant: Qui contra fecerit, cum indignus deinceps censeatur, qui id muneris gerat, tum alia pœna arbitrio Episcopi afficiatur.*

REGULA III.

Episcoporum Notarii pro Litteris dimissoriis, aut testimonialibus Ordinum susceptorum, aut Beneficiorum Provisionibus, &c. nihil exigere possunt, nisi forte pro charta, & labore moderatum stipendium ipsis ab Episcopo secundum Synodi Tridentinæ Decreta constitutum. Contraria si quæ sit consuetudo. Simoniacæ Paravitati favet.

HAnc Regulam firmat *S. Gregorius*, in Synodo Romana, ex qua refertur can. *Sicut*, causa I. qu. II. „ Antiquorum Patrum (inquit) Regulam sequens, nulli quicquam de Ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex traditione pallii, neque ex traditione chartarum, *&c.* „ Quia enim in ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, Evangelicam vero lectionem Minister legit, Confirmationis autem ejus Epistolam „ Notarius scribit; sicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere, ita Minister, vel Notarius ejus non debet in Ordinatione ejus vocem, vel calamum venundare. Ex quibus prædictis rebus si quis aliquid „ commodi appellatione exigere, vel petere forte præsumpserit, in districto „ Dei omnipotentis examine reatui subjacebit.

Eadem verba sub *Urbani II.* in Concilio Melphitano nomine referuntur can. *Nullus* causa I. quæst. II. nec multum immutata leguntur in Synodo Romana sub *Gregorii VII.* ex qua referuntur cap. *In ordinando*, Ext. *De Simonia*.

Concilium Valentinum auctoritate *Guillelmi* Sabinensis Episcopi Sedis Apostolicæ Legati in Hispania celebratum sub *Joannis XXII.* Pontificatu, tit. *De Simonia*, ita ea de re decernit: „ Ordinati, si post receptionem Ordinis pro „ scriptura, labore, charta; & cera aliquid offerre voluerint, hoc accipi „ minime prohibetur: Ita tamen, quod hæc gratuita oblatio summam „ quinque Marabetinorum usualis monetæ aliquatenus non excedat; A

pau-

„ pauperibus autem, aut nihil, aut minus accipiat pro prædictis ∴ Nec No-„ tarius, seu scriptor quicquam nisi moderatum exigat pro Collationis litte-„ ra, & sigillo.

Conc. Trid. Decretum de Notariis Episcoporum.

Concilium denique Tridentinum, sess. XXI. *De Reformatione*, cap. I. antiquorum Patrum exempla servari, & Decreta in usu esse optavit, laudabilem consuetudinem vocans, cum Notarii nihil acciperent, sed ejus pro Officio exercendo salarium constitutum esset, vel e publico, vel ab Episcopo nihilque supra decimam aurei partem, nequidem gratis oblatum pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus accipere eis quovis prætextu permisit. Notarii ve-„ ro in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil ac-„ cipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus decimam „ tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum sala-„ rium sit constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo ex Notarii „ commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus dire-„ cte vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos „ omnino præstare teneri decernit; contrarias taxas, ac statuta, & con-„ suetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius „ abusus, & corruptela simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, „ penitus cassando, & interdicendo: & qui secus fecerint, tam dantes, „ quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas a Jure inflictas ipso „ facto incurrant.

Idem lege civili in Galliis constitutum est, Edicti Blesensis Art. XX.

REGULA IV.

Nulla Statuta, aut Consuetudines a Simoniaca Pravitate purgant, quæ in Institutionibus, Collationibus, Confirmationibus, vel aliis Provisionibus, aut admissionibus ad possessionem Beneficiorum exiguntur.

HÆc Regula nititur Canone Concilii Lateranensis sub *Innocentio III.* ex quo refertur cap. *Sicut* Ext. *De simonia*, cujus hæc sunt verba: „ Sicut „ pro certo didicimus, in plerisque locis, a plerisque personis, quasi co-„ lumbas templi vendentibus, fiunt exactiones, & extorsiones turpes, & „ pravæ pro Consecrationibus Episcoporum, Benedictionibus Abbatum, & „ Ordinibus Clericorum; estque taxatum quantum sit isti, vel illi, quan-„ tuncumve alteri, vel alii persolvendum: & ad cumulum majoris da-„ mnationis quidam cupiditatem, & pravitatem hujusmodi nituntur defen-„ dere per consuetudinem longo tempore observatam. Tantum igitur abolere „ volentes abusum, consuetudinem hujusmodi, quæ magis dicenda est cor-„ ruptela, penitus reprobamus, similiter statuentes, ut pro his, sive con-„ ferendis, sive collatis, nemo aliquid quocumque prætextu exigere, aut „ extorquere præsumat.

Simile Decretum ediderat anterius Concilium Lateranense sub *Alexandro III.* ex quo refertur cap. *Cum in Ecclesia*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: „ Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venali-„ tas perhibetur habere: Ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, vel quibus-„ cumque Personis Ecclesiasticis in Sedem, seu introducendis Presbyteris in „ Ecclesiam ∴ seu aliis Sacramentis, aliquid requiratur. Putant autem „ plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine „ arbitrantur; non attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto „ diutius infelicem animam tenuerunt alligatam: Ne igitur hæc de cetero „ fiant, vel pro Personis Ecclesiasticis deducendis in Sedem, vel Sacerdotibus in-„ stituendis ∴ seu aliis Sacramentis conferendis, seu collatis aliquid exigatur.

„ districtius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit „ portionem cum Giezi se noverit habiturum.

Rursus *Innocentius III.* cap. *In tantum*, Ext. *De Simonia*. Cantuariensi Archiepiscopo scribit, ut *Pravam illam consuetudinem de sua Provincia studeat abolere, per quam pro Ecclesiarum Investitura Archidiaconi marcam argenti, minores vero Decani vaccam albam sibi dari postulant, vel certam solvi pecuniæ quantitatem.*

Eamdem Regulam confirmat Sacra Synodus Tridentina sess. XXIV. *De Reformatione*, cap. XIV. „ In pluribus (inquit) Ecclesiis, tam Cathedralibus, „ quam Collegiatis, & Parochialibus, ex earum Constitutionibus, aut ex „ prava consuetudine observari intelligitur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia „ provisione sive admissione ad possessionem alicujus Chathedralis Ecclesiæ, „ vel Beneficii Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, „ seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu deductiones ex „ fructibus, solutiones, promissiones, compositionesve illicitæ, aut etiam, „ quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur; Hæc „ cum S. Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi „ in usus pios, non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, „ aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant; Ipsique „ diligenter de eorum Constitutionibus, sive Consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, „ reliquas ut pravas, ac scandalosas rejiciant, & aboleant. Eos vero, qui „ adversus hæc in præsenti Decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis contra Simoniacos editis, Sacris Canonibus, & variis Summorum Pontificum Constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit: „ Non obstantibus quibuscumque Statutis, Constitutionibus, Consuetudinibus etiam immemorabilibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis: De „ quorum surreptione, obreptione, & intentionis defectu Episcopus tamquam „ Apostolicæ Sedis Delegatus, cognoscere possit.

Et Concilium Rhemense anno MDLXXXIII. *Rerum exactio, quæ pro Canonicorum, & aliorum Beneficiariorum ingressu in plerisque locis suspicione Simoniæ, vel sordidæ avaritiæ non caret fieri nullo modo permittatur: Quamvis laudabiles consuetudines in Concilio Tridentino non damnatas approbemus eorum, quæ in pios usus conferre solent.*

REGULA V.

Fundatio, vel dotatio Canonicatus, alteriusve Beneficii a Clerico, eo pacto, ut illud sibi conferatur, vel ut illud cum altero Beneficio sibi permutare liceat, simoniaca est.

HÆc Regula nititur cap. *Tua nos*, Ext. *De Simonia*, quod *Innoc. III.* Responsum est Decano Belovacensi datum: „ Si quis Clericus (inquit) „ cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro Præbenda retineat, & in Canonicum admittatur: hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio Simoniæ: cum in talibus „ omnis pactio, aut conventio cessare debeat; juxta Canonicas Sanctiones. „ Si vero pure, ac sine pacto, vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro „ Præbenda & Clerici ejusdem Ecclesiæ pure consentiant, hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis. Licet autem taliter „ duximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo

judica-

„ judicare. Si tamen is, qui talem donationem facit ea intentione ducatur; „ ut per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci : & Cleri- „ ci, qui eum in fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi commoda tem- „ poralia perciperent, admiſſuri : ſine dubio tam ille, quam iſti, apud diſtri- „ ctum Judicem, qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum, cul- „ pabiles judicantur.

REGULA VI.

Simoniæ reus eſt quiſquis confert alteri Beneficium ea conditione, vel pacto, ut ille ſibi, aut alteri aliud Beneficium conferat.

HÆc Regula nititur cap. *Quæſitum*, quo Reſponſum eſt *Urbani III.* Ext. *De Rerum Permutatione*, quo Beneficiorum, quæ privata auctoritate fiunt, permutationes pactione præmiſſa, velut ſimoniacæ damnatur. *Generaliter itaque teneas* (inquit) *quod commutationes Præbendarum de Jure fieri non poſſunt, præſertim pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus labem ſemper continet Simoniæ.*

Et cap. *Pactiones*, Ext. *De Pactis*, quod eſt Gregorii IX. *Pactiones factæ a vobis pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis: cum in hujuſmodi omnis pactio, omniſque conventio debeat omnino ceſſare, nullius penitus ſunt momenti.*

Et Concilii Rhemenſis a *Gregorio XIII.* approbati Decreto, cujus hæc ſunt verba: *Si quis aliud Beneficium in compenſationem collationis etiam alteri conferendum exigat, vel aliam quamlibet pactionem a Sede Romana non approbatam fecerit, ſimoniacus eſſe cenſeatur.*

Hinc *S. Thomas*, 2. 2. quæſtione centeſima, art. 1. ad v. *Nomine* (inquit) *emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec permutatio Præbendarum, vel Eccleſiaſticorum Beneficiorum fieri poteſt auctoritate partium abſque periculo Simoniæ, ſicut nec tranſactio, ut Jura determinant.* Et in IV. *Sententiarum*, diſt. XXV. qu. III. art. III. ad VIII. *In permutatione* (inquit) *eſt Simonia, ſi pro aliquo terreno commodo utriuſque, vel alterius, talis commutatio fiat.*

REGULA VII.

Simoniæ rei ſunt, qui dum Beneficium reſignant ſub annuæ Penſionis onere, de illa ipſa Penſione redimenda paciſcuntur, vel etiam extinguunt conferendo, aut procurando Beneficium Eccleſiaſticum.

CUm enim Penſiones rei cujuſdam temporalis naturam induant, utpote quæ cum licentia Summi Pontificis redimi poſſunt : & cum Penſionis extinctio ſit commodum temporale illius, qui ad ejus ſolutionem tenetur; pactio de Penſione redimenda in Benefici Reſignatione ſub Penſionis onere interveniens, aut Conventio de Beneficio conferendo, aut procurando cum pacto, & conditione expreſſa, vel tacita, ut Penſio extincta maneat, æquivalet pacto, aut conventioni de re ſpirituali conferenda pro temporali.

Reſignationes Simoniacæ.

Quamobrem Concilium Rothomagenſe anno MDLXXXI. tit. *De Epiſcoporum Officiis*, §. 17. ita ſtatuit: „ Reſignationes quorumcumque Beneficiorum, „ cum retentione fructuum vel penſione, quæ poſtea ab his, qui Reſigna- „ tiones illas acceptaverint, præſertim pretio, ſine Sedis Apoſtolicæ aucto- „ ritate redimitur, pro ſimoniacis habendas judicamus. Præterquam enim, „ quod mentalem ſaltem Simoniam, aut etiam pactum illicitum anteceſſiſſe „ frequentius deprehenditur, experientia docet hoc unum eſſe velamen ad „ contegendam Simoniæ turpitudinem, & malitiam.

RE-

REGULA VIII.

Pensiones quælibet absque Sedis Apostolicæ Auctoritate super Beneficiis constitutæ ab iis, qui ipsa resignant, simoniacæ censentur.

HAnc Regulam tradit Concilium Rothomagense mox laudatum. *Omnes* (inquit) *Pensiones, pactiones super Beneficiis, in quibus non intervenit Sedis apostolicæ Approbatio, illicitas, & simoniacas declaramus.*

Et Concilium Rhemense anno MDLXXXIII. „ Si quis Beneficium propter „ obsequium, vel impensæ servitutis mercedem conferat, vel de retinenda „ Pensione sibi, vel alteri paciscatur ∴ vel aliam quamlibet pactionem a „ Sede Romana non approbatam fecerit, simoniacus esse censeatur.

Solus autem Resignationis titulus non est ratio legitima, & canonica Pensionis imponendæ, ut superius a nobis probatum est: quia Beneficiarius post renunciationem nihil juris habet, vel ad minimam partem fructuum Beneficii, quod dimittit: ipsa vero renunciatione nullum jus ad fructus acquirit. Tenetur enim vel rite ministrare, ut fructibus potiatur; vel si Beneficio cedere velit, gratis cedere tenetur, nisi titulum proferat aliquem, quo portionem fructuum retinere possit, puta paupertatem, nimiumque dispendium ex renunciatione proveniens, quia scilicet, nec aliunde ex Ecclesiæ bonis, neque ex patrimonio proventum habet, qui ad honestam sustentationem sufficiat. Si vero nullum hujusmodi titulum vere proferre possit, & tamen fructuum partem sibi securam velit, vel pro pretio Beneficii id deposcit, est Simoniacus coram Deo, etiamsi Pontificiam Dispensationem obreptitie impetratam ostendat.

REGULA IX.

Resignationes incognitis, & obscuris hominibus factæ, de Simonia vehementer suspectæ sunt, nec ab Ordinario facile admitti debent.

HAnc Regulam tradit idem Concilium Rothomagense. „ Resignationes „ (inquit factæ prius incognitis, aut his, quos nulla virtus, aut singularis eruditio, aut alia honesta causa commendat, suspectæ de Simonia „ redduntur, præsertim si quid illicite actum fama proclamet. Tales igitur „ Resignationes non debent ab Ordinario absque purgatione canonica, ex „ Decreto Innocentii III. renovato, cum de Canonicis Cathedralium Ecclesiarum tractatum est, admitti.

Innoc. III. cap. Quoties & cap. Inter solicitudines, Ext. De purgatione Canonica.

REGULA X.

„ SImoniæ reus est, qui Beneficium resignat ea conditione, ut Resignatarius emat bona, vel immobilia, vel mobilia, eo præsertim pretio „ quod ipse ultra legitimam æstimationem præfixerit: vel ea lege, ut expensas restituat, quas ad instaurandas, vel amplificandas Ædes Sacerdotales fecit. Ejusdem criminis reus est, qui ea pactione, & conditione „ Beneficium obtinet.

Resignationes Simoniacæ.

REGULA XI.

„ SImoniæ rei sunt, qui mutuo dant pecuniam, aut locant ædes, aut prius „ mutuo datum, commodatum, locatum, aut quomodocumque debitum „ remittunt, aut relaxant, ea conditione, & pactione, tacita, vel expressa, vel ea intentione, ut ipsis Beneficium conferatur: vel qui Beneficium „ accipiunt, pacto expresso, vel tacito debitum proprium, vel alienum

„ remit-

„ remittendi. Idemque judicium esto de illis, qui simili conditione, vel in-„ tentione Beneficium conferunt, aut procurant.

REGULA XII.

Simoniæ rei sunt Clerici, qui Clericalis Status pertæsi, ad nuptias convolant, & beneficia sua futuræ conjugis fratri, aut nepoti resignant, aut conferri procurant, eo pacto expresso, aut tacito, ut puellæ dos augeatur. Simoniacus pariter est, qui confert alicui Beneficium, aut resignat, ut soror, vel neptis ejus fratri, vel nepoti Collatoris, aut Resignantis nubat.

Resignationes Simoniacæ.

IN casibus enim, qui proximis tribus Regulis exponuntur, vel pecunia, vel commodum aliquod temporale pretio æstimandum, pro re spirituali promittitur, datur, recipitur: nec gratis datur beneficium, sed sub pacto oneroso, quod cedit in temporalem Conferentis, aut Resignantis utilitatem: quod ad Simoniacam nundinationem pertinere minime dubium est. Hinc Mediolanense Concilium I. sub. *S. Carolo*, in juramento ad purgandam Simoniam Beneficiariis præscripto, nullos ex istis casibus complectitur. *Neminem* (inquit) *vel præsentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus provisum prius admittant, aut instituant Episcopi, quam infrascriptum jusjurandum ab eo exegerint: Ego Præsentatus, vel Electus, &c. ad Beneficium N. juro per Sacrosancta Dei Evangelia, quæ meis manibus tango, neque me Beneficii obtinendi causa, aut ut ad id præsentarer, vel nominarer, &c. neque quemquam alium meo nomine, aut consentiente, vel sciente me, quidquam Collatori, Patrono, seu alii cuiquam ea de causa promisisse, aut dedisse, aut compensasse, aut prius datum confirmasse, vel apud quemquam deposuisse: neque mutuo dedisse, vel locasse; vel prius mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remisisse, aut relaxasse: nec de domibus; terris; prædiis, redditibus ejus Ecclesiæ, fructibusve, decimis, aut Oblationibus ejusdem præteritis, præsentibus, aut futuris, donationem, remissionem, locationemve fecisse, promisisse, aut inivisse, aut alium mandante, vel consentiente me promisisse, fecisse, aut inivisse. Ita me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

REGULA XIII.

Simoniæ reus est Patronus, qui aliquem ad Beneficium præsentat ea lege, ut Decimas a se, vel ab alio non exigat.

Simonia Patronorum.

HÆc Regula nititur cap. *Veniens*, quod est *Alexandri III.* Responsum, Ext. *De Testibus, & Attestationibus*, quo Simoniæ damnatur Presbyter, *Qui promiserat unicuique Parochianorum quinque barilos vini remittere, qui Sacerdoti ibi pro tempore servienti consueverant pro Beneficio dari.*

REGULA XIV.

Simoniæ rei sunt, qui renuntiant liti super beneficio, aliquod temporale, etiam expensarum nomine exigentes: aut qui resignant beneficium, cum onere restituendi expensas, quas in eo acquirendo fecerunt.

Simonia liti dubiæ super Beneficio renuntiantis.

NItitur hæc Regula cap. *Cum pridem*, Ext. *De pactis*, quod est *Alexandri III.* Responsum. *Cum Clericus* (inquit) *& Monachi pro causa, quæ inter eos vertebatur super Ecclesia, & Capella ad nostram præsentiam accessissent, inter se convenerunt, quod eidem Clerico pro expensis quas fecerat, tres marchæ argenti solverentur, & idem liti cederet. Cumque compositionem ip-*

sam

jam auctoritate Apostolica peterent confirmari. Nos eam non duximus admittendam, pro eo quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.

Certe *Simonia est pecunia parere sibi viam ad rem spiritualem obtinendam* (inquit *S. Thomas*, 2. 2. quæstione centesima, art. 11. ad v.) Ille porro, cui resignatur beneficium cum onere restituendi expensas in ejus aquisitione factas, pecunia parat sibi viam ad beneficium obtinendum; si quidem ipsi beneficium non resignaretur, nisi pecuniam daret: Simoniæ itaque reus est.

REGULA XV.

Simoniam incurrunt, qui ex pacto ad finiendam litem dubiam ob aliquod beneficium intentatam, dant, vel accipiunt pecuniam, aut aliquod pretio æstimandum. Ejusdem sunt criminis rei, qui de quocumque spirituali jure transigunt.

ITa declaravit *Alexander III.* cap. *Super eo*, Ext. *De Transactionibus*, cujus hæc sunt verba: *Super eo, quod quæsivisti, Utrum de Ecclesiastico beneficio in litigium deducto possit fieri transactio: tale damus Responsum, Quod transigi super re sacra, & litigiosa non potest. Etenim res sacræ, ut possideantur aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus habere Simoniæ.*

Idem confirmatur ex cap. *Constitutus*, eodem Titulo, quod ejusdem Pontificis Resp. est. *Constitutus* (inquit) *in nostra præsentia G. Clericus sua nobis assertione monstravit, quod cum inter ipsum, & A. Clericum super Capella de Stratis controversia emersisset, tamdem per transactionem sopita fuit: & licet hinc inde fide præstita firmata fuisset, eam tamen præfatus A. servare recusat. Quia igitur hujusmodi transactiones speciem continent Simoniæ, mandamus; quatenus revocata transactione in irritum, causam audiatis.*

Idem confirmatur ex cap. *Præterea*, eodem Decretalium Titulo Monasterium quoddam, seu Cella eximi voluit a subjectione, qua Ecclesiæ Matrici, sive Principali Domui tenebatur. Oblato libello, & lite contestata, Fratres illius Monasterii confessi sunt se olim Ecclesiæ Matrici fuisse subjectos, & quæstionem de hac subjectione olim motam, & transactione sopitam fuisse, *Eatenus (ut quemdam annuum censum Ecclesiæ Matrici reddendo, essent a subjectione Principalis Domus exempti.* Prior pro Majori Ecclesia proponebat, *Quod de spirituali subjectione transigere non liceret.* Resp. *Cælestinus III.* ferendam contra Fratres Sententiam: & nulla habita ratione transactionis, Cellam Ecclesiæ Matricis, sive Principali Domui subjectam manere debere: *Cum illa transactio iniquitatem simoniacam continuisse putetur.*

REGULA XVI.

Simonia est, redimendæ vexationis specie, pecunias dare ut removeantur impedimenta, quibus aliquis prohibetur, aut retardatur a consecutione beneficii, in quo nullum jus habet. Postquam vero jus acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.

PRimam hujus Regulæ Propositionem firmavit auctoritate sua *Lucius III.* cap. *Matthæus*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba; *Cum fuisses ad Ecclesiæ tuæ regimen de voluntate majoris partis Fratrum electus, paucis tibi contradicentibus: quidam amicus tuus de conscientia tua, & voluntate turbata, ei, qui magister discordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit, & sic contradicto conquievit: Nunc autem dubitas, quod non sis a labe Simoniæ prorsus immunis, donec in Administratione volueris remanere. Quia igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum: Respondemus, quod tibi multum consulis, si Administrationem celeriter, ac sponte dimittas, illius verbi memor existens:* Nihil *prodest*

Pecuniam dare vexationis redimendæ causa non licet nisi illi, qui jus acquisitum, & indubitatum habet ad Beneficium

Matt. 16. 27.

Alias specie redimendæ vexationis pecuniam dare, vel offerre Simonia est.

dest homini, si universum Mundum lucretur, Animæ vero suæ detrimentum patiatur: Neque vero, merum consilium hic dari putes, ut cedat beneficio, vel Ecclesiasticæ Dignitati, aut Muneri, qui pecuniam dedit, aut dari consensit antequam per Institutionem Canonicam, aut Confirmationem jus in eo haberet, quia Pontifex utitur eo verbo, *Consulis.* Ideo enim eo usus est (ut observat Glossa.) *Quia peccatum occultum erat, unde illum expresse non poterat prohibere, nisi consulendo. Et licet dicatur*, Consulis, *necessitatem tamen importat, si vult salvari, quia nisi renunciet, salvari non potest.*

Idem confirmat *S. Thomas* simul & secundam Regulæ Propositionem, 2. 2. quæst. c. art. II. ad v. *Antequam* (inquit) *alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque Dignitate, vel Præbenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, Simoniacum esset adversantium obstacula pecuniæ redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injustam impedimenta removere.* Quamobrem Jacob non peccasse respondet, cum primogeniti jura emisse visus est ab Esau, quamvis ille peccaverit vendens: Quia *Jus primogenituræ debebatur Jacob ex divina electione, & suam vexationem redemisse intelligitur.*

Justam vexationem redimere non licet.

Et in IV. *Sententiarum*, dist. XXV. qu. III. art. II. quæst. I. ad septimum: *Si* (inquit) *non est sibi acquisitum jus per electionem, nullo modo potest pecuniam dare adversario, ut desistat: Si autem est ei acquisitum jus, potest aliquid dare, non ut pretium Prælationis, sed ut redemptionem vexationis propriæ.* Justam tamen vexationem redimere non licet, ut si juste accusaretur, (inquit *S. Antoninus* p. II. tit. I. cap. IV. §. II.) Idem docet *S. Raymundus* Lib. I. tit. I. *De Simonia*, §. 20.

Ad restitutionem tenetur, qui pecuniam accepit, ut ab injusta vexatione desisteret.

Quod autem ad redimendam injustam vexationem pecuniam dare possit, qui certum Jus habet in Beneficio, absque Simoniæ nota, imo absque peccato: sed tamen injuste recipiat ille, qui vexat, adeoque ad restitutionem teneatur, maxime si a vexatione non destiterit etiam accepta pecunia, colligitur ex cap. *Dilectus filius*, I. Ext. *De Simonia*, quod est *Cælestini III.* Resp. *Dilectus filius R. Præpositus Nobis exposuit, quod cum Eboracensis Archidiaconus eum multis gravaminibus afficere non cessaret, promisit ei certam quantitatem pecuniæ se daturum, ut ab ipsius desisteret læsione: verum dictus Archidiaconus post receptionem pecuniæ, super Dignitatibus & Beneficiis ejus, ab ejus molestia non quievit. Ideoque Discretioni vestræ mandamus, quatenus si res ita se habet, Archidiaconum restituere, quod accepit, (si eum contra promissionem suam venisse constiterit) compellatis.* Verba parenthesi inclusa sic Glossa exponit, ut supplendum sit, Maxime: *Quia si constiterit, quod injuste acceperit, compelleretur ad restituendum, & crimine concussionis puniretur.*

Ad Justam vexationem hac in materia redimendam, obtinendus Episcopi consensus.

In hac denique redimendæ vexationis specie observare convenit Regulam a Concilio Mediolanensi I. sub *S. Carolo Borromæo* traditam, tit. Quæ pertinent ad Collationem Beneficiorum; *Ne* (inquit) *redimendæ vexationis specie in causis Beneficiorum Simoniacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus ad redimendam vexationem, ne in casibus quidem jure permissis, pecuniam dare, quicquamve pacisci, aut transigere; nisi Episcopi consensus accesserit, cujus partes erunt, & perspicere diligenter an subsit aliqua fraus; & ubi rem fraude carere, & jure permissam esse cognoverit, non denegare ei, qui petierit, facultatem se a vexatione liberandi. Qui contra quam decretum a Nobis est, fecerit, Episcopi arbitrio plectatur, & quod actum fuerit, irritum sit, ac nullum.*

RE-

REGULA XVII.

Litigantes super alicujus beneficii possessorio inter se convenire absque Simonia non possunt, ut pacis causa Beneficium alter, Pensionem alter super Beneficio habeat.

HUjusmodi enim Pensiones sedandæ litis causa tunc solum tolerantur, & a simoniæ labe sunt immunes, quando constituuntur, *Non ex pactione partium, sed ex jussione Judicum, pro bono pacis, & utilitatis*, (non privatorum, sed Ecclesiæ;) illisque non beneficium, sed persona beneficiarii manet onerata, ita ut defuncto beneficiario, Successor ipsius ad solutionem Pensionis minime teneatur. Nec Judices quoscumque, sed Arbitros duntaxat in quos compromissum est, id posse decernere, Jus Canonicum docet; alioqui enim judicare præter Jus non possunt, sed causa diligenter discussa, beneficium adjudicare debent illi, qui jus habent, absque ulla prorsus imminutione. Nec vero sic ab Arbitris constitutam Pensionem Sedes Apostolica simpliciter probat: quia per se *Valde suspecta est propter exempli perniciem;* sed *tolerat*, (ut respondet *Innocentius III.* Ext. De Præbendis, cap. *Nisi essent.*)

Collitigantium super Beneficii possessorio Conventiones Simoniacæ.

Præterea jus illud, quo litigantium alter collitiganti cedit, vel est certum, vel incertum, aut nullum est: Si certum, ad hujusmodi Juris, quod spirituale est, siquidem per se beneficii titulum respicit, cessionem promitti, darive non potest Pensio, quæ res temporalis est, absque Simoniæ nota: si Jus dubium, aut nullum est, qui juri illi cedit, & pro illius cessione Pensionem percipit, furti reus est, & nihilominus simoniacus, quia rem spiritualem, scilicet beneficium, aut præsumptitium Jus ad illud nundinatur.

Simoniæ pariter rei sunt collitigantes, quorum alter dubio, & quod in lite versatur jure ad Beneficium cedit, ea conditione, ut alterum beneficium ipsi conferat collitigator.

REGULA XVIII.

Pessimum Simoniæ genus est Confidentia, seu fiduciaria conventio tacita, vel expressa, ut qui Beneficium recipit, illud ipsum post hac in aliam certam personam transferat, aut Beneficii fructus, vel partem fructuum ab alio percipi sinat.

AD illud Simoniæ genus extirpandum *Pius IV.* Constitutionem edidit, quæ incipit, *Romanum Pontificem*, & *S. Pio V.* alteram, quæ incipit *Intolerabilis:* qua decernit,,, Ut si quis quacumque auctoritate, Ecclesiam, ,, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecumque ex ,, resignatione, vel cessione cujuscumque personæ, simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus, eidem dimittantur, vel alteri postea conferantur; aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel Pensiones solvantur ex eisdem, hæc Confidentia censeatur.

Fiduciariæ Conventionis, seu Confidentiæ pestis.

,, Item, Si Ordinarius, vel alius Collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione tacita, vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio Collatoris, ,, seu alterius cujuscumque contra Juris communis ordinationem disponatur, ,, sive ut de eo provisus, fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, & remittat, seu ,, pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem Collator, aut cedens, aut

„ alius, per se, vel alium, scripto, aut verbo jusserit, seu significaverit, „ persolvat; & pariter si a Patrono etiam Laico, vel altero præsentatore, seu electore contigerit, aut contingat id fieri.

„ Item, Si Clericus post Resignationem alicujus extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia auctoritate factam, & admissam, illam, vel illud, etiam confectis Litteris Apostolicis, & possessione apprehensa, in eumdem Resignantem, vel Cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum, vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ, seu Monasterii, aut Beneficii, vel eorum pars, seu pensio seu quid aliud super his reservatum; aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illam, vel illud, ipsi Clerico sit, fueritve concessus.

„ Postremo, Si quis crimine aliquo absolutus, aut eum, quod super Irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacumque auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud beneficium Ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam Irregularitatem dimiserit.

Præsumptiones, & conjecturæ, ex quibus probatur in foro exteriori.

Plures autem præsumptiones, & conjecturas profert *S. Pius V.* ex quibus vult probatum haberi, & judicari in externo foro fiduciariæ mancipationis beneficiorum abusum. Videlicet;

Si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel Monasterium aut beneficium, & publicatam Resignationem, seu Cessionem, captamque a Successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se, vel alium, seu alios, de facto ingesserit, aut fructus perceperit; aut quicumque Successor illi, vel ejus propinquis, ipsos, aut partem aliquam remiserit eorumdem.

Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos, procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus Beneficii dimissi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

Si vel sola Procuratoris depositione, vel libris rationalibus Mensariorum, ex parte dimittentis, Expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint.

Denique si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate, de Beneficio Ecclesiastico, per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis se immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis Beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem Intercessoris fuerit dispositum quandocumque.

Illæ porro multiplicis Simoniæ fiduciariæ præsumptiones ad forum duntaxat exterius referuntur. Unde si quis Beneficium recipiat ab eo, qui cum intentione, atque conditione fiduciaria, verbis expressa, sibi resignat; neque tamen verbo, nec animo, nec ipso facto annuat voluntati dimittentis, sed mentem gerat a simoniaca illa fiducia omnino alienam, eoque duntaxat animo Beneficium suscipiat, ne Resignans aperta in contrarium declaratione repulsus, alium quærat, inveniatque, qui pravæ illius voluntati præbeat assensum, reus ille non est simoniæ fiduciariæ. Neque contrarium colligi potest ex his verbis *S. Pii V.* in Constitutione contra Confidentiam Beneficialem, *Etiamsi sola dimittentis intentione receperit*, nec non ex illis, *Conscientia tantum unius partis*. Id enim vult unum, ubi prava offerentis intentio perspecta fuerit, de pravo suscipientis affectu præsumendum esse in foro externo. Ceterum in foro interiori Pœnitentiæ, præsumptione agendum non est, & judicandum, sed secundum Confessionem Pœnitentis, qui testis simul, & reus, & actor adversus seipsum est. Si tamen recipiens Beneficium fiduciarii Mangonis pravitati assensum præbuit, aut se assentiri verbo, nutu, vel facto per se, vel per Interpretem, seu Mediatorem significavit, quamvis non intendat exequi nefaria promissa, fiduciariæ Simoniæ

moniæ reus est, & in pœnas incurrit hac *S. Pii V.* Constitutione decretas, „ *Omnes* scilicet, & singulos, qui Ecclesias, Monasteria, Beneficia, fructus, „ pensiones, aliasve res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, etiam omnibus, & singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, „ Administrationibus, Officiis, & Beneficiis obtentis, nec non fructibus, pensionibus, & aliis Rebus Ecclesiasticis privatos, & ad futura inhabiles decernit: „ & Excommunicationis Sententia percellit; a qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam a Romano Pontifice Absolutionis beneficium „ valeat obtinere. Collatio itaque fiduciaria Beneficii nulla est ipso jure, teneturque renunciare Beneficio, qui illud in confidentiam accepit, & fructus quoscumque de illo perceptos restituere. Sedi autem Apostolicæ reservatur sic vacantium Beneficiorum Collatio extra Galliam: in Galliis enim *S. Pii V.* Constitutio, quod hocc caput, non est usu recepta, Collationemque Ordinariis, etiam hoc in casu præscripta consuetudo vindicat; & alioquin *Sixtus V.* Constitutione LXI. quæ incipit, *Pastoralis*, Constitutiones *Pii IV.* & *S. Pii V.* quoad hoc caput in gratiam hujus Regni moderatus est, & Beneficia occasione confidentiæ vacantia, seu vacatura, ab Ordinariis Collatoribus libere conferri voluit, modo criminis participes non sint.

Confidentiariorum pœnæ.

Quamquam vero omnes hujus criminis rei, & conscii penis generalibus a Jure communi in Simoniacos latis obnoxii sint: privatio tamen Beneficiorum omnium, & Pensionum, etiam Simoniaca fiducia non quæsitorum, & inhabilitas in futurum perpetua, soli recipienti, non autem resignanti, aut conferenti infligitur: & id quidem nisi statim ad se reversus, & resipiscens, celeri dimissione male parti Beneficii sibi prospexerit, ut decernit Sanctus idem Pontifex *Pius V.*

Adversus fiduciariam Beneficiorum mancipationem Concilium Rotomagense anno MDLXXXI. tit. *De Episcoporum Officiis*, §. 21. 22. & 23. sic decernit: „ Non levius malum nostris temporibus, aut exortum, aut longius propagatum „ Ecclesiam affligit, ac perdit, per aliorum Beneficiorum clitellarios asinos, & „ custodes, qui Confidentiarii vocantur, quorum nomine, ac ministerio viri „ laici, ac mulieres hæreditate possident Sanctuarium Domini, ac profanant. „ Tam illos custodes, quam eos, quorum cupiditati deserviunt, denunciari quo- „ que in Pronao, & Concionibus pro Excommunicatis, & teneri ad Restitutio- „ nem fructuum, atque eorumdem hæredes, ex Bulla SS. Domini Nostri Papæ „ Pii V. per omnes dies Dominicos jubemus. Quamvis autem sicut Simoniaci vix „ detegi, ita Custodes illi vix latere possint, attamen a Confessariis in foro con- „ scientiæ de his quoque volumus inquiri, & confitentibus laicis viris, & mulie- „ ribus se hujus Sacrilegii participes esse, minime Absolutionem dari, nec ad Com- „ munionem admitti quocumque modo compertos, præterquam in mortis arti- „ culo, nisi prius restituerint pro viribus fructus perceptos pauperibus, aut fabri- „ cis Ecclesiarum, & a tanto crimine abstinuerint, atque a Sanctissimo Roma- „ no Pontifice Absolutionem obtinuerint.

„ Eodem crimine tenentur, & eisdem pœnis subduntur omnes Patroni, sive „ Ecclesiastici, sive Laici, qui colore Patronatus Beneficia Ecclesiastica in servi- „ tutem redigunt, dum per suppositas Clericorum personas, aut ex pacto tacito, „ vel expresso cum ipsis inito in Præsentatione suorum Beneficiorum, seu qua- „ cumque arte, aut quocumque quæsito colore, jura, aut fructus eorumdem, aut „ partem ipsorum in usus proprios convertunt: Alii vero sine Jure Patronatus, „ atque etiam sine ullo Titulario, aut per aliquem suppositum aliena beneficia „ vi occupant, eorumque jura, aut fructus deprædantur: contra utrosque præ- „ dicto modo procedatur, qui etiam ex Decreto Concilii Tridentini dictis Pa- „ tronatibus ipso jure privati existunt.

Quicumque vero Clerici tam nefandæ fraudis, & usurpationis fabricatores, seu

consentientes, atque alieni sacrilegii fautores fuerint, ejsdem pœnis per Generalia Concilia, & Decreta Pontificum subjacent, nec non quibuscumque beneficiis privantur, & ad quæcumque beneficia inhabiles efficiuntur, atque a divinis Ordinibus suspensi, nec in foro conscientiæ possunt absolvi, aut suorum Ordinum executioni per Ordinarium restitui, nisi post integram satisfactionem, & Absolutionem prædictam. Celebrantes vero in eo statu Irregularitatem super incurrunt, & multiplicem damnationem, tam in præsenti quam in futuro sæculo sibi acquirunt.

Concilium Rhemense anno MDLXXXIII. tit. *De Simoniacis, & Fiduciariis*, easdem pœnas contra Fiduciarios beneficiorum Custodes decernit, sicque simoniacam fiduciam explicat. *Quisquis* (inquit) *acceptat beneficium, ut ei postea cedat in favorem cujuscumque personæ capacis, vel incapacis, Sæcularis, vel Regularis, Laicæ, vel alicujus ex Clericis, fiduciarius esse censeatur. Idemque esto judicium de eo, qui per Resignationem ejus beneficium recipit, cujus prius erat illi facta promissio.*

Qui eamdem confidentiam verbo, vel facto juverit, vel procuraverit, ejusdem criminis particeps habeatur.

Qui beneficium acceptat, non ut cedat, sed ut alius fructibus, vel eorum portione, sub ipsius nomine gaudeat, fiduciarius esse judicetur.

„ Patroni etiam, seu Ecclesiastici, seu Laici, qui Clericorum personas interponunt, ut ex pacto, vel expresso, vel tacito, fructus Beneficiorum, quæ presentent, vel eorum partem aliquam in proprios usus convertant: vel qui aliquo supposito, vel etiam nullo Titulario existente, fructus beneficiorum occupant, non solum hujus criminis rei, sed etiam injustissimi raptores censeantur, & Jure Patronatus ipso facto privati existant.

Ex his colligitur, Simoniacam, ac fiduciariam esse conventionem, qua Collator Beneficium insigne, & pingue confert Clerico, ob Gradus Academicos ipsi debitum, ea lege, ut eo cedat in manibus ejusdem Collatoris, tertiæ personæ conferendo; ipse vero Collator impleta conditione, Beneficium aliud minoris proventus illi Graduato conferat, qui Juribus suis cessit.

R E G U L A XIX.

Simoniæ fiduciariæ reus non est, qui Beneficio renunciat simpliciter, & absolute in manibus Collatoris, nullo pacto inito, nulla promissione ab ipso, per se, aut per Mediatorem exacta, & facta: quamvis confidat, & speret, Collatorem idem Beneficium collaturum illi, quem ad illud promoveri desiderat, aut supplicat; vel Patronum illum præsentaturum.

SImonia enim fiduciaria, nulla est absque conventione, & pactione tacita, vel expressa: quamobrem si pactio quæcumque prorsus absit, non est Confidentiæ crimen, quamvis absque pactione committi possit simonia mentalis.

R E G U L A XX.

Simoniæ reus est, qui preces pro indigno ad obtinendum illi Beneficium Ecclesiasticum interpositas exaudit: vel qui preces pro digno quidem factas, sed tamen favoris humani, non meritorum rationem habet; vel qui pro seipso rogat, ut obtineat Curam Animarum: vel qui spe alicujus commodi temporalis, aut favoris ad Dignitatem aliquam Ecclesiasticam, aut insignius Beneficium obtinendum conducibilis, confert beneficium ad alicujus Viri Principis, aut Nobilis commendationem, si spes illius commodi, ac favoris magis moveat, quam Clerici commendati merita.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, 2. 2. quæstione centesima, art. v. ad III. „ Munus (inquit) a lingua dicitur, vel ipsa laus pertinens ad favorem hu- „ ma-

„ manum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur fa-
„ vor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis principaliter ad
„ hoc intendit. Simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter
„ intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit. Unde ipsum fa-
„ ctum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum fa-
„ ctum non est simoniacum: quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo
„ preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur. Tamen potest esse Si-
„ monia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad
„ favorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam Ani-
„ marum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro
„ indigno. Licite tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium
„ Ecclesiasticum petere sine cura Animarum.

Et in IV. *Sententiarum*, dist. XXV. qu. III. art. III. ad IV. „ Quando
„ (*inquit*) fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo Potente, qui periculum
„ comminatur, quæ dicuntur preces armatæ, manifeste Simonia committi-
„ tur, si propter hoc beneficium Ecclesiasticum datur: Si autem pro digno fiant,
„ quantum ad judicium hominum probabile est, quod dans magis moveatur
„ intuitu dignitatis personæ, quam favore precum; & ideo non reputatur
„ Simonia: si tamen principaliter moveatur favore precum, vel timore ro-
„ gantis, quantum ad divinum judicium Simoniam committit, & rogatus,
& rogans, si hoc intendat, sive aliquis pro se roget, sive pro alio.

Et *S. Raymundus* Lib. I. tit. De Simonia, §. 7. *Aut eligitur quis, vel ordinatur suis precibus* (inquit) *aut alienis. In primo casu, quantumcumque sit dignus, est Simonia.* VIII. Quæst. I. in Scripturis, qu. I. Ordinationes. *In secundo casu, aut illæ preces sunt carnales, aut spirituales. Si carnales, & sunt pro indigno, Simonia est.* I. Quæst. I. De Ordinationibus. *Tunc enim preces succedunt loco pretii.* I. Quæst. I. Sunt nonnulli. *Si vero sunt carnales, pro digno, non committitur Simonia, dummodo Ordinator, vel Elector non habeat*
„ *respectum ad preces, sed ad Deum, & ad merita personæ.* Extra, de æta-
„ te, & qualitate Ordin. *Tuam.* I. Quæst. I. *Latorem.*

REGULA XXI.

Simoniæ rei sunt, qui fœdis adulationibus Principum, Nobiliumque Virorum gratiam ad obtinenda beneficia aucupantur.

HInc *S. Joan. Chrisostomus.* Homilia III. in Acta Apostolorum, ait: *Cogita quid acciderit Simoni. Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinaris?*

REGULA XXII.

Simoniæ reus est, qui Beneficium alicui se collaturum, aut procuraturum pollicetur, ea lege, ut commendationem, vel preces Viri Principis, aut Potentis, cujus in gratiam vult irrepere, & cujus patrocinium ambit, apud se interponat.

PReces enim illæ sunt munus a lingua, quo veluti pretio Beneficium emitur. Porro *Quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ potest pecuniæ prætio æstimari. Et ideo sicut contrahitur Simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus a manu: ita etiam contrahitur per munus a lingua* (inquit) *S. Thomas* 2. 2. quæst. C. art. X.

Et in IV. *Sentent.* dist. XXV. quæst. III. art. III. ad IV. *Munus linguæ* (in-

quit) *duplex est; vel quod in ipso actu linguæ consistit, sicut laus; vel quod ex lingua initium sumit, sicut cum quis ex hoc, quod precibus alicujus satisfacit, favorem expectat: qui enim dat aliquod spirituale pro favore, vel laude aquirenda, non est dubium, quin simoniam committeret.*

REGULA XXIII.

Simoniæ rei sunt duo Monachi, qui sibi invicem sua, suarumque partium suffragia pollicentur, ut alter ad Provincialis Munus, alter ad Prioratum, vel similem aliam Præfecturam Monasticam provebatur.

Monachorum Simonia.

HÆc Regula nititur cap. *De hoc autem*, Ext. *De Simonia*, quod est *Alexandri III.* Resp. Toletano Archiepiscopo datum. *De hoc autem* (inquit) *quod Episcopus Oxomensis Archidiacono beneficium, & cuidam Clerico ante Electionem suam Prioratum dicitur promisisse, ut uterque consentiret eidem: tuæ Prudentiæ respondemus, quod si manifestum est, eumdem Archidiaconum, & Clericum, ob causam illam, promissa recepisse: Aut exinde confessi fuerunt in Jure, vel legitime convicti, ab Altaris Ministerio sunt perpetuo deponendi.*

Propositio damnata.

Merito itaque sacra Facultas Parisiensis hanc Propsitionem ex Apologia Casuistarum excerptam XVI. Julii an. MDCLVIII. damnavit ut falsam, & Juri Canonico contrariam: *Simoniæ rei non sunt viri duo Religiosi, qui hunc in modum paciscuntur: suffragare mihi, ut sim Provincialis; & tibi suffragabor, ut fias Prior.*

REGULA XXIV.

Si pecunia persoluta sit, aut pactio aliqua, vel promissio facta fuerit de altero beneficio Ecclesiastico, aut Monastica Præfectura, alicui procurandis, aut de suffragio in Electione ad hujusmodi beneficium, aut Præfecturam ferendo; simoniaca est, adeoque ipso jure nulla Collatio, vel Præsentatio, Electio, Confirmatio, &c. Etiamsi is, cui collatum est beneficium, qui electus est, aut confirmatus, pactionis huius conscius non fuerit: nisi forte a malevolis data pecunia, aut pactio, vel promissio facta fuisset ad Collationem, aut Electionem in irritum mittendam.

HÆc Regula nititur cap. *Nobis*, Ext. *De Simonia*, quod est *Cœlestini III.* Resp. *Nobis* (inquit) „ fuit ex parte tua intimatum, quod cum quatuor essent a Capitulo constituti, qui debebant quemdam eligere in Plebanum, „ amici ejus, de cujus electione spes habebatur, uni, vel omnibus Eligentium pro„ miserunt se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi pro„ missione interveniente postmodum est electus ∴ Quia igitur super hoc con„ sulere Nos voluisti consultationi tuæ breviter respondemus, Quod nisi con„ staret illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium il„ lius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse: quamvis ipse promissionis „ conscius non fuerit, ejus tamen Electio, tanquam simoniaca pravitate præ„ sumpta, est penitus reprobanda.

REGULA XXV.

Simoniæ rei sunt, qui pro obsequio temporali, vel sibi, vel suis exhibito, vel exhibendo, nec ad Ecclesiæ utilitatem, aut Ministrorum ejus auxilium ordinato, Beneficia vel conferunt, vel promittunt.

Qui rei sint Simoniæ ratione muneris ab obsequio.

IDe constat ex cap. *Cum essent*, Ext. *De Simonia*, quod est *Alexandri III.* Resp. *Cum* (inquit) *ab ore præfati R. intellexerimus, quod memoratus Miles promiserat ei dare Ecclesiam, si quoddam negotium ejusdem in nostra posset*

set præsentia promovere, ac per hoc promissionem ipsam continere simoniacam pravitatem: eidem R. super eadem Ecclesia silentium duximus imponendum.

Idem confirmat *S. Thomas*, Secunda Secundæ, quæstione centesima, art.
„ v. Manifestum est (inquit) quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem
„ ordinatur, quæ potest pretio pecuniæ æstimari: Unde & pecuniaria merce-
„ de ministri conducuntur. Et ideo idem est, quod aliquis det rem spiritualem
„ pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo; ac si daret pro pe-
„ cunia data, vel promissa, qua illud obsequium æstimari posset.

Et in Responsione ad primum, explicans verba illa ex *S. Gregorio* objecta,
„ Ecclesiasticis utilitatibus deservientes, Ecclesiastica dignum est remunera-
„ tione gaudere, *ait:* Si aliquis Clericus alicui Prælato impendat obsequium
„ honestum, & ad spiritualia ordinatum (puta, ad Ecclesiæ utilitatem, vel
„ Ministrorum ejus auxilium,) ex ipsa devotione obsequii redditur dignus
„ Ecclesiastico Beneficio, sicut & propter alia bona opera. Unde non intel-
„ ligitur esse munus ab obsequio. Et in hoc casu loquitur Gregorius. Si ve-
„ ro sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum, (puta, quia
„ servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel Patrimonii sui,
„ vel ad aliquid hujusmodi;) erit munus ab obsequio, & est simoniacum.

Idem docet *S. Raymundus*, Lib. I. tit. I. §. 6. „ In munere (inquit) ab
„ obsequio, distingue: quia aut est corporale, aut spirituale. In primo casu,
„ si obsequium est honestum, potest; ut si eat Romam pro Ecclesia, vel
„ serviat alicui Episcopo, vel Ecclesiæ in licitis, & honestis; dum tamen
„ sine pactione. Si inhonestum, non potest, ut supra eod. prox. vers.
„ *Munus* ab obsequio est servitus indebite impensa: si spirituale, non debet
„ facere tale obsequium pro Beneficio, vel alio sibi dando, nisi cum tale
„ obsequium fuerit impositum ipsi Beneficio: v. g. alicui Præbendæ est im-
„ positum hoc onus, ut qui eam habuerit, cantet quotidie de B. Virgine
„ Maria Missam, *Ext. De Præbendis*, Significatum.

Quamobrem Concilium Mediolanense I. tit. *Quæ pertinent ad Collationem Beneficiorum*, ita decrevit: *Ut omnis ad Simoniam aditus intercludatur; monemus, & obtestamur Episcopos, aliosque, quibus est jus conferendi Beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi hoc subsidio destituti, Beneficia Ecclesiastica, tanquam suæ operæ, & laboris pretium præcipue sibi proponant. Fraudari tamen Ecclesias nolumus probatorum hominum ministerio, si qui sint in eorum familia, quorum doctrinæ, & pietati Sacrum Munus utiliter committi possit.*

Et Concilium Rhemense anno MDLXXXVIII. tit. XXIII. *Si quis* (inquit) *Beneficium propter obsequium, vel impensæ servitutis mercedem conferat ∴∵ Simoniacus esse censeatur.*

R E G U L A XXVI.

Simoniæ rei sunt, qui se Principum Virorum, & Procerum obsequio mancipant, aut in eorum clientelam se conferunt, ut Ecclesiastica Beneficia sibi, vel suis obtineant.

ITa docet *B. Petrus Damiani*, Opusculo XXII. cap. II. *Nequaquam* (inquit) *diffitentur se dedisse pecuniam; qui Prælationis ambitione Principibus exhibent clientelam: qui nimirum dominationis desiderio serviunt; & ut divitiis affluant, cum facultatibus suis & semetipsos expendunt. Humiliantur, ut postmodum impune superbiant; se pedissequos exhibent, ut præcedant; laboribus atteruntur, gaudeant; affliguntur inopia, ut nuptialis edulii continua postmodum epulatione turgescant; & velut proposita venalitatis mensa, fenerando servitium, mercan-*

tur imperium. Dent alii insensibilis metalli summam, trutinent stolidæ pecuniæ quantitatem, numerentur æra, vasa ponderentur anaglypha: Dent, inquam, *alii nummos, isti dant pretium semetipsos. An non est pretium sedulum subjectionis obsequium? ∴ Sicut ergo Laban filias vendidit, pretiumque comedit, non quia recondidit pecuniæ lucrum, sed quia laboriosæ servitutis percepit impendium, & sicut Saul nupturæ filiæ non auri, vel argenti dona quæsivit, sed laborem belli, vel insigne triumphi vice dotis accepit; sic ille necessario venditor esse se convincitur, qui subjectionis obsequium de male sperata ejus largitione mercatur. Et cum is, qui pretium accipit, asseratur Ecclesiam vendere; iste congruentius dicitur vendicare: quia venale commercium quod ille semel iniit, hic longa, ut ita loquar, & diuturna negotiatione protraxit: & infelix Clericus quot servitia fucatæ humilitatis exhibuit, quasi tot pecuniarum summas appendit.*

REGULA XXVII.

Simoniæ rei non sunt, qui parva aliqua munera Beneficiorum Collatoribus, aut Ecclesiasticis Judicibus largiuntur, reverentiæ, aut amicitiæ colendæ causa, aut in grati animi pignus.

HÆc Regula nititur cap. *Et si Quæstiones*, quod est *Alexandri III.* Responsum Strigoniensi Archiepiscopo datum; Ext. *De Simonia*. Frater istius Archiepiscopi Legato Apostolico Pallium illi afferenti obviam profectus, ejusque præsciens necessitatem, quoniam per Mare veniens nullas, aut paucas secum equitaturas adduxit, equum transmisit ignorante Archiepiscopo fratre suo. Id ubi novit conscientiæ delicatioris Archipræsul, *Alexandrum III.* consuluit, metuens ne forte Simoniæ labem contraxisset. Pontifex scrupulum ejus Responso suo discussit: „ In accipiendis (inquit) vel „ dandis muneribus tria sunt maxime attendenda: Persona scilicet dantis, „ accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas „ personarum, ut a quo, & cui, videlicet an a paupere diviti, vel e con„ verso, sive a divite locupleti datum fuerit; æstimatio muneris, & dona„ tionis tempus; si magni, vel minoris pretii res data existat, & an in„ stante necessitate, seu alio tempore conferatur. Si ergo prædictorum Car„ dinalis, & fratris tui personam, & qualitatem pensamus; non fuit ma„ gnum ab eodem fratre tuo Cardinali equum unum transmitti, quem e„ tiam joculatori non petenti vir tantus, & tam abundans forte donaret; „ verum si temporis necessitatem perpendimus, non alia necessitate hoc
Mal. 33. „ constat factum fuisse, quam ut subveniretur Cardinali in articulo præ„ notato. Quod autem scriptum est: *Beatus qui excutit manus suas ab omni* „ *munere*: de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel „ pervertere solent; quoniam si ipsa etiam persona Electi offerat Ordina„ tori, vel Consecratori suo electuarium, aut de vino, sive de aliis hujus„ modi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclina„ re, vel movere non debeant: non tamen Ecclesia Romana in his inter„ pretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XXV. quæst. III. art. III. ad primum. *Ecclesiæ Judicium*, inquit, *est quantum ad exteriora; & quia non est probabile, quod animus Judicis spiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere*, ideo *in parvis muneribus Judici datis non judicat Simoniam committi: sed apud Deum, qui cor videt, Simonia est in parvis, & in magnis muneribus, si animus Judicis ex eis flectatur.*

RE-

REGULA XXVIII.

Jus-Patronatus vendere, aut propter illud pluris vendere villam, cui est annexum, simoniacum est.

HAnc Regulam tradit *Alexander III.* cap. *De Jure*, Ext. *De Jure-Patronatus*, cujus hæc sunt verba: *Mandamus, quatenus si R. illud comparavit, cum inconveniens sit vendi Jus-Patronatus, quod est spirituali anexum, contractum illum irritum esse decernas.*

Venditio Juris-Patronatun Simoniaca.

Id confirmat Concilium Mediolanense I. tit. De iis, quæ pertinent ad Collationem Beneficiorum: *Episcopi Munus*, inquit, *erit cavere, ne propter Juris-Patronatus occasionem, pluris aliquanto res, cui illud Jus annexum est, vendatur, aut transferatur: Si qui vero nihilominus ita vendiderint, pęnas contra Simoniacos editas incurrant.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, dist. XXV. quæst. III. art. II. quæst. II. ad III. *Jus-Patronatus* (inquit) *per se vendi non potest, nec in feudum dari: Si autem villa vendatur, & in feudum detur, cui annexum est Jus-Patronatus, transit cum universitate ad illum, cui villa datur, vel qui eam emit, non quasi Jus-Patronatus sub venditione cadat.*

Et 2. 2. Quæstione centesima, Articulo IV. ad III. *Jus-Patronatus per se vendi non potest, nec in feudum dari, sed transit cum villa, quæ venditur, vel conceditur.*

REGULA XXIX.

Omnis conventio, & pactio de contributione pecuniaria pro ingressu in Religionem, sive admissione ad Professionem Religiosam, tam in Monasteriis pauperibus, quam divitibus, Simoniaca est.

HÆc Regula nititur Concilii VII. generalis, scilicet Nicæni II. can. XIX. *In tantum* (inquit) *inolevit avaritiæ facinus in Rectores Ecclesiarum, ut etiam quidam eorum, qui dicuntur Religiosi Viri, atque Mulieres, obliti Mandatorum Domini decipiantur, & per aurum introitus accedentium tam ad sacrum Ordinem, quam ad Monasticum efficiant. Unde fit, ut quorum initium improbabile est, omnia sint projicienda, ut magnus ait Basilius. Neque enim Deo per Mammonam servire licet. Si quis ergo inventus fuerit hoc faciens, siquidem Episcopus, vel Abbas extiterit, aut quilibet de sacrato Collegio, aut desinat, aut deponatur, juxta Regulam secundam Sancti Chalcedonensis Concilii: Abbatissa vero ejiciatur de Monasterio ad subjectionem: similiter & Abbas qui non habuerit Manus impositionem Presbyterii.*

Simonia in receptione ad religiosam Professionem.

Concilii Oecumenici Lateranensis sub *Alexandro III.* can. X. Monachi non „ pretio recipiantur in Monasterio. Si quis autem exactus pro sua receptio- „ ne aliquid dederit, ad sacros Ordines non ascendat. Is autem, qui acce- „ perit, Officii sui privatione mulctetur. *Et can.* XIX. Putant plures ex hoc „ sibi licere, quia legem mortis longa invaluisse consuetudine arbitrantur; „ non satis, quia cupiditate excecati sunt, attendentes quod tanto gravio- „ ra sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam.

Cap. *Non satis*, Ext *De Simonia*, quod est *Alex. III.* in Conc. Turonen- „ si, Quia, inquit, non satis utiliter avaritia in populo redarguitur, si ab „ his, qui in Clero constituti videntur, & præcipue qui contempto sæculo „ Religiosorum nomen profitentur, & Regulas, modis omnibus non cavetur: „ prohibemus, ne ab iis, qui ad Religionem transire voluerint, aliqua pecu- „ nia requiratur, neve Prioratus, vel Capellania quælibet, vel Monachorum

„ vel

„ vel Clericorum, annua districtione vendatur; neque ab eo, cui Regimen „ ipsarum committitur, ex earum commissione pretium exigant. Hoc simoniacum esse, SS. Patrum Auctoritas manifeste declarat. Unde quisquis de cetero hoc attentare præsumpserit, tam qui dederit, quam qui „ acceperit, partem se cum Simone non dubitet habiturum .·.·. Neque sub „ obtentu hujus Consuetudinis reatum suum aliquis tueatur: quia diuturni„ tas temporis non minuit peccatum, sed auget.

„ *Cap.* Veniens, *Ext.* De Simonia, *quod ejusdem Pontificis Responsum est:* „ Veniens, *inquit*, ad nos frater Presbyter proposuit, quod Abbas, & Fra„ ter Sancti R. noluerunt eum in Monachum suscipere, quousque triginta „ solidos dare convenerit. Conventione autem facta, sequenti die eum „ Monasticum habitum induerunt: & iidem Monachi triginta solidos, Ab„ bas vero decem, & familia duodecim pro pastu, asserentes hoc esse de „ consuetudine Monasterii, postularunt. Quoniam ergo factum hujusmodi „ perniciosum videtur, mandamus quatenus, si ita esse invenias, Abbatem, „ & Monachos ad restituendam pecuniam tam indigne acceptam compel„ las; & Abbatem, & majores Personas Monasterii pro tanto pravitatis „ excessu ab Officii executione suspendas .·.. Præcipias dicto Fratri, ut in „ alio Monasterio in habitu Monastico Domino studeat deservire.

„ *Cap.* De Regularibus, *Ext.* De Simonia, *quod est* Clementis III. *Re„ sponsum*: De Regularibus Canonicis, seu Monachis nos consulere volui„ sti, qui per Simoniam ingressum ipsis scientibus habuerunt. Unde cum „ super hoc Auctoritates multæ reperiantur expressæ, non aliud quam sta„ tutum est respondemus, Ut locum, quem taliter adepti sunt, omnino „ dimittant, & Solitudines, vel alia Monasteria districtiora adeant, in „ quibus tam execrabilem excessum sine intermissione deplorent. Si autem „ ignorantibus illis pecunia data fuerit, cogas eos ad renunciandum loco „ eidem, & postmodum in ipsum reducere, si ibi absque scandalo fuerint, „ vel in alio, qui sit de Ordine ipso, ad serviendum Deo poteris collo„ care.

„ *Cap.* Quoniam simoniaca, *Ext.* De Simonia, *qui est Concilii Lateranensis „ sub* Innoc. III. *canon* 64. Quoniam simoniaca labes adeo pleraſque Mo„ niales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in Sorores, paupertatis „ prætextu volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cetero fiat, pe„ nitus prohibemus: Statuentes ut quæcumque de cetero talem commise„ rint pravitatem, tam recipiens quam recepta, sive sit subdita, sive Præ„ lata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum ar„ ctioris Regulæ ad agendam perpetuam Pœnitentiam retrudenda .·.·. Hoc „ etiam circa Monachos, & alios Regulares decernimus observandum, „ Verum ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare: præ„ cipimus, ut Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœ„ ceses publicari. *Huic Decreto consonum est cap.* Dilectus 2. *Ext.* De Simo„ nia, *quod est* Innoc. III. *& cap.* Mandato, *quod est ejusdem Pontificis*.

Eadem Regula confirmatur ex Concilio Francofordiensi, can. XVI. Londinensi tempore *Innoc. III.* celebrato per *Aubertum* Cantuariensem Archiepiscopum; ex Conventu Aquisgranensi Abbatum anno DCCCXVII. capite LXXV. & Concilio Oxoniensi anno MCCXXII. tempore *Honorii III.* sub *Stephano* Archiepiscopo Cantuariensi, ex Melfitano in Apulia sub *Urbano II.* anno MXC. can. VII. Senonensi MDXXVIII. tit. *De Decretis Morum*, cap. XXVIII. Trevirensi MDLIX. tit. *De Religiosis Monachis, & Monialibus*. Mediolanensi I. p. I. *Constitutionum*, cap. *De Novitiis ad Professionem recipiendis*. Mediolanensi II. Tit. III. par. I. Rhemensi anno MDLXXXIII. tit. *De Simo-*

Simoniacis, *& Fiduciariis*. Turonensi, eodem anno, cap. *De Monachis*, *& Monasteriis*, Cameracensi anno MCLXIX. tit. *De Monasteriis virorum*, *ac mulierum*, cap. XII. Aquilejensi MDXCVI. tit. *De Monialibus*.

Idem confirmat *Urbanus V.* Constitutione lata Romæ apud S. Petrum, secundo Nonas Aprilis, Pontificatus anno primo, cujus hic est tenor: „ Universis Prioribus, Abbatibus, Abbatissis, Priorissis, &c. tenore præ- „ sentium, auctoritate Apostolica, quamvis sit eis a Jure prohibitum, di- „ strictius inhibemus, ne tam a maribus, quam a mulieribus volentibus „ ingredi eorum Religionem, Monasteria, Prioratus, Domos, seu loca, „ in earumdem personarum receptione, vel ante, vel post illam, quos- „ cumque pastus, seu prandia, seu cœnas, pecuniam, jocalia, aut res alias, „ etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemlibet alium pium usum deputa- „ tas, vel deputandas, directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo „ modo præsumant, sed eas potius cum omnimoda pietate recipiant .·. „ Illa duntaxat quæ personæ illæ ingredientes plene, & sponte, & plena „ libertate, omnique pactione cessante, dare, vel offerre Ecclesiis, Mona- „ steriis, Prioratibus; & locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actio- „ ne licite recepturi. Nos enim, qui secus egerint, si sint singulares per- „ sonæ, tam dantes, quam accipientes hujusmodi Excommunicationis: si „ Capitulum, vel Conventus fuerit, Suspensionis Sententiis eo ipso decer- „ nimus subjacere, a quibus præterquam in mortis articulo absolvi nequeant „ absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, *&c.*

REGULA XXX.

Pensiones vitalitiæ, & consuetæ, legitimæque eleemosynæ non solum recipi, sed exigi possunt a Monasteriis inopibus, & tenuibus.

ITa declarant Conc. Senonense anno MDXXVIII. tit. *De Decretis Morum*, cap. XXVIII. Si quæ enim Puella ultra numerum constitutum in Monasterium recipi petat, id permittit, *Dumodo congruam secum afferat Pensionem, qua cum ceteris Religiosis numerariis alatur*. Mediolanense I. sub *S. Carolo*, quod præscriptum Monialium numerum augeri vetat, *Nisi facta Monasterio annua, quæ satis sit, fructuum accessione*. Turonense MDLXXXIII. tit. *De Monialibus*, Decretum illud Mediolanensis Concilii totidem verbis repetens, & suum faciens.

Pensiones vitalitię, aut dotales eleemosynæ recipi & exigi possunt a Monasteriis inopibus, & tenuibus, ita tamen ut gratis recipiantur postulantes, & novitii, ac novitiæ.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, in IV. *Sent.* dist. XXIII. qu. III. art. III. qu. 2. ad VII. „ Cum (*inquit*) possessiones alicujus loci Religiosi non „ sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in loco illo „ vult Deo servire, non quasi pretium Religionis, sed ut habeat Mona- „ sterium, unde ei possit providere; & ideo non committitur Simonia: Si „ autem sine gravamine Ecclesiæ potest recipi, Simoniacum est aliquid pro „ receptione exigere.

Sententia S. Thomæ.

Et *Secunda Secundæ*, Quæstione centesima, Artic. III. ad quartum: „ Pro ingressu (*inquit*) Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere „ quasi pretium. Licet tamen, si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat „ ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, „ sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipien- „ da, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes. Similiter etiam licitum est, „ si propter devotionem, quam aliquis ad Monasterium ostendit, largas elee- „ mosynas faciendo, facilius in Monasterio recipiatur. Sicut etiam licitum „ est, aliquem e converso provocare ad devotionem Monasterii per tempo- „ ralia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum: Licet non

„ sit

„ ſit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingreſſu Monaſterii, „ ut habetur *Cauſ.* I. *qu.* II. *can.* Quam pio.

Sententia S. Bonaventuræ.

S. Thomæ concordat *S. Bonaventura*, in Apologetico adverſus illos, qui Ordini FF. Minorum adverſantur qu. XVIII. „ Quadruplex eſt forma (*inquit*) „ recipiendi ad Ordinem qualemcumque. Prima, quando aliquis recipitur „ nec pro pecunia, nec cum pecunia, ſed pure pro Deo: & iſta eſt puriſſi- „ ma coram Deo, & hominibus. Secunda, quando aliquis recipitur non pro „ pecunia, ſed cum pecunia; ita ut ſi nihil afferret, tamen reciperetur pro „ Deo: & ſimiliter hoc purum eſt coram Deo, ſed caute agendum eſt coram „ hominibus, ne detur eis occaſio ſcandali, & ne ſit ibi affectus avaritiæ „ infectus ex ſpe lucri. Tertia, quando quis recipitur non pro pecunia, nec „ tamen reciperetur ſine pecunia, eo quod non habent aliter ei, qui eum „ recipiunt, providere, cum tenues facultates domus vix ſufficiant jam re- „ ceptis, nec ad eas audeant plures recipere, & iſtos ſuis neceſſitatibus ſpo- „ liare; ita quod iſta perſona, quæ ſic recipitur, ſi abundaret locus, ſine „ pecuniis reciperetur. Similiter aliquis duxit uxorem propter divitias, & „ nobilitatem ejus, quæ habet naſum; nec tamen propter hoc ducit eam, „ quia naſum habet, quam tamen ſi naſo careret, nullatenus duxiſſet. Et „ hoc non eſt impurum, licet non appareat forſitan pulchrum. Quarta, cum „ aliquis recipitur amore pecuniæ, ita quod ſi poſſent illam pecuniam ha- „ bere ſine perſona, non reciperent perſonam; ſed ut habeant pecuniam, „ perſonam recipiunt. Et hoc penitus impurum eſt, & ſimoniacum, quia „ ſibi pecunia eſt cauſa receptionis perſonæ, & non e converſo. Ubi er- „ go recipitur perſona propter pecuniam, Simonia eſt; quia ibi venditur „ ſpirituale, id eſt, conſortium ſpiritualis ſocietatis, pro temporali, ſcili- „ cet pecunia. Et hoc plerique faciunt etiam ex mera inopia, optantes „ aliquem venire cum pecunia, quem reciperent, ut eorum inopia repara- „ retur, vel debita contracta ſolverentur, vel bona concupita emerentur, „ vel ædificia conſtruerentur. De talibus dicit Eccleſiaſticus *cap.* XXVII. „ *Propter inopiam multi deliquerunt*. Ubi vero pecunia recipitur propter per- „ ſonam quam alias libenter reciperent, ſi haberent unde eam paſcerent, „ non videtur eſſe Simonia, dummodo forma cum intentione concordet. „ Et hoc modo ſuſtinemus, quod Sorores Sanctæ Claræ recipiunt pecuniam „ cum perſonis, quando oportet eas plures perſonas recipere, quam de fa- „ cultatibus Monaſterii congrue valeant ſuſtentari. „

Sententia Petri Cantoris Pariſ.

Angelicus, & Seraphicus Doctor cum *Petro Cantore* Pariſienſis Eccleſiæ conſentiunt. *Verbi Abbreviati* cap. XXXVIII. „ Sit (*inquit*) quod aliquis „ accedens ad Eccleſiam, vel Monaſterium, dicat, Offero me, & mea huic „ Eccleſiæ, vel Monaſterio ad ſerviendum in eo perpetuo, ſi ſine diſtin- „ ctione recipitur, ſanus erit ingreſſus ejus. Si autem plura quam oblata „ ab eo exigantur, vel ſi diſtinguatur inter ſua, & illum, ut ſua ſcilicet ſint „ cauſa, cur recipiatur, vitioſus erit ingreſſus. Si autem inter ſua, & il- „ lum diſtinguatur, ut ſcilicet ille ſit cauſa, cur ſua cum ipſo recipiantur, „ ſanus, & licitus erit ingreſſus. Si autem Monaſterium eguerit, ita quod „ offerentem ſe illi ſine pecunia recipere non poſſit, vel ſuſtentare, ſpiri- „ tualem fraternitatem ei concedat, non corporalem: vel in exceptionem „ paupertatis ſuæ, & ſuſtentationem vitæ illius exigere poteſt ab eo, ut „ eum recipiat, & temporales redditus, quibus tantum ſuſtentetur, dum „ vixerit. Quod ſi perpetuos exegerit, jam manifeſta cupiditas vitioſum „ facit ingreſſum.

Sententia Raymundi.

Eamdem Regulam confirmat *S. Raymundus*, Lib. I. Tit. I. §. 22. „ *Si Mo-* „ naſterium (*inquit*) eſſet adeo tenue, vel paupertate depreſſum, quod red- „ ditus,

„ ditus, vel vix, vel non sufficerent personis præsentibus, non solum in-
„ tentionem possent habere; sed etiam credo, quod possunt dicere: Non
„ sufficiunt nobis, libenter suscipimus ad spiritualia, ad temporalia non
„ possumus, nisi habeamus plures possessiones: & tunc ille offerat se, &
„ sua *Ext. De Simonia*. Cap. *Tua*. Quod autem dicitur in Constitut. *Ext.*
„ eod. *Quoniam*. Vers. *Paupertatis prætextu*, intelligitur, cum hoc dicebant
„ in fraudem: unde consulendum esset ingredientibus, quod in hoc funda-
„ rent intentionem suam, aut principaliter darent propter Deum; & ne
„ essent onerosi domui. *Arg.* xvi. *qu.* iv. De lapsis.

S. Antoninus hanc simul, & superiorem Regulam approbat, ii. P. cap. v. §. 18. ubi recensitis Juris Canonici Peritorum sententiis, duas Conclusiones statuit. Prima est: *Nulla pactio de temporalibus debet intervenire pro ingressu Monasterii, etiamsi Monasterium sit tenue, secundum communiorem, & tutiorem opinionem, & pene secundum omnes.*

S. Antonini sententia.

„ *Secunda est*: Si Monasterium sit abundans, nullus debet ibi esse tracta-
„ tus de temporalibus in receptione. Et hoc est contra communem abusio-
„ nem: quia quanto Monasterium est abundantius, tanto volunt majores dotes.
„ Sponte tamen oblata possunt recipere. Et siquidem haberent intentionem
„ ad temporalia principaliter, nulla tamen interveniente pactione, vel con-
„ ventione, seu exactione, erit secundum Raymundum simonia mentalis, quæ
„ per solam Pœnitentiam aboletur, nec incurrunt pœnas Ecclesiasticas.

„ Quod si gratis recepta est Puella, & parentes ejus post receptionem
„ nil volunt dare Monasterio, cum tamen sit tenue, dicit Ostiensis, quod
„ possunt Moniales agere contra patrem pro alimentis filiæ; vel, si est
„ mortuus pater, agere possunt ad partem suæ hæreditatis, ut in Authen-
„ tica *De Sanctissimis Episcopis*: *Nulla*. Non enim privari potest legitima
„ per ingressum Religionis, nisi ipsa sponte juri suo renunciasset. „ xix. *qu.* iii. *cap. penult.* Addenda est & alia exceptio, scilicet: nisi Principum Legibus Viri Religiosi, Monialesque solemni ritu professæ ab hæreditate capessenda excludantur.

Cum his convenit Responsum Sacræ Facultatis Parisiensis ea de re interrogatæ, quod refert *Dionysius Carthusianus* Libro ii. De Simonia, „ Di-
„ cimus (*inquiunt Theologi Parisienses*) quod a fæmina recipienda in Mo-
„ nasterio, oblatis gratis spiritualibus, non licet exigere temporalia pro
„ ipsis spiritualibus, tanquam pretium spiritualium, vel annexorum spiri-
„ tualibus, faciendo commutationem unius pro altero.

Sententia Sacræ Facultatis Parif.

„ Dicimus ulterius, quod ubi Monasterium est ita tenue, quod fœmina,
„ quæ recipi petit, non posset de bonis ipsius Monasterii sustentari sine pe-
„ cunia, oblatis gratis spiritualibus, & receptione personæ libere facta ad
„ spiritualia; si persona illa sic recepta habeat bona temporalia, de quibus
„ juxta consuetudinem regionis potest disponere, & ea Monasterio confer-
„ re, tunc potest ab ea aliquid peti solum pro necessitate sui victus, sine
„ fraude, ut habeat Monasterium unde ipsi providere possit, & hoc non
„ intelligendo de exactione coactoria, ita quod ejiciatur si non dederit. „ Solo igitur eleemosynæ nomine pecunia recipi potest ad alimenta Virginis, quæ Professionem emittit; solo nomine alimentorum, aliorumque onerum, quæ hoc vocabulo pariter significantur, Pensio exigi. Dotalis vero Eleemosynæ summa Pensionisque modus Episcopi judicio, publicisve Legibus definiuntur, habita ratione locorum, facultatum Monasterii, numerique Monialium. Ut vero Monasterii securitati, & indemnitati consulatur absque pactione, & conventione, decernere possunt Episcopi, & Superiores, ut *Quod Professione facta, eleemosynæ gratia ad Professam sustentandam Monasterio datur*

Cautio S. Caroli Borromæi.

Dotalis Eleemosyna super fundo solido constituenda.

datur id, quo tempore Puella Religionis habitum suscipiet, apud virum Monialibus, & earum Superiori probatum deponatur: ut nullo impedimento Monialibus tum presto esse possit; ut statutum est in Concilio Mediolanensi I. sub *S. Carolo Borromæo*, P. III. cap. VI. & in Concilio Mediolanensi II. sub eodem, in Capitibus ad Moniales pertinentibus. Cap. II. Eleemosynam porro dotalem, numerata pecunia Monasterio collatam a parentibus Virginis, operæ pretium est *super fundo statuere, cujus sors principalis non possit, aut debitis solvendis, aut quotidianis usibus insumi;* ut decernit Concilium Avenionense anno 1594. cap. quinquagesimo. De hoc argumento copiose tractat Juris Consultissimus *Fagnanus* in cap. *Non amplius*, Ext. *De Institutionibus*, sive in I. P. III. Decretalium, P. 216.

REGULA XXXI.

Pro victu, & vestitu Novitiorum, & Novitiarum toto Probationis anno congrua pensio exigi, & recipi potest.

NOn enim jus habent, ut ex communibus Monasterii bonis alantur, nisi Professione solemni fiant Religiosæ Societatis membra. Unde Concilium Tridentinum, Sessione XXI. ita decernit: *Sed neque ante Professionem, excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiæ, illius temporis, quo in Probatione est, quocumque prætextu, a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.*

REGULA XXXII.

In Monasteriis, & domibus quibuscumque Religiosis tam virorum, quam mulierum, is tantum numerus ad Professionem Religiosam recipiendus est, qui vel ex redditibus ipsorum Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.

Monachorũ, & Moniali ũ numerus in singulis Monasteriis definiendus.

ITa decernunt Concilium Moguntinum sub *Leone III.* an. 813. Canone XIX. Arelatense VI. eodem anno celebratum, Canone VIII. Turonense, eodem anno, Canone XXXI. Rhemense, eodem anno, Canone XXVIII. Oxoniense, anno 1221. Canone LXIV. *Bonifacius VIII.* Constitutione quæ incipit, *Periculoso*. Concilium Senonense, anno 1528. Tit. *De Decretis Morum*, cap. XXVIII. cujus hæc sunt verba: *Constituimus, ut in Monasteriis Monialium tot instituantur Moniales, quot de facultatibus eorumdem Monasteriorum, reparationibus Ecclesiæ, clausuræ, & aliarum Regularium domorum, nec non & Processuum expensis deductis, commode, & sine penuria sustentari possint*, &c. Coloniense, anno 1531. P. X. cap. XII.

Concilium Tridentinum, Sessione XXV. cap. III. *In Monasteriis* (inquit) *& Domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari*. Idem a *S. Pio V.* decretum est, Constitutione quæ incipit *Circa Pastoralis*, & a *Clemente VIII.* in Constitutione edita de Reformatione Regularium. Idemque *Paulus V. Urbanus VIII.* & *Innocentius X.* sanxerunt. *Innocentii X.* Constitutionem refert, & explicat *Fagnanus* in I. P. Lib. III. Decretalium, ad cap. *Non amplius*, Ext. *De Institutionibus*.

Hic Objectionem occupat *Fagnanus*, quæ adversus Dotes Monialium ex his Decretis peti potest. Sed dices, „ Si Monasteria habent, prout habere debent redditus sufficientes ad alendas Moniales numerarias; ergo „ dotis delatio illicita est, & simoniaca, per textum in cap. *Quoniam*, in- „ fra, *De Simonia*, ubi simoniaca labes dicitur usque adeo plerasque Mo- „ niales infecisse, ut vix aliquas sine pretio recipiant in Sorores, pauper-

„ tatis

„ tatis prætextu volentes hujuſmodi vitium palliare. Et Sacra Congregatio
„ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum olim conſulta, An Mona-
„ ſteriis Monialium, in quibus juxta Decretum cap. III. Seſſione xxv. *De*
„ *Regularibus* Epiſcopus certum numerum conſtituit, liceat Abbatiſſæ in lo-
„ cum Monialium deficientium alias recipere, pacta certa eleemoſyna pro
„ dote; & quatenus non liceat, quæ proviſio ſit per Epiſcopum adhiben-
„ da: Reſpondit: Si ex redditibus Monaſterii, vel ex conſuetis eleemoſy-
„ nis tantum ſuppetat Monialibus, ut ad ipſarum veſtitum, & ad fabricam
„ Eccleſiæ, aliaſque neceſſitates commode ſufficiat, minime licere: Secus ſi
„ Monialium numerus augeatur. Cum autem hujuſmodi theorica ad praxim
„ difficuiter deduci poſſit, referendum viſum eſt Sanctiſſimo, qui probavit
„ ſententiam Congregationis, confirmans, augendum numerum, ſi dos au-
„ geatur. *Verum* (inquit) *hanc difficultatem poſtea ſuſtulit Sacra Cong. ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium; quæ animadvertens Sanctimonialium Monaſteria ſine dotium ſubſidio diu ſuſtineri non poſſe, & propter ingruentes neceſſitates, & caſus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi: Summis Pontificibus approbantibus prudenter ſanxit, ut dotales eleemoſynæ a Monialibus numerariis perſolverentur, tametſi numerus eſſet taxatus ad menſuram reddituum Monaſterii. Ex penuria enim multa proveniunt mala, præſertim in Monaſteriis Dominarum, inquit Hoſtienſis hic, in fine.*

„ Subdit idem Auctor pag. 218. Num. 45. Cum Placentiæ fere in omni-
„ bus Monaſteriis, definitus eſſet numerus Monialium, qui ex redditibus,
„ & conſuetis eleemoſynis commode ſuſtentari valeret: cumque multæ
„ Puellæ inſtarent, ut ſupra numerum reciperentur, dicentes ſe non fore
„ oneroſas Monaſterio; tum quia ſolvent dotem ſolitam, quæ poterit con-
„ verti in emptionem alicujus annui redditus; tum quia parentes ſe obli-
„ gabunt ad ſolvendum pro qualibet ipſarum, donec vixerit, aliquid pro
„ ſuſtentatione vitæ illius: & cum difficile eſſet cohibere cives, ut exſpe-
„ ctarent mortem multarum, quæ tunc erant, Monialium: Epiſcopus an-
„ ceps quid agendum eſſet, conſuluit Sacram Congregationem Concilii.

„ *Primo*, An durante tempore Probationis ſatis conſultum ſit, ſi Puellæ
„ alimenta a parentibus ſubminiſtrentur? Dubia Sacræ Congregationi Concilii hac in materia propoſita.

„ *Secundo*, An adveniente tempore emittendæ Profeſſionis, ſatis ſit ſolvere
„ dotem ex pactione, ut inde emantur annui redditus, vel res ſtabiles, vel
„ ut redimatur aliquis ager Monaſterii, ita ut augeantur redditus Monaſterii,
„ licet inſpectis omnibus Monialibus in communi, adhuc non poſſint com-
„ mode ſuſtentari?

„ *Tertio*, An ſatis conſultum ſit menti Legislatoris, ſi ultra dotem in
„ ſolitum dandam certa promiſſio fiat a parentibus alicujus annuæ Penſio-
„ nis, vita durante illius Puellæ, quæ ſufficiat ad victum illius?

„ *Quarto*, An promiſſio facienda ſit Monaſterio, vel Puellæ?

Ad primum Sacra Congregatio reſpondit: *Satis eſſe Conſultum:* Reſponſ. S. C.

„ *Ad ſecundum:* Satis eſſe, ſi pecunia quæ nomine dotis dabitur, conver-
„ tatur vere in emptionem tanti annui redditus, vel in redemptionem tot
„ bonorum Monaſterii oppignoratorum, ut ſic redditus Monaſterii tantum
„ augeatur, quantum ſufficiat victui Puellarum in Moniales recipiendarum:
„ quod tamen augmentum non privatim vertatur in utilitatem ipſarum Puel-
„ larum, ſed in totius Monaſterii communem uſum, ex quo, & ipſæ Puellæ
„ una cum aliis ali poterunt.

„ *Ad tertium:* Debere Epiſcopum id curare omnino, ut propinqui publico,
„ validoque Inſtrumento ſe obligent ad certam annuam præſtantionem, quæ
„ minor non ſit duodecim aureis pro neceſſitatibus Puellarum, dum vixerint.

Ad quartum respondit: „ Promissionem hanc faciendam esse Monasterio ; „ non autem Puellis ipsis. Minime permittendum, ut pecunia hæc detur eis, „ ne alioquin contra Votum suum solemne fiant proprietariæ, sed recta deferatur ad manus Abbatissæ, quæ inprimis ex ea subveniet arbitrio suo necessitatibus earum Monialium, pro quibus persoluta fuerit. Si quid reliquum erit, convertet in communem usum Monasterii. Quæ omnia (inquit „ *Fagnanus*) Sanctissimus in Consistorio approbavit, non tamen ad eum „ finem, ut fiat nova Bulla super hac Declaratione, sed ut singulis Episcopis petentibus, prout nunc petit Placentinus, ita respondatur.

Ex his id unum colligi velim, Dotalium eleemosynarum solutionem, & receptionem, Pensionumque vitalitiarum, a Simoniæ labe immunem esse in illis etiam Monasteriis, in quibus definitus est Monialium numerus, qui ex redditibus, & consuetis eleemosynis ali possit. Sed tamen Diœcesani Mores, Legesque Municipales, & Edicta in Dotium, & Pensionum hujusmodi constitutione etiam servanda sunt.

R E G U L A XXXIII.

Pro Baptismo pecuniam solvere non licet, etiam urgente necessitate, & in vitæ discrimine.

Simonia in Sacramento m administratione.

QUamobrem, si Sacerdos absque pretio baptizare nolit, ejus ministerio minime utendum est, ut docet *S. Thomas*, Secunda Secundæ, quæstione centesima, art. II. ad primum: „ In casu necessitatis (ait) quilibet „ potest baptizaret. Et quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum, si Sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset, „ qui baptizaret. Unde ille, qui gerit curam pueri, in tali casu, licite potest eum baptizare, vel a quocumque alio facere baptizari. Posset tamen licite aquam a Sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale. Si autem esset adultus, qui Baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet, si „ posset, per alium baptizari. Quod si non posset ad alium habere recursum, „ nullo modo deberet pretium pro Baptismo dare, sed potius absque Baptismo decedere. Suppleretur enim ei ex Baptismo flaminis, quod ei ex „ Sacramento deesset. Hinc Canone *Emendari*, Caus. I. qu. I. qui est Illiberitani Concilii Canon XLVIII. decretum est, ut qui baptizarentur, non mitterent nummos in concham, id est, in vas aquæ baptismatis (ut antea fieri solebat) ne ex hac fidelium pietate Sacerdotes Spiritum Sanctum, quam gratis acceperant, pretio distrahere viderentur. *Emendari placuit, ut hi, qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur.*

Eamdem Regulam confirmat *Gelasius I.* Epistola ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos. „ Baptizandis (inquit) consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant: nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes: quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur; & ideo nihil a prædictis prorsus exigere moliantur, „ quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis suæ causam adire despiciant: certum habentes, quod qui prohibita „ deprehensi fuerint admisisse, vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris.

Et Concilium Bracarense II. Canone VII. *Placuit, ut unusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat: ut hi, qui infantes suos ad Baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis; si vero*

vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent, quod offerant, nullum eis pignus violenter tollatur a Clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios a Baptismo retrahunt: qui si forte dum differuntur, sine gratia Baptismi de hac vita recesserint, necesse est, ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum spolia pertimescentes, a Baptismi gratia se retraxerunt.

Nec refert, utrum ante, vel post Baptismum aliquid a Sacerdotibus, qui illud Sacramentum administrarunt, exigatur: utrumque enim Simoniacum est. Unde cum prava consuetudine in Mediolanensi Provincia receptum esset, Baptizatos infantes in Altari collocare, ut muneribus compatrum inde redimerentur, Concilium Mediolanense 1. Præside *S. Carolo Borromæo* hanc sustulit corruptelam.

REGULA XXXIV.

Pro Chrismate Sacro, vel Oleo Catechumenorum, aut infirmorum, pretium exigere citra Simoniæ crimen nemo potest.

HAnc Regulam tradit *Alexander III.* cap. *Ea*, *quæ de Avaritia*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: *Audivimus, quod nummos pro Chrismate ab Ecclesiis extorquetis: quos nunc Cathedraticum, aliquando Paschalem præstationem, interdum Episcopalem Consuetudinem appellatis. Quia vero hoc Simoniacum esse cognoscitur: mandamus, quatenus prætextu alicujus consuetudinis, vel Prælationis, præscriptos denarios nullatenus exigatis: pro certo scituri, quod si hoc præsumpseritis, periculum Ordinis, & Dignitatis poteritis non immerito formidare.*

Idem confirmatur ex cap. *In tantum*, quod *Innocentii III.* Responsum
„ est, eod. Tit. Sane (*inquit*) pervenit ad audientiam nostram, quod cum
„ olim quidam Suffraganei tui pro Chrismate certam consueverint accipere
„ pecuniæ quantitatem, non metuentes pœnam canonicam, & correctio-
„ nem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ solutionis anticipant, re-
„ cipientes in media Quadragesima, quod recipere consuevere post Pascha:
„ & ut causam recipiendi dissimulent, nomen denariorum variant, dena-
„ rios, quos prius Chrismales, secundo Paschales dicebant, consuetudinem
„ mediæ Quadragesimæ nuncupantes... Cum vero expressius exprimat ven-
„ ditionis speciem, qui prius recipit pretium, quam rem conferat pretio-
„ sam, & gratis sit gratia conferenda: mandamus, quatenus taliter excessus
„ corrigas supra dictos Suffraganeos tuos, & Officiales eorum a tam illicita
„ exactione compescens, quo aliorum culpa tibi ob tuam negligentiam non
„ imputetur ad pœnam.

REGULA XXXV.

Pactio quælibet pro Missarum celebratione illicita, & Simoniaca est.

QUamobrem Tridentina Synodus Sessione XXII. in Decreto *De observandis, & vitandis in Celebratione Missæ*, monet Episcopos, ut *Inprimis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedem, conditiones, pacta, & quicquid pro Missis novis celebrandis datur; necnon importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant.* (Pactiones quælibet pro celebratione Missarum illicitæ, & Simoniacæ.)

Et Concilium Rhemense anno 1585. *Sacerdotes, qui de pretio paciscuntur, ut Missas celebrent, & Parochi, qui pro Sacramentorum administratione, vel Fune-*

Funere, vel Sepulturis exigunt, præter ea, quæ de jure, vel consuetudine laudabili conferuntur, habeantur Simoniaci, non autem si sponte oblata recipiant.

Id consonum est antiquioris Concilii Toletani, scilicet anno 1324. celebrati Canone VI. quo Presbyteri perstringuntur, qui pro Missis pecunias „ exigunt, Æstimantes, ut ex eorum facto pernicioso videtur, gratiam Dei, „ quæ in Missæ Sacramento confertur, vel verius ipsum Deum, qui nobis „ sub specie dicti Sacramenti se exhibet, pecunia posse vendi. Verum (*in-* „ *quit*) cum dictum Sacramentum super omnia pretiosum sit liberaliter si- „ cut cetera Sacramenta celebrandum, districtius prohibemus, ne aliquis „ Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam tempo- „ ralem; sed grate accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari obla- „ tum sibi charitative fuerit, absque pacto, & conventione quacumque. Qui „ vero contrarium fecerit, a celebratione Missæ per annum noverit se su- „ spensum, & alias pro tam gravi excessu ad arbitrium proprii Episcopi pu- „ niendum.

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXV. quæst. III. artic. II. Quæstiuncula I. ad quartum: *Facere* (inquit) *pactionem de Missa celebranda est Simoniacum semper: si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex Officio Missam cantare, potest accipere denarios (sicut conducti Sacerdotes faciunt) non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.*

Et *Secunda Secundæ*, quæstione centesima, art. II. ad secundum: *Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium Consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ (hoc enim esset Simoniacum:) sed quasi stipendium suæ sustentationis.*

Et rursus in IV. *Sententiarum*, quæstione, & articulo mox indicatis, Quæstiuncula II. Actum aliquem spiritualem dici posse notat, vel quantum ad suum principium, quia competit alicui ex aliquo spirituali dono, vel officio, vel quantum ad sui finem; ut quando per actum ad aliquod spirituale donum pervenitur. *In actibus* (inquit) *qui primo modo spirituales sunt, quia spirituale est ex parte agentis, nullo modo sine Simonia potest aliquis locare actus suos: sed potest aliquid accipere in sustentationem vitæ: In secundis autem actibus, quia spiritualitas non est ex parte agentis, potest etiam vendere operas suas; sed non vendere hoc spirituale, quod ex ejus actu acquiritur.* Unde quia docere artes liberales est actus spiritualis secundo modo, licet Magistris artium vendere labores suos, sed non scientiam, sive veritatem, quæ spiritualis est. Sed quia *Anniversarium celebrare est spiritualis actus primo modo, nullo modo licet pacisci pro eo celebrando. Si tamen cum devotione aliquid detur Ecclesiæ, Ecclesia tenetur celebrare pro illis, pro quibus rogatur*, (inquit *S. Thomas* in Responsione ad primum.)

Contra hoc Simoniæ genus scribit *Petrus Cantor* in *Verbo Abbreviato*, „ cap. XXVII. Ut (*inquit*) insistamus radici, idest, cupiditati simoniacæ
Psal. 61. 5. „ extirpandæ: *Sic benedicam te in vita mea*, scilicet: *In nomine tuo*, non „ nummi, non cupiditatis, *Levabo manus meas*; quas in honore, & gloria „ Domini levat, qui bonis insistens, non suam, vel Mundi, sed Domini „ gloriam quærit. Quasi diceret: A me incipio, quia me cum vitiis, & „ concupiscentiis crucifigo; Crucifixum prædico, Crucifixum adoro; & „ quod plus est Crucifixum sincere conficio, sumo, aliis manducandum di- „ stribuo. Quomodo ergo manus Mundo crucifixas, Te Christe, conficientes, levabo ad alium, quam ad Te, Pretium Mundi? Quomodo ad quæ- „ stum, maxime ad peccatum? Simon Magus, qui Christianus esse, & mi- „ racula facere voluit propter quæstum, repulsam passus est a Simone Pe-

tro

„ tro: ob quam ulciſcendam quaſi dixit ei: Tu repellis me, & ego triumphabo de te, imo de toto corpore Eccleſiæ. In ipſis etiam Altaribus ponam ſolium, & cubile, & thronum, & dominium meum; ut etiam præſentibus Angelis, & quaſi coadunatis in uno angulo Altaris conficere Corpus Domini, ego in alio cum Miniſtro Altaris, imo cum meo potius, illud pro pretio conficiam.

„ Hinc *Arnulfus* Lexovienſis Epiſcopus Epiſtola LIV. Oportet (*inquit*) offerentem puras manus inferre, ne quod impretiabile eſt, omnique veneratione digniſſimum, vel ſub pretii recidat utilitatem, vel cauſis indignioribus expendatur.

„ *Et Robertus* Cardinalis *Pullus*, P. VIII. cap. XVII. Quid eſt (*inquit*) Miſſarum ſolemnia contuitu temporalis commodi celebrare, niſi cum Juda Chriſtum vendere, tanto nequius quanto reſurgendo eſt ſublimatus?

Certe cum Miſſarum Honorarium in locum antiquarum oblationum panis, & vini ſucceſſerit, ſicut Laici illud tanquam Deo acceptam oblationem Sacerdoti offerre debent, ita quoque illud Sacerdos non tanquam pretium Miſſæ, ſed ut voluntariam oblationem grato animo accipere tenetur, atque oſtendere ſe velle Deo voluntarie ſacrificare. Et ſi quando nihil, aut aliquid minus liberali animo Honorarii loco ordinatum fuerit, non contriſtetur, nec aliquod indignationis det indicium; quin potius ut oſtendat ſe magno, liberalique animo gratis dare, quod gratis accepit, ab omni cogitatione, & deſiderio muneris, & honorarii ſe ſemper contineat; & ſi quando aliquid offeratur, illud quamvis exiguum lætiori, lubentiorique animo accipiat, quam paupercula illa vidua æra minuta duo, quæ ſola habebat, in Gazophylacium mittebat. Cavendum denique & privatis Sacerdotibus, & Communitatibus, ne Conventiones directe, vel indirecte ſuper hiſce Honorariis ineant, ne & hiſce temporibus locum habeat, quod deplorabat olim Eccleſiæ malum Alvarus Pelagius, Silvenſis Epiſcopus ex Ordine S. Franciſci aſſumptus, Lib. II. de Planctu Eccleſiæ, art. v. „ Tot hodie dicuntur Miſſæ quaſi quæſtuarie, vel conſuetudinarie, vel ad complacentiam, vel ad ſcelera cooperienda, vel propriam juſtificationem, quod apud populum, vel Clerum ſacroſanctum Corpus Domini jam vileſcit. Unde, & almus Franciſcus voluit, quod in quocumque loco Fratres contenti eſſent una Miſſa, præſciens Fratres ſe velle juſtificare per Miſſas, & ad quæſtum eas reducere, ſicut videmus hodie fieri. Unde & dicebat, quod una Miſſa cœlum, & terram implebat.

R E G U L A XXXVI.

Quamvis Pœnitentibus in utroque foro imperari poſſint eleemoſynæ, & Excommunicatis indici poſſint mulctæ pecuniariæ, cum in foro externo abſolvuntur, nihil tamen exigi pro Abſolutione poteſt citra Simoniæ crimen.

PRo Sacramentis enim, & pro Miniſterio Eccleſiaſtico exercendo aliquid exigere, Simoniacum eſt. Hanc Regulam confirmat *Lucius III.* cap. *Ad aures*, Ext. *De Simonia*, ſcribens, *Indignum* eſſe, & *Eccleſiaſticæ rationi contrarium*, *ut Abſolutionis Beneficium redimatur*.

Eamdem confirmat *S. Thomas*, 2. 2. quæſt. centeſima, art. 11. ad tertium: *Pecunia* (inquit) *non exigitur ab eo, qui abſolvitur, quaſi pretium Abſolutionis: (hoc enim eſſet Simoniacum) ſed quaſi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus.*

REGULA XXXVII.

Simoniæ rei sunt Ecclesiastici Judices, qui pretio, vel favore celant peccatorem; aut digne Pœnitenti, ac satisfactionem condignam offerenti, Absolutionis Beneficium negant. Item Confessarii, qui pretio pariter, vel favore non pœnitentem absolvunt, levioremve, quam par sit, Pœnitentiam imponunt.

Simonia Ecclesiasticorum judicum, & Confessariorum.

HÆc Regula nititur cap. *Nemo*, Ext. *De Simonia*, quod *Alexandri III.* Responsum est: *Nemo* (inquit) *Presbyterorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imo spirituale detrimentum, a quocunque publice peccante accipiat, ut Episcopo, vel Ministris ejus peccatum illius celet: nec pro respectu cujusque personæ consanguinitatis, aut familiaritatis, alienis communicans peccatis hoc Episcopo innotescere detrectet: nec quemquam Pœnitentem, vel minus digne Pœnitentem, gratia, vel favore ad Reconciliationem adducat, & testimonium Reconciliationis ferat eidem: Vel quocumque livore, digne Pœnitentem a Reconciliatione removeat; quia Simoniacum est utrumque.*

Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, Dist. XXXV. quæst. III. art. II. Quæstiuncula II. ad sextum: *Correctio*, inquit, *est spiritualis actus: unde Simoniam committit, qui pecuniam accipit, ut peccatum, quod tenetur revelare, aut punire, non revelet, nec puniat.*

REGULA XXXVIII.

Pro Benedictionibus Nubentium, sicut & pro ceterorum Sacramentorum Administratione pretium exigere, aut quovis modo pacisci, crimen Simoniæ est: cogi tamen possunt Fideles, quos paupertas non excusat, ad solvendum Ecclesiæ Ministris honorarium, quod pia consuetudine constitutum est.

Honoraria Ecclesiæ Ministris pia consuetudine debita.

HAnc Regulam tradit Concilium Lateranense IV. sub *Innocentio III.* celebratum, Canone LXVI. & refertur cap. *Ad Apostolicam*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: Quidam Clerici pro Exequiis Mortuorum, „ & Benedictionibus Nubentium, & similibus pecuniam exigunt, & extorquent, & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta „ fictitia fraudulenter opponunt. E contra vero quidam Laici laudabilem „ consuetudinem erga Sanctam Ecclesiam pia devotione Fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, sub prætextu „ canonicæ pietatis. Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari: statuentes, ut libere „ conferantur Ecclesiastica Sacramenta: Sed per Episcopum loci, veritate „ cognita, compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem „ immutare.

Idem antea decreverat Concilium Oecumenicum *Lateranense* sub *Alexandro III.* ut refertur cap. *Cum in Ecclesia*, Ext. *De Simonia*: cujus hæc sunt „ verba: Ne vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in Sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis Mortuis, seu benedicendis Nubentibus, seu aliis Sacramentis aliquid exigatur, districtius prohibemus. Si „ quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum.

„ Idem confirmatur ex Concil. Turonensi anno 1236. Canone IV. Innovamus, ut Sacramenta Ecclesiastica gratis exhibeantur: inhibentes, ne „ pro eis, antequam fiant, aliquid petatur, seu etiam exigatur. Quibus „ gratis exhibitis, poterit peti, quod de pia consuetudine exigi consuevit, „ subditos ad hoc per Prælatos Censura Ecclesiastica compellendo.

Præ-

Præclarum est ea de re Concilii Rothomagensis anno 1581. Decretum, Tit. *De Curatorum, & aliorum Presbyterorum, ac Paræcianorum Officiis*, cap. xxvi. *Quamvis* (inquit) *nefaria sit simoniaca pro Sacramentorum administratione pactio, & licitatio: nihilominus, qui catechizatur, debet in omnibus ministrare ei, qui catechizat, & rependere temporalia seminanti spiritualia. Proinde sicut damnamus Curatorum, & Presbyterorum exactiones: ita non tantum ingrati animi, sed contra naturæ debitum, & Jus divinum nitentis, & corrupti esse judicamus, dispensanti Sacramenta ad salutem requisita non suppeditare victui necessaria, & operæ pretium, & salutis mercedem non reddere; scri-*
„ *ptum est enim*: Non alligabis os bovi trituranti, *Et*, Quis pascit gregem, 1. Cor. 9.
„ & de lacte gregis non manducat? Quis plantat vineam, & de genimine
„ vitis non bibit? Ita & his, qui altari deserviunt, de Altare vivere con-
„ stituit Deus. *Proinde noverint omnes Christiani, non liberalitatis esse, sed debiti, ministranti Sacramenta, atque alia spiritualia, stipendium aliquod solvere, unde vivat. Sed cum pretio nummario Sacramenta nequeant æstimari, nec quanti sit cuique necessarium ad victum, possit nisi ex ratione temporum, locorum, & personarum definiri: recte Majores nostri ad laudabiles consuetudines, ad evitandum avaritiæ, & sordium suspicionem, & occurrendum duxerunt, quæ cum hominum malitia intermittantur, obtestamur in Domino Curatos, & Paræcianos de his amice inter se convenire pro temporum varietate, & difficultate, Quod si Paræciani in contumacia contra Jus Naturæ, & Divinum persliterint, volumus eos vocari a Curatis coram Episcopis, & circumspectis omnibus, quod rationi videbitur constituatur, præsertim in civitatibus, & oppidis, ubi refrigescit charitas, & abundat iniquitas, nec Curatis ullæ Decimæ, aut alii suppetunt proventus.*

„ Eamdem Regulam confirmat *S. Thomas*, quæst. 100. art. 11. Sacramenta (*inquit*) Novæ legis sunt maxime spiritualia, in quantum sunt causa spiritualis gratiæ, quæ pretio æstimari non potest, & ejus rationi repugnat, quod non gratuito detur. Dispensantur autem Sacramenta per Ecclesiæ Ministros, quos oportet a populo sustentari, secundum illud Apostoli 1. ad Corinth. ix. *Nescitis quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui Altario deserviunt, cum Altario participant?* Sic ergo dicendum est, quod accipere pecuniam pro spirituali Sacramentorum gratia, est crimen Simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari: quia consuetudo non præjudicat Juri Naturali, vel Divino. Per pecuniam autem intelligitur omne illud, cujus pretium potest æstimari. Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui Sacramenta Christi ministrant, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudines approbatas, non est Simonia, neque peccatum. Non enim sumitur tanquam pretium mercedis, sed tanquam stipendium necessitatis. *Unde* S. Augustinus *Lib.* De Pastoribus *ait*: Accipiant necessitatem sustentationis a Populo, mercedem dispensationis a Domino.

„ Et in Responsione ad Quartum: Consuetudo (*inquit*) non præjudicat Juri Naturali, vel Divino, quo Simonia prohibetur. Et ideo si aliqua ex consuetudine exigantur quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi, vel vendendi, est manifeste Simonia, & præcipue si ab invito exigantur. Si vero exigantur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbata, non est Simonia, si tamen desit intentio emendi, vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis observantiam, & præcipue quando aliquis voluntarie solvit. In his tamen omnibus solicite cavendum est, quod habet speciem Simoniæ, vel cupiditatis secundum illud Apostoli 1. ad Thessalon. ult. AB OMNI specie mala abstinete vos.

„ Et ad Sextum : Dare pecuniam pro Matrimonio in quantum est naturæ officium, licitum est : In quantum vero est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum : & ideo secundum Jura prohibetur, ne pro Benedictione Nuptiarum aliquid exigatur.

„ Item Art. III. Vendere, quod spirituale est, aut emere, simoniacum est : sed accipere, aut dare aliquid pro sustentatione Ministrantium spiritualia, secundum ordinem Ecclesiæ, & Consuetudinem approbatam, licitum est : ita tamen quod desit intentio emptionis, vel venditionis ; & quod ab invitis non exigantur per spiritualium subtractionem, quæ sunt exhibenda : hoc enim haberet quamdam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutæ, & consuetæ oblationes, & quicumque alii proventus exigi a nolentibus, & valentibus solvere, auctoritate Superiori interveniente.

REGULA XXXIX.

Statutum de Processione ad Funus non facienda, aut de Mortuorum Officio non canendo, nisi certa Pecuniæ summa solvatur, simoniacum est.

„ ID constat ex *S. Thoma*, 2. 2. quæst. 100. art. III. ad secundum : Aliqua (*inquit*) temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione Ecclesiastici Officii, sive pro vivis, sive pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. Et eo etiam tenore pro Processionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemosynæ recipiuntur. Si autem hujusmodi pacto interveniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, simoniacum esset. Unde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret Processio in Funere alicujus, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem : quia per tale Statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur ; quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi. Et præterea, prima ordinatio habet speciem exactionis : secunda autem habet speciem gratuitæ compensationis.

REGULA XL.

Pro verbi divini Prædicatione pretium exigere, Simonia est : stipendia tamen sustentationis Concionatoribus Evangelicis debentur.

EVangelii namque Prædicatio, cum sit Ministerium spirituale, pretio æstimari non potest : At stipendia sustentationis Concionatoribus Divino Jure debentur, ut docet Apostolus 1. ad Corinth. IX. *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Scriptum est in Lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Nescitis quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.*

Idem confirmat *S. Augustinus* Libro *De Opere Monachorum*, cap. XXVI. *Qui propter hoc* (inquit) *Evangelium prædicat, ut habeat, unde manducet, & unde vestiatur, simul se putet, & Deo servire, quia Evangelium prædicat;*

& Mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat; quod Dominus dicit fieri non posse. Ac per hoc ille, qui propter ista Evangelium prædicat, non Deo, sed Mammonæ servire convincitur; etsi Deus illo ad aliorum provectum, quomodo ipse nescit, utatur.

Et *S. Gregorius*, Lib. XIX. *Moralium*, cap. X. explicans hæc verba cap. XXIX. *Quando lavabam pedes meos butyro;* pedes Domini Prædicatores Evangelii interpretatur; butyrum vero, sustentationem, quæ ipsis a fidelibus debetur. *Butyro* (inquit) *pedes lavantur, dum Sanctis Prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferuntur: Et quos fatigat injunctus prædicationis labor, exhibita a discipulis pinguedo boni operis fovet: non quod ideo prædicent, ut alantur, sed ideo alantur, ut prædicent, id est, ut prædicare subsistant: non ut intentionem sumendi victus transeat actio Prædicatoris, sed ad utilitatem prædicationis deserviant ministeria sustentationis. Unde a bonis Prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. Et quoties Prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solent de rerum munere, sed de conferentium gaudere mercede. Unde per Paulum dicitur:* Non quæro datum, sed requiro fructum. *Datum quippe est res ipsa, quæ* Phil.4.17. *impenditur: fructus vero dati est, si benigna mente futuræ mercedis studio aliquid impendatur. Ergo datum in re accipimus, fructum in corde.*

Idem docet *S. Thomas*, in IV. *Sententiarum*, Distinct. XXV. qu. III. art. II. Quæstiuncula II. ad quintum, *Stipendia* (inquit) *debentur Prædicantibus ad sustentationem victus, ne cogantur relinquere verbum Dei, & circa procuranda sibi necessaria occupari, non autem debentur eis quasi pretium Prædicationis.*

Et 2. 2. quæstione centesima, artic. III. ad secundum: *Prædicantibus* (inquit) *temporalia debentur ad sustentationem prædicantium; non autem ad emendum prædicationis verbum. Unde super illud* I. *ad Timotheum* V. *Qui bene præsunt Presbyteri, &c. dicit Glossa* (ex S. Augustino sumpta Lib. De Pastoribus) *Necessitatis est accipere, unde vivitur, Charitatis est præbere: non tanquam venale sit Evangelium, ut illud sit pretium ejus, quod sumunt, qui annunciant, unde vivant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino... Non exspectent illi mercedem, nisi unde & isti salutem.*

REGULA XLI.

Simoniæ rei sunt Canonici, qui Chorum frequentant propter Distributiones, tanquam propter finem præcipuum.

„ HAnc Regulam adstruit *S. Thomas*, Quodlibeto VIII. quæst. VI. Articulo I. Celebrare Divinum Officium in Ecclesia (*inquit*) est actus „ spiritualis ex parte principii: competit enim alicui ex hoc, quod est Cle- „ ricus. Et ideo Simoniam committit, qui hujusmodi actum vendere inten- „ dit; in qualibet enim venditione pretium accipitur quasi finis. Et ideo in „ prædicto casu distinguendum est: si enim hujusmodi distributiones recipit „ quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit: & ita „ mortaliter peccat: si autem habet principalem finem Deum in tali actu, „ ad hujusmodi autem distributiones respicit secundario, non quasi in finem, „ sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, „ quod non vendit actum spiritualem; & ita simoniam non committit, nec „ peccat: sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Eccle- „ siam vadat, sed proprie hujusmodi determinationis, quare nunc vadat, & „ non alia vice.

Triplici ex causa fiunt spiritualia (inquit *Petrus Cantor* in *Verbo Abbreviato*, cap. XXV.) *Causa propter quam, quæ debet esse solus Deus; & causa sine qua non possent fieri; & causa sine qua non fierent. Si spirituale fit ob temporale tantum, & non propter Deum, istud execrabile est, & diabolicum. Si*
Matt. 13. *vero causa Dei, & causa terreni emolumenti, sine qua non fierent, cum possent,*
„ *jam causa sine qua vertitur in causam propter quam.* Pallium enim meum
„ breve est, &c. Et stratum meum angustum est, &c. Non potestis Deo
3. Reg. 18. „ servire, & Mammonæ. Quousque claudicatis in duas partes? Non po-
Eccl. 2. „ testis ingredi terram duabus viis. *Tertiam vero causam necessitas humanæ fragilitatis excusat,* Dignus *est enim operarius cibo suo.*

REGULA XLII.

Simonia mentalis, & conventionalis Excommunicationem, aliasque pœnas canonicas non inferunt, sed sola Simonia realis; cum scilicet ita de pecunia, seu de re pretio æstimabili pro spirituali danda conventum est expresse, vel tacite, ut ex una saltem parte conditio impleta sit.

ITa docet *S. Thomas*, 2. 2. quæst. centesima, artic. VI. ad sextum: *Quoad Deum* (inquit) *sola voluntas faciunt simoniacum: Sed quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur, ut simoniacus, ut abrenunciare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere.*

Id consonum est Capiti *Mandato*, Ext. *De Simonia*, quo *Gregorius IX.* Legato quærenti, utrum acceptum ab eo Mandatum dispensandi cum Monachis simoniace receptis ad ipsos etiam Abbates pertineret, respondet: *Mandatum Apostolicum etiam ad Abbates extendi. Et ad Resignationes spiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, utrinque taliter acquiruntur (in quo casu delinquentibus sufficit per solam Pœnitentiam suo satisfacere Creatori) eos pro Simonia hujusmodi non teneri.*

REGULA XLIII.

Qui pro re spirituali aliquid pretio æstimabile dedit, vel accepit, seu munus a manu, aut ab obsequio, aut a lingua, quamvis nullo pacto præcedente; ad renunciandum Beneficio, & ad restitutionem tenetur, si animo proposuerit rem temporalem pro spirituali dare, vel accipere.

NUllus enim *potest licite retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit* (inquit *S. Thomas*, 2. 2. quæst. centesima, art. VI.) *Puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem, & ordinationem domini sui, ille, qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt Dispensatores, & Ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundum illud Matth.* x. Gratis accepistis, gratis date. *Et ideo, qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest.*

Nititur eadem Regula Can. *Si quis neque*, Causa 1. qu. 1. qui *S. Gregorio* tribuitur: *Si quis fraudulento munusculo Episcopalem, seu Sacerdotalem, non lucro animarum, sed inanis gloriæ, avaritia fultus dignitatem acceperit, & in vita sua non sponte reliquerit, cumque insperata mors Pœnitentem non invenerit, procul dubio in æternum peribit.* Fraudulentum munusculum intelligitur, quod nulla conventione prævia, quasi ex mera, gratuitaque liberalitate datum est; cum tamen eo donatum vel acceptum sit animo, ut per illud ad spiritualem dignitatem, seu Beneficium Ecclesiasticum perveniretur, sive ut illius intuitu Beneficium conferretur.

Tan-

Tandem qui lucrum solo mutui nomine percepit, nullo etiam pacto intercedente, ad ejus restitutionem obligatur, ut colligitur ex cap. *Consuluit*, Tit. *De Usura*: Pari ergo jure simoniacus, qui turpe lucrum ex re spirituali, vel ei annexa percepit, ad restitutionem tenetur, etiamsi nullum pactum intercesserit, sed solo animi proposito pretium intenderit.

REGULA XLIV.

Qui per Simoniam ordinati sunt, quamvis ipsi criminis istius conscii non fuerint, ab executione tamen Ordinum ipso Jure sunt suspensi.

ID constat ex cap. *Quoties*, & cap. *De hoc*, quod est *Alexandri III.* Responsum, Ext. *De Simonia*: Ex *Pauli II.* Constitutione, quæ incipit, *Cum detestabile*: & ex *S. Thoma* 2. 2. quæstione centesima, artic. VI. ad primum: *Ille* (inquit) *qui simoniace recipit sacrum Ordinem, recipit quidem characterem Ordinis propter efficaciam Sacramenti: Non tamen recipit gratiam, neque Ordinis executionem, eo quod quasi furtive suscepit Characterem contra Principalis Domini voluntatem. Et ideo est ipso jure suspensus, & quoad se, ut scilicet de executione sui Ordinis se non intromittat; & quoad alios, ut scilicet nullus ei communicet in Ordinis executione.* Et ad tertium: *Si vero eo nec volente, nec sciente, per alios alicujus Promotio simoniace procuratur, caret Ordinis executione.*

Simoniace Ordinati sunt irregulares.

REGULA XLV.

Cum iis, qui simoniace sunt ordinati, nec tamen Simoniæ conscii fuerunt, dispensare potest Episcopus, ut Ordinis ita suscepti functiones obeant: si vero ipsi Simoniam commiserint, aut hujusmodi criminis participes fuerint, necessaria est Summi Pontificis dispensatio. Idem esto judicium de simoniaca Beneficiorum impetratione. Qui enim aliena simonia, nec scientes, nec volentes, Beneficium Ecclesiasticum consecuti sunt, illud retinere possunt cum Episcopi dispensatione, qui vero Simoniæ participes, seu conscii fuere, non possunt, nisi Summi Pontificis Dispensatione, & indulgentia in integrum restituantur.

PRima pars constat ex cap. *De simoniace Ordinatis*, Ext. *De Simonia*, quod est *Lucii III.* Responsum: *Certum* (inquit) *tibi dare non possumus Responsum, nisi plenius cognoscamus, qualiter fuerint ordinati; cum quidam, licet secundum quamdam speciem Simoniæ, utpote ipsis ignorantibus, simoniace ordinentur, possunt* (*quia simoniaci non sunt*) *in suis Ordinibus remanere.* Idem confirmatur, ex cap. *Post translationem*, Ext. *De Renunciatione*, quod est *Innocentii III.* Archiepiscopo Ravennati electo scribentis: *Si quis per cupiditatem parentum* (*eo tamen penitus ignorante*) *fuerit Episcopatum adeptus, & hoc comperto, Episcopatum ipsum de licentia Superioris dimittens, Observantiam elegerit Regularem: etsi ad Episcopatum eumdem redire postmodum nequeat, juxta canonicas Sanctiones, ad alium tamen poterit licite reassumi.* Cujus Capitis Glossa hæc habet in rem nostram: *Papa potest dispensare cum Simoniacis, qui characterem habent vitiosum, qui scienter simoniam commiserunt*: Quod probat ex cap. penultimo, *De Simonia*, quod *Gregorii IX.* Responsum est: *Si quis* (inquit) *ordinaverit, seu ad Ordinem præsentaverit aliquem, promissionem, vel juramentum ab illo recipiens, quod super Provisione sua non inquietet eumdem: Ordinator a Collatione, Præsentator vero ab executione Ordinum per triennium, & Ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos.* Pergit Glossa: *Sed inferiores Prælati non possunt dispensare cum*

Quis dispensare possit cum iis, qui simoniace sunt ordinati?

re cum

re cum sciente, sed Papa: hoc ideo, quia bene purgatur vitium furti, ne furtiva apud furem remanente de voluntate Domini, ff. De Usur. L. Si fur. & Caus. 1. quæst. 1. C. Quod quidam, ver. Si forte malitiæ characterem, &c. *Sed cum Simonia commissa est ignorante illo, cui acquisitum est Beneficium, vel qui Ordinem, vel Dignitatem adeptus est ignoranter, possunt Episcopi dispensare post liberam Resignationem. Sed in hoc distingue: Si Beneficium etiam simplex eo modo est adeptus, statim post Resignationem potest resumi ad illud dispensative, ut supra*, De electione, cap Si alicujus. *In illo, qui Dignitatem sic est adeptus, distingue, si sponte resignat, petens humiliter Resignationem admitti, statim potest Episcopus dispensare cum illo, & ad eamdem Prælaturam*. Caus. 1. q. 5. C. Præsentium. *Ubi dispensatur in Dignitate assumenda cum eo, qui sponte renunciavit Ordini ignoranter recepto. Si vero de hoc contendit in judicio, & electio sua reprobata fuerit, quia simoniace fuit facta, licet eo ignorante, tunc Episcopus illa vice cum eo non poterit dispensare, sed postea sic. Supra*, De electione, cap. Si alicujus. *Et ita teneas circa hujusmodi dispensationem Simoniacorum*.

Secunda pars Regulæ nostræ confirmatur ex *Gregorio IX.* cap. *Si alicujus*, „ Ext. *De Electione*, mox laudato. Si alicujus electionem (*inquit*) propter „ simoniam, eo ignorante, ac ratum non habente commissam, contigerit re- „ probari; cum eo super Prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vi- „ ce non potest Episcopus dispensare. Quamvis circa eum, qui ignoranter „ recipit simplex Beneficium per simoniacam pravitatem, post liberam Re- „ signationem, Episcopi dispensatio toleretur.

Idem confirmatur ex *S. Thoma*, Secunda Secundæ, quæstione centesima, „ art. VI. ad septimum: Dispensare, *inquit*, cum eo, qui est Beneficiatus „ simoniace scienter, solus Papa potest. In aliis autem casibus potest etiam „ Episcopus dispensare: Ita tamen, quod prius abrenunciet, quod simonia- „ ce acquisivit, & tunc dispensationem consequatur: vel parvam, ut ha- „ beat laicam Communionem: vel magnam, ut post Pœnitentiam in alia „ Ecclesia in suo Ordine remaneat: vel majorem, ut remaneat in eadem, sed „ in Minoribus Ordinibus: vel maximam, ut in eadem Ecclesia etiam Ma- „ jores Ordines exequatur, non tamen Prælationem accipiat.

REGULA XLV.

Renuncians Beneficio simplici, ad quod per Simoniam ignoratam fuerat assumptus, si postea ad illud ex indulgentia Capituli iterum assumatur, nihil ex prima electione sibi vindicare potest.

CAnonicus itaque sic promotus, & post Renunciationem iterum admissus, postremum locum in Choro, & in aliis obtinet, ut respondet *Clemens III.* cap. *Ex insinuatione*. Ext. *De Simonia*. Prima enim collatio, seu receptio ipso Jure nulla erat: Actio autem semel extincta non amplius reviviscit.

REGULA XLVI.

In pœnas Canonicas non incurrit, nec ad Beneficium, Dignitatem, vel Officium Ecclesiasticum resignandum tenetur ille, quo non solum ignorante, sed prohibente, pecunia, vel aliquid aliud pretio æstimandum datum est, ut ei Beneficium illud, Dignitas, vel Officium procuraretur: maxime si datum sit in ejus odium, & per insidias.

ITa declarat *Innocentius III.* cap. *Sicut*, Ext. *De Simonia*, cujus hæc sunt verba: *Quamvis autem secundum sacrorum Canonum Instituta, etiam parvuli,*

vuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur: quia tamen longe diversum est non præbere consensum, & expresse aliquid prohibere: taliter duximus respondendum, quoniam ex eo, quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam (a qua postmodum minime recessisti) aliquis, te penitus ignorante, promisit pecuniam, & exsolvit; præsertim cum is nulla sit tibi consanguinitate conjunctus, nihil tibi debet ad pœnam, vel culpam (sicut credimus) imputari: nisi postea consenseris, pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam: alioquin contingeret, quod alicujus factum, insidias inimico parantis, ei damnosum existeret, cui penitus displiceret: & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret.

REGULA XLVII.

Qui Beneficium per Simoniam sciens volens obtinuit, fructus omnes restituere tenetur, non solum extantes, sed consumptos, illis duntaxat exceptis, qui in Ecclesiæ ipsius utilitatem sunt expensi: qui vero Simoniæ conscius non fuit, fructus consumptos restituere non tenetur.

SIc respondet *S. Thomas*, 2. 2. q. 100 art. 6. ad tertium: „ Si aliquis (in- „, quit) scienter, & propria sponte simoniace accipiat Ordinem, vel „ Ecclesiasticum Beneficium, non solum privatur eo, quod accepit, ut scilicet careat executione Ordinis, & Beneficium resignet cum fructibus inde „ perceptis: sed etiam ulterius punitur, quia notatur infamia. Et tenetur ad „ restituendos fructus non solum perceptos, sed etiam eos, qui percipi po- „ tuerunt a possessore diligenti. Quod tamen intelligendum est de fructi- „ bus, qui supersunt deductis expensis factis causa fructuum, exceptis fru- „ ctibus illis, qui alias expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ. Si vero eo nec „ volente, nec sciente, per alios alicujus Promotio simoniace procuratur, „ caret quidem Ordinis executione, & tenetur resignare Beneficium, quod „ est consecutus, cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fru- „ ctus consumptos, quia bona fide possedit: nisi forte inimicus ejus fraudu- „ lenter pecuniam daret pro alicujus Promotione, vel nisi ipse expresse „ contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renunciandum, nisi forte post- „ modum pacto consenserit, solvendo fuit quod promissum.

Simoniacorum restitutio.

REGULA XLVIII.

Restitutio pecuniæ per Simoniam acceptæ, fructuumque ex Beneficiis simoniace obtentis perceptorum, facienda est Ecclesiæ, vel pauperibus.

ECclesiæ restitutionem faciendam respondet *Alexander III.* cap. *De hoc*, Ext. *De Simonia*. Ecclesiæ, vel pauperibus faciendam, *S. Thomas*, docet, 2. 2. qu. XXXII. art. VII. *Alio modo* (inquit) *est aliquid illicite acquisitum, quia quidem ille, qui acquisivit, retinere non potest, quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit: sicut contingit in Simonia, in qua dans, & accipiens, contra justitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari.*

Cui facienda restitutio fructuum a Simoniacis?

Et quæstione centesima, art. VI. ad quartum: *Pecunia*, inquit, vel pos- „ sessio, vel fructus simoniace accepti, debent restitui Ecclesiæ, in cujus inju- „ riam data fuerunt, non obstante quod Prælatus, vel aliqui de Collegio illius „ Ecclesiæ fuit in culpa; quia eorum peccatum non debet aliis nocere: ita „ tamen quod, quantum fieri potest, ipsi, qui peccaverunt, inde commodum „ non consequantur. Si vero Prælatus, & totum Collegium sunt in culpa, tunc „ debet cum auctoritate Superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari.

CA-

CAPUT VIII.

DE HORIS CANONICIS, ET OBLIGATIONE ILLAS RECITANDI.

ARTICULUS I.

De Horarum Canonicarum Antiquitate, & Numero.

Luc. 18. 1.

CUm *Oporteat* Christianum *semper orare, & nunquam deficere*, ut docet Christus: multo magis Clerici, qui Deo singulari quadam, & præcipua ratione consecrati, & mancipati sunt, quasi quidam inter Deum, & Populum sequestri, ac Mediatores, & a rerum terrenarum curis, ac solicitudinibus hujus sæculi magis liberi, & expediti, assidue in oratione versari tenentur, Apostolorum exemplo, qui sic orationi sese adstrictos esse sentiebant, ut relicta Diaconis Viduarum, & Pauperum procuratione, totos se orationi, & prædicationi Verbi Dei addictos profiterentur: *Nos vero orationi, & Ministerio verbi instantes erimus*. Sed cum humana infirmitas & multiplex hujus vitæ necessitas non patiatur, ut homines continua mentis intentione in Dei laudibus, & oratione occupentur; aliisque etiam Ordinis sui Officiis pro salute proximorum incumbere Clerici debeant: ideo diversæ orandi Horæ ab initio Ecclesiæ constitutæ sunt. In Synagoga tres erant celebriores orandi Horæ, Tertia, Sexta, & Nona, ut ex Scriptura sacra colligitur, & ex *Tertulliano* Libro *De Jejuniis*, cap. x. & xi. qui & has Horas *Officiis Dei* consecratas, *exinde Apostolicas* vocat, id est, ab Ecclesia Christi Apostolorum tempore, & ex eorum præscripto observatas. *Sed nobis*, inquit, *S. Cyprianus* Libro de Oratione Dominica, „ præter Horas antiquitus observatas, orandi nunc & spatia, & sacramenta creverunt. Nam, & mane orandum est, ut Resurrectio Domini matutina oratione celebretur .... Recedente item Sole, ac die cessante necessario rursus orandum est. Nam quia Christus Sol verus, & dies est verus, Sole, ac die sæculari recedente, quando oramus ac petimus, ut supra nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, lucis æternæ gratiam præbiturum ..... Quod si in Scripturis Sanctis Sol verus, & dies verus est Christus; Hora nulla a Christianis excipitur, quod minus frequenter, ac semper Deus debeat adorari; ut qui in Christo, hoc, est, in Sole, & in die vero sumus, insistamus per totum diem precibus, & oremus: & quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox revoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filiis lucis & in noctibus dies est.

Act. 6.

Diversæ orandi Horæ ab initio Ecclesiæ constitutæ.

S. Hieronymus Epistola *ad Eustochium*, *De Custodia Virginitatis*, diversas orandi Horas institutas docet, ut si forte aliquo fuerimus opere nimium detenti, *Ipsum nos ad Officium tempus admoneat*. Et in Epist. *ad Demetriadem Virginem* singularum Horarum distinctius meminit. *Præter Psalmorum, & orationis ordinem* (inquit) *quod tibi Hora Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperas, Media Nocte, & Mane semper est exercendum, statue, quot horis Sanctam Scripturam discere debeas.*

Matutinas Laudes in Ecclesia Catholica, *Lucernales item Psalmos, & Orationes*, id est, Vespertinum Officium celebrari *S. Epiphanius* testatur, in Expositione Fidei. *Lucernarium* alii e Veteribus appellarunt. *S. Hyeronimus* in Epistola ad Lætam, *Sacrificium Vespertinum*, quod *accensa lucerna* reddebatur.

De Hymnis, & Psalmis canendis ipsius Domini, & Apostolorum habere nos doce-

documenta, *& præcepta* ſcribit *S. Auguſtinus* Epiſt. LV. alias CXIX. ad *Januarium*. Et Epiſt. CXXX. alias CXXI. ad *Proban*, cap. IX. ait, ſine intermiſſione orare, nihil aliud eſſe, quam beatam vitam, quæ nulla niſi æterna eſt, ab eo, qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderare. *Sed ideo ab aliis curis, atque negotiis, quibus ipſum negotium quodammodo tepeſcit, certis Horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id quod deſideramus intendere, ne quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebrius inflammetur.*

Concilium Carthaginenſe IV. Canone XLIX. ſtatuit ut *Clericos, qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate* (id eſt, niſi morbo affectus.) *Vigiliis deeſt, ſtipendiis privetur*. Concilium Veneticum in Britannia minori anno quadringenteſimo ſexageſimo quinto celebratum Canone XV. *Unam Officiorum Regulam*, unam Sacrorum Ordinem, unamque pſallendi conſuetudinem in Provincia Turonenſi teneri decernit. Idem Concilium Canone XIV. Clericum, qui ſe *Matutinis Hymnis* ſubduxerit, ſeptem diebus a Communione extraneum haberi ſanxit: *Quia Miniſtrum Sacrorum eo tempore, quo non poteſt ab Officio ſuo ulla honeſta neceſſitas occupare, fas non eſt a ſalubri devotione ceſſare*. Plura de divinorum Officiorum Ritu, & ordine in aliis Conciliis Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Angliæ, Africæ, Italiæ leguntur, quæ vel vindicare longum eſſet. Laicos ipſos Fideles olim Officia divina frequentaſſe SS. Patres, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta teſtantur. Monachos Officia divina, Horaſque Canonicas pſallere ſolitos teſtantur Regulæ *SS. Baſilii, Pacomii, Benedicti, Cæſarii, Aureliani, Columbani, Ferreoli, Caſſianus* Lib. II. cap. V. & VI. & Lib. III. qui *de Canonico Diurnarum Orationum, & Pſalmorum Modo* inſcribitur, Clericos ſacræ Pſalmodiæ non minori ſtudio, pietate, ac fervore vacaſſe conſtat ex *S. Paulino* Epiſt. ad *Victricium* Rotomagenſem Epiſcopum, ex *S. Gregorio Magno* Lib. IV. Epiſt. XLIV. & Lib. X. Epiſt. XXII. *Gregorio Turonenſi* in variis Hiſtoriæ ſuæ locis, præſertim vero Lib. X. ubi *Injurioſum* Epiſcopum inſtituiſſe *Tertiam*, *& Sextam* in Eccleſia Turonenſi teſtatur; *Quod modo* (inquit) *in Dei nomine perſeverat*. Item ex Concilio Turonenſi II. anno 567. Canone XVIII. Item ex *Venantio Fortunato* in Vita *S. Germani* Pariſienſis Epiſcopi, & Carmine X. Libri ſecundi, quo Pariſienſis Eccleſiæ præclarum elogium continetur. Ex *Sidonio Apollinari* Lib. IV. Epiſtola XI. ubi *Claudianum* S. Mamerti Viennenſis Epiſcopi fratrem, & Vicarium laudat, quod Pſalmos præcinuerit, & Lectiones per annum ordinaverit. Ex *Cypriano* Epiſcopo Tolonenſi in Vita *S. Cæſarii* Arelatenſis Epiſcopi lib. I. & ex ipſo *Cæſario* Sermone CCLXXXVIII. & CXL. Appendicis Auguſtinianæ, Editionis poſtremæ Pariſienſis. Ex Collatione Epiſcoporum, quorum caput erat *S. Avitus Viennenſis*, coram *Gundebado* Burgundiæ Rege adverſus Arianos anno quadringenteſimo nonageſimo nono habita; ex *Agobardo* Lugdunenſi Epiſcopo in Libris *De Divina Pſalmodia*, *De Correctione Antiphonarii*, & *Contra Amalarium*. Ex *S. Iſidoro* Hiſpalenſi Epiſcopo Lib. VI. *Originum*, cap. XIX. & Libro I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, & ex Breviario Mozarabico, quod in Editione Cardinalis *Ximenes* inſcribitur, *Officium Gothicum*, *ſive Mixtum ſecundum Regulam B. Iſidori*. Ex Capitulari *Hincmari* Archiepiſcopi Rhemenſis ad ſuæ Diœceſis Presbyteros. Ex *Regione* Lib. I. *De Eccleſiaſtica Diſciplina*. Ex Regula *Crodegandi* Metenſis Epiſcopi. Ex Capitulari *Abitonis* Baſileenſis Antiſtitis; necnon ex aliis veteribus Monumentis.

Variis nominibus ſacrum illud ſervitutis clericalis penſum inſignitum eſt. Vocatum eſt *Officium Canonicum*; ſeu *Horæ Canonicæ*, quod Eccleſiaſtica Regula præſcriptum, ac ordinatum eſſet. Dictum eſt *Officium a S. Hieronymo* Officii Eccleſiaſtici varia nomina.

in

in vita S. Hilarionis : *Oremus* (inquit) *psallamus*, *reddamus Domino Officium*, *& sic ad vineam properabitis* : & a Concilio Venetico Canone xv. *Unam* (inquit) *Officiorum Regulam teneamus* . Item a Concilio Agathensi Canone xxvii. *Ad celebranda divina Officia ordinem quem Metropolitani tenent*, *Provinciales observare debebunt* : a *Gregorio II.* Romano Pontifice in Capitulari, a Conciliis Toletanis, a *S. Isidoro Hispalensi*, &c. a *SS. Benedicto*, & *Cæsario*, a *S. Gregorio Magno* Lib. viii. Epistola xxxiv. In Regula *S. Donati* Vesontiensis Episcopi, &c. *Opus Dei* appellatur. *Cursum Ecclesiasticum* appellant *Gregorius Turonensis* Lib. v. *Historiæ*, cap. xxxii. & Libro i. *De Gloria Martyrum*, ubi se Librum unum *De Cursibus Ecclesiasticis* scripsisse testatur : *Venantius Fortunatus* in Vita *S. Germani* Parisiensis Episcopi Capite lxxvi. *Leo IV.* Pontifex Maximus Homilia iv. ad Presbyteros, & *Ratherius* Veronensis Episcopus in Homilia Synodica ; Venerabilis *Beda* Libro iv. Historiæ, cap. xviii. Concilium Celithetense in Anglia anno septingentesimo octogesimo septimo celebratum, cap. vii. Acta *S. Walarici* Abbatis; & antiquus Auctor Anonymus Libelli *De Cursuum Ecclesiasticorum Origine* editi a *Spelmano* Tomo i. Conciliorum Angliæ. *Breviarium* denique a Divinorum Officiorum abbreviatione, cum in gratiam Clericorum publicis Ecclesiæ negotiis occupatorum in Romana Curia, tum in gratiam Missionariorum Apostolicorum facta, & in omnibus Urbis Ecclesiis recepta mandato *Nicolai III.* de genere *Ursinorum*, qui Pontificatum iniit anno millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, dictum ait *Radulfus* Tungrensis Decanus. Sed certe antiquius est *Breviarii* nomen : Statuta enim Abbatum Provinciæ Narbonensis anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo condita, quæ leguntur Tom. vi. *Spicilegii*, jubent ut *Monachi in Sacris Ordinibus constituti*, *in longo itinere profecturi*, *sine Breviario*, *vel Psalterio non mittantur*. Et Concilium Tolosanum anno millesimo ducentesimo vigesimo nono, Canone xiv. prohibet. *Ne Libros Veteris Testamenti*, *aut Novi Laici permittantur habere*, *nisi forte Psalterium*, *vel Breviarium pro Divinis Officiis*, *aut Horas Beatæ Mariæ aliquis ex devotione habere velit*. *Sed ne præmissos Libros habeant in vulgari translatos*. Breviarium itaque dictum est, quod Lectiones breviores ex Scriptura Sacra, & Homiliis Patrum excerptas, & in dies anni singulos distributas pro ratione Temporis, & Festorum, uno Libro complectatur, in commodum Clericorum, & Religiosorum Virorum.

Breviarii nomen quando usurpari cœptum.

Septem Horæ Canonici Officii, diversis Passionis Christi Horis significandis accommodatæ.

Septem sunt Horæ Canonici Officii, Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperę, & Completorium: Ut merito cum Propheta dicamus, *Septies in die laudem dixi tibi.* Diversis Passionis Christi horis significandis sunt accommodatæ, ut Clerici quotidianum istud servitutis suæ Officium persolventes, ea, quæ Redemptor noster pro nobis passus est in memoriam revocent, ac meditentur. Quod indicant Versus in Glossa cap. *Presbyter*, Ext. *De Celebratione Missarum*, relati.

Hęc sunt septenis propter quæ psallimus Horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit, latus ejus Nona bipertit:
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

His prænotatis, Regulæ Morales de Horarum Canonicarum recitatione tradendæ sunt, & explicandæ.

AR-

ARTICULUS I.

REGULÆ MORALES

De Officii Divini, seu Horarum Canonicarum recitatione.

REGULA I.

Clerici Sacris Ordinibus initiati, & beneficiati, Divinum, & Canonicum Officium etiam privatim recitare tenentur sub pœna peccati mortalis. Restitutioni vero obnoxii sunt beneficiati, qui sua culpa Officii Divini recitationem, omittunt, pro rata omissi Officii parte.

EA Ecclesiæ Lex, sive Consuetudo, qui Ministri Sacri ad recitandas Horas Canonicas tenentur, interpretatio quædam est Juris Divini, orta ex Clericorum conditione, qui toti divino cultui consecrati sunt, ac mancipati, ut saltem aliquot horas divinis laudibus insumant, quorum omnis cogitatio in Deum, & de Deo esse deberet. Unde Venerabilis *Beda* in cap. XVIII. *S. Lucæ* ait, *Eum*, juxta præceptum Domini, & Apostoli, *semper orare, & non deficere, qui Canonicis Horis quotidie juxta Ritum Ecclesiasticæ Traditionis Psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare, & rogare non desistit.* Quam antiqua porro sit, quam stricta illa obligatio, multa probant cum veteris tum novæ Historiæ, Disciplinæ Ecclesiasticæ monumenta.

Clericis in Sacris Ordinibus Constituti, vel Beneficiarii, ad Breviarium etiam privatim recitandum tenentur.

S. Gregorius Nyssenus iter suum in Arabiam commemorans, *Vehiculum* (inquit) *nobis pro Ecclesia, & Monasterio erat, omnibus per totam viam psallentibus.*

Palladius in Vita *S. Joan. Chrysostomi* loquens de quadraginta Episcopis propter causæ ipsius defensionem ab Ecclesiis suis ejectis: *Reversi*, inquit, *Episcopi Vigilias intra sua diversoria celebrarunt.*

Venantius Fortunatus in Vita *S. Germani* Parisiensis Episcopi, cap. LXXVI. refert, ipsum in itinere Divinum Officium nudo capite persolvisse. *Qui equitans in itinere*, inquit, *semper de Deo aliquid, aut verbo contulit, aut cantavit, cursum nudo capite dicens, etsi nix, aut imber urgeret.*

Gregorius Turonensis in Officio recitando adeo religiosus erat, & diligens, ut *Expergefactus circa medium noctis ad cursum reddendum surgeret*; ut ipse refert *Historiæ* Lib. VIII. cap. XV. Et cum Parisiis versaretur tempore Concilii, nocte quadam postquam Matutinum recitasset, ad ostium hospitii sui graviter pulsatum fuisse scribit Lib. V. cap. XIX. *Ea vero nocte, decantatis Nocturnalibus Hymnis*, idest recitatis, *ostium mansionis nostræ gravibus audio verberibus cogi.* Neque vero id peculiari Religione faciebat, sed ex More Sacerdotum, seu ex Ecclesiæ Disciplina, ut colligitur ex Libro *De Gloria Confessorum*, cap. XXXI. ubi agit de quodam Presbytero, qui in itinere constitutus, cum a paupere quodam hospitio receptus esset, *Juxta Morem Sacerdotum nocte ab stratu suo consurrexisse; & orationi adstitisse refertur.* Et rursus Lib. V. *Historiæ*, cap. XXI. *Salonio*, & *Sagittario* Episcopis vitio vertit, quod Cursum sacrum, seu Divinum Officium negligerent. *Nulla prorsus de Deo erat mentio: nullus omnino Cursus memoriæ habebatur.*

Concilium Toletanum IV. can. X. Sacerdotibus, & subjectis Clericis sub gravi interminatione præcipit, ut *Dominicam Orationem* quotidie *aut in publico, aut in privato Officio* recitent. Ex quo intelligitur, privatam Divini Officii recitationem Clericis apud Hispanos ante septimum sæculum præceptam fuisse.

Con-

Concilii Nannetensis can. XIX. a *Regione* in Collectione Canonum Libro I. cap. CCVIII. descriptus statuit, ut *Presbyter*, *mane Matutinali Officio expleto*, *pensum servitutis suæ canendo*, idest, privatim recitando, *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *Nonamque persolvat*: *ita tamen ut postea*, *horis competentibus*, *juxta possibilitatem*, *aut a se*, *aut a Scholaribus publice compleantur*. Verbum *canere* hic nihil aliud significare, quam privatim recitare, Canonis series ostendit: eaque significatione vocem illam interdum a Scriptoribus Ecclesiasticis usurpari Viri Eruditi norunt. Sic Remigius Monachus Antisiodorensis in Expositione Canonis Missæ, rationem reddens, cur Canon tacite recitetur: *Idcirco*, inquit, *venit consuetudo in Ecclesia*, *ut tacite ipsa Obsecratio*, *atque Consecratio a Sacerdote cantetur*, *ne verba tam sacra vilescerent*. Ipsa Concilii Nannetensis verba *Hincmarus* Archiepiscopus Rhemensis sua facit in Capitulari ad suæ Diœcesis Presbyteros, cap. IX. Habetur etiam cap. *Presbyter*, Extra, *De Celebratione Missarum*, & tribuit Concilio Agathensi, in quo tamen illud non inveniri notatur ad marginem. Sed non refert cujus sit Concilii, siquidem inter publicas Ecclesiæ Leges Decretalium Collectioni a Sede Apostolica approbatæ insertum est.

Crodegangus Metensis Episcopus, cap. XXVII. Regulæ Canonicis præscriptæ ait: *Si longe ab Ecclesia aliquis fuerit*, *ut ad Opus Dei per Horas Canonicas occurrere non possit*, *agat Opus Dei cum tremore divino*, *ubi tunc fuerit*. Et infra, *Quicumque ex Clero in itinere cum Episcopo*, *vel cum alio proficiscuntur*, *Ordinem suum*, *in quantum ratio*, *vel iter permiserit*, *non negligant*: *& non eos debent præterire horæ constitutæ*, *tam de Officiis Divinis*, *quam aliunde*.

B. Petrus Damiani Libro, qui inscribitur, *Dominus vobiscum*, in eo totus est, ut ostendat hæc verba in privata Divini Officii recitatione non esse omittenda, sicque ab omnibus Sacerdotibus recitari testatur, & a Solitariis: Nec *Dominus vobiscum*, *Venite exultemus Domino*, *Jube domne benedicere*, & alia, quæ ad plures diriguntur, immutari debere ab iis, qui soli Divinum Officium recitant. *Si enim Doctores Ecclesiæ id expedire decernerent*, *in Ecclesiasticis Officiis alium singulis*, *alium multis Ordinem tradidissent*. At *Neque Apostolicæ Sedis Antistes*, *cum privata Deo reddit obsequia*, *neque quisquam omnino Pontificum*, *vel Catholicorum Sacerdotum his verbis ad alterum singulariter utitur*.

Recitatio Canonici Officii Clericis in Sacris Ordinibus constitutis ita præcepta censebatur, ut qui illam omisissent; se gravis peccatis reos agnoscerent. Unde Formula confessionis apud *Alcuinum* sic habet: *Peccavi*, *quod negligens fui de meo Cursu*, *quem per horas Canonicas exsolvere debui*, &c. In Statutis etiam *Eadgari* Anglorum Regis Formula Confessionis occurrit, in qua hæc leguntur: *Confiteor me Horas meas Canonicas neglexisse*. Inter accusationum capita quæ *Joan. XII.* Romano Pontifici objecta sunt, & quæ *Ottonem* Imperatorem ad agendum contra ipsum impulerunt, unum est, quod *Matutinas*, *& Canonicas Horas non celebrasset*, ut refert *Luitprandus* Lib. [illegible] c. VII. *Greg. X.* inter varia delicta, propter quæ *Henricum* Leodiensem Episcopum in Conc. Lugdunensi deposuit, Horarum Canonicarum omissionem recenset in Epistola ad ipsum scripta. *Quid plura*, inquit, *Horas Canonicas*, *maxime cum eas nescias*, *& illiteratus exulas*, *in Animæ tuæ periculum prætermittens*, &c. Id quoque criminis objectum est *Joanni XXIII.* in Concilio Constantiensi sessione XI. *horas Canonicas dicere sprevit*. Et *Innocentius III.* Commissariis delegans Inquisitionem contra Neopatrensem Episcopum Epist. XCVIII. Libri XIV. inter cetera Capita, de quibus a Capitulo suo fuerat accusatus, istud recenset: *Nec ut tenetur*, *per seipsum horas Canonicas Deo reddit*.

Jaco-

Jacobus de Vitriaco, Historiæ Occidentalis cap. xxxiv. obligationem illam strictissimam, & gravissimam esse testatur. *Licet autem Sacerdos privatas orationes, & secretas deprecationes variis circa Curas Animarum occupationibus intentus possit aliquando dimittere; Horas tamen Canonicas non debet omittere. Aliæ enim orationes sunt voluntatis, hæ autem necessitatis.*

Concilium Dertusanum in Hispania anno millesimo quadringentesimo vigesimo nono celebratum can. iv. ea de re ita statuit: „ Ne divinæ servitutis census, quem de fructu labiorum suorum offerre tenetur quilibet „ Clericus, Ecclesiasticum beneficium possidens, vel in Sacris Ordinibus constitutus, dum per occupationes alias conventui Ecclesiæ interesse non valet, ex defectu Breviarii omittatur, provide duximus statuendum, ut per „ locorum Ordinarios Beneficiarii prædicti, & in Sacris ordinibus constituti, „ ad habendum proprium Breviarium infra tempus ipsorum Ordinariorum arbitrio moderandum coercitione districta cogantur, nullusque de cetero in „ Diaconum ordinetur, qui non habeat Breviarium, & in practica, & peritia „ Divinum Officium faciendi per examen reperiatur idoneus. *Legendum esse*, „ Nullusque in Subdiaconum ordinetur, verisimile est, cum Clericos omnes ad Breviarii recitationem obligatos asserat, qui sunt in Sacris constituti.

Concilium Basileense sess. xxi. can v. eamdem obligationem supponit, ac declarat; „ Quoscumque beneficiatos, *inquit*, seu in Sacris constitutos, cum „ ad Horas Canonicas teneantur, admonet hæc Synodus, ut sive soli, sive associati, diurnum, nocturnumque Officium reverenter, verbisque distinctis peragant.

Leo X. in Concilio Lateranensi v. sess. ix. Statuit, „ Ut quilibet habens „ beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, „ beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis Officii, sed eos tanquam injuste perceptos, in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima Monitione præcedente, beneficio ipso privetur, cum propter Officium detur beneficium. Intelligatur autem Officium omittere quoad hoc, „ ut beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non „ dixerit, Deo tamen ultra præmissa de dicta omissione redditurus rationem. Idem statuit *S. Pius V.* Constitutione cxxxv. quæ incipit, *Ex proximo*.

Beneficiati pro rata omissi Officii parte ad restitutionem fructuum tenentur.

Secundum has Constitutiones eamdem obligationem declarant Concilia Mediolanensia i. iii. & iv. sub *S. Carolo Borromæo*. Et primum quidem p. ii. c. xxi. addit: *Qui vero Sacris initiati, beneficium Ecclesiasticum non habent; si Divinum prætermiserint Officium, præter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab Episcopis in eos animadvertatur.*

Concilium Rothomagense an. 1581. cap. *De cultu Divino in genere*, de Breviario loquens: „ Ab omnibus (*inquit*) ad Sacros Ordines promovendis „ libri ad Divinum Officium necessarii habeantur. Promoti vero sciant se „ ad Breviarium obligari, ac Romanum trium quotidie Lectionum a Cardinali S. Crucis compositum a Sacrosancta Sede Apostolica sublatum sibi „ omnino prohiberi. Sciant insuper beneficiati, qui Breviarium recitare „ neglexerint absque legitima excusatione, graviter peccare, & suorum „ beneficiorum fructus pro rata omissi Officii, & temporis suos non facere, sed eos tanquam injuste perceptos, in fabricas hujusmodi beneficiorum, „ vel pauperum eleemosynas erogare teneri, ex proximi Lateranensis Concilii Decreto per Sanctæ memoriæ Pium V. declarato.

Eamdem obligationem cum recitandi Breviarium, tum restituendi fructus

„ pro rata portione omissionis Horarum, temporisque, confirmat Conc. Rhemense an. 1583. tit. „ De Breviario, *Aquense* 1585. Qui horas Canonicas legitimo cessante impedimento intermiserint, quicumque eas recitare tenentur, sciant ex Bulla S. Pii V. non solum gravi se peccato obstrictos, sed omnes etiam beneficiorum suorum fructus, qui in singulos dies eis obtingerent, si quotidie in singulas Horas dividerentur, amittere, neque a Confessario ulla ratione absolvi posse, etiam Jubilæi cujuscumque gratia suffragante, nisi fructuum, quos indebite perceperint, facta prius ad dictæ Bullæ præscriptum restitutione. „ Idem confirmant Burdigalense eodem anno tit. III. *De Ecclesiasticis Precationibus*, Tolosanum 1590. p. I. c. IV. Avenionense 1594. c. XXXIV. Aquilejense an. 1596. c. XI. cujus hæc sunt verba: „ Non tamen existiment, qui ad subdiaconatus Ordinem, & superiores provecti sunt, si beneficio Ecclesiastico careant, horis Canonicis ex Breviario Romano recitandis obstrictos non esse; omnino vero intelligant, quemadmodum qui beneficium habent Ecclesiasticum, Horas Canonicas non recitantes, ultra peccati mortalis reatum, amissione fructuum plectuntur: ita illos omittendo Horas Canonicas mortaliter peccare, nec se prætextu beneficii non adepti excusare posse.

Idem confirmat *S. Thomas*, Quodlibeto VI. q. V. art. II. *Clericus* (inquit) *ex hoc ipso quod est Clericus, & præcipue in Sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicere Horas Canonicas: videntur enim tales specialiter esse assumpti ad laudem divinam; secundum illud Isaiæ* XLIII. „ Omnem, qui invocat nomen meum, in laudem meam creavi illum: *Sed in quantum est Clericus beneficiatus in hac Ecclesia, tenetur dicere Officium secundum modum illius Ecclesiæ*. Lethalis igitur peccati reus est Clericus Sacris initiatus, vel beneficium Ecclesiasticum possidens, qui sine causa legitima, seu necessitate urgentissima Officium Canonicum, aut notabilem Officii partem prætermittit.

Quæ pars Horæ notabilis?

Pars notabilis non solum est Hora integra, seu dimidia, sed tertia pars Horæ. Unde omissio unius Nocturni, seu trium Psalmorum, vel Lectionum in Matutinis, omissio duorum Psalmorum in Vesperis, unius Psalmi in reliquis, mortale peccatum videtur.

Quæ causæ legitime a Breviarii recitatione difpensant?

Causa legitima, seu necessitas urgens, est Breviarii defectus; si quis in loco versetur, ubi invenire non possit, comparare, aut commodato accipere, vel publicis Officiis interesse; & absque sua culpa libro careat. Si vero Breviarium sua culpa perdidisset, v. g. ludendo, aut illud vendidisset, vel donasset, projecisset, ex industria reliquisset, sive in itinere ferre neglexisset, toties mortale peccatum committeret, quoties non recitaret, donec illum pœniteret malitiæ suæ. Legitima item causa ab Officii recitandi obligatione liberans est infirmitas ita gravis, ut Officii recitatio illam probabiliter aggravaret, morbique curationem retardaret: qua in re Medici, aut Superioris arbitrio, seu prudentis bonique viri judicio standum est: nec non cæcitas. Id constat ex Conc. Carthaginensis IV. can. XLIX. & Venetici can. XIV. Idem confirmat Conc. Marciacense Provinciæ Auscitanæ an. 1326. celebratum, can. XIX. „ Statuimus (*inquit*) quod omnes Clerici in Sacris Ordinibus constituti, & beneficium Ecclesiasticum maxime cum Cura obtinentes, & omnes Religiosi Clerici, ad omnes septem Horas Canonicas omni die dicendas vigilent diligenter. Nam ad eas dicendas sunt ex officio obligati, nisi eos infirmitatis gravitas excusaret. *Idem confirmat Conc. Mediolanense* IV. *tit.* De Vita, & Honestate Clericorum, *cujus hæc sunt verba*: Sacerdos, Clericusve Sacris initiatus, aut Ecclesiasticum beneficium obtinens, Horarum Canonicarum Officio cum adstrictus sit, meminerit se febri, morbove aliquo, vel adversa valetudine aliquando leviter laborantem, non justam

„ pro-

„ propterea excusationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve.
„ Itaque si quando corporis infirmitate affectus est, ipse pro sua conscien-
„ tia recte videat quid præstare possit, ac ne omittendo graviter peccet,
„ & Beneficii, si quod habet, fructus suos non faciat.

Charitas etiam ab Officii recitatione excusat, ut Cura Infirmorum necessaria, si simul Officium persolvi non possit absque gravi illorum incommodo, & detrimento: Item Administratio Sacramentorum, quæ moram pati non potest: Moribundorum procuratio, aliæque functiones sacræ, si tempus Officii recitationi necessarium forte non relinquerent ei, qui ad illas tenetur ratione beneficii, aut Delegationis, sive Mandati Episcopalis. Quæ enim ab Ecclesia pro charitate instituta sunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, omitti possunt, vel intermitti, vel in aliud forte commodius sive Ecclesiæ utilius ~~opus~~ mutari; (inquit *S. Bernardus*, Lib. *De Præcepto & Dispensatione*, cap. 11.) *Et iniquum foret si statuta pro sola charitate, contra charitatem tenerentur*. Ceterum locum tantum habet illa exceptio, cum adhibita diligentia, & cautione necessaria nullum omnino temporis intervallum superest ad majora illa, seu potiora charitatis opera exercenda, simul & ad persolvendum Canonicum Officium. Debet enim Clericus diutius vigilare, Solis ortum prævenire, noctu etiam surgere pro more antiquo Sacerdotum, ab omnibus sæcularibus negotiis, inutilibus confabulationibus, recreationibus, deambulationibus abstinere, ut Deo vacet, ut Breviarium integrum religiose recitet. Denique si Conciones, aut lectiones simul habere non possint Ecclesiastici Viri, & recitandi Officii obligationi satisfacere, functiones illas potius dimittere debent, si id absque gravi scandalo fieri possit; quam Divinum Officium, in tanta Concionatorum, & Doctorum copia, qui utrumque Munus implere, & Canonicum Officium pie recitare possunt, & parati sunt. Si vero concionandi Munus ipsis ex Officio incumbat: meminerint, quod oportet istud facere, & illud non omittere.

Merito itaque inter alias pravi dogmatis Propositiones hæ etiam ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo damnatæ sunt.

Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet. Propositiones damnatæ.

Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino.

Restitutio a S. Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante Sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque Eleemosynas, quas ante Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit.

REGULA II.

Tenuitas Ecclesiastici Beneficii ejus possessorem a Recitatione Breviarii non dispensat.

Ecclesiæ enim leges Clericos omnes, qui Curatum, *aut quodvis aliud Ecclesiasticum Beneficium obtinent*, ad Recitationem Divini Officii adstringunt. Ita loquitur Conc. Tolosanum anno 1590. celebratum, cap. IV. p. 1. *De Presbyteris, & Clericis*. Hanc Regulam tradit *S. Antoninus* III. p. tit. XIII. cap. IV. §. 1. *Ad horas Canonicas*, (inquit) *tenentur ordinati in Sacris, scilicet in Subdiaconatu, & supra: & hoc tam secundum omnes Theologos, quam Canonistas*; (*Extra*, De Celebratione Missarum, cap. Dolentes.) *Tenentur secundo ex præcepto quilibet Clerici beneficiati, & non existentes in Sacris: nec excusare se possunt ratione exiguitatis beneficii, si ex eo non perci-*

piant sibi necessaria; sed imputent sibi, ex quo se fecerunt ad illud intitulari.

Id confirmat Glossa Decreti in can. *Clericus*, dist. XCI. verbo *Vigiliis*, *dicens: Sicut vir tenetur ministrare necessario uxori, quæ tamen est talis, quod ei debitum reddere non valet*, (caus. XXXII. qu. VII. C. Quod proposuisti, & C. Hi qui :) *Ita iste tenetur officiare Ecclesiam, licet pauper sit, & dicere cum Apostolo, Scio & abundare, & esurire.*

Idem colligunt Canonici Juris Interpretes doctissimi ex cap. *Conquerente*, Ext. *De Clericis non Residentibus*. Ita inter alios *Prosper Fagnanus* in illud caput: *Sicut non excusatur a Residentia, ex eo quod ex Beneficio vitæ necessaria non percipiat; ita nec excusatur ab Horis dicendis. Imputet sibi si beneficium non sit competens, quia nihilominus tenebitur ad horas, ex quo se fecit ad hoc intitulari.*

REGULA III.

Qui totum Officium recitare non possunt propter infirmitatem, aliamve causam legitimam, & tamen aliquas Horas possunt persolvere, ad eas recitandas tenentur sub pœna peccati mortalis.

CUm enim Canonicum Officium pluribus Horis constet, & ad singulas recitandas Clerici in Sacris constituti, & beneficiati adstricti sint, sequitur, illos, qui totum Officium recitare non possunt, sed tamen partem aliquam persolvere valent, illam recitare debere: quemadmodum ille, qui Quadragesimam integram jejunare non potest, aliquot hebdomadæ diebus jejunare tenetur, si possit. Merito itaque inter alias pravi dogmatis Propositiones LXV. anno millesimo sexcentesimo septuagesimo nono ab *Innoc. XI.* Pontifice Maximo proscriptas, hæc etiam damnata est ordine 54. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Hanc etiam ut *falsam*, *temerariam*, *cavillatoriam*, & *præcepta Ecclesiæ illudentem*, damnavit Clerus Gallicanus anno MDCC.

Propositio damnata.

REGULA IV.

Quicumque Pensionem, Fructus, aut Res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit, ad parvum Officium B. Mariæ Virginis recitandum obligatur, cui si desit, pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxius est, & mortalis peccati reus.

ITa statuit, & declaravit *S. Pius V.* Constitutione quæ incipit, *Ex proximo*; idque confirmant Concilia Mediolanensia III. & IV. sub *S. Carolo Borromæo*, Conc. Burdigalense anno 1583. Avenionense 1594. & Aquilejense 1596. cujus hæc sunt verba cap. XI. *Pensionarios serio monitos esse volumus, eos ad Officium B. Mariæ Virginis quotidie recitandum teneri; præter peccatum mortale, quod committunt, si omiserint, restitutionis onere obstrictos declaramus.*

REGULA V.

Monachi, seu Religiosi Professi Choro deputati, quamvis non sint in Sacris Ordinibus constituti, ad Officium Divinum privatim etiam recitandum tenentur sub pœna peccati mortalis.

RAtione enim professionis suæ instituti sunt ad orandum non solum pro se, sed etiam pro Populo; & Ecclesiæ consuetudine, quæ sancta, & in-

Monachorũ seu Religio-

& inviolabilis esse debet, vimque habet legis, ad sacrum illud, & canonicum pensum persolvendum tenentur, ut docet *S. Antoninus* p. III. tit. XIII. cap. IV. §. I. „ Tenentur (*inquit*) ad Horas Religiosi professi, quorum Religio ad actus vitæ contemplativæ est instituta, & per Ecclesiam confirmata. Et hoc ratione suæ professionis, quia non solum sunt institutæ hujusmodi Religiones ad orandum particulariter pro se, sed etiam ad orandum pro universali utilitate Fidelium. Ad hujusmodi autem orationem faciendam in persona totius Populi Christiani pro utilitate omnium sunt institutæ specialiter Horæ Canonicæ. Religio autem instituta ad opera vitæ contemplativæ est Status Monachalis. Religio vero Mendicantium utramque complectitur, scilicet activam & contemplativam. — forum Professorum obligatio ad Officium divinum privatim recitandum.

Monachorum, & Religiosorum Virorum obligatio ad Officium Divinum privatim recitandum, cum absentes sunt a Choro, confirmatur ex Regulis Monasticis, Conciliis, & Summorum Pontificum Decretis. Occurrit inprimis *S. Basilii* Regula, cap. CVII. „ Unusquisque (*inquit*) tota mente, & devotione complere debet id, quod scriptum est: *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*. Si enim corporaliter non occurrat adesse cum ceteris ad orationis locum, in quocumque loco inventus fuerit, quod devotionis est, expleat. Oportet tamen observare, ne forte possit quis implere in tempore suo, quod complendum est, & occurrere: Sed dum loqui vult, occasiones nectit, tamquam in ministerii opere occupatus. Quod qui facit, & offendiculum ceteris præstat, & ipse negligentis crimen incurrit.

2. Regula *S. Pachomii* cap. CXLII. „ Et si in navi fuerit, & in Monasterio, & in agro, & in itinere, & in quilibet ministerio, orandi, & psallendi tempora non prætermittat. — Ephes. 5.

3. Regula *S. Benedicti*, c. 50. „ Fratres, qui omnino longe sunt in labore, & non possunt hora competenti occurrere ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem Opus Dei, ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant Horæ constitutæ: sed, ut possunt, agant sibi, & servitutis pensum non negligant reddere. — 1. Cor. 2.

4. Regula *SS. Pauli, & Stephani* Abbatum cap. XII. „ Opus Dei, quod per diem in quocumque loco operantes Fratres per Horas constitutas dicent, cum disciplina, & timore Dei consona voce dicatur: non prout unusquisque operis excusatione, aut occupatione voluerit obrute.

5. Regula *S. Fereoli* Ucetiensis Episcopi, cap. XI. „ Similiter etiam his, qui Pastores pecorum, ut est moris, de congregatione mittentur, curæ erit vacare Psalmis, ut ceteri: ne in id, quod majus est, minores inveniantur, & in confusionem sui illud eis aptetur exemplum: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*. *Et cap.* XII. Ut omni tempore Psalmi usque ad finem Psalterii in ordine decantentur: sibi tamen secretius propter propriam mercedem, excepto publico psallendi Cursu Dominico, quantum per singulos dies Deo tamen scienter laudes offerat occulta ruminatione.

6. Regula *Magistri*, cap. LVI. cujus titulus est, „ Quomodo debeant Fratres in itinere Opus Dei complere? *hæc habet*: In nubilo vero die, cum radios suos Sol mundo absconderit, sive in Monasterio, sive in via, sive in agro perpensatione Horarum transacta Fratres æstiment, & quævis hora sit, consuetum tamen compleatur Officium: & sive ante, sive retro, a certa hora dictum sit, consuetum Horæ opus tamen non prætereat, sed agatur.

7. Concilium Marciacense Provinciæ Auxitanæ anno 1326. can. XIX. „ Statuimus (*inquit*) quod omnes Clerici, in Sacris Ordinibus constituti, & „ Beneficium Ecclesiasticum, maxime cum Cura obtinentes, & omnes Re- „ ligiosi Clerici ad omnes septem horas Canonicas omni die dicendas sunt „ ex debito obligati, nisi eos infirmitatis gravitas excusarit.

8. *S. Dominicus*, ut in ejus Vita apud *Surium* legimus, Quando extra „ Monasterium erat, audito primo signo Nocturnarum Precum, surgebat, „ & Fratres excitans, cum multa devotione totum Divinum officium ab- „ solvebat horis, & temporibus suis, tum nocturnis tum diurnis, nihil pe- „ nitus omittens. Persoluto Completorio, etiam in itinere positus cum „ Sociis, silentium non minus servabat, quam si esset in Monasterio.

9. *Gregorius IX.* de Monachis foras profecturis statuit, „ Ut ipsi Horas „ dicant in via, & de libris provideatur eisdem.

10. Constitutio *Benedicti XII.* Pontificis Maximi ad restaurandam Disciplinam Regularem in Ordine Benedictino edita: „ Ceterum (*inquit*) qui ad Cho- „ rum, vel Ecclesiam accedere nequiverint, prædicationi, lectioni, studio, „ seu administrationibus, vel Officiis suis, aut piis, sive licitis operibus, de „ licentia illius, ad quem eam dare pertinuerit; occupati in loco aliquo congruo, „ & honesto, debitis horis, juxta possibilitatem plures simul conveniant, & debite „ dicant Divinum Officium, & quotidianum pensum exsolvant debitę servitutis.

11. Statuta *Hugonis V.* Cluniacensis Abbatis: „ Universi ubicumq; constituti, „ suæ servitutis pensum non negligant reddere, maxime Horarum Regularium.

REGULA VI.

Moniales professæ, & Choro deputatæ, ad Officium Divinum recitandum tenentur, etiam cum a Choro sunt absentes, sub pœna peccati mortalis.

Obligatio Monialium ad Officium divinum privatim recitandum.

CONsecrationis namque suæ, & Professionis ratione ad specialem cultum Deo exhibendum, assiduamque magis orationem tenentur: Qui quidem cultus Horarum Canonicarum recitatione determinatus est ex Ecclesiæ Disciplina, & consuetudine, cujus antiquitas ex *Epistola S. Hieronymi ad Demetriadem Virginem* probatur. *Præter Psalmorum, & orationis ordinem* (inquit) *quod tibi hora Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperam, Media Nocte, & Mane semper est exercendum: statue, quot horis Sanctam Scripturam discere debeas*. Et in Epistola *Ad Lætam de Institutione Filiæ*, professioni virginitatis destinatæ: *Assuescat*, (inquit) *ad Orationes, & Psalmos nocte consurgere, mane Hymnos canere, Tertia, Sexta, Nona Hora stare in acie, quasi Bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere Sacrificium Vespertinum*.

Regula *S. Cæsarii* Moniales, quæ *ad Opus Dei* tardius venerint, increpationi subjicit.

Regula *S. Aureliani* Monialibus Arelatensis Monasterii pariter data, sacræ Psalmodiæ ordinem illis præscribit. *Cursum diurnum, vel nocturnum, idest, Matutinos, Vigilias, Nocturnos, Vesperas, & Duodecimam in Basilica Dominæ Mariæ a Congregatione dici. Quod si hyems aspera fuerit, Matutinos tantum, Vesperas, & Duodecimam in prædicta Basilica dici: Secundam vero, Tertiam, Sextam, & Nonam in interiori Oratorio*. Fervorem in Opere Dei, psallendique disciplinam, & ordinem Sacris Virginibus etiam præscribit *S. Donatus* Vesontionensis Episcopus in Regula, cujusdam Patris Regula cap. VI. statuit ut *Sorores, quæ pro gravibus culpis in Pœnitentia detinentur, in Ecclesia cum ceteris quæ communicant, non stent; sed in [illegible] Ecclesia secrete Cursum cantent: & expleto Cursu egredientes ante fores Ecclesiæ, in qua communicantes Cursum explent, stare præcipiantur: & egrediente*

diente: Congregatione supra humum prostratæ, rogent pro se Dominum exorari, &c.

S. Leander Hispalensis Episcopus in Regula, sive Libro *De Institutione Virginum*, ad *Florentinam* Sororem, cap. VI. *Lectio* (inquit) *tibi sit assidua, jugis oratio. Dividantur tibi opera, & officia, ut postquam legeris, ores, postquam oraveris, legas. Sic alternes perpetim hæc duo bona, ut ab ejsdem nullo sis tempore otiosa.*

B. Elredus Rievallensis Abbas Ordinis Cisterciensis in Regula, sive Institutione Reclusarum, ad Sororem: cap. XIV. „ Secundum formam Regulæ „ B. Benedicti, (inquit) Nocturnas Vigilias celebres, quibus mox succedat „ oratio. Post orationem in honore Virginis debitum solvat Officium, Sanctorum commemorationem adiiciens ∴ Albescente Aurora, Matutinas Laudes cum Horæ Primæ hymnis persolvat: & sic in alternatione lectionum, orationum, Psalmorum quoque, Tertiam exspectet: qua dicta, in „ opere manuum usque ad Nonam occupetur. Cibo autem sumpto, & gratiarum actionibus Deo solutis, ad præscriptam mansuetudinem redeat spiritualibus exercitiis, opus corporale intermittens usque ad Vesperas. Facto autem parvo intervallo, aliquam lectionem de Vitis Patrum, vel Institutis, vel Miraculis eorum, sibi secretius legat: ut orta ex his aliqua „ compunctione, in quodam fervore spiritus Completorium dicat.

Sancta *Lutgardis sæpe reprehenderat Moniales in valetudinario manentes, quod parum attente persolverent Horas Canonicas divinitus institutas ∴ Cum se infirmæ Sorores in valetudinario manentes in dicendis Precibus Canonicis correxissent, pestis penitus sopita est;* teste *Thoma Cantipratano* in ejus Vita, Lib. III. cap. X.

REGULA VII.

Clerici in Sacris Ordinibus constituti, & Religiosi professi, ad recitandum Officium tenentur, quamvis sint excommunicati.

ITa declarat Synodus Nemausensis anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto celebrata, tit. De Sententia Excommunicationis: *Debent tamen* (inquit) *extra Ecclesiam nihilominus dicere Officium sub silentio Clerici Excommunicati majori Excommunicatione, & Interdicti, si sunt in sacris Ordinibus constituti.* Et certe nemo suo delicto conditionem suam facit meliorem. Isti ergo tenentur ad ea, quæ sunt oneris, licet iis priventur, quæ sunt honoris. Publicis tamen Officiis ingerere se non possunt Excommunicati, sed privatim Officium persolvere.

REGULA VIII.

Ad Divini Officii recitationem ita necessaria est mentis attentio, ut præcepto non satisfaciat, mortalisque sit peccati reus, qui per Officii partem notabilem ad alia sponte mentem distrahit.

CUm enim oratio sit pius mentis in Deum affectus, seu mentis ascensus in Deum, colloquium animæ cum Deo, Dei cultus; ad illam jure divino necessaria mentis attentio est: alioquin orantibus merito dicet Dominus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Nam *Veri adoratores adorabant Patrem in spiritu, & veritate.* Hinc Apost. I. ad Cor. XIV. *Psallam spiritu* (inquit) *psallam & mente*, & ad Ephesios V. *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Isai. 29. Matth. 15. Joan. 4.

Id confirmavit *S. Cyprianus*, Tractatu de Orat. Dominica: „ Quando stamus „ ad orationem (inquit) vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Præcepto de Officii divini recitatio-

ne non fatisfit sine attentione. „ Cogitatio omnis carnalis, & sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus, „ quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem „ Præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo. *Sursum corda*; ut „ dum respondet plebs. *Habemus ad Dominum*, admoneatur, nihil aliud se „ quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra Adversarium pectus, „ & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur: „ obrepit enim frequenter, & penetrat, & subtiliter fallens, preces nostras „ a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus, & sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari, & rapi ineptis cogitationibus, „ & profanis, cum Dominum deprecaris; quasi sit aliud quod magis debeas „ cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, quando tu ipse „ memor tui non sis; Hoc est, ab hoste in totum non cavere; hoc est, quando oras Deum, Majestatem Dei negligentia orationis offendere; hoc est, „ vigilare oculis, & corde dormire, cum debeat Christianus, & cum dormit oculis corde vigilare: sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico Canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Quapropter „ sollicite, & caute Apostolus admonet dicens: *Instate orationi vigilantes in ea*: „ docens scilicet & ostendens, eos impetrare, quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare.

De attentione mentis ad orationem necessaria possent aliorum Patrum non minus luculenta testimonia proferri, quæ in alium locum servantur. Satis hæc sunt ut jure divino imperata probetur attentionis illius necessitas. Cum itaque præcepta Ecclesiæ, ut par est, impleri non possint iis actibus, quibus Dei præceptum violatur; & ipsa præcipiendo aliquem actum exteriorem, consequenter præcipiat & interiorem, qui ejus veluti ratio, & forma est: minime dubium est, quin & ipsa præcipiat attentionem mentis ad Officium Divinum, cum illius recitationem præcipit. Quod ex Conc. Lateranense IV. sub *Innoc.* III. can. XVII. confirmatur. *Dolentes* (inquit) *referimus, quod non solum quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Ecclesiarum Prælati circa comessationes superfluas, & confabulationes illicitas, ut de aliis taceamus, fere medietatem noctis expendunt: & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurrendo undique continuata syncopa Matutinum*. Et inf. *Hæc igitur, & similia sub pœna Suspensionis penitus inhibemus: districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium diurnum pariter, & nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, ac devote*. Refertur c. *Dolentes*, Ext. *De Celebratione Missarum*. Preces igitur, & Divina officia *non cursim, & festinanter*, sed *devote, attente, & graviter* in Choro recitandæ sunt a Clericis, Monachis, & Monialibus: Ext. Chorum etiam *articulate, distincte, decore, attente, & devote, deposita omni sollicitudine sæculari*, ne in Domini maledictionem a Propheta intentatam incurrant: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter*. Ita sanxerunt, ac declararunt Concil. Treverense anno 1549. can. VI. Mediolanense IV. p. III. cap. VII. Burdigalense anno 1583. tit. XVII. Bituricense 1584. tit. XLI. can. XII. Conventus Melodunensis Episcoporum Galliæ, tit. *De Canonicis*, Conc. Narbonense anno 1609. c. XXX. Quamobrem Horarum Canonicarum recitationi nulla colloquia intermiscenda sunt nullum opus externum agendum est, cum persolvuntur, in nulla cogitatione profana, & sæculari, & a Deo aliena immorandum, ab iis avertenda mens est, & in uno Deo colligenda, & defigenda. Quod ut facilius fiat, secedendum est ad Officium recitandum in locum, in quo a pietate, & devotione non

Jer. 48. 10.

abdu-

abducamur; nec deambulando recitandum eſt; ex deambulatione enim mentis evagatio naſci ſolet. Ita Concil. Treverenſe II. anno 1549 cap. VI. *Omnes, qui Horis Canonicis perſolvendis deputati ſunt dent operam, ut collectis animis, quoad fieri poteſt, debitum penſum abſolvant: nec ita ſe habeant: ut dum voce pſallunt, quidvis potius, quam Deum animo cogitare videantur, ſemper caventes, ne Propheticum illud audiant:* Labiis quidem me ho- „ norant, cor autem eorum longe eſt a me. *Quid autem eſt, voce quidem pſallere, mente autem domum, aut forum circumire, niſi homines fallere, & Deum irridere? Grave admodum eſt, quod Scriptura dicit:* Maledictus, „ qui facit opus Dei negligenter. *Statuimus proinde, ut laudes divinæ per ſingulas Horas non curſim, ac feſtinanter, ſed tractim, ſervatis intervallis decentibus, ratione dierum feſtorum habita, reverenter, & alacriter abſolvantur, nequaquam ſublato in altum clamore, ne vel inſanire, vel animi laſcivia geſtire videantur potius, quam fervore ſpiritus exultare, ſemper Verſiculum decantatiſſimum animo volventes: Nec clamans, ſed amans cantat in aure Dei. Audit enim ille vocem cordis, ſine qua ſonum auris contemnit. Quare videndum eſt, ut qui ſpiritu pſallunt, & mente pſallant. Caveant item, qui aliis occupati negotiis extra Chorum Horas privatim legunt, ne ſomnolenter, aut truncatis verbis, aut intra fauces compreſſo ſpiritu preces demurmurare, ſed articulate, diſtincte, diſerte, & cum attentione integre omnia pronuntient. Ne qua item occaſione in diverſa rapti deſint officio ſuo, diſtrictius prohibemus, ne deambulando Horas dicant, ſed in locum aliquem orationi aptum tantiſper concedant, ne mentis evagatio, quæ ex tumultuaria deambulatione naſci ſolet, fructum orationis intercipiat.* Huic Concilii Treverenſis Decreto conſona eſt admonitio *S. Caroli Borromæi* in IV. Synodo Diœceſana Decreto XXI.

Breviarium deambulando non recitandum. Iſai. 29. Jerem. 48.

Debitam reverentiam pariter non ſervant, qui Horas Canonicas in lecto recitant, niſi cogente infirmitate gravi. Unde *B. Petrus Damiani* Opuſculo XXXIV. cap. VI. refert, Monachum quemdam, qui pridiano veſpere laſſus de via redierat, & feſſa in lectulum membra proiiciens, jacendo Canonicas Horas compleverat, ab Angelo ſub Peregrini Hieroſolymitani ſpecie commonitum, ac emendatum fuiſſe his verbis, *Completorium in lecto nec ſalus eſt, nec profectus.* Ibidem commemorat, *Joannem* Priorem Eremi Fontis Avellani, qui lentis quibuſdam infirmitatibus macilentus videbatur ſemper, & gracilis: & ſui corporis imbecilla tenuitate confiſus, ſepe jacens in lecto Completorium decurrebat, a Dæmone per os Energumeni, quem exorcizabat, ea de re fuiſſe cum exprobratione reprehenſum. *Tu ne, ait, ille es, qui ſub cotto quotidie completorium inſuſurras? Et modo me quaſi Sanctus eiicere, & juris mei vaſculum de meo vis dominio liberare?*

Nec in lecto, niſi ab infirmis.

Sed neque decorum, ac religioſum eſt, ut ſedendo Divinum Officium recitetur, niſi infirmitatis, vel debilitatis ratione. Unde *Tertullianus* Lib. *De Oratione*, c. XIII. *Siquidem* (inquit) *irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu contraque conſpectum ejus, quem quam maxime reverearis, ac venereris: quanto magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis adſtante? Factum iſtud irreligioſum eſt, niſi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit. Atqui cum modeſtia, & humilitate adorantes, magis commendabimus Deo preces noſtras, &c.* Id confirmat *B. Petrus Damiani* Opuſculo XXXIX. ad Biſuntinum Archiepiſcopum, *Contra ſedentes tempore Divini Officii.* Iſtud pravæ conſuetudinis vitium correctione dignum, & de ſtudio Militantis Eccleſiæ penitus eradendum ſcribit. „ Nam cum ubique nobis adverſus nequitiæ Spi- „ ritus immineat intolerabile bellum, ferventius ingruit in modulatio- „ ne Pſalmorum: & cum oramus, tunc velut in acie contra malignorum

Nec ſedendo, niſi debilitatis ratione.

mur

„ rum hostium tentamenta confligimus, ut nobis omnino necesse sit, aut „ superantibus eneriviter cedere, aut corruentibus in Domino plausibiliter in- „ sultare. Qui cum corpore nostra marcida sessione contemplantur hebesce- „ re, de ruina quoque interioris hominis illico sperant se victoriam obtine- „ re ∴ Si Regi, vel terreno cuilibet Optimati, suæ ditionis Officia reve- „ renter adsistunt; cum ante terribilem Majestatis divinæ conspectum lau- „ dum præconia jubilamus, qua præsumptionis audacia sedere præsumimus? Dicit Daniel, *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia adsiste-*

Dan. 7. „ *bant ei*. Ecce dum innumerabilium Angelorum alii Deo ministrare, alii „ dicuntur adsistere, nullus eorum hoc reperitur in subsellio residere. Cur „ ergo Virtutes Angelicæ trementes adsistunt, terreni, & corruptibiles ho- „ mines adstare despiciunt? & cum Ecclesiasticis illis Officiis rite credatur „ Angelicam semper adesse præsentiam, dicente Scriptura: *In conspectu An-*

Psalm. 137. „ *glorum psallam tibi*: nostramque vigilantiam, sive desidiam non modo „ diligenter attendere, sed superno Judici cuncta per ordinem nuntiare, „ quanto putamus adversus nos zelo moventur, dum in conspectu illius „ nos irreverenter sedere conspiciunt, cui scilicet ipsi trementes adsistunt.

Quæ mentis attentio in Officii recitatione necessaria?

Moralis Christianæ Regulam, cujus in explicatione versamur, confirmat *S. Thomas* in IV. *Sententiarum*, dist. XV. qu. IV. art. II. quæst. IV. *Attentio actualis* (inquit) *requiritur ad orationem aliquomodo; vel ad evitandum transgressionem in illa oratione, quæ est in præcepto; vel ad meritum illa, quæ non est in præcepto, sed non omnibus modis*. Satis enim est, quod in orationis progressu maneat attentio secundum virtutem, quod fit, cum aliquis ad orationem accessit cum intentione debitum obsequium Deo reddendi, etiamsi in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur; *Nisi tanta fiat evagatio, quod omnino depereat vis primæ intentionis; & ideo oportet quod frequenter homo cor revocet ad seipsum*. Hinc *Hugo de S. Victore*, Elucidatione in Psalmos, c. XVII. quod inscribitur: *De tribus orantium generibus*, ait; *Si cum orationem fundimus, aliud quolibet in corde versamur, etiamsi illud bonum sit, a culpa liberi non sumus*. Quam *Hugonis* Sententiam intelligendam esse docet ibidem *S. Thomas* objectioni secundæ respondens: *Quando aliquis ex proposito mentem ad alia distrahit in orando: tunc enim sine culpa non est; & præcipue si in aliis sponte se occupat, quæ mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera. Et, si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit. Si autem sine hoc quod percipiamus, mens ad alia evagetur, vel culpa caret, vel parvissima culpa est; nisi præcedens cogitatio, ex qua contingit evagatio talis, in culpa esse dicatur*.

Et Secunda Secundæ, quest. LXXXIII. art. XII. in Resp. ad III. *Si quis* (inquit) *ex proposito in oratione mente evagetur, hoc peccatum est, & impedit orationis fructum. Et contra hoc S. Augustinus dicit in Regula*, Psalmis, „ & Hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce. *Evagatio vero mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit*. Triplex autem attentio orationi vocali potest adhiberi (inquit *S. Thomas* in eodem Articulo:) „ Una quidem, qua attenditur ad verba, ne ali- „ quis in eis erret: Secunda attenditur ad sensum verborum: Tertia, qua „ attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem, pro qua ora- „ tur, quæ quidem est maxime necessaria. Et hanc etiam possunt habere „ idiotæ. *Et in* IV. Sentent. *loco mox indicato*: Attentio (inquit) in oratio- „ ne potest esse duplex: Primo enim est attentio ad verba, quibus petimus: „ deinde ad petitionem ipsam, & ad ea, quæ petitionem ipsam circum- „ stant, sicut est necessitas, pro qua petitur, & Deus qui rogatur, & alia „ hujusmodi: & quæcumque harum attentionum adsit, non est reputanda „ inatten-

„ inattenta oratio: unde etiam illi, qui non intelligunt orationis verba, ad „ orationem attenti esse possunt; sed tamen ultima attentio est laudabilior „ quam secunda, & secunda quam prima.

Quamobrem a Clero Gallicano merito rejecta, & improbata est hæc Propositio: *Præcepto satisfacit, qui voluntarie labiis tantum, non autem mente orat.* Confixa est, inquam, ut *Absona, verbo Dei contraria, hypocrisim inducens a Prophetis, & Christo damnatam his verbis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Hinc sequitur, illum, qui animo voluntarie distracto Horas recitat, ad eas repetendas teneri: non autem, qui illas attento persolvens animo simul Missam audit. Quamquam melius, convenientius, ac religiosius magisque meritorium sit, utrique illi pietatis officio seorsim, & distinctis temporibus satisfacere, iis præsertim diebus, quibus audire Missam præceptum est. Propositio damnata.

REGULA IX.

Horas Canonicas temporibus congruis non persolvere, peccatum est, nisi justa causa, legitimumque impedimentum obest.

CUm enim in plures Horas diei Divinum Officium distributum sit ab Ecclesia, quæ Ministros suos identidem orationi vacare jubet, ut cum Propheta dicere possint, *Septies in die laudem dixi tibi*; Ecclesiæ certe intentioni sese non accommodant, qui congruis horis Officium non recitant, sed totius Breviarii recitationem in unam horam conjiciunt. Horæ Canonicæ congruis temporibus recitandæ.

Hanc regulam confirmat Auctor Libri *De Benedictione Dei*, qui nono sæculo florebat, a *Stevartio* editus, qui in Præfatione sua carpit nonnullos Sacerdotes, & Episcopos, qui, ut liberius genio indulgere possint, serotinis „ Horis Nocturnas Vigilias desidiose persolventes, stratu mox decubant. „ Surgentes vero, dum se vestibus induunt, diurna peragunt Officia: putantes sibi sufficere posse, si saltem quoquo modo illa decantent (idest, „ recitent.) Ignari, quia Horæ sunt in S. Ecclesia constitutæ, quibus per diem „ & noctem divinæ servitutis Officia persolvantur ∴ Quas si negligimus, Sanctorum Patrum institutis contraimus, quibus contrarie periculosum est. „ Neque enim possunt communionem S. Ecclesiæ habere, qui ejus instituta „ etsi non verbis; operibus vero impugnare nituntur: Dum quod per maximum est in Sancta Ecclesia, si cum charitate, & pietatis studio peragatur, idest, laudis divinæ Psalmodia modulata, & Missarum solemnia, „ nec temporibus congruis, nec religiosis celebrant affectibus.

Idem confirmat *B. Petrus Damiani*, Opusculo XXXIV. cap. V. ubi *S. Severinum* Coloniensem Episcopum Purgatorii pęnis cruciatum refert, quod Officii Divini recitationem in unam horam conjecisset. Clerico enim Coloniensis Ecclesiæ apparens: „ Nihil, ait, aliud in me remansit ultione plectendum, præter hoc tantum, quia dum in Aula Regia constitutus Imperialibus me Consiliis vehementer implicui, Canonicæ Synaxis Officia „ per distincta horarum spatia non persolvi. Mane quippe simul omnia „ coacervans tota die negotiis ingruentibus secuta libertate vacabam. Ob „ hanc itaque negligentiam Horarum ardoris hujus fero supplicium. *Subdit* „ B. Petrus Damiani cap. VI. Distinguenda sunt ergo per momenta temporum Ecclesiasticæ Institutionis Officia, & sub magna divini timoris, „ ac reverentiæ dicenda sunt disciplina.

Idem confirmat *S. Antoninus* III. p. tit. XIII. cap. IV. §. 4. Mortale tamen peccatum non esse docet, modo ante mediam noctem totum diei Officium persolvatur. Si quis autem Horarum ordinem intervertat, & post

Primam,

Primam, v. g. recitet Horam Sextam, sufficit, ut suppleat quod omisit; & pœnitentiam agat de negligentia sua. Ordinem enim Horarum, sicut & tempus, absque ulla necessitate pervertere, veniale peccatum est.

Divini Officii tempus prævenire, vel tardare sine causa legitima peccatum est.

Ob causam nihilominus, vel occupationem legitimam plures Horæ simul recitari possunt: Sed melius est Divinorum Officiorum tempus prævenire, quam tardare, quia illud providentiæ, istud negligentiæ est; (inquiunt *Hugo* a S. *Victore*, *&* S. *Antoninus*.) Observandum tamen, ut Vesperæ, & Completorium nonnisi postmeridianis horis dicantur, excepto Quadragesimali tempore, quo Vesperę paulo ante meridiem hodierno Ecclesiæ more recitari possunt, & debent; ita ut qui sine ulla causa Vesperarum recitationem post prandium sacro Quadragesimæ tempore differret, venialis peccati reus esset. Matutinum sequentis diei post occasum diei antecedentis recitare potest, v. g. Matutinum Officium Dominicæ die Sabbati serotinis horis, modo legitima causa subsit: At hujusmodi anticipatio culpa non vacat, si absque justa causa fiat. Ita docet *S. Thomas*, quodlibeto v. qu. XIV. art. I. *Consideranda est* (inquit) *intentio ejus, qui prævenit tempus in Matutinis dicendis, vel in quibuscumque Horis Canonicis. Si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentiæ, & voluptati vacet, non est absque peccato. Si vero hoc faciat propter necessitatem licitarum, & honestarum occupationum, (puta, si Clericus aut Magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud hujusmodi;) licite potest sero dicere Matutinas, & in aliis Horis Canonicis tempus prævenire; sicut etiam hoc in solemnibus Ecclesiis fit; quia melius est Deo utrumque reddere, scilicet, & debitas laudes, & alia honesta officia, quam quod per unum aliud impediatur*. Angelico Doctori subscribit *S. Antoninus*. Idem censet *Jacobus a Vitriaco* S. R. E. Cardinalis, *Historiæ Occidentalis* cap. XXXIV. ubi de Parochis, & Animarum Rectoribus hunc in modum loquitur: *Procuret in quantum commissi sibi gregis permittit frequens Ministerium, ut Nocturnum Officium noctu peragatur: Diurnum autem certis, & determinatis horis de die perficiatur. Non enim debet Divinum Officium confundere, neque noctem in diem convertere* ∴ *Conceditur tamen ex ratione frequentis Administrationis ad cautelam tempus determinatum quandoque prævenire, non tamen absque magna, & urgente necessitate præterire.*

Idem confirmant Statuta *Stephani Poncherii* Parisiensis Episcopi. *Permittimus* (inquit) *necessitatis causa, ut Matutinas diei sequentis possitis dicere sero præcedente: aut mane totum Officium successive dicere usque ad Vesperas, & sero Vesperas cum Completorio, si utilibus negotiis occupati estis, ut studio, aut Processionibus; sed si ex somnolentia, aut deliciis facitis, sine peccato facere non potestis.*

REGULA X.

Recitationem Horarum Canonicarum aliis negotiis, aut colloquis interrumpere, irreligiosum est.

ID enim absque irreverentia fieri non potest. Si enim irreverentiæ erga Regem reus merito censeretur, cum ejus Maiestate colloquens, ei tergum verteret, aut cum alio confabularetur, aliudve negotium ageret: multo magis reus est, qui cum Rege Regum in oratione colloquens, orationem debitam interrumpit, colloquia cum hominibus misceat, aut negotiis sæcularibus, seu externis quibusvis operibus vacet. Hinc *S. Augustinus*, Enarratione in Psalm. LXXX, ait: *Quis est homo, cum quo si cęperit amicus ejus colloqui, & voluerit ille respondere collocutioni ejus, & viderit eum averti a se, & aliud loqui ad illum, qui hoc ferat? aut si forte interpelles Judicem, & constituas*

stituas eum loco, ut te audiat, & subito cum ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda peccantium, & diversas res cogitantium: omitto dicere & noxias; ipsa superfluas cogitare, injuria est ejus, cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, Deo loqueris. Hinc colloquia in Choro, aut alia recitando Divinum Officium intermisceri, Concilia districtius prohibent, Burdigalense Anno 1583. cap. XVII. Rhemense eodem anno, tit. *De Cultu Divino*, §. 4. Bituricense 1584. tit. XII. cap. XII. Narbonense 1609. cap. XXX. &c.

REGULA XI.

Quibus incumbit obligatio Divinum Officium recitandi, illud recitare tenentur juxta Breviarium, & præscriptam formam, Ritumque, sive Romanæ Ecclesiæ, sive Ecclesiæ, cujus sunt Clerici, sive ordinis Religiosi, quem professi sunt: nec Officii qualitatem ipsis mutare licet absque Superiorum facultate; alioqui peccati lethalis rei essent.

HAnc Regulam ex *S. Thoma* colligimus Quodlibeto I. quæst. VIII. art. I. „ Supposito (inquit) quod aliquis licite sit Præbendatus in duabus Ecclesiis, (scilicet ex dispensatione) considerandum est, quod ille, qui in aliqua Ecclesia Præbendam accepit, duobus obligatur; scilicet Deo, ut ei debitas laudes exsolvat pro ejus beneficiis, & Ecclesiæ, de qua accipit sumptus. Ea vero quæ ad Ecclesiam pertinent, subjacent dispositioni Prælatorum Ecclesiæ: & ideo hoc debitum debet exsolvere, secundum quod statutum est; vel per seipsum, si sit Præbenda quæ requirat Residentiam; vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundum Ecclesiæ statum, ac consuetudinem: sed debitum quod debet Deo, per seipsum debet exsolvere. Non refert autem quantum ad Deum, quibus Psalmis, & Hymnis Deum laudet; puta utrum dicat in Vesperis, *Dixit Dominus*, vel, *Laudate pueri Dominum*, (nisi quantum ad hoc, quod debet sequi Majorum traditiones.) Et quia laudes Deo debet quasi unus homo, sufficit, quod semel Officium dicat secundum consuetudinem alicujus Ecclesiarum, quarum est Clericus. Sed de electione Officii rationabiliter videtur, quod debeat dicere Officium illius Ecclesiæ, in qua majorem gradum habet; puta, si in una sit Decanus, & in alia simplex Canonicus, debet dicere Officium Ecclesiæ, in qua est Decanus: quod si in utraque Ecclesia fuerit simplex Canonicus, debet dicere Officium dignioris Ecclesiæ.

Hanc Regulam confirmat Beati Pontificis *S. Pii V.* Constitutio LXIV. quæ incipit, *Quod a nobis*, qua statuit, & declarat, *Quoscumque, qui Horas Canonicas ex more, & Ritu Romanæ Ecclesiæ, jure, vel consuetudine dicere, vel psallere debent, propositis pœnis per Canonicas Sanctiones constitutis in eos, qui Divinum Officium quotidie non dixerint; ad dicendum, & psallendum post hac in perpetuum Horas ipsas diurnas, & nocturnas, ex Romani Breviarii*, illius jussu emendati, *præscripto, & ratione omnino teneri; neminemque ex iis, quibus hoc dicendi, psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse.* Excipit tamen Ecclesias, & Monasteria, quæ ab ipsa prima Institutione a Sede Apostolica approbata, vel Consuetudine, aut Statutis ante ducentos annos conditis, vel observatis, aliis certis Breviariis uti constiterit. Quibus *Inveteratum illud Jus dicendi, & psallendi suum Officium non adimit*.

RE-

REGULA XII.

Qui Breviario proprio Diœcesis alicujus, vel Ordinis Religiosi utuntur, recitare tenentur Officium parvum B. Virginis, & Officium Mortuorum, etiam extra Chorum, cum id singulis præscriptum est Rituali, vel Ordine, Rubricis, aut Statutis, aut Consuetudine illius Ecclesiæ, vel Congregationis Monasticæ; sive eum in Choro ab omnibus recitatur: Idque sub reatu peccati mortalis.

Qui ad parvum Officiũ B. Virginis, & ad Officiũ Defunctorũ recitandum tenentur?

HÆc enim Officia illis in Ecclesiis, vel Ordinibus Religiosis, scilicet, Benedictinorum, Cisterciensium, Carthusiensium, FF. Prædicatorum, &c. sive quolibet die, sive certis diebus præscripta sint, non Choro tantum, sed singulis Clericis, aut Religiosis Viris ad Chorum Professis; partes sunt Officii Canonici, quod quisque recitare tenetur integrum secundum Ritum Ecclesiæ suæ, vel Ordinis, sub pœna peccati mortalis. Id colligitur ex Constitutione B. Pontificis *S. Pii V.* qua illos duntaxat, qui Breviarium Romanum recitant, ex præcepto, & sub periculo peccati non teneri ad Officia *B. Mariæ*, & Defunctorum recitanda declarat, sine præjudicio sanctæ, & laudabilis consuetudinis aliarum Ecclesiarum, quam servari jubet. *Quod vero* (inquit) *in Rubricis nostri hujus Officii præscribitur, quibus diebus Officium Beatæ semper Virginis, & Defunctorum, item septem Psalmos Pœnitentiales, & Graduales dici, ac psalli oporteat; Nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus*, &c. Aliam vero partem ejusdem Constitutionis, quam tamen Romanum Bullarium non exhibet, ita habere *Prosper Fagnanus* in cap. *Presbyter*, Extra, *De Celebratione Missarum*, testatur: *Hoc autem concedimus sine præjudicio consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum B. Mariæ semper Virginis in Choro dici consueverat: ita ut in ipsis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis, & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum Officium.* Ut ut est, idem Pontifex altera Constitutione, quæ incipit, *Superni*, qua Officium B. Mariæ nuper reformatum ubique suscipi jubet, & alia quæcumque, inprimis vulgari idiomate composita, atque etiam quod Venetiis anno 1570. apud Junctas editum erat, omniaque alia hujusmodi Officia, etiam Latino sermone, quovis titulo vulgata prohibet, obligationem ad recitandum Officium B. Mariæ arcessit ex *Jure*, *Consuetudine*, *Usu*, *Statuto*, *Institutione*, *ac Constitutionibus* Ecclesiarum, seu Ordinum Regularium.

Fagnanus in III. Decretalium p. II. pag. 290. Quæstionem proponit, An Monachi *S. Bernardi* de Observantia Hispaniarum Cisterciensis Ordinis teneantur ex præcepto ad recitationem Officii B. Mariæ Virginis, ac Defunctorum. Quamvis enim illud quotidie, istud ferialibus diebus, ab ipsius Congregationis fundatione recitare consuevissent, atque ad hoc lege, seu consuetudine sub gravis peccati reatu obligati censerentur; nonnulli tamen ejusdem Congregationis Monachi se ab ea obligatione exemptos contendebant, si in privatis precibus uterentur Breviario Monastico *Pauli V.* Constitutione approbato, qua hujusmodi Breviarium recitantibus eadem Privilegia, gratias, Indulgentias, ac peccatorum remissiones concedit, quas *S. Pius V.* recitantibus Romanum Breviarium concessit. Unum autem ex his Privilegiis (inquiebant) est, ut ad recitationem Officii parvi B. Mariæ Virginis, & Officii Defunctorum non teneantur.

Hanc Quæstionem ut solvat *Fagnanus*, observat varias fuisse Doctorum Sententias ante *S. Pii V.* Constitutionem de obligatione recitandi Officia B. Virginis,

ginis, ac Defunctorum. Quidam enim ea non esse sub præcepto censebant: alii propugnabant, omnes, qui tenentur ad Horas Canonicas, teneri etiam ex præcepto ad Officium *B. Mariæ*. Hanc controversiam dirimere voluisse *S. Pium V.* Constitutione sua, non quidem concedendo privilegium, sed removendo periculum peccati ab his, qui Romanum Breviarium recitantes, Officium B. Virginis non persolvunt secundum Rubricarum præscriptum. Ceterum hanc peccati, & obligationis remotionem ad Monachos *S. Bernardi* non pertinere **Fagnanus** propugnat. Primo quia ipsi non tenentur solum ad Officium B. Virginis recitandum vi generalis consuetudinis, de qua prius erat controversia, an vim haberet præcepti, sed consuetudinis particularis, & instituti sui Ordinis, quam obligationem non est verisimile, ut SS. ille Pontifex abrogare voluerit. *Etenim de valore particularis consuetudinis olim nulla erat controversia inter Doctores, sed omnes unanimiter conveniebant in hoc, ut Recitatio Officii esset in præcepto, si ita se haberet Ecclesiæ, aut Monasterii consuetudo*, (inquit Fagnanus.) Addit, rationem illam Constitutionis S. Pii V. *Nos propter varia hujus vitæ negotia multorum occupationibus indulgentes, &c.* non convenire Monachis, qui a negotiis, & occupationibus mundanis prorsus segregati, facilius possunt orationi vacare. Can. *Placuit*; & can. *Si cupis, caus.* XVI. *qu.* I.

Ad parvum Officium B. Virgin. privatim recitandum Monachi S. Bernardi tenentur.

Ex hac Auctoris Juris Canonici Peritissimi Responsione colligitur, Officium parvum B. Virginis, in Ordine pariter FF. Prædicatorum esse ex præcepto recitandum ab omnibus, & singulis Fratribus ad Chorum Professis, quotiescumque recitatur in Choro ex præscripto Constitutionum, ac Rubricarum, & ex Consuetudine ab Ordinis exordiis religiose observata; mortalisque peccati reos esse, qui illius Recitationi defuerint. Idem esto judicium de Officio Defunctorum singulis hebdomadibus semel recitando, **tam in Choro, quam extra**.

Necnon Dominicani, quotiescumque in Choro ex præscripto Constitutionum, & Rubricarum Breviarii ipsis proprii recitandum est.

Hæc Responsio confirmatur auctoritate *S. Thomæ*, Quodlibeto v. quæst. v. art. II. ubi quærit, *Utrum Clericus Beneficiatus teneatur in Scholis existens dicere Officium Mortuorum*? Sic autem respondet: *Clericus ex hoc ipso, quod est Clericus, & præcipue in Sacris Ordinibus constitutus, tenetur dicere Horas Canonicas: sed in quantum est Clericus beneficiatus in hac Ecclesia, tenetur dicere Officium secundum modum illius Ecclesiæ. Est ergo considerandum, quod Officium Mortuorum quandoque in Ecclesia dicitur sicut ordinarie pertinens ad Ecclesiæ Officium; sicut in tota Ecclesia in die Animarum dicitur Officium pro Mortuis: & in qualibet Ecclesia est aliqua super hoc specialis consuetudo; puta, ut dicatur ordinarie Officium Mortuorum semel in septimana, vel qualitercumque aliter secundum certum tempus: & ad hujusmodi Officium Mortuorum tenetur Clericus beneficiatus in aliqua Ecclesia, etiam in Scholis existens, ut per hoc satisfaciat Mortuis, quorum recipit bona. Aliquando vero dicitur Officium Mortuorum in Ecclesia extraordinarie, propter aliquam causam specialiter emergentem: puta, ad preces alicujus personæ, vel propter aliquid hujusmodi: & ad hujusmodi Officium Mortuorum non tenetur Clericus existens in Scholis.* Qua ratione Clericus beneficiatus Officium recitare tenetur *secundum modum illius Ecclesiæ* in qua beneficium possidet; ita Vir Religiosus Officium Divinum recitare tenetur secundum modum, ac Ritum Ordinis, quem professus est: obligatur itaque ex præcepto ad recitandum Officium B. Virginis Mariæ, & Officium Mortuorum, quoties recitatur in Choro sicut ordinarie pertinens ad Ordinis Officium, sive ex Lege, Statutis, Constitutionibus, Rituali, aut Rubricis; sive ex Consuetudine. Et quod spectat Officium Mortuorum, non minus tenetur Vir Religiosus satisfacere Mortuis, ex quorum eleemosynis vivit, quam Clericus beneficiatus.

Idem esto Judicium de Officio Defunctorum singulis hebdomadibus.

Fru-

Fruſtra vero aliquis objiceret, Conſtitutiones FF. Prædicatorum ad culpam non obligare, niſi ratione præcepti, aut contemptus. Obligatio enim ad recitandum B. Virginis Officium certis diebus, & Officium Mortuorum ſemel qualibet hebdomada, non oritur ex Conſtitutionibus duntaxat, ſed ex Eccleſiæ præcepto. Ex Conſtitutionibus quidem, & peculiari Ordinis Conſuetudine id habent hujuſmodi Officia, ut pertineant ad Canonicum, & ordinarium Ordinis Officium certis diebus, ac temporibus. Sed obligatio recitandi Canonicum Officium integrum ſecundum modum, ac Ritum ſuæ Eccleſiæ, vel Ordinis, ex Eccleſiæ præcepto eſt. Quamobrem ſicut Monachi Benedictini tenentur duodecim Pſalmos ad Matutinum ſingulis diebus dicere ſecundum Regulam S. Benedicti, & ordinem, Ritumque Breviarii Monaſtici, cujus uſum ipſis permiſit Eccleſia; & in mortalis peccati reatum incurrerent, ſi novem duntaxat Pſalmos recitarent, ut ceteri qui Romano, vel aliis Breviariis utuntur, quia duodecim Pſalmorum ad Matutinum recitatio pertinet ad integritatem Officii Canonici ſecundum Ritum Ordinis Benedictini: ita Dominicani, qui B. Virginis parvum Officium omitterent, atque negligerent, vel etiam Officium Mortuorum, diebus, ac temporibus præſcriptis, quibus in Choro recitatur ex conſuetudine Ordini coæva, necnon etiam ex Conſtitutionum, Statutorum, Ritualis, & Rubricarum ejuſdem Ordinis tenore, rei peccati mortalis eſſent.

Reſpondetur objectioni.

Id confirmat *Sylveſter Prieras* in Summa, verbo *Hora*, *§. 6. Quæritur, utrum Officium B. Virginis ſit in præcepto? Dicit Joannes de Lignano in Clementinam, de Celebratione Miſſarum, quod hoc Jure non probatur: tamen communis conſuetudo eſt, ut computetur inter Horas; & hoc veriſſimum putat Panormitanus, quia Ordo antiquus ab Eccleſia traditus eſt, ut publice dicatur in Eccleſia certis temporibus: quod non eſſet, ſi non eſſet in præcepto. Cardinalis etiam Zabarella, in dictam Clementinam, credit, quod ex quo uno, & eodem modo Eccleſiæ alicujus Servitores conſueverunt prædicta pro Horis dicere, quilibet eorum ad hoc tenetur: ſecus ſi aliqui dicerent, etiam plures, alii vero non: & idem dicit Directorium Juris Lib.* 1. *Igitur ad illud tenentur, qui tenentur ad Horas ratione generalis conſuetudinis, quando & eo modo quo eſt in conſuetudine Eccleſiæ cujus Officium dicunt.* Idem cenſet de Officio Mortuorum, idque confirmat ex Quodlibeto *S. Thomæ* ſuperius indicato; ſed intelligendum id eſſe monet de conſuetudine. *Quatenus communiter tales ſe crediderunt hactenus obligatos: quia conſuetudo non obligat niſi ex intentione Legislatoris, quam communis opinio manifeſtat. Unde non teneor dicere* Ave Maria, *quando ad hoc pulſatur, licet ſit conſuetudo. Et conſequenter videtur pari ratione dicendum, quod in Ordine Prædicatorum omnes tenentur ad Officium Mortuorum ſemel in anno, & ſemel in hebdomada, quando in Eccleſia eſt dicendum: tum quia iſta eſt conſuetudo communis, qua etiam communiter Fratres ſe credunt obligatos: tum etiam quia quiſque ad Officium tenetur ſecundum Eccleſiæ, cujus Officium dicit, ordinationem: quæ in propoſito ab hoc Officio nullum excipit. Ad Vigilias autem quotidianas tenentur ſolum Miniſtri Altaris cum Hebdomadario, & eo, qui notatus eſt ad Miſſam pro Defunctis, ſecundum quod tradit Rubrica: ita tamen quod hoc onus non videtur perſonale: unde eſt in arbitrio Cantoris annotantis ad Officia onerare hunc, vel illum, & conſequenter, qui ad hoc tenetur, poteſt illud alteri committere, qui illud pro eo dicat in Choro, & ipſe immunis eſt. Quantum autem ad Litanias in Ordine Prædicatorum, Fratres ex præcepto non tenentur: quia licet ſint in conſuetudine poſt Matutinum, illa tamen non creditur communiter obligatoria ſeu præceptiva: eſt ſignum quod ad hoc nunquam voluerunt Patres Ordinem obligare; quia ſi ſic voluiſſent, ad præſentes per priores gradatim tamquam obligatoria perveniſſet, ſicut eſt de Of-*

ficio

ficio B. Virginis. Hæc *Sylvestri Prieratis* Responsio consona est *S. Antonini* Responsioni in summa p. III. tit. XIII. c. IV. *De Horis* Canonicis, *§. 3.* ubi illud Cardinalis *Zabarellæ* principium approbat: *Ex quo uno, & eodem modo Ecclesiæ illius servitores* (idest Clerici illi Ecclesiæ addicti) *consueverunt prædicta pro Horis dicere, quilibet de ipsis ad hoc tenetur.*

Suffragatur, & *Dominicus Soto* Lib. x. *De Justitia, & Jure*, quæst. v. art. IV. *De Officio B. Virginis* (inquit) *controvertitur inter Doctores, utrum etiam sit in Præcepto, eo quod hac de re nullum extat jus, sed sola consuetudo ∴ Si conjecturis agere licet, hæc consuetudo non cœpit tamquam habens vim præcepti; alias alicubi legeretur: sed ex pietate, & devotione, qua SS. Virgo dignissima erat. Atque hujus nonnullum indicium est, quod in Institutione nostri Ordinis jussum est, ut surgentes Fratres illico in Dormitorio Officium Virginis Nocturnum recitando solvant: quod, si præceptum esset Ecclesiasticum, in Choro juberetur solvi. At vero decursu temporis consuetudo adeo invaluit, ut nullus Doctorum negare audeat vim habere Præcepti.*

Circa Officium vero Mortuorum monendi sunt, qui ad illud semel hebdomada qualibet persolvendum tenentur, illos non satisfacere obligationi, ac præcepto, qui illud recitant Dominica die pro hebdomada præcedente: cum Dominica dies ad hebdomadam alteram pertineat, ut initium illius, ac prima dies, unde & dies Lunæ Feria II. dicitur. Qui ergo neglecto, & omisso Mortuorum Officio per totius hebdomadæ decursum, illud Dominica sequenti recitat, præcepti violati, lethalisque omissionis reus est: quamvis ad satisfaciendum Deo pro negligentia sua, si de peccato contritus sit, illudque Sacramentali Confessione expiaverit, aut expiare decreverit, valeat hujusmodi recitatio.

Nec vero causentur, quidam Regulares, severiorem illam esse sententiam, virisque studio, & Verbi Dei Prædicatione occupatis prorsus gravem: Viris enim vere Religiosis, piis, diligentibus, satis temporis supererit ad persolvendum Magnum Officium, etiam Feriale; & parvum Officium B. Virginis, ac Officium Mortuorum semel in hebdomada, cum legamus sæculares viros, imo etiam Reges, qui strenue Rempublicam per se ipsi administrabant, inter tot, & tantorum negotiorum turbas, Canonicum Officium integrum, & Horas B. Virginis, aliasque Preces recitasse. *Alfredus* Angliæ Rex sic totum diei cursum dividebat, *Ut octo horas inscribendo, legendo & orando; octo in cura corporis; octo in expediendo Regni negotio transigeret*, ut scribit *Vuillelmus Malmesburiensis*: De eodem *Asserus* Vitæ illius Scriptor fidelis, & accuratus: *Inter bella* (inquit) *& præsentis vitæ frequentia impedimenta, necnon Paganorum infestationes, & quotidianas corporis infirmitates; inter Regni gubernacula, nihilominus Missam quotidie audire, Psalmos quosdam, & orationes, & Horas diurnas, & nocturnas celebrare, & Ecclesias nocturno tempore clam a suis adire solebat.*

Viris Religiosis etiam studio occupatis, satis superest temporis ad Canonicum Officium, & Horas Beatæ Virginis, & Officium etiam Mortuorum, quibus præscriptum est temporibus recitandum

De *S. Ludovico* scribit „ Guillelmus de Nangiaco *in ejus Gestis*: Omnes Ho-
„ ras Canonicas, & etiam de B. Virgine, cum cantu quotidie audire volebat;
„ etiamsi eas in itinere equitando audire contigeret, nihilominus eas inter
„ se, & Capellanum suum tam de die, quam de B. Virgine submisse dicebat. In-
„ super Officium Mortuorum quotidie cum novem lectionibus, etiam in Fe-
„ stis quantumcumque solemnibus dicebat cum Capellano suo. Raro accide-
„ bat quin quotidie duas Missas audiret, & frequenter tres, vel quatuor.

Porro si Regibus tot negotiorum mole, ac Reipublicæ administratione occupatis, tempus non defuit persolvendi multiplex Officium, multo minus deerit Clericis, ac Religiosis Viris, quantumvis studio, & Verbi Dei prædicatione sint occupati, modo ipsis pietatis studium, Deique amor non desint: & breve temporis intervallum quod ex reliquo die succident, ut parvum Offici-

um B. Virginis persolvant, quibus diebus in Choro recitatur, & Mortuorum Officium semel in Hebdomada, Deus benedictione sua compensabit, majorem in studiis, & Concionibus parandis facilitatem, felicioremque donans exitum. Parum enim studia nostra, Concionesque proficiunt, nisi Dominus intus nos docuerit, suoque lumine, & gratia illustraverit, ac verbum dederit evangelizantibus virtute multa: quod frequentibus, ac ferventibus
Psalm. 126. precibus ab ejus bonitate, & misericordia postulandum est. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Et *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Unde ipsis quoque ministris sanctis hominibus, vel etiam Sanctis Angelis op-
1. Cor. 1. rantibus, *Nemo recte discit, quæ pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat a Deo docilis Deo, cui dicitur in Psalmo.* Doce me facere voluntatem tuam,
„ quia Deus meus es tu. *Unde & ipsi Timotheo dicit Apostolus, loquens,*
Ps. 142. „ *utique ad discipulum Doctor.* Tu autem persevera in iis, quæ didicisti,
2. Tim. 3. „ & credita sunt tibi, sciens a quo didiceris, „ Sicut enim corporis medi- „ camenta, quæ hominibus ab hominibus adhibentur, nonnisi eis prosunt, „ quibus Deus operatur salutem, qui & sine illis mederi potest, cum sine „ ipso illa non possint, & tamen adhibentur; & si hoc officiose fiat, inter „ opera misericordiæ, vel beneficentiæ deputatur: ita & adjumenta doctri- „ na tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cum Deus operatur, ut „ prosint, qui potuit Evangelium dare homini, etiam non ab hominibus, „ neque per hominem. Agat igitur divini verbi Prædicator, quantum potest, „ ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: & hæc se posse, si „ potuerit, & in quantum potuerit, *Pietate magis orationum quam Oratorum* „ *facultate* non dubitet, ut orando pro se, ac pro illis, quos est allocu- „ turus, *Sit orator antequam dictor.* Ipsa hora jam ut dicat accedens, *Pri-* „ *usquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat.* Verba sunt *S. Augustini* Lib. IV. *De Doctrina Christiana* cap. XV. Nulli ergo Clerici, ac Religiosi Viri lubentius, ac ferventius orationi vacare debent, quam qui Studiis, ac verbi Dei Prædicationi magis ex Professione sua sunt adstricti, ut cum Apostolis dicant, *Nos autem orationi & Ministerio verbi instantes erimus.*

REGULA XIII.

In divini Officii Recitatione congruitas temporis observanda est, adeoque ut Officium pro uno die præscriptum, vel notatum in Ordine, aut Directorio, in aliud mutari absque gravi peccato non possit, verbi gratia, Officium Feriæ die Jovis in Officium de Sanctissimo Sacramento.

HAnc Regulam tradit *S. Thomas*, Quodlibeto III. qu. XIII. art. II. „ In omni divino Officio, (inquit) hoc est commune, quod pertinet ad „ laudem Dei & ad suffragium Fidelium; sed distinguitur unum Officium ab alio „ secundum diversitatem temporum, & locorum. Rationabiliter enim institu- „ tum est, ut diversimode Deus laudetur secundum congruentiam temporum, & „ locorum: Et ideo sicut in Officiis Divinis exsolvendis observanda est congrui- „ tas loci, ita etiam congruitas temporis: quæ quidem observari non posset, si „ oporteret injungere omittenti, quod Horas diceret, quas omisit: Forte enim in „ Completorio diceret, *Jam lucis orto sydere*; & in tempore Paschali diceret Of- „ ficium Dominicæ Passionis; quod esset absurdum. Et ideo non videtur esse „ injungendum ei, qui omisit dicere Divinum Officium, quod Horas easdem re- „ petat, sed aliquid ad divinam laudem pertinens; puta ut dicat septem Psal- „ mos, vel unum Psalterium, vel aliquid amplius secundum qualitatem delicti.

Idem

Idem confirmat *S. Antoninus* P. II. Tit. IX. cap. XII. *Quando* (inquit) *non dicit proprium, & ordinatum Officium Ecclesiæ suæ, vel Religionis suæ, sed ad placitum dicit nunc uno modo, nunc alio, & de Feria non facit, quando occurrit, causa abbreviationis, sed facit de Sanctis; vel etiam dicens Officium Ecclesiæ suæ, quia non vult quærere Breviarium, dicit unam Antiphonam, vel Capitulum, vel Orationem, pro alia, non est hoc absque gravi peccato.*

Merito itaque ab *Alexandro VII.* Pontifice Maximo inter alias pravi dogmatis Propositiones hæc etiam ordine 34. damnata est: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit Præcepto.* Propositio damnata.

REGULA XIV.

Canonici, qui Choro interesse debent, jus non habent distributiones percipiendi, sive cum absunt absque causa legitima, & canonica, sive cum non absunt modo convenienti, ac religioso, sacrisque Canonibus præscripto.

HÆc Regula nititur cap. *Consuetudinem*, Tit. *De Clericis non Residentibus*, in Sexto. *Statuimus* (inquit Summus Pontifex) *ut distributiones ipsæ quotidianæ, in quibuscumque rebus consistant, Canonicis, ac aliis Beneficiatis, & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem Officiis, in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuatur juxta Ecclesiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam exceperit, (exceptis illis, quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret,) Rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imo ad omnium Restitutionem, quæ contra hujusmodi nostram Constitutionem receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro Defunctorum Anniversariis largiendis idem decernimus observandum.*

Eamdem Regulam confirmat Concilium Tridentinum Sess. XXIV. *De Reformatione*, cap. XII. cujus hæc sunt verba: *Distributiones vero, qui statis Horis interfuerint, recipiant: Reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, & juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit,* Consuetudinem, *quod sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque Statutis, & Consuetudinibus. Omnes vero divina per se, & non per substitutos, compellantur obire Officia; & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere, & inservire, atque in Choro, ad psallendum instituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.* Nisi ergo præsentes fuerint, aut legitimam, & canonicam absentiæ causam habeant, secundum tenorem Bonifacianæ Constitutionis, distributionibus privantur, quas si receperint, tenentur ad restitutionem iis, qui adfuerunt, faciendam. Qui si remiserint illis jus suum, remissio illa, & condonatio nullam vim habet, atque ad restitutionem nihilominus obligantur. Nec pauperibus dare sufficit, nisi consenserint illi, in quorum commodum hujusmodi distributiones cessissent, utpote qui Divinis Officiis interfuerunt.

Nec vero sufficit adesse Choro quovis modo, ut distributiones justo titulo, tutaque conscientia recipiant; sed necesse est, ut adsint modo convenienti, religiosoque, reverenter, distincteque psallendo, ut decernit Sacra Synodus Tridentina. Oportet, ut adsint eo modo, quo præscribit *Clemens V.* in Concilio Viennensi; & habetur in Clementinis, cap. *Gravi*, Tit. De Celebratione Missarum. *Gravi*, nimirum turbatione movemur (inquit) quod .... plerique Ecclesiarum Ministri, modestia Ordinis Clericalis abjecta, dum offerre Deo Sacrificium laudis, fructum labiorum suorum in puritate conscientiæ, & animi devotione deberent, Horas Canonicas dicere, seu psallere Canonici, qui modo convenienti religioso & sacris Canonibus præscripto. Divinis Officiis non interfunt, ad quotidianas distributio-

 „ trans-

nes jus non habent, iisque perceptis ad restitutionem tenentur.

„ transcurrendo, syncopando, extranea quidem, & plerumque vana, profana, & inhonesta intermiscendo colloquia, tarde ad Chorum conveniendo, seu Ecclesiam ipsam absque rationabili causa ante finem Officii exeundo... nimis indevote præsumunt ....Ne igitur transgressiones invalescant hujusmodi, aliique veniant in exemplum, Sacri Concilii approbatione hoc fieri prohibentes, sancimus, ut illi, ad quos id pertinet, & in eorum, si utique Exempti non sint, negligentia, vel defectum locorum Ordinarii: si vero Exempti fuerint, Superiores ipsorum, omni negligentia, vel incuria penitus relegata, circa reformanda præmissa, & eorum singula corrigenda; necnon, ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur: in aliis vero convenienter, & debite celebretur divinum diurnum, & nocturnum Officium, si Dei, & Apostolicæ Sedis indignationem evitare voluerint, sollicitam curent diligentiam adhibere: Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, aliisque opportunis remediis compescendo.

Qui suis in sedibus otiosi sedent, vel dormiunt, vel confabulantur, vel in Ecclesia ambulant, nec psallunt cum ceteris, Jus non habent ad distributiones.

Canonicos, qui suis in sedibus otiosi resident, cum aliis non psallentes, distributiones justo titulo non percipere, confirmat Concilium Mediolanense I. sub. *S. Carolo Borromæo*, Tit. XXXVIII. Partis II. „ Qui dignitates, (inquit) aut Personatus in Ecclesiis obtinent, & Canonici nominis, ac institutionis suæ memores, ea pietate, & assiduitate Divina Officia colere debent, ut alii eorum exemplo ad studium, & amorem divini cultus accendantur. Itaque auctoritate etiam Tridentini Concilii præcipimus, ut cum in Choro psallendum est, ipsi quoque quantum honoris gradu ceteris præstant, tanto studiosius Psalmis, Hymnis, & Canticis una cum aliis modulantes, Dei laudes concelebrent. Cui officio si defuerint, pro absentibus habeantur; & earum Horarum, quas ea ratione non obierint, distributionibus mulctentur.

Accedit Concilium Burdigalense anno 1583. celebratum, cap. XVII. „ In Choro (inquit) colloquia nulla permittantur, sed omnes pie, ac devote divino cultui sint intenti. Qui contra fecerit, nisi monitus quiescat, privetur ejus Horæ distributione, vel graviore pœna mulctetur.

„ Dum psallitur, Canonici omnes, & Sacellani (nisi per invaletudinem, aut aliam legitimam causam impediantur) psallant, nec maneant in suis sedibus otiosi: neve putent se officio functos, si vicaria tantum opera cultum divinum celebrari curent.

„ Preces, & Divina officia non cursim, & festinanter, sed devote, attente, & graviter in Choro omnes recitent, perpetuo memores tremendæ illius Prophetæ sententiæ: *Maledictus*, qui facit opus Dei negligenter.

His consona sunt Concilii Turonensis eodem anno celebrati Decreta *De Capitulis, Dignitatibus, & Canonicis*, cap. XIII. *Cum in Choro fuerint* (inquit) *gravitatem servent, quam & locus, & Officium exigunt, non inter se, aut cum aliis confabulantes, seu colloquentes, non dormientes, aut litteras seu scripturas alias legentes.*

Cumque psallendi gratia ibidem consideant, muta, aut clausa labia non teneant: sed omnes, præsertim qui majore funguntur bonore, in Psalmis, Hymnis, & Canticis, Deo alacriter modulentur.

Qui in Matutinis ante finem Psalmi, Venite exultemus, *in aliis Horis ante finem primi Psalmi, in Missa ante ultimum* Kyrie eleison, *Chorum non fuerit ingressus, & usque in finem Divino Officio non interfuerit, (nisi forte necessitate cogente, ac petita, & obtenta a Præsidente Chori licentia discederet,) pro illa Hora absens censeatur, &c.*

Ut autem Canonici his diligentius intendant, qui Annotatores pungendi officio deputabuntur, Ecclesiasticorum actiones observent, ut si Decreta hujusmodi neglexerint, fructus illius Horæ, qua Chorum exierint, perdant:

& si

& si in Ecclesia una Hora Divini Officii vagari per Ecclesiam seu deambulare visi fuerint, totius diei fructibus priventur.

Idem confirmat Concilium Acquense anno 1585. celebratum, Tit. De Canonicis. *Tridentini Concilii* (inquit) *& Bonifacii VIII. auctoritate nixi decernimus, ut nulla Canonicorum, aut aliorum pactio, remissio, vel collusio fiat, aut facta vim habeat, nullumve statutum, aut Constitutio, quaecumque illa sit, valeat, quibus aut absenti quavis de causa, vel ejus sacrae Horae, in qua muneri suo defuerit, aut omnino cuiquam, contra quam Jure communi, & ejusdem Tridentini Concilii definitum sit, distributiones quotidianae dari possint: Quod si datae fuerint, qui acceperint, nec in conscientia, nec alio modo suas faciat, sed eas restituere teneatur, disponaturque de illis juxta probatas illius Ecclesiae Constitutiones. Volumus autem ab hoc Decreto excipi eos, qui infirmitate detinentur, vel alia justa causa a Sacris Canonibus permissa.* Remissiones, & collusiones hac in causa vetitae.

Inter justas absentiae causas habeatur, si unum, aut duos ex Dignitates habentibus, vel Canonicis, Episcopus mittat, aut secum pro Consilio deducat ad visitandam Dioecesim, vel ad Concilium Provinciale, aut ad aliud pro Religione, vel Dioecesi urgens negotium: non tamen diutius excusabuntur, quam duraverit negotii necessitas. Excusentur item, qui pro negotiis Capituli, & de ejusdem licentia aberunt, nec numerentur in diebus absentiae dies recessus, & reditus. Justae absentiae causae.

Qui alicujus Horae Canonicae tempore Missam celebrant, a Choro absentes censentur, nec jus habent ad distributiones, ut a Sede Apostolica, & Concilio Mediolanensi IV. P. II. cap. XIII. fuit declaratum: *Quicumq;* (inquit) *dum alicujus statae Horae Officium in Choro peragitur, Missam celebrando tunc a Choro abfuerit; illius Horae distributionis, tanquam absens, particeps ne sit, ut a Sancta Sede Apostolica declaratum est, id vero nisi prae absentia Sacerdotum, qui in Ecclesia tunc Missae Sacrificium faciant, necessitas aliquando inciderit, ut Praefectus Canonicum aliquem Sacerdotem e Choro exire, a stataeque Horae officio abesse, Missae celebrandae causa jubeat, aut nisi a Sede Apostolica aliter concessum fuerit.* Missam celebrantes Horarum Canonicarũ tempore censentur absentes a Choro,

REGULA XV.

Punctatores, qui injuria aliquem notant, aut notandum praetermittunt, Thesaurarii etiam, seu qui distributiones solvunt iis, qui notati sunt a Punctatore, ad Restitutionem tenentur.

ITa declaravit Concilium Mediolanense I. sub *S. Carolo Borromaeo*, P. II. cap. XLII. *Punctator studiose exploret, & in libro punctationum notet omnes, quicumque ii fuerint, qui sacras Horas, & Divina Officia non obierint: quiq; contra quam his, aliisve Constitutionibus praescriptum est, in Choro quidquam fecerint: qua in re is ullius non odio, non amore, non spe, non metu moveatur. Si aliquem injuria notarit, de suo ei satisfaciet: si vero notandum praetermiserit, de suo item tantumdem det, quod in Ecclesiae usum convertatur, & integras unius hebdomadae distributiones amittat.* Punctatoris, & Thesaurarii obligationes.

Et cap. XLIII. *Thesaurarius Capituli, sive alius quocumque is nomine dicatur, qui quotidianas distributiones partitur, curet ipsas unicuique distribuendas pro rata parte laboris, & Officii, ex Juris, & harum Constitutionum praescripto, & ex ordine librorum punctatoris. Is distributiones eorum, qui absentiae, vel errati causa notati fuerint, ne persolvat: si id fecerit, tantumdem de suo det, quod in Ecclesiae usum conferatur: & ob eam causam etiam unius mensis distributiones amittat.*

REGULA XVI.

Peccant Canonici, ceterique Clerici tam sæculares quam Regulares, qui Divinorum Officiorum tempore libros legunt, aut privatim Breviarium recitant. Idem esto de Sanctimonialibus judicium.

Canonicis ceterisque Clericis tam sæcularibus quam Regularibus Choro Deputatis, nec non Monialibus Divinorum Officiorum tempore, libros, litteras, aut alia scripta legere non licet. Nec Officiũ privatim in Choro recitare.

HAnc Regulam Concilia tradunt, scilicet Basileense sess. XXI. cap. III. *Nemo, dum Horæ in communi publice cantantur, legat, vel dicat privatim Officium: nam non solum obsequium, quo obnoxius est Choro, subtrahit, sed alios psallentes perturbat.* Mediolanense I. p. II. cap. LIII. *Ne in Choro* (inquit) *ubi communi Officio opera datur; privatim Officium dicant: neve litteras, libros, aliave scripta legant.*

Concilium Rhemense anno 1583. tit. *De Cultu Divino*, num. 6. *Clerici simul conveniant in Chorum, nec confabulentur, aut aliquid legant, ne privatum quidem Officium.*

Concilium Turonense eodem anno, cap. XIII. *Nemo dum Horæ in communi cantantur, legat, vel dicat privatim Officium. Nam non solum obsequium, cui obnoxius est, Choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat.*

Concilium Bituricense 1584. tit. XII. can. III. *Non confabulentur in Choro, neque quidquam alienum a cultu, & divino Officio legant, sed nec privatim Officium dicant, ne Choro subtrahant quod debent, aut per eos turbentur, qui psallunt.*

Concilium Avenionense 1594. cap. XXXIV. *Nullus Canonicus, nec Beneficiatus, neque alius Clericus inter canendum dormiat, nugetur, litteras, aut libros legat, Officium privatim recitet, per Chorum vagetur, indecori sedeat, quidquamve faciat, aut loquatur, quod Chori disciplinam, & psallentium attentionem perturbet,*

Concilium Narbonense 1709. cap. XXX. *In Choro colloquia non permittantur: non dormiat aliquis: non nugetur: litteras, aut libros non legat: Officium privatim non recitet.*

Hanc Regulam confirmat *S. Antoninus* p. II. tit. IX. c. XII. De Negligentia in Horis Canonicis. *Sexta* (inquit) *negligentia est, quando psallentibus aliis, qui velit illo tempore dicere alias Horas privatas submisse, plures Horas per se citius dicens; hi quodammodo furtum faciunt. Nam furtum committit, qui re alterius utitur contra voluntatem ipsius. Cum autem voluntas Religiosi sit in manibus Prælati: & Prælatus velit subditum cum ceteris persolvere Horas, ut juvet alios, & conveniat cum aliis: proprio arbitrio vocem subtrahens, ut suas orationes dicat, furtum committit, nec Deo placet. Unde Bernardus*: „ Ingratum est Spiritui Sancto quicquid obtuleris, neglecto eo „ ad quod teneris. *Nec est sufficiens excusatio, si quis dicat, se non habere vocem bonam ad adjuvandum Chorum: quia & in Templo Domini erant vasa non solum aurea, & argentea, sed etiam ænea: & omnia Domini opera suo modo benedicant Dominum, & suis vocibus non solum psittacus, & cygnus, & philomela, sed & canis, & asellus, & cicada.*

APPENDIX PRIMA.

VARIÆ DE THEOLOGICIS DOGMATIBUS, AC DISCIPLINA

EPISTOLÆ.

EPISTOLA VIII.

Tom. 2. Alias XXIII. quæ autem 8. erat, nunc 18.

Adultis, qui Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam nesciunt, differenda, vel neganda est absolutio Sacramentalis.

AMANTISSIMO FRATRI ***

Admittendos ad Sacramenta non esse adultæ ætatis homines, qui Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam vulgari saltem, & vernacula lingua discere neglexerunt, satis intelligis ex *Theologiæ* nostræ *Dogmaticæ*, & *Moralis* Libro IV. cap. III. Art. VIII. Regula VIII. & Libro II. Cap. VII. Art. III. Regula VI. quæ Concilii Forojuliensis anno 791. celebrati Decreto confirmantur. *Symbolum vero, & Orationem Dominicam* (inquit) *omnis Christianus memoriter sciat, omnis ætas, omni sexus omnisque conditio: masculi, fœminę, juvenes, senes, servi, liberi, pueri conjugati, innuptæque puellæ: quia sine hac benedictione nullus poterit in cœlorum Regno percipere portionem.*

Et Concilii Moguntiaci anno 813. celebrati Canone 45. cujus hæc sunt verba: *Symbolum quod est signaculum fidei; & Orationem Dominicam discere semper admoneant Sacerdotes populum Christianum. Volumusque, ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione emendentur. Propterea dignum est, ut filios suos donent ad Scholam, sive ad Monasteria, sive foras Presbyteris, ut Fidem Catholicam recte discant, & Orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant. Et qui aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.* Vale, & divinam misericordiam pro me implora.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA IX.

Tom. 2. Alias IV. quę autem 9. erat, nunc 33.

Peccati lethalis affectus sola charitate saltem inchoata, excluditur.

CLARISSIMO VIRO ***

Oscitantiam suam prodit Scriptor Anonymus in libello, cui titulus est: *Scrupuli propositi Illustrissimo Domino Archiepiscopo Rothomagensi contra Theologiam Dogmaticam, & Moralem P. Alexandri:* cum hanc Propositionem Lutheranam dicere non veretur: *Peccati lethalis affectus sola charitate saltem inchoata, excluditur, & consumitur.* Statum Theologicæ Quæstionis sane non advertit. *Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ,* credimus, ac docemus *non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Hanc Ecclesiæ fidem, ac doctrinam in Concilio Tridentino declaratam, & firmatam, in Tractatu de Pœnitentia tradidi, explicui, propugnavi. Quamobrem mirum nemini non erit Anonymum scribere, me in Lutheri errorem circa metum pœnarum impegisse.

To. 2. Theol. Dogm. & Moral. c. 5. Art. 6. Reg. 9.

To. 2. Theol. c. 4. Art. 3. Proposit. 5.

Verum cum Attritio peccatorem ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam non disponat, nisi vera sit, ac sincera, & peccandi voluntatem excludat cum spe veniæ, certissimum est, attritionem servilem non semper excludere pravam illam voluntatem, nec affectum peccandi penitus destruere. Unde Theologi Doctores censent, ac propugnant Attritionem non sufficere ad justificationem peccatoris, etiam in Sacramento Pœnitentiæ, nisi amorem Dei saltem inchoatum includat, vel adjunctum habeat. Hanc doctrinam in sacra Scriptura, & traditione fundatam demonstravi loco mox citato Theologiæ nostræ, Propositione 5. Huic sententiæ omni-

ao favere Tridentinum Concilium: suffragatores habere Theologos numero, sanctitate, & eruditione spectatissimos, SS. Thomam, Raymundum, Antoninum, Bernardinum Senensem, Thomam de Villanova, Franciscum Salesium, Venerabilem Spiritualis Vitæ Magistrum Ludovicum Granatensem, quorum testimonia protuli.

His addendi Dominicus Soto Conc. Tridentini Theologus, Ordinis Prædicatorum, in quartum *Sententiarum*, Dist. 6. Quæst. 1. Art. 7. & Libro 2. *De Natura*, *&* *Gratia*, cap. 15. Andreas Vega Ordinis Minorum Theologus Libro 6. *De Justificatione*, Cap. 28. 30. 31. & Libro 13. Cap. 25. & 27. Joannes Hesselius Theologus Lovaniensis in Tractatu *De Pœnitentia*, & in Catechismo Lib. 5. Petrus Soto Dominicanus in *Assertione Catholicæ Fidei*, Tit. *De Pœnitentia Catholica*, & in *Instructione Sacerdotum*, quam Otho S. R. E. Cardinalis Augustanus Episcopus adoptavit, ac suæ Diœcesis Parochis tradidit, Lectione 14. Joannes Medina Tract. *De Pœnitentia*, cap. 4. Joseph Angles Ordinis Minorum celeber Theologus in *Floribus Theologicis*, Quæstio *De Clavibus*; Didacus Stella ejusdem Ordinis, Commentar. in Cap. 6. *S. Lucæ*. Martinus Aspilcueta Navarrus in *Manuali*, cap. 1. *De Contritione*; Jacobus Lainez Societatis Jesu Præpositus Generalis, & Claudius Jajus ejusdem Societatis Theologus, qui hanc doctrinam in ipsa Synodo Tridentina propugnarunt, teste Palavicinio in Historia Concilii; Franciscus Cardinalis Toletus in *Instructione Sacerdotum*, Lib. 3. Cap. 4. editionis Antuerpiensis 1609. & 1660. & Coloniensis 1661. Estius in *Quartum Sententiarum* Dist. 16. §. 9. Sylvius *in III. Partem S. Thomæ*. Ad Quæstionem 1. Supplementi Art. 3. Christianus Lupus, & Franciscus Fervaques Augustiniani Theologi in Dissertationibus, & Opusculis de hoc argumento editis; & Theologica facultas Lovaniensis, quæ a Curatis Gandavensibus rogata, ut suum de hoc Articulo judicium ferret: *Attritionem, quæ ex solo gehennæ, aut pœnarum a Deo infligendarum metu concipitur sine interventu alicujus saltem imperfecti amoris benevolentiæ erga Deum, non sufficere ad Justificationis gratiam in Sacramento impetrandam* unanimi consensu censuit, ac respondit die ultima Maji anni 1662. *Doctrinam dicti Articuli esse sanam, securam, veram, nulli reprehensioni obnoxiam, & merito fidelibus esse prædicandam, & inculcandam*.

Hanc doctrinam in suis Diœcesibus doceri, & prædicari jusserunt plurimi Præsules religione, & eruditione conspicui, ut ex eorum Statutis, Ritualibus, Catechismis, & Instructionibus Pastoralibus compertum est. Legi possunt ea de re Enchiridion Coloniense ab Hermano Archiepiscopo, & Electore Coloniensi anno 1536. editum, Moguntina ad pietatem Christianam Institutio ex Decreto Synodi edita anno 1549. Catechismus Catholicus Frederici a Nausea Viennensis Episcopi Libro 3. Capit. 47. Parochiale Leodiense editum anno 1592. auctoritate Reverendissimi Ernesti Leodiensis Episcopi, Tit. *De Pœnitentia*; Mandatum Reverendissimi Jacobi Boonen Mecliniensis Archiepiscopi die 26. Martii 1637. datum Bruxellis, Synodus Namurcensis anni 1659. Tit. 5. *De Sacramento Pœnitentiæ*, Cap. 21. Synodi Senonenses 1645. & 1658. Ejusdem Ecclesiæ Catechismus anno 1669. editus; Rituale Provinciæ Rhemensis auctoritate Illustrissimi Archipræsulis Caroli Mauritii *le Tellier* editum anno 1676. *De Sacramento Pœnitentiæ*, Tit. *De Contritione*; Tornacensis Ecclesiæ Cathechismus eodem anno editus; Catechismus Rupellensis, & Lucionensis Ecclesiarum p. 6. Art. 3. Lect. 8. Theologia Moralis Diœcesis Gratianopelitanæ a D. Genet. Vasionensi postmodum Episcopo edita, ab Eminentissimo Cardinali Stephano *le Camus* Gratianopolitano Episcopo approbata, & adoptata: Liber egregius Reverendissimi Joannis Castoriensis Episcopi per Belgium Fœderatum Vicarii Apostolici, inscriptus, *Amor Pœnitens*; Instructio Pastoralis Illustrissimi D. Jacobi Nicolai Colbert Archiepiscopi Rothomagensis data die 20. Martii 1697. occasione erronei; damnandique libelli in ejus Diœcesi disseminati, cui titulus erat, *Difficultes proposées à Monseigneur, l'Archevêque de Rouën*. &c. Doctrinam, quam tot, ac tanti Præsules, & Doctores, quam Sanctissimi Viri propugnarunt, & propugnant, quæ in verbo Dei, & traditione fundata est, cui Tridentina Synodus favet, Lutheranam dicere, temerarium quis non judicabit? Dixerit forte quis Anonymo tam parum sobria scribenti, quod S. Augustinus Juliano Pelagiano Manichæismum sibi objicienti olim reponebat: *Cernis nempe, cum quibus tua maledicta sustineam, cernis, cum quibus mihi sit causa communis, quam nulla consideratione sobria pulsare calumniis, & expugnare conaris? Cernis, quam tibi perniciosum sit, tam horribile crimen objicere talibus, & quam mihi gloriosum sit quodlibet crimen audire cum talibus? Si cernis, cerne, & tandem tace.* Sed hæc missa faciamus.

S. Aug. lib. 1. contra Julianum c. 4.

Alexander VII. Pontifex Maximus edito die 5. Maii 1695. Decreto prohibuit cunctis, & singulis Fidelibus quocumque gradu, & dignitate, Episcopali, & majori, etiam Cardinalitia fulgentibus, ne alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota inurere alterutram sententiam audeant, sive necessitatem aliqualis dilectionis Dei in Attritione ex metu gehennæ concepta, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec a Sede Apostolica fuerit aliquid hac in re definitum: sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, eidem Sanctæ Sedi reservatæ. Videat libelli Auctor, qua ratione tandem excommunicationis latæ sententiæ effugiat, qui sententiam asserentem *Peccati lethalis affectum sola charitate, saltem incboata, excludi, & consumi*, Lutheranum errorem appellare non dubitat.

„ Instat ille: Deum spe non minus quam charitate diligimus, cum hoc tamen discrimine, „ quod spe illum diligamus amore concupiscentiæ, ut summum, beatificum bonum nostrum, „ charitate vero in eum feratur amore benevolentiæ, velut in summum bonum absolute, atque

„ infinite perfectum. Cum igitur P. Alexander peccati lethalis effectum sola charitate saltem „ inchoata excludi asserit, negat consequenter amorem Dei, ut summæ beatitudinis nostræ, de„ struere posse peccati lethalis affectum: adeoque peccatorem, quo majori conatu salutem suam „ desiderat, eo magis hipochrytam esse censet, qui Luthrano pejor error est.

Ne insulsum, & absonum Anonymi ratiocinium! Ignorat ille Doctrinæ Christianæ elementa, quæ vel pueris impune ignorare non licet. Si enim a puero quæratur in Catechesi, *Qua virtute Deum diligimus?* optime respondet *Charitate*. Anonymus vero spe etiam nos Deum amare contendit. Quod si ita est, sequitur, peccatum mortale non impedire quin Deum amemus; siquidem spes in peccatoribus manet, quam sola desperatio perimit. Gratia igitur, & justitia Christiana erit inamissibilis; qui Calvinianorum error est. Deo per amorem adhærebit cor hominis, qui corpus suum omni luxuriæ genere contaminat, modo in ipso aliquæ sint spei Christianæ reliquiæ qui palmaris Quietistarum error est. Amorem Dei tanquam fontis omnis justitiæ, summique ac beatifici boni nostri, excludere peccati mortalis affectum censemus, ac docemus; sed hunc amorem charitatis actum esse, non spei; benevolentiæ, non concupiscentiæ, propugnamus; amorem castum, quo Deus propter se diligitur, & rebus omnibus creatis præponitur.

Amore concupiscentiæ Deum diligere, est ipsum propter spem bonorum temporalium colere; ipsum vero diligere, ut summum, & universale bonum, quod fruitione sui nos beatos efficiet, castus amor est, amor benevolentiæ, proprius charitatis. Doctrina est S. Augustini Enarratione in Psalmum LXXII. hæc Prophetæ verba explicantis *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Servas mihi tu in cœlo divitias immortales te ipsum, & ego volui a te in terra, quod habent & impii, quod habent & mali, quod habent & facinorosi, pecuniam, aurum, argentum, gemmas, familias: hæc pro magno a Deo meo desideravi super terram, cum servet se mihi in cœlo Deus meus. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, Vide, quomodo illum amavit. *Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit a Deo, & propterea vult servire Deo, carius facit, quod vult accipere, quam ipsum, a quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum. Præmium Dei ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit; si aliud dilexerit, non erit castus amor.* Sic Deum diligebat Psal'm. 118 David Rex sanctus: *Inclinavi cor meum* (inquiebat) *ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*. Non aliud a Deo præmium desiderabat, & exspectabat præter ipsum Deum ut ei, quem amabat, æterna dilectione adhæreret, cum illius esset fruitione beatus. Numquid in æternum facturi sumus justificatione Dei? (ait S Augustinus Sermone XXIII. in Psalm. 118.) *Opera illa quidem, quæ operamur circa proximorum necessitates æterna esse non possunt, sicut nec ipsæ necessitates; sed si non diligendo ista faciamus nulla est justificatio; si autem diligendo, æterna est ipsa dilectio, eique æterna parata est retributio, propter quam retributionem dicit se inclinasse cor suum ad faciendas justificationes Dei, ut in æternum diligens, in æternum mereatur habere, quod diligit*. Quis dixerit eumdem sanctum Doctorem non ex purissimo, & gratuito divini amoris affectu orasse, quando Deum his verbis allocutus est Sermone 113. alias 35. De Verbis Domini? *O Domine Deus meus, o Domine Deus noster, ut veniamus ad te, fac nos beatos de te. Nolumus de auro, neque de argento, nec de fundis, nolumus de terrenis istis, & vanissimis, & caducæ vitæ transitoriis. Non loquatur os nostrum vanitatem, fac nos beatos de te, quia non perdemus te, cum tenuerimus te, nec te perdemus, nec nos peribimus. Fac nos beatos de te, quia Beatus Populus, cujus est Dominus Deus ipsius*.

Idem Sanctus, dum castum Dei amorem, castumque amatorem describit Sermone 178. alias 19. *De Verbis Apostoli*, ad ejus notionem plura non requirit, quam, ut visionem Dei ardenter cupiat, & præ illa res omnes contemnat, æstimans se sine Deo in qualibet abundantia esse non posse, nisi miserum, nisi ærumnosum. *Amor castus*, inquit, *in te esse debet, quo amore desideres videre, non cælum, & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores, nitoresque gemmarum, sed desidera videre Deum tuum: quia dictum est:* Dilectissimi, 1. Joan. 3.
„ filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, „ similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. *Ecce propter quam visionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras, ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi, Ecce fac, quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quicquid libuerit, licitum puta; non hinc te punio, non te in gehennas mitto, faciem meam tantum tibi negabo. Si expavisti, amasti; si ad hoc, quod dictum est, Faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam pœnam putasti, gratis amasti.*

Et Sermone 134. alias 48. De Sanctis: *Dominus pars hæreditatis meæ. Non dixit, O Domine, quid das mihi aliquam hæreditatem? Quicquid mihi dederis, vile est. Tu esto hæreditas mea, amo te, totus amo te, toto corde, tota anima, tota mente amo te. Quid erit mihi quicquid mihi dederis præter te? Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari. Ipse enim sufficit tibi, præter illum nihil sufficit tibi.*

Et Sermone 340. alias 39. ex editis a Sirmondo: *Quia gratis amamus; quia oves pascimus, mercedem quærimus. Quomodo fiet istud? Quomodo convenit, gratis amo, ut pascam, & mercedem posco, quia pasco? Nullo modo fieret hoc, nullo modo merces quæreretur ab eo, qui gratis amatur,*

amatur, nisi merces esset ipse, qui amatur. En quid sit ex S. Augustini mente Deum amore puro, sive gratis amare, a Deo non quærere nisi Deum.

Huic doctrinæ non adversatur Sanct. Bernardus Epistola XI. scribens: *Est, qui confitetur Domino, quoniam potens est: & est, qui confitetur, quoniam sibi bonus est: est item, qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius est, & cupit sibi; tertius filius, & defert patri. Itaque, & qui timet, & qui cupit, uterque sibi agunt. Sola, quæ in filio est charitas, non quærit, quæ sua sunt.* Etenim eo loco mercenarium vocat, non illum, qui Deum diligit; quatenus commune mentis rationalis bonum est, sed illum duntaxat, qui Deum privato amore diligit, non tamquam suum, & omnis mentis rationalis bonum, sed quia sibi bonus est, concedendo illa, quæ mundi cupiditas, & non amor justitiæ quærit. *Nunquid enim* (inquit S. Bernardus Sermone 8. De diversis) *mercenarium eum quis æstimet, qui paternæ inhiat hæreditati, eamque toto affectu expetit, & exspectat, quam nimirum filii mercedem esse, non mercenarii, Propheta testatur? Cum dederit* (inquit) *dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii merces, fructus ventris.* Imo S. Bernardus eodem loco

Psalm. 126. ait, eos, qui Deum tanquam sponsum perfectissima ratione diligunt, fruitionem ejus maxime cupere. *Anima* (inquit) quæ Deo tanquam sponso adhæret, *penitus castificato corde nihil aliud desiderat, nihil aliud quærit, quam ipsum Deum. Crebro siquidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum, ita ut jam ex affectu cordis, atque ex sententia clamet illud in Psalmo:* Quid enim mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Psalm. 71. *Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tanquam privato sui ipsius amore desiderat anima, quæ ejusmodi est, sed tota pergit in Deum, unicumque ei, ac perfectum desiderium est, ut introducat eam Rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur.* Non diligit itaque Deum privato amore, seu amore concupiscentiæ, qui a Deo non quærit, nisi ipsum Deum. Amor iste charitatis est, non spei informis, & charitate destitutæ.

Nec inde sequitur, quod infert Anonymus Declamator, peccatorem qui salutem suam desiderat, hypocritam esse. Bona sunt certe salutis desideria; sed ad justificationem non omnino sufficiunt, nisi Dei amore, & charitate animentur. Dispositiones sunt ad conversionem peccatoris, sed remotæ. Desiderium gratiæ, initium gratiæ est: minorum illarum, & infirmarum gratiarum effectus est, quæ in Scholis sufficientes vocantur, per quas peccator nunquam convertitur, nec ad Deum redit, nisi potentiori gratiæ victricis adjutorio illum trahat, vires efficacissimas illi tribuat, ipsiusque etiam rebellem voluntatem invicta suavitate flectat ad amandam justitiam *Pars sanitatis, velle sanari, fuit.* Ideo Christus Paralyticum curaturus interrogat, *Vis sanus fieri?* Sed sanitatis desiderium ad sanandum ægrotum non sufficit. Quot enim æternæ

Seneca. damnationi sunt addicti, qui salutem suam desiderarunt! Inutile desiderium salutis est, nisi cum odio peccati quatenus Dei offensa est, & vitæ novæ firmo proposito, atque inchoatione sit conjunctum. Quæ omnia sine charitate saltem nascente, & inchoata præstari non possunt. Dei, ut summi, ac beatifici boni nostri amorem, qui spei tribuit, non charitati, theologicarum virtutum naturam, & actus confundit; similis illi est, qui nos oculis audire, & auribus videre contenderet. Vale, Deoque me commenda in Sacrificio Pretii nostri.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA X.

Tom. 2. Alias XXX. quæ autem 10. erat, nunc 34.

Auctor mittit ad Amicum Romæ degentem Epistolam retractatoriam Patris Francisci Caffaro; eaque occasione ostendit obiter Comœdos a Sacramentorum Communione arcendos, & Comœdiæ frequentationem prohibitam esse Christianis.

RELIGIOSO, ERUDITOQUE VIRO***

Retractationem Patris Caffaro Clerici Regularis Ordinis Theatinorum, qua veterem de arte Histrionica, & de Comœdiæ frequentatione opinionem, & ea, quæ inconsulto, & erronee scripserat junior, ut hanc, & illam Christianis esse licitam, nec bonis moribus contrariam persuaderet; emendat Illustrissimi, ac Reverendissimi Archiepiscopi Parisiensis mandato, vir pius, docilis, & modestus, huic adnexam Epistolæ recipies, & cum amicis, patronisque tuis in Curia communicabis. Plures contra errorem istum libri prodierunt, quibus Histriones, & Comœdos in arte sua perseverantes ad Sacramenta Ecclesiæ non esse admittendos probatur, & Comœdiam, ejusque frequentationem periculosam, & prohibitam esse Christianis demonstratur. In hujus argumenti tractatione præcipua cum laude versatus est Illustrissimus, & doctissimus Dominus Bossuet Meldensium Episcopus. Sane Comœdos a communione Sacramentorum arcendos, Rituale Parisiensis Ecclesiæ, aliaque quam merito præscribant, quam convenienter veteri Ecclesiæ disciplinæ, Conciliorum Decretis, Doctrinæ Patrum, satis nosti. Quam periculosa sit, & exitialis Christianis moribus Comœdia, quam noxia ejus frequentatio, quantas peccati occasiones, & incentiva exhibeat, quam sit ad excitandas, & fovendas pravas cupiditates opportuna, & vehemens, quo nomine ad Satanæ pompas pertineat, quas in Baptismo ejuravimus,

mus, satis intellexisti ex assidua, & diligenti lectione Patrum, Tertulliani præsertim, S. Cypriani, Minucii Felicis, S. Joannis Chrysostomi, S. Augustini, Salviani. Ad Sanctissimam Parisiensis Ritualis disciplinam de Comœdiis a communione Sacramentorum arcendis, nisi artem ejurent, ac Theatro renuncient, confirmandam, Epistola S. Cypriani LXI. ad *Euchratium* sufficeret, cum luculento illo S. Augustini testimonio Libro *De Fide, & Operibus* cap. XVIII. *In doctrina bona* (inquit) *& bonus potest esse, qui audit, & facit, & malus, qui audit, & non facit: in doctrina vero mala, & qui eam veram putat, quamvis ei non obtemperet, malus est; & qui obtemperat pejor est. Illud sane mirabile est, quod Fratres, qui aliter sapiunt, cum debeant ab ista vel nova, vel vetere, perniciosa tamen opinione discedere, ipsi insuper dicunt novam esse doctrinam, qua nequissimi homines in suis flagitiis se perseveraturos in propatulo profitentes, non admittuntur ad Baptismum: quasi nescio ubi peregrinentur, quando meretrices, & HISTRIONES, nisi solutis, aut disruptis talibus vinculis, ad Christiana Sacramenta non permittuntur accedere: qui utique secundum illorum sententiam omnes admitterentur, nisi antiquum, & robustum morem sanctæ Ecclesiæ retinerent, ex illa scilicet liquidissima veritate venientem:* Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. *Et nisi egerint ab his mortuis operibus pœnitentiam, accedere ad Baptismum non sinuntur: si autem subrepserint, nisi vel postea mutati egerint, salvi esse non possunt.* Gal. 5. 21. 1. Cor. 6. 10.

Quam inani porro conatu Sanctum Thomam in sui patrocinium erroris arcessiverit Pater Caffaro, perspectum habes. Angelicum Doctorem Histrionum nomine scenicos homines, & Comœdos non intellexisse, quos Sanctus Ludovicus e Regno expulit, sed homines, qui honestis facetiis, & corporis agilitate, dexteritate, industria alios oblectant: & quædam faciunt præstigiis similia, quæ spectatoribus admirationem pariunt, ac voluptatem. Quæ in ludis cavenda docet Angelicus Doctor, in Comœdiis, similibusque spectaculis non caveri. *Primum est, quod delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, & nocivis. Aliud, ne totaliter gravitas animæ resolvatur. Tertium, ut congruat personæ, & tempori, & loco, & secundum alias circumstantias debite ordinetur, ut scilicet ludus sit, & tempore, & homine dignus.* Secunda Secundæ Qu. 168. Ar. 2. & 3. Atqui Comœdiam multis modis animæ noxiam esse, cum cupiditates excitet, ac foveat, amoremque præsertim profanum; cum sit occasio peccati studiose quæsita; cum vigilantiam Christianam, spiritum orationis, compunctionis, & pœnitentiæ facile destruat, & extinguat; cum vanitates, & insanias corruptrices innocentiæ Christianæ per oculos, auresque in animum immittat, infelix experientia probat. Scenicis spectaculis gravitatem animæ penitus resolvi, frangi, dissipari, non minus notum est. Denique nec personæ Christiani conveniunt, qui Satanæ, & omnibus pompis ejus abrenunciavit: cujus tota vita, si secundum Evangelium vivat, perpetua pœnitentia esse debet: cui nulla major debet esse voluptas, quam tædium ipsius voluptatis; qui tempus redimere debet, quoniam dies mali sunt, non illud in otio, & voluptate terere, qua emollitur, & corrumpitur anima, in eaque veræ pietatis semina suffocantur. Denique Sanctus Thomas diserte pronunciat: *Inspectionem spectaculorum vitiosam reddi, in quantum per hoc homo fit pronus ad vitia vel lasciviæ, vel crudelitatis, quæ ibi repræsentantur.*

Plura non dicam, tum quia scis omnia, quæ de isto argumento dici possunt; tum quia pervenire ad te poterunt libri plures ea de re recens editi: ex quibus tamen nihil novi disces. Sed laudabis, ut par est, Illustrissimi, ac Religiosissimi Archipræsulis nostri pastoralem vigilantiam, qui errores, & vitia in Diœcesi sua indefessa sollicitudine impugnat, damnat, & radicitus evellere, aspirante Dei gratia, conatur. Vale, mei in Sacrosancto Sacrificio memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XI.

Tom. 2. Alias v. quæ autem 11. erat, nunc 29.

Gravis imprudentiæ reus est Confessarius, qui Pœnitentes compellit ad votum Deo faciendum de certis peccatis non committendis.

CLARISSIMO VIRO N. PAROCHO.

Rogas, quid sentiam de Confessario, qui Pœnitentes compellit ad votum Deo faciendum de certis peccatis non committendis, in quæ summa depravatæ voluntatis, & cupiditatis propensione prolabuntur frequentius occasione data. Illum imprudentiæ reum esse censeo, quia laqueum injicit animabus. Quamvis enim voti forte memores aliquoties ab ejusmodi peccatis abstineant; alias tamen in ea pravo habitu, & mala consuetudine, vel fragilitate prolapsi, gravius peccabunt, gravioremque sibi damnationem arcessent, quam si nullius voti religione essent obstricti. Id confirmat Libellus Synodicus Ecclesiæ Nemausensis, anno 1282. editus. *Districte* (inquit) *prohibemus, ne aliquis Sacerdos Provincialis inducat aliquem confitentem ad votum emittendum de non committendis peccatis, & maxime de illis, quæ non possunt de facili evitari, sicut quidam Presbyteri aliquando faciunt indiscrete. Nam contra votum faciendo dupliciter fiunt rei, & culpabiles apud Deum, & ideo gravius sunt puniendi.* Tuæ Parochiæ Presbyteris auctor esto, ut hanc regulam in praxi sequantur. Vale, mei ad altare memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPI-

Alias VII. quæ autem 12. erat, nunc 30.

EPISTOLA XII.

A quo Episcopo approbari debeant Cohortium, & Classium Eleemosynarii?

VIRO CLARISSIMO***

DOCTORI THEOLOGO.

Cum certum sit, neminem Sacerdotem, sive sæcularem, sive regularem, quavis exemptione fretum, Confessiones sæcularium audire posse, sine approbatione Episcopi; rogas, a quo Episcopo approbari debeant cohortium & classium Eleemosynarii, sive Sacerdotes administrationi Sacramentorum in castris, aut navibus præpositi. Nullius enim Diœcesis esse videntur cohortes, & classes, nullius territorii, cum identidem loca mutent, certumque domicilium non habeant milites, & remiges, in exercitu terrestri, vel navali conscripti, cujus ratione unius potius quam alterius Episcopi diœcesani censeantur. Idemque de eleemosynario illorum conscientiis regendis, audiendisque confessionibus præposito dicendum. Et, si Episcopi, cujus in Diœcesi versatur exercitus, necessaria sit approbatio, identidem nova approbatione opus erit, ut functiones suas exerceant, cum intra unam hebdomadam ad plures quandoque Diœceses castra moveant, classisque, aut navis pariter ad portus variarum Diœcesum appellat. Adire porro Episcopos, quoties castra in nova Diœcesi ponuntur, aut anchora figitur, impossibile fuerit. Meam siquidem de hac difficultate sententiam scire cupis, censeo, Eleemosynarium approbari debere Episcopo, de cujus Diœcesi locus est, in quo stationem habet cohors, vel unde discedit ad bellum, cum Eleemosynarius assumitur; vel de cujus Diœcesi portus est, in quo armatur, & e quo solvit classis. Illud enim impræsentiarum censetur militum, & eorum, qui in navi operantur, domicilium, adeoque & Confessarii illis præpositi, secundum legem *Municeps*, D. Tit. *Ad Municipalem, & de incolis*, cujus hæc sunt verba: *Miles ibi domicilium habere videtur, ubi meret*. Certe si milites classis, vel nautæ in portu matrimonium contrahant, & dispensatione sit opus, aut remissione denunciationum, sive bannorum, non ab alio concedetur Episcopo, quam cujus in Diœcesi portus est, neque coram alio contrahetur, quam Parocho Ecclesiæ, cujus intra fines, & territorium portus comprehenditur: & morientium Sacramenta ab ipso ministrabuntur militibus, aut nautis periculosa ægritudine laborantibus antequam e portu solvant. Oleum etiam sacrum infirmorum, quod in navi servabitur ad moribundorum Unctionem Extremam, accipietur ab Episcopo, cujus e Diœcesi solvit navis. Ab eodem itaque Eleemosynarius ad Confessiones audiendas approbetur examine prævio necesse est. Opus tamen nova approbatione non videtur quoties castra de una in aliam Diœcesim moventur, vel Classis in varias Diœceses appellit: quia eleemosynarii cohortium, naviumque sunt, quasi Parochi militum, ac ceterorum, qui castra sequuntur, vel navi vehuntur: quoad functionem audiendi eorum Confessiones, & Sacramenta morientium etiam ministrandi in castris, in xenodochiis exercitus, & in navibus, præsertim postquam e portu solverunt. Sunt, inquam, quasi illorum Parochi ex omnium Episcoporum indulgentia, & consuetudine. Quamobrem, sicut Parochus semel institutus, & ab Episcopo in sua institutione approbatus, nova non indiget approbatione, ut Parochiani sui Confessionem audiat, etiam in aliena Diœcesi; ita nec eleemosynarii cohortium, vel navium. Sed tamen absolute jus habent Episcopi, quorum in Diœcesibus stativa castra faciunt cohortes, vel quorum in Diœcesibus sunt portus, in quibus naves hyberna tempestate subsistunt, & morantur eleemosynarios ad examen vocandi coram se, aut Vicario suo Generali; seu alio ad Confessariorum examen, & approbationem delegato, & ipsos a munere audiendi Confessiones suspendendi, ex causa maxime ad easdem Confessiones audiendas pertinente. Suaque tunc auctoritate, & prudentia apud Duces agent, ut alios Sacerdotes assumant ad sacri Ministerii functiones obeundas ab ipsis Episcopis approbatos. Vale, mei tuis in Sacrificiis memor, qui sum ex animo tuus.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias XVI. quæ autem 13. erat, nunc 25.

EPISTOLA XIII.

Qua ratione agere debeat Confessarius cum Canonico pœnitente, qui illis tantum Horis, & Officiis divinis interest quibus pinguiores distributiones sunt annexæ, ceteris vero nusquam, quibus nullæ, aut exiguæ constitutæ sunt, tametsi immediate sequantur?

VENERABILI VIRO***

SACERDOTI.

Optandum est, ut nullæ sint Horæ Canonicæ, nulla Officia in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, quibus quotidianæ distributiones non sint adscriptæ, nec eæ sint adeo tenues, ut earum privatione mulctari non metuant Canonici negligentes. Id in Synodo Mediolanensi

quar-

quarta, parte secunda, Cap. XII. constitutum, secundum Tridentini Concilii mentem, *ne qua in parte divinus cultus minuatur*, in omnibus Ecclesiis pariter statuendum, & executioni mandandum sperare licet ab Illustrissimorum, & Reverendissimorum Episcoporum pietate, vigilantia, & zelo pro disciplinæ Ecclesiasticæ restauratione. Quod vero spectat Canonicum, qui illis tantum Horis, & Officiis interest, quibus pinguiores distributiones sunt annexæ, illis vero nusquam, quibus nullæ, aut exiguæ constitutæ sunt; auctor tibi sum, ut in sacro Pœnitentiæ Tribunali ipsi peccati gravitatem ostendas, Horarum, & Officiorum, quibus nullæ, aut exiguæ distributiones sunt annexæ frequentationem per certum tempus in pœnitentiam illi injungas, prout expedire prudentia tua judicaverit, ut illis assidue, ac devote adesse assuescat cessante legitimo impedimento: eleemosynas etiam convenientes illi impera in satisfactionem. Caveat, ne simoniæ mentalis reus sit, qui divinis officiis principaliter interesse videatur intuitu commodi temporalis. *Turpis* certe *lucri cupidus* est, quod grave est, in Sacerdote præsertim vitium: Sacrificium laudis voluntarie Deo non offert, nec sincere, ac veraciter Deo dicere potest: *Voluntarie sacrificabo tibi*. Nam, ut præclare ait S. Augustinus, *Si adesset tibi, quod amas* (Domine Canonice) *non laudares Deum. Vide quid dicam: Laudas Deum, ut det tibi amplam pecuniam* (ut pingues distributiones lucreris;) *si aliunde haberes amplam pecuniam, non a Deo, numquid laudares Deum? Si ergo propter pecuniam laudas Deum, non voluntarie sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas, quia præter illum nescio quid aliud amas.*

Canonicos similiter affectos, ut tuus ille, utinam vere pœnitens! Concilium Coloniense anno 1536. celebratum Parte III. Cap. XIII. his verbis adhortatur, & commonet: *Utinam optando a Deo Optimo Maximo consequi possemus, ne quisquam lucri causa Divinis interesset, alioquin non accessurus sacra, veluti quem nummi magis, quam Dei amor in templum trahit, quæstum pietatem esse putans: qui, non dubium ex eorum numero est, de quibus Isaias dixit:* „ Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. *Non multum is abest* (*ut plerisque doctissimis viris placuit*) *ab horrendo crimine Giesi, qui existimavit divinum munus pecunia redimendum. Quare viderint Clerici nostri, ut eorum mens & intentio tota in Deum referatur, ut cum Davide confiteantur Deo in directione cordis, ac in labiis suis pronuncient omnia judicia oris ejus: in via etiam testimoniorum Domini delectentur, sicut in omnibus divitiis. Optandum, ut Psalmus ille centesimus decimus octavus, qui toties non sine causa in Ecclesiis replicatur ore simul, & correspondente singulis verbis mente decantetur, & cum eodem Psalte ex ani-* „ *mo dicatur:* Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo. *Non adimit Christus, sed decernit operanti suam mercedem.* Dignus est enim operarius mercede sua. *Et* Qui altario deservit, de altario & vivet. *Sed interim cogitare debet Clericus se vivere non ut edat, sed ede-* „ *re, ut Christo vivat; habereque semper mente reconditum Christi verbum. Primum quærite re-* „ *gnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Hujusmodi Canonicis (inquit Venerabilis Cantor Parisiensis Petrus in *Verbo Abbreviato*, Cap. XXVI.) *Pecunia disciplina est, nummus Decanus, & etiam Deus. Qui idololatræ sunt, nummum potius adorantes, quam Deum, non alias Deo cantaturi nisi propter nummum*... Hinc scandalum laicorum non leve. *Quid vilius* (inquit idem Auctor) *quam duas Horas in Ecclesia quadam* (*quia ad illas decantandas non est constituta certa pecunia*) *a Laicis dici Horas Domini, ceteras denarii, imo diaboli? Imo ad has Horas decantandas, & Horas etiam beatæ Virginis, non adsunt Clerici; sed præsentes in aliis ab his fugiunt, ut nullum opus in Ecclesia sibi vindicet Spiritus Sanctus, cum nihil gratis in ea fiat, sed omne sibi vindicet nummus*, Hæc mala salutaribus correptionum medicamentis, quantum fieri potest, sananda, precibusque & gemitibus exorandus Deus, ut iis gratia sua medeatur. Vale, meique in Sacrosancto Altaris sacrificio memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XIV.

Alias XXIII. quæ autem 14. erat, nunc 39.

Parochus, quem castæ, sanctæque conversationis semper fuisse constat, non est suspendendus ob stuprum neptis quæ in Parochialibus ædibus peperit, cujus illum accusat juvenis ab ipsa nepte stuprator denunciatus.

CLARISSIMO VIRO ***

OFFICIALI.

Litteris, quas ad me scripsisti nuper, rem narras sane lugendam: Parochus, ais, integræ hucusque famæ, vir sexagenarius, in Presbyterali domo neptem educebat juvenem, formæ non inelegantis, indolis festivæ, vix, ac ne vix quidem extra ædem egredi solitam, nisi ut Sacro, Vespertinis Officiis, aut Concioni interesse, vel ut in rerum vænalium foro necessaria avunculo, sibique compararet. Interea gravida facta, peperit in ipsa Ecclesiæ domo. Magnum inde scandalum ortum est. Interrogata puella ex cujus viri consuetudine concepisset, a filio natu majore oppidani Judicis, quem Vicecomitem vocant, seductam se fuisse, corruptam, im-

præ-

prægnatam, respondit. Parochus puellæ infelicis avunculus juvenem in jus vocavit: res ad Senatum * * delata. Contestata lite, negat petulans juvenis se unquam neptem Parochi cognovisse, nullam contra se probationem, præsumptionem nullam proferri; stupri reum potius esse contendit Parochum avunculum puellæ, cum quo neptis sub eodem tecto morabatur, & sæpe sola cum solo manebat. Graves hinc oppidanorum oblocutiones, publica offensio, infamia in Parochum derivata. Quæris, utrum Parochum a sacris ministeriis suspendere debeat Episcopus, dum in facti veritatem inquires Donum consilii, quod illi a Spiritu-Sancto datum est, si sequatur Præsul Religiosissimus, ut sequetur procul dubio, consulet famæ, & honori Sacerdotis, cujus hucusque casta conversatio, mores probatissimi, bonum nomen. Absque strepitu, & forma judicii a Consacerdotibus, & insignis notæque probitatis senioribus oppidanis percontabitur de morum illius honestate, & castitate, cum junior esset, & quæ sit nunc de ipso illorum opinio. Qui si virum honestæ castæque conversationis semper fuisse, ac etiam nunc sibi videri dixerint, illum non solum sacro ministerio fungi permittet Amplitudo sua, sed illius honorem ac famam pro virili tuebitur, agetque, ut petulans juvenis ad honorem famamque venerandi Sacerdotis, ac Parochi sui resarciendam compellatur. Consilium istud meum nititur cap. *Cum in juventute*, Ext. *De præsumptionibus*, quod Innocentii III. responsum est Candiensi Episcopo, & Abbati Deciquorum datum in simili pene specie. *Cum in juventute sua* (inquit) *Quinqueecclesiensis Episcopus adeo se maturum, honestum, & providum exhibuerit, ut ab Ecclesia Romana meruerit Pallio decorari, non est de levi credendum, quod postquam ad senilem pervenit ætatem, turpiter abjecerit jugum Domini, fœtores libidinis amplexando: cum labes hujusmodi, quæ nonnunquam in juventute contrahitur, in senectute frequentius expietur. Quis præterea de facili crederet, quod vir præditus scientia litterarum, propriæ salutis oblitus, ad eam passionis ignominiam se converteret, ut cum propria nepte abominabilem perpetraret incestum? Cum, etiam secundum sententias Ethnicorum, naturale fœdus inter tales personas nihil permittat sævi criminis suspicari. Licet igitur Rex Hungariæ eumdem Episcopum nobis per nuncios & litteras de tali crimine detulisset, postulans, ut malum hujusmodi perniciosum exemplo, de Hungarica Ecclesia tolleremus: quia tamen ejus suggestio non de radice charitatis procedere videbatur, noluimus aures nostras quasi malignis delationibus inclinare. Sed ut probaremus si spiritus essent ex Deo, Auriensi Episcopo dedimus in mandatis, ut prudenter, & caute a Coepiscopis indagaret utrum præfatum Episcopum crederent tali labe respersum. Qui nobis postmodum rescripserunt quod eum virum honestæ conversationis esse credebant, personam illius multipliciter commendantes.*

Quoniam vero ex neptis mansione, cum avunculo Sacerdote ortum scandalum est, dataque convitio, & obtrectationibus occasio, prudentiæ Episcopalis erit, alias opportunitate data cum Diœcesana forte Statuta condet Religiosissimus Præsul, Parochis, cæterisque Sacerdotibus, ac sacratis viris prohibere, ne vel neptes, vel consobrinas, multo minus ancillas apud se habeant, præsertim juvenes, prout Conciliorum plurimorum Decretis saluberrime sancitum est, quorum nonnulla descripsi Libro 11. *Theologiæ Dogmaticæ*, & *Moralis*, in Tractatu *De Sacramento Ordinis*, cap. v. *De vita, & honestate Clericorum*, Regula 111. Prudenter olim Theodulfus Aurelianensis Episcopus in Capitulari ad suæ Diœcesis Presbyteros hoc Decretum edidit: *Nulla fœmina cum Presbytero in una domo habitet. Quamvis enim Canones matrem, & sororem, & hujuscemodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio, sive occasione illarum veniunt aliæ fœminæ, quæ non sunt ei affinitate conjunctæ, & eum ad peccatum illiciunt*, Vale, mihique apud Deum bene precare, tui observantissimo.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XV.

Alias XLIV. quæ autem 15. erat, nunc 31.

Sola alimentorum provisio filiis illegitimis a parentibus debetur.

AMANTISSIMO FRATRI***

Filios illegitimos hæredes a parentibus institui non posse: verumtamen æquitate postulare, ut parentes necessaria illis ad vitam sustentandam relinquant, probatum habes Lib. 11. Theologiæ nostræ Dogmaticæ, & Moralis Tractatu *De Extrema Unctione*, cap. VII. * ubi de Testamentis agitur; plura, ut addam minime necesse est. Solam certe alimentorum provisionem liberis a patre jure naturæ debitam spectant Supremarum Galliæ Curiarum Magistratus, cum legata paterna, aut donationes inter vivos in gratiam illegitimorum filiorum factas, aut dotes filiabus naturalibus constitutas, Senatusconsultus confirmant ea cautione, ut legata illa immodica non sint, & in fraudem legitimorum hæredum.

Quamvis autem leges a paterna hæreditate filios naturales, & spurios arceant, illos tamen a successione in bona materna non excludunt, ubi Jure scripto judicatur. Succedunt enim ab intestato Matri legitimis liberis carenti in bona universa, fiuntque hæredes ex asse; matri autem intestatæ legitimos filios habenti succedunt æquo jure cum illis, secundum legem, *Si qua illu-*

illustris, Ad *Senatusconsultum Crstianum*. Vale, Frater amantissime, meque Deo tuis in Sacrificiis commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XVI.

Alias xxv. quæ autem 16. erat, nunc 32.

Sacerdos Ordinis Religiosi, qui sacrum Viaticum Eucharistiæ infirmo administravit in casu repentino absque licentia Parochi, cum licentia tamen Vicarii Generalis Episcopi, in Irregularitatem non incurrit.

CLARISSIMO VIRO***

EXposuisti mihi per litter s nudius tertius ad me datas, Nobilem Virum apoplexiæ casu subito correptum die decima mensis ultimo præteriti, in diem usque crastinum omni sensuum usu destitutum permansisse. Cum autem summo mane vocis, rationisque sufficiens usus ad Exomologesim peccatorum faciendam illi Deo miserante restitutus esset, vocatus est ex vicino Cœnobio Religiosus Sacerdos pius, & eruditus, qui Confessionem infirmi excepit. Quod dum perageret, Vicarium Generalem Illustrissimi Episcopi, eumdemque Archipresbyterum adiere, quibus incumbebat ægri cura, ipsique supplicarunt, ob humanas quasdam, & civiles dumtaxat rationes, ut Religioso Sacerdoti infirmi Confessario licentiam concederet eidem administrandi Sacrum Corporis Domini nostri Jesu Christi Viaticum: quam licentiam, & in scriptis impetrarunt. Ædes Parochi domui infirmi viciniores erant quam ædes Vicarii Generalis: ad hunc tamen, non ad illum aditum est, Episcopo a Diæcesi absente. Religiosus ille Sacerdos visa licentia supra dicta; rogatus a familia infirmi, acceptum ex Ecclesia Cœnobii Eucharistiam illi bona fide administravit. Quæris, Utrum in excommunicationem inciderit, secundum Clementinam 1. *Religiosi*, Tit. *De Privilegiis, & excessibus privilegiatorum*, prohibentem Regularibus Sacerdotibus, ne Eucharistiam, vel Extremam-Unctionem infirmis administrent, aut aliquos Matrimonio conjungant, *non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali*, sub pœna excommunicationis Sanctæ Sedi Apostolicæ reservatæ ipso facto incurrenda.

Meam siquidem rogas ea de re sententiam, respondeo, Clementinæ casum non complecti Episcopum, Vicarios Generales Episcopi, vel Sacerdotes, sive Sæculares, sive Regulares, quibus Episcopus, aut ejus Vicarius Generalis, in casu aliquo singulari, & urgente, licentiam administrandi sacrum Viaticum infirmo concesserint.

Primo, quia verisimile non est, Summum Pontificem Episcoporum auctoritatem restringere voluisse, nulla illorum facta mentione. Episcoporum porro auctoritas, & jurisdictio in omnium Diœcesanorum animas extenditur in iis, quæ omnium, & singulorum Sacramentorum administrationem spectant: adeo ut per se ipsos, aut per secundi Ordinis Sacerdotes, quibus sacrum illud Ministerium secundum lumen prudentiæ ad Ecclesiæ regimen a Deo sibi datæ demandaverint, Sacramenta omnibus, & singulis Diœcesanis suis administrare valeant. Tota enim Diœcesis una Parochia est respectu Episcopi, *cui totius plebis animæ sunt commissæ*, ut habetur Canone, *Quicumque*, Causa x. Quæst. 1. & Canone, *Præcipimus*, Causa xii. Quæst. 1.

Secundo, quia Clementina laudata fert excommunicationem ipso facto incurrendam in Sacerdotes Regulares, qui Sacramenta Eucharistiæ, vel Extremæ-Unctionis, sine Presbyteri Parochialis licentia speciali infirmis administrare *præsumpserint*. Regularis porro Sacerdos, qui cum Vicarii Generalis licentia, in casu particulari, & urgente, Viaticum infirmo bona fide administravit, id præsumpsisse, vel usurpasse dici non potest.

Tertio, Clementina citata præcipit Episcopis, ut Regulares Presbyteros, qui Sacramenta supra dicta infirmis administrare præsumpserint, excommunicatos denuntient. *Quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publice nuntiari*, &c. Verisimile porro non est, Summum Pontificem voluisse, ut Episcopus excommunicatos ipso facto Sacerdotes Regulares denuntiaret, qui sacrum Eucharistiæ Viaticum, vel Extremam Unctionem infirmis administrassent, cum ejusdem Episcopi, aut Vicarii illius Generalis licentia.

Quarto, Clementina, *Religiosi*, explicanda eodem modo videtur, quo caput *Omnis utriusque sexus*, Ext. *De Pœnitentiis, & remissionibus*, in quo hæc verba, *sine licentia proprii Sacerdotis*, Episcopos, & eorum Vicarios Generales non excludunt, nec illos Sacerdotes, sive sæculares, sive Regulares, quos approbaverint ad fidelium Confessiones in suis Diœcesibus audiendas, sine ulla personarum ac temporis exceptione, sive restrictiones.

Quinto, Episcopi, & eorum Vicarii Generales, cum ipsis videtur, tribuere possunt Religiosis Sacerdotibus potestatem Diœcesanos aliquos suos Matrimonio conjungendi certis in casibus, quamvis id eis prohibeat Clementina, *Religiosi*, nisi specialem Parochialis Presbyteri, sive Curati licentiam habeant. Eodem porro jure concedere possunt Regularibus illis Sacerdotibus licentiam administrandi Eucharistiæ, & Unctionis Extremæ Sacramenta in singularibus quibusdam, & urgentibus casibus.

Sexto, Glossa Clementinæ citatæ, ad hæc verba, *Parochialis Presbyteri licentia*, responsionem

rem meam confirmat. *Puta* (inquit) *a pœnis excusari illum*, *qui hoc fecit de auctoritate Diœcesani*. *Facit* de Pœnit. & Remiss. c. 2. in fin. lib. 6. *Nam Diœcesis est Parochia Episcopi*. *Et facit*, *quod scripsit de Pœnit. & Remiss.* cap. *Omnis*, super verbo, *proprio*.

Ad Eamdem sententiam accedunt Bonacina Tom. III. Tit. *De Excommun. in particul. ext. Bullam Cœnæ*, Disp. 2. Quæst. 4. Puncto 5. nu. 10. & Auctores ab eo citati, nec non Piasecius, *Praxis Episcopalis*, P. II. Cap. 4. Art. 4. *De Matrimoniis*, p. 297. col. 2.

Ex his omnibus compertum est, Religiosum Sacerdotem, qui sacrosanctum Viaticum infirmo bona fide administravit, cum licentia Vicarii Generalis Episcopi, eo in casu quem exposuisti, non incurrisse in excommunicationem. Utrum vero Vicarius Generalis licentiam illam concedere debuerit, seu legitime concesserit, ipse coram Deo expendat. Vale, meique ad Sanctum Altare memor esto.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias XI. quæ autem 17. erat, nunc 59.

EPISTOLA XVII.

Medici Officia.

CLARISSIMO VIRO ***

IN SALUBERRIMA FACULTATE DOCTORI.

Tibi gratulor, quod lauream in saluberrima Facultate studiis tuis, & eruditione promeritus sis, & consecutus. Non dubito quin intra breve tempus magnum ex praxi nomen consequare. Cœptis tuis faveat Deus, teque pietatem colere doceat, quæ *ad omnia utilis est*, *promissionem habens vitæ*, *quæ nunc est*, *& futuræ* (ut Apostolus loquitur.) Ad ipsum omnia referas, qui dat vires & Medico, & medicinæ, sine cujus auxilio, & natura impotens, & inutilis Medicus, & remedia omnia frustra essent. Cum ægrorum curationem Deo auspice suscipis, des operam, ut spiritalis salutis suæ, & æternæ curam gerant. Si periculosa sit ægritudo, mone, ut quamprimum Sacerdotem advocent, peccatorum Confessionem edant, sacrum Corporis Christi Viaticum suscipiant: id si neglexerint, curam eorum te abjicere significes. Huic officio, quod sacri Canones Medicis præscribunt, deesse non potes sine gravis peccati reatu. Ita jubet Concilium Lateranense quartum, Canone XXII. *Cum* (inquit) *infirmitas corporalis nonunquam ex peccato proveniat*, *dicente Domino languido*, *quem sanaverat*: Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: *Decreto præsenti statuimus*, *& districte præcipimus Medicis corporum*, *ut cum eos ad infirmos vocari contigerit*, *ipsos ante omnia moneant*, *& inducant*, *ut Medicos advocent Animarum*: *ut postquam infirmis fuerit de spiritali salute provisum*, *ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur*, *cum causa cessante cesset effectus*. *Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto*, *quod quidam in ægritudinis lecto jacentes*, *cum eis a Medicis suadetur*, *ut de animarum salute disponant*, *in desperationis articulum incidunt*, *unde facilius mortis periculum incurrunt*. *Si quis autem Medicorum*, *hujus nostræ constitutionis*, *postquam per Prælatos locorum fuerit publicata*, *transgressor extiterit*, *tandiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur*, *donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter*. Hanc Lateranensis Concilii sanctionem innovavit, & executioni mandari jussit Beatus Pontifex S. Pius V. Constitutione, quæ incipit. *Supra gregem* anno 1566. prohibens Medicis ne ultra tres dies infirmos in lecto jacentes visitare, & curare pergant, nisi peccata sua, secundum Romanæ Ecclesiæ ritum confessi fuerint, sub pœnis Concilii Lateranensis Decreto expressis ipso facto incurrendis, adjecta contra transgressores infamiæ nota, & gradus privatione.

Cave præterea, ne aliquid unquam infirmis pro recuperanda, vel tuenda corporis valetudine suadeas, quod animæ saluti obesse possit. Hoc enim consilio tibi ipsi animæ perniciem arcesseres. *Ceterum* (inquit Concilium Lateranense mox laudatum) *cum anima sit multo pretiosior corpore*, *sub interminatione anathematis prohibemus*, *ne quis Medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat*, *quod in periculum animæ convertatur*.

Ex morbis corporis intellige, quam lugendus sit ægræ imo mortuæ animæ status, quantis studiis curanda sit salus illius æterna. *Medice*, *cura te ipsum*.

In morborum periculosorum cura, Doctorum consilium adhibe, contentiones fuge, salubriora consilia præpone; inanis gloriolæ studio, nimioque propriæ sententiæ, & rationis amore, ne vitam infirmi periculo exponas. Opinionem minus probabilem, neglecta probabiliore, tibi sequi non licet experimenti gratia. Studio, & lectioni meliorum Auctorum diligenter incumbe. Monitum audi Cassiodori Libro VI. Variarum, Formula XIX. *Medici* (inquit) *libris delectentur antiquis*. *Nullus justius assidue legit*, *quam qui de humana salute tractaverit*. *Deponite medendi artifices noxias ægrotantium contentiones*; *ut cum vobis non vultis credere*, *inventa vestra invicem videamini dissipare*. *Omnis prudens consilium quærit*: *dum ille studiosior agnoscitur*, *quo cautior frequenti interrogatione monstratur*. *In ipsis artis hujus initii quodam Sacerdotii genere sacramenta vos consecrant*. *Doctoribus enim vestris promittitis odisse nequitiam*, *& amare puritatem*.

tatem. Sic vobis liberum non est sponte delinquere; quibus ante momenta scientiæ animas imponitur obligare. Et ideo diligentius exquirite, quæ curent saucios, corroborent imbecilles. Homicidii crimen est in hominis salute peccare. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XVIII.

Alias VIII. quæ autem 18. erat, nunc 35.

Superior Regularis Viro Religioso sibi subdito permittere non debet, ut executionem testamenti suscipiat, quod eam clausulam habet, ut dictus Executor decem millia nummorum ex hæreditate delibata accipiat, conferatque in usus, quos ipsi secreto Testatrix significavit.

R. P. ORDINIS S. *** PRIORI.

QUamvis Religiosi Viri non minus quam Clerici sæculares nominari possint executores testamentorum, ut constat ex cap. *Tua nobis*, Ext. *De Testamentis*, & ex Clementina, *Religiosis*, eodem Tit. illud tamen onus sine Superioris sui Regularis licentia suscipere non possunt, ut ex eadem Clementis V. Constitutione compertum est. Hoc posito, quæris, quomodo gerere te debeas in eo, quod mihi exponis, negotio. Religiosus Sacerdos regimini tuo subditus, a Vidua nobili, & divite cui a Confessionibus erat, cujus & in extremis positæ conscientiam moderatus est, nominatus fuit executor testamenti ab illa conditi, cum ea clausula, ut decem millia nummorum ex hæreditate delibata accipiat conferatque in usus, quos ipsi secreto testatrix significavit. Dubitas porro, utrum permittere debeas Religioso tibi subdito, ut hujus executionem testamenti suscipiat.

Auctor tibi sum, ut ab hujusmodi onere suscipiendo ipsum prohibeas; quia ex dispositione Testatricis mox explicata præsumptio tacitæ fidei in fraudem legum assumptæ orietur; ut Jurisperiti docent. Collusionis etiam imo & avaritiæ suspicio adversus Religiosum virum nascetur, quod Testamentum forte suggesserit, & decem millia nummorum, quorum ipsi credita dispensatio est, secundum voluntatem nobilis Testatricis eidem religioso secreto significatam, vel retinere velit contra votum paupertatis, vel certe Conventui suo vindicare. Quamobrem si causa ad forum exterius forte deferatur, vereor ne caducum pronuncietur testamentum, & sugillentur Religiosi viri quasi hæreditatem aucupes, & qui executiones Testamentorum sibi demandari curent in fraudem legum, & hæredum, quod vergeret in Status Monastici dedecus, quemadmodum enim posita lege, vel consuetudine Municipali statuente, ut maritus non possit aliquid relinquere uxori, non valet legatum factum pro anima Testatoris distribuendum ab uxore, ne fiat fraus legi, vel consuetudini, ut censent Joannes Andreas, aliique Jurisperiti: ita cum Religiosus Ecclesiasticis legibus aliquid proprium habere prohibeatur, non valet legatum ab ipso distribuendum juxta mentem secretam Testatoris; vel certe aderit, tam vehemens suspicio, ut Judices moveat ad interdicendum dictum Religiosum officio executoris.

Accedit, quod Religiosi viri, etiam exempti, qui executionem cujuslibet ultimæ voluntatis suscipiunt, etiamsi Prælationis fungantur Officio, locorum Ordinariis debitam reddere, ipsique „ Ordinarii ab eisdem absque dolo, fraude, seu negligentia, de susceptæ executionis officio te„ nentur exigere rationem, illos, quos circa id deliquisse repererint, in aliorum exemplum „ pœna debita, quocumque non obstante privilegio, puniturі, ut statuit Clementina, *Religiosis*. Tenentur itaque respondere Episcopo rationem exigenti: revelare cui distribuenda, vel conferenda sint legata secundum voluntatem Testatoris ipsis secreto significatam: rationes reddere; affirmationem suam juramento confirmare, si jubeat Episcopus: alioqui executorum officio jure interdicentur, ut respondit sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres litteris datis ad Cardinalem Borromæum Archiepiscopum Mediolanensem, cum similis casus Mediolani contigisset; quod suo tempore factum refert *Fagnanus* in cap. *Tua nobis*, Ext. *De Testamentis*. Cave ergo ne, si Religiosus tuus onus Executoris Testamenti supra dicti, te permittente, suscipiat, in laqueos incidat ex quibus extricare se non possit. Vale, mei in Sacrificio Pretii nostri ad Altare Domini memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XIX.

Alias LXXIII. quæ autem 19. erat, nunc 36.

Abbatissa lethali morbo decumbens residuos pensionis suæ vitalitiæ fructus, etiam ad pias causas, legare non potest; nec vasa argentea, gemmas, variam supellectilem, libros nepti suæ ejusdem Monasterii Moniali donare.

VIRO RELIGIOSO ***

QUam pro amicitiæ erga me tuæ jure vehementer urges responsionem ad Quæstiones a te propositas, paucis expedio. Rogas, utrum Abbatissa lethali morbo decumbens, quæ tria millia nummorum ex vitalitia pensione sua, parentumque donis residua habet, conferre

poſſit Monaſterio ſuo fundationis titulo ad piam cauſam, ut ſcilicet lampas coram Sanctiſſimo Sacramento in Eccleſia exteriori, ſive Sanctuario jugiter accenſa maneat, præter eam, quæ huc uſque in Choro Sanctimonialium ardere conſuevit.

Secundo, Utrum conſtituere poſſit numerum Miſſarum pro animæ ſuæ requie poſt obitum ſuum celebrandarum?

Tertio, Utrum certo pauperum numero indumenta legare poſſit?

Quarto, Utrum libros nepti ſuæ in eodem Monaſterio Sanctimoniali profeſſæ donare poſſit, quorum illi jam permiſit uſum: cum hæc in Abbatia conſuetudo vigeat, ut Sanctimoniales conſanguineæ, vel amicæ libris hujuſmodi cum Abbatiſſæ licentia comparatis communiter utantur, inſcriptis ſororum duarum, vel amitæ, ac neptis, aut duarum amicarum nominibus; utque alterutra obeunte, remaneant alteri?

Quinto, Utrum eadem Abbatiſſa diſcos, aut crateres argenteos, horologium affabre factum, atque pretioſum, telæ ſubtilioris centum ulnas, variamque ſupellectilem ſibi ſuperfluam (quæ omnia non ex Monaſterii redditibus, ſed ex vitalitiæ penſionis ſuæ, quam habet a familia nobili, & prædivite, aut ex parentum donis comparavit) nepti ſuæ Sanctimoniali donare poſſit?

His Quæſtionibus facile reſpondere poſſes, cum Moralis Theologiæ peritus ſis, & in Sanctimonialium conſcientiis dirigendis exercitatus: verum cum ſententiam meam exquiras, eamque Abbatiſſa ipſa (ut ſcribis) ſcire velit, ac ſequi; ad ſingulas interrogationes ordine reſpondeo.

I. Gravis peccati rea eſt Abbatiſſa, quod pecuniæ ſummam ingentem ex vitalitia penſione ſua ſervaverit, & in commune Monaſterii ærarium, ſeu maſſam communem non contulerit; cum præſertim ſuperflua eſſet eidem Dominæ, quæ omnia religioſis ſuis uſibus neceſſaria ex penſione illa vitalitia delibaverat. Si proprium aliquid dicere, vel habere Monachus, aut Monialis ſine crimine non poteſt, quanto minus theſaurizare? Si Chriſtianos omnes ſpectat, quod Apoſtolus
1. Tim. 6. 8. præcipit, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*; quanto magis Monachos, & Sanctimoniales? De violato igitur paupertatis voto pœnitentiam ut agat, hortare, nec ante abſolvas, & ſacra Euchariſtiæ Communione dones infirmam, quam reſiduam illam ex penſionibus ſuis, & parentum donis pecuniam in commune Monaſterii ærarium ſive depoſitum intulerit, cum ceteris Abbatiæ bonis confundendam. *Quicquid enim Monachus, vel Sanctimonialis acquirunt*, ſive ex penſionibus vitalitiis, ſive ex donis parentum, conſanguineorum, amicorum, ſive ex proprio labore, & induſtria proveniat, *acquirunt Monaſterio*. Inconcuſſa regula eſt, in ſacris Canonibus, & in ipſa voti paupertatis ſubſtantia fundata.

II. Abbatiſſa gravi, lethalique morbo decumbens reſiduam illam pecuniæ ſummam conferre non poteſt Monaſterio ſuo, ea adjecta conditione, ut lampas altera coram Sanctiſſimo Sacramento perpetuo ardeat, vel ut pro animæ ſuæ requie certus Miſſarum numerus poſt obitum ſuum celebretur, aut pauperes aliquos veſtiantur. Cum enim ea pecunia ſit Monaſterio jure debita, conferri debet Communitati ſine onere. Præterea non poteſt Abbatiſſa contractum fundationis (ut loquimur) inire cum Monaſterio ſuo: ſiquidem peculium habere jure non poteſt, voto paupertatis repugnante: nec perſona moraliter diſtincta cenſetur a Communitate, cui præeſt, ut cum illa contrahere poſſit, ſed præcipuum ejus membrum.

Cap. Cum ad Monaſteriū Extr. De ſtat. Monachorū — Accedit, quod condendi teſtamenti, aut aliquid ſuprema voluntate legandi, vel etiam inter vivos donandi facultas Monachis, & Monialibus, etiam Abbatibus, & Abbatiſſis interdicta ſit, & repugnet *abdicationi proprietatis, quæ ita eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex diſpenſare valeat*. Bona donare, vel legare nemo poteſt, quorum non eſt dominus, ſive teſtamento, ſive qualibet alia ratione, etiam ob cauſas pias: Monachus porro, & Sanctimonialis ſunt incapaces dominii, adeoque & Abbates, & Abbatiſſæ iiſdem votis obſtrictæ. Impia igitur eſſent, & ſacrilega legata (tametſi piæ illis cauſæ obtenderentur) utpote voto paupertatis repugnantia. Quomodo vero conſtituere aliquid poſſunt propria voluntate, qui propriam voluntatem non habent? Denique id ſacris Canonibus, & Legibus diſerte vetitum eſt. Ita S. Gregorius Magnus Epiſtola VII. Libr. VII. Januario Calaritano Epiſcopo reſpondet: *Quia*
Cap. Quia ingredientibus, Extr. De Teſtamentis. — *ingredientibus Monaſterium convertendi gratia, ulterius nulla ſit teſtandi licentia, ſed res eorum ejuſdem Monaſterii juris fiant, aperta legis definitione decretum eſt. Quod cum pene omnibus notum ſit, in magnam nos Graviniæ Abbatiſſæ Monaſterii ſanctorum Gravini, atque Luxorii inſinuatio admirationem perduxit; quæ Siricam Monaſterii ſui Abbatiſſam, poſtquam regendi ſuſcepit officium, conditio teſtamento legata quibuſdam aſſerit reliquiſſe ... Neceſſarium viſum eſt nobis, tam cum Conſiliariis noſtris, quam cum aliis hujus civitatis doctis viris, quid eſſet agendum de lege tractare. Qui tractantes reſponderunt: Poſtquam ſolemni more Abbatiſſa ab Epiſcopo ordinata eſt, & in Monaſterii regimine per annos plurimos uſque ad vitæ ſuæ tranſitum præfuit .... non potuiſſe Monaſterio præjudicium irrogare, ſed res ipſius eidem loco, ex quo illuc ingreſſa, & Abbatiſſa conſtituta eſt, manifeſto jure competere. Et ideo quia ex dimiſſis illicite rebus Xenodochium poſſeſſionem aſſerit indebite detinere; his vos hortamur affatibus, ut quia & Monaſterium, & Xenodochium ipſum in veſtra eſt civitate poſitum, omni cura, ac ſtudio providere debeatis: quatenus ſi poſſeſſio ipſa ex nullo præcedenti contractu, ſed ex memoratæ Siricæ legato deſcendit, antedicto Monaſterio, poſtpoſito ſtrepitu, vel executione, reddatur. Alia igitur omnia, quæ ex teſtamento prænominatæ Siricæ detinentur, quippe quod nullum eſſe legali ſanctione permittitur, neceſſe eſt, ut juri Monaſterii, Fraternitatis veſtræ ſolicitudine, ſacerdo-*

tali

tali per omnia studio reparentur: quia Imperiali Constitutione aperte sancitum est, ut ea, quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.

Potest tamen Abbatissa vivens, & nunc lethali decumbens ægritudine, decernere Sororum suarum suffragio, & assensu, ut lampas altera in choro exteriori coram Sanctissimo Sacramento jugiter ardeat; in idque pium opus impendantur pecuniæ ex pensionibus suis residuæ, atque in eum finem serventur in communi deposito Monasterii. Communitas enim Religiosa, cujus Abbatissa caput est, jus habet dispensandi bona sua, & in quos visum fuerit pios, ac religiosos usus insumendi, Regula Constitutionibusque servatis. Quin etiam mihi videtur, Abbatissam, cui jus plenæ, & liberæ administrationis bonorum temporalium Monasterii creditum est, posse, dum vivit, pauperes aliquos induere, & eleemosynas, seu honoraria ad missarum celebrationem suo Monasteriique nomine conferre certis Ecclesiis, & Sacerdotibus; modo pia illa opera non retrotrahantur quasi post ejus obitum ex ejus implenda mandato: quod testamentariam dispositionem sapit. Resignatis demum communitati prædictis pensionis suæ vitalitiæ fructibus, aut pecuniis ex gratuita parentum suorum largitione provenientibus (quæ resignatio integra, simplex, & absoluta esse debet) rogare potest Sorores suas, ut pro levamine, & remedio animæ suæ, cum diem ultimam obierit, Sacra piacularia Deo frequenter offerri curent, & eleemosynas erogari: in idque (si videbitur) fructus illos pensionum ipsius impendi, si necessarii non sint Religiosæ Familiæ ad alendas, & vestiendas Sorores, ad æs alienum expungendum, ad ædificia instauranda. Verumtamen id Communitatis suffragiis, & dispositioni relinquere debet, & cum omnimoda, & perfecta peculii, ac propriæ voluntatis abdicatione in Domino mori, Christumque in summa paupertate pro nobis omnibus mortuum imitari.

III. Nepti suæ ejusdem Monasterii Sanctimoniali donare non potest Abbatissa libros pios, quos sibi magno numero comparavit, & quorum usum illi permisit. Spectata tamen consuetudine Monasterii, librorum illorum usum retinere poterit Religiosa neptis post amitæ obitum, cum Abbatissæ futuræ licentia: sed eorum dominium sibi vindicare non poterit, quod nec habere potuit amita Abbatissa. Illos itaque alienare, vendere, donare, aut in aliud Monasterium auferre jure non poterit, si transferatur ipsa vel causa regiminis, ac Præfecturæ, vel ob aliam rationem.

IV. Religiosæ Nepti donare non potest Abbatissa, sive optime valeat, sive periculose (ut exponis) decumbat, discos, vel crateres argenteos, annulos ex auro, vel gemmis horologium pretiosum, aliaque id genus, telæ, vel panni plures ulnas, variamque supellectilem; sed disci, crateres & similia utensilia, vel instrumenta, & vasa argentea conflari debent in usura Sacrarii; annuli gemmæ, & horologium pretiosum vendi, Altarisque decori, & ornamento pretium ex his proventurum applicari, nisi in alios usus magis necessarios ipsum converti justitia, vel charitas postulent. Supellectilem necessariam, & religioso statui suo convenientem si neptis non habebat, illi ex superflua supellectili sua providere potest Abbatissa quamdiu vivit: si habeat necessariam, & sufficientem, relinquere debet distribuendam, vel ipsa distribuere Sororibus quibus forte deest. Si nulli desit, in communem usum, vel emolumentum Monasterii convertendam tradat Sororibus, quæ officia, & ministeria regularia gerunt, & obeunt. Necessariam supellectilem dixi, non curiosam, non pretiosam, quæ Monachos & Sanctimoniales non decet, nec salvo paupertatis voto ab illis retineri, vel ipsis indulgeri potest.

Monasterii consuetudinem responsis hisce meis contrariam si objiciant Sanctimoniales, vel Domina Abbatissa: consuetudinem sacris Canonibus, Regulis Monasticis, & votis Religiosis contrariam, *corruptelam* censendam esse doce, ac *legem mortis* coram Deo non excusantem cum Christus non dixerit, Ego sum consuetudo; sed, *Ego sum via, veritas, & vita*. Vale, mei in sancto Altaris Sacrificio memor.

L *utetiæ Parisiorum*.

EPISTOLA XX.

Alias LXXIV. quæ autem 20. erat, nunc 37.

Sanctimonialis ex fructibus vitalitiæ pensionis suæ, cum Abbatissæ licentia reservatis, creare sibi pensionem non potest interposito fratris nomine.

RELIGIOSO VIRO ***

Doleo plurimum, quod in Monasteriis quibusdam Religiosi viri, vel Sanctimoniales ritualibus quidem observantiis, humanisque legibus scrupulosa pietate adhæreant: in multis vero, quæ vota spectant, vitæque Monasticæ substantiam, ac fundamentum, nullum sæpe scrupulum patiantur, colantes culicem, camelum autem glutientes. Id probat Quæstio, de qua sententiam meam, consiliumque rogas.

Abbatissa quædam (inquis) Sanctimoniali Monasterii sui suppeditans abunde necessaria multorum annorum spatio, quibus Domui Religiosæ præfuit ad obitum usque suum: illi permisit, ut vitalitiæ pensionis quinquaginta nummorum argenti monetæ Gallicæ fructus annuos servaret, atque congereret, post obitum ejusdem Abbatissæ sibi profuturos. Postquam vero e vivis excessit Abbatissa, vult eadem Sanctimonialis conflatam ex prædictis fructibus summam qua-

tuor millium librarum, interposito fratris sui nomine, donare, seu conferre Monasterio, alienato capitali, & in Monasterii jus, ac dominium pœnitus translato; ea conditione, ut Monasterium eidem Sanctimoniali, quoad vixerit, solvat pensionem annuam centum quinquaginta librarum, ad incrementum pensionis pristinæ, in religiosos ejus usus expendendam. Quærit a Doctoribus, an id liceat, quod licere sibi vellet, & quod ipsi licere quidam Regulares Casuistæ responderunt. De proposita Quæstione ita censeo:

Non potuit Abbatissa permittere Sanctimoniali prædictæ, ut fructus vitalitiæ pensionis suæ servaret, ex iisque summam ingentem pecuniæ conflaret inposterum sibi profuturam. Nec ea licentia Sanctimonialem a vitio proprietatis immunem præstitit, ut constat ex Cap. *Cum ad Monasterium*, Extr. *De statu Monachorum*. Sanctimoniali prædictæ alimenta, & vestimenta, omniaque necessaria ad vitam commode transigendam abunde subministrabantur habita ratione Religiosi status: nec præsumi poterat ipsi aliquid defuturum post obitum Abbatissæ, cum Monasterium dives sit, in eoque disciplina regularis, quoad hoc etiam caput, accurate servetur, ut Sororibus, cum sanis tum infirmis necessaria procurentur, ac subministrentur. Sequi igitur debuit, ac debet Apostoli regulam. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.*
1. Tim. 6. Christi præceptum sequi debuit: *Nolite soliciti esse in crastinum*. Suade igitur, ut pœnitentiam agat de præterito; summam vero quatuor millium librarum ex fructibus vitalitiæ pensionis suæ
Mat. 6. 34. conflatam, Monasterio suo conferat, seu potius restituat: ipsius enim Monasterii bonorum portio est. Quamobrem fructus annuos, seu redditum centum quinquaginta librarum, interposito fratris sui velut donantis nomine, a Monasterio exigere, aut recipere non potest ad incrementum antiquæ pensionis suæ, sine cupiditate, quæ radix malorum omnium est; sine vitio proprietatis: sine furti sacrilegi labe; sine mendacio, & fraude damnabili. Nec proinde frater ejusdem Sanctimonialis hac in re nomen, operamque suam ipsi commodare potest sine mortali peccato, & onere restituendi Monasterio fructus annuos, quos soror sua ex prædicta summa, ejus nomine, ad velamen malitiæ, Monasterio veluti collata, & collocata perciperet. Vale, mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias II. quæ autem 21. erat, nunc 38.

EPISTOLA XXI.

De præparatione, & dispositione ad Tonsuram Clericalem.

CLARISSIMO VIRO ***

Miratus sum vehementer, quod Auctor Anonymus Libelli, cui titulus est: *Scrupuli adversus Theologiam Patris Alexandri Dominicani Illustrissimo Rothomagentium Archiepiscopo propositi*, Gallice, *Difficultez proposées à Monseigneur l'Archevêque de Roüen contre la Theologie du Pére Alexandre*; primo impetu hanc propositionem oppugnet, quæ in Tractatu *De Sacramento Ordinis* Cap. III. Art. V. Regula XXI. legitur: *In mortalis peccati reatum incurrit, qui Tonsuram Clericalem indigne suscipit*. Ipso in limine mihi affingit Anonymus, quod propugnem lethalis peccati reum esse, qui Tonsuram Clericalem extra gratiæ statum suscipit; verum non ita se res habet. Id unum assero, & propugno: teneri se ad Deum convertere per actum contritionis, & charitatis, quicumque per Tonsuram Clero adscribitur. *Quamobrem*
Epist. 2. (inquiebam) *& injuriosus est in Deum, & Clericali Ordini contumeliosus, qui impœnitens Clericorum catalogo inscribi se procurat, & Deo se in isto Ordine ministraturum devovet*. Haud satis attendit argutus ille Monitor, qui inter hæc distinguere nescit, esse impœnitentem, & non esse in statu gratiæ. Media inter duo hæc extrema dispositio est, esse extra peccati affectum, seu in statu pœnitentiæ.

Sane qui Tonsuram Clericalem suscipit, ritu solemni coram Ecclesia profitetur Dominum Deum partem esse suam. *Dominus pars hæreditatis meæ*. Quamobrem *Talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino* (inquit S. Hieronymus.) Numquid vero id convenit homini in statu peccati mortalis constituto, & non pœnitenti? Nonne mentitur Spiritui Sancto, qui se Deo addictum, ac penitus devotum esse velle profitetur exterius, cum diabolo interiori affectu voluntatis addictus est? *Quæ conventio lucis ad tenebras, Christi ad Belial, templi Dei ad Idola? .... Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut*
2. Cor. 6. 15. *ei placeat, cui se probavit*. Si a negotiis sæcularibus expeditus esse debet, qui Militiæ Clericali dat nomen: quanto potiori ratione peccati vinculis, & affectu solutus sit, necesse est?
2. Tim. 1. Capillos illi tondet Episcopus, ut hoc ritu significet eum, qui statum Ecclesiasticum amplectitur, cupiditates suas, & pravos affectus resecare debere. Comam illi tondet in modum coronæ; ut ostendat illud teneri ad vitam suam Jesu Christo conformandam, spinis pro salute nostra coronato. Superpelliceo illum induit, ut eo ritu indicet eum, qui se Deo consecrat in statu Ecclesiastico, exspoliare debere veterem hominem, & induere novum. *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis* (preca-
In Pontificali Romano. tur Episcopus.) Quis vero dixerit, hominem in affectu lethalis peccati perseverantem induere Dominum Jesum Christum? Deum pro novis Clericis orat Antistes, *Ut donet eis Spiritum Sanctum*,

ctum, qui habitum Religionis in eis perpetuum conservet, & a mundi impedimento, ac saeculari desiderio corda eorum defendat. An porro ad recipiendum Spiritum Sanctum dispositus est, qui cum sit lethalis peccati reus, in ejus affectu perseverat, nec ad Deum veræ pœnitentiæ motu, sinceræque contritionis actu convertitur? Nonne resistit Spiritui Sancto? Nonne cor suum illi claudit? Omnes denique Ecclesiæ Ritus in Ordinatione Clericorum, significant illos a crimine immunes, & in virtute perfectos esse debere. *Perfecti in virtute esse debent* (inquit S. Thomas.) Sacræ illæ Cæremoniæ plane significant eos, qui in Clerum cooptantur, sacris Ministeriis, ac divinis obsequiis jugiter addictos, & occupatos esse oportere. *Qui in Ecclesia Domini Ordinatione Clerica promoventur* (inquit S. Cyprianus) *ab Altari, & Sacrificio non recedant, sed die, ac nocte cœlestibus rebus, & spiritualibus inserviant.* In 4. Sent. Dist. 24. Q. 3. Art 1. Qu. 1. S. Cypr. Ep. 66.

Mirum, quod Anonymus Auctor nostram hanc sententiam minus probabilem dicere non vereatur certioribusque principiis contrariam. Mirum, quod unius dumtaxat Auctoris opinionem esse scripserit, quæ propugnari non possit, nisi omnes orbis Christiani Doctores damnentur. Nam præter Carnotensem Ecclesiam, cujus Synodum laudavi anno 1526. celebratam, quæ Cleri candidatos admonet, *Ut antequam ad Ordines, & primam Tonsuram accedant, diligenter confiteantur peccata sua:* Sententiæ nostræ suffragatur Martinus Navarrus in Tractatu *De Oratione, & Horis Canonicis*, Cap. 5. N. 15. *Compluribus* (inquit) *qui prima Tonsura, aut quatuor Minoribus initiantur, satius foret ipso Ordinationis die frangere crura, quam prima Tonsura, aut quatuor Minoribus ordinari: tum quod nulla prævia Confessione, aut vera Contritione ordinantur in statu peccati mortalis, & consequenter mortaliter peccant... tum quod non se ordinant ad finem debitum*, &c.

Eamdem sententiam tuetur celeber Sorbonæ Doctor, & Professor Hallerius in Libro *De Sacris Ordinationibus* Tit. *de præparatione, & dispositione Ordinandorum*, Sectione 4. §. 1. *Peccati mortalis reatus* (inquit) *indigne suscipienti Tonsuram Clericalem adscribendus est... Deo quidem injuriam infert, qui nulla præcedente in Deum conversione, cum tamen ipse totius Hierarchiæ principium, & caput habeatur, ejus se famulatui consecrat, & Hierarchiæ initiationes subit, nec se in ipsum tanquam omnis functionis Ecclesiasticæ scopum dirigit. Ordini vero Clericali contumeliam inurit, cujus cum finis sit ad Deum adducere, non potest sine ejus opprobrio quisquam eum Ordinem ingredi aversus a Deo, & alio ductore indigens, a quo ad eum reducatur. Tonsuram quoque Clericalem contaminat, quam vere a Mundo abstrahentem, ad Deum adducentem dicere possumus; eamque significatione sua frustratur, qui mundi inquinamentis conspurcatus, & divinis contemplationibus, ministeriisque ineptus, eadem initiari non veretur.*

Et Cap. III. §. 6. N. 30. *Adeo jam passim aliquorum inolevit temeritas, & Religionis contemptus, ut non ad Tonsuram modo, verum etiam ad omnes Ordines, solius temporalis beneficii, vel otii, vel honoris gratia se conferant: Tonsuram vero præsertim eo tantum fine capessant, abutentes sacra ista designatione in Clerum ad sua commoda; Episcopalem benedictionem ad profanas ambitiones convertentes; Ecclesiæ exspectationem frustrantes; evertentes mysticum cæremoniæ istius sensum; mendacii Ecclesiastica, quæ in Tonsuræ collatione funduntur, verba, precesque arguentes; professionem Clericatus temere ementientes, ejusque prærogativam injuste, ac fraudulenter usurpantes, quos proinde nescio quis a lethali noxa excusare possit, quos injustitiæ, sacrilegii, publici mendacii, abususque rei sacræ non levibus criminibus constrictos teneri ostendimus. Nulla vox tot crimina velare potest, nulla ratio tueri. Quis enim levem materiam censeat profanationem rei sacræ, violationem totius Clericatus, promissionem coram tota Ecclesia fallacem, usurpationem alieni juris, Ordinis Clericatus perturbationem? Quis adeo perfrictæ frontis, ut defendere audeat leve crimen esse ambitionem illam, ac avaritiam, quæ sacros Ritus contra Ecclesiæ intentionem in sua commoda, honoresque detorquent? Quis non illud crimen sacrilegæ temeritatis arguat, per quod publica benedictio, eaque mystica, cassa, mysterio vacua, inanis, infructuosa reddatur, ita ut, quod gravius etiam est, in pluribus mendacii coargui possit? Quis non mendacium in Spiritum Sanctum publicam illam Clericalis puritatis professionem, quæ fit Deo spectantibus Angelis, audientibus Sanctis, stipulationem firmante Ecclesia, acceptamque habente Episcopo, esse credat, si ab eo discordet profitentis animus?*

Eadem erat Illustrissimi Harduini Perfixii Parisiensis Archiepiscopi Sententia, ut constat ex ejus Statuto die 16. Maii, anni 1664. condito de dispositionibus ad Tonsuram, quo rectam, piamque intentionem in iis, qui illam suscipiunt, necessariam esse declarat; ut divina vocatione, & inspiratione, non parentum impulsu, aut intuitu commodi alicujus temporalis in Clerum cooptari velint, additque: *Ad sacram illam Cæremoniam frequentibus, ac ferventibus orationibus se præparent, susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, & bonis operibus, ut Deum sibi propitium reddant, & gratias sibi necessarias ab illo impetrent.*

Eadem est Eminentissimi Cardinalis D. D. Antonii Ludovici de Noailles, qui Parisiensis Ecclesiæ Sacris modo tanta pietate, & prudentia, vigilantia, & zelo præest, sententia, ut constat ex ejus Constitutione edita die prima Octobris 1696. qua & Perefixii Archiepiscopi statutum confirmat, & alia quædam decernit, ac præcipit ad eorum examen, & probationem, qui prima Tonsura initiandi sunt. *Hæc est* (inquit) *prima Sanctuarii Janua, quæ aditum ad Ordines aperit, jus tribuit ad Ecclesiastica Beneficia, ac sæpe ab Episcopis Ordinationem, & Regimen ani-*

animarum pro indignis extorquet ; qui cum primum pravos affectus suos celaverint , subinde tales, se produnt , quales re ipsa sunt , in opprobrium Characteris sui , & in perniciem animarum illis commissarum . Quamobrem nimia intelligentia adhiberi non potest in eorum examine, qui ad statutum Ecclesiasticum admittuntur ; siquidem agitur de Dei gloria , de Ecclesiæ honore, de bono animarum , de perditione temporali , & æterna Clericorum , frequenter etiam familiarum . Quid Deo injuriosius , quam ut profiteantur Dominum hæreditatem suam esse , qui bona dumtaxat temporalia quærunt ? Quid Ecclesiæ contumeliosius , quam habere Ministros , qui scandalo sunt , & offensioni , non ædificationi ; qui & seipsos , & ministerium suum contemptui exponunt ? &c.

Eo principio nititur Propositio, quam propugno, quod sicut (ex S. Thomæ sententia) ut primum quis rationis usum attigit, tenetur ad Deum sese convertere , ac dirigere , eumque sibi omnium actionum suarum finem præstituere : tum vero maxime cum perfectionis etiam in alios diffundendæ statum ingreditur, ac profitetur . Quid adversus tam firmum principium objicit Anonymus? Fictitia dumtaxat incommoda . Sequeretur , inquit , lethalis peccati reum esse, qui Monasticum habitum suscipit , & Religiosam Professionem emittit extra gratiæ statum ; & (quod longe magis stupendum est) novum peccatum , idque mortale committere , qui Senatoris Officium suscipit , qui fit Miles , aut Medicus , &c. cum conscientiam habet peccato contaminatam .

Graviter quidem peccat, qui Religiosum habitum suscipit in statu mortalis peccati positus : absque ullo animi pœnitentis affectu . Horrendæ hipocrisis reus est , qui sumit vestimentum
Euchol. Græc. ovis, cum sit intrinsecus lupus rapax, qui *Habitum Angelicum* , & Christi insignia recipit , cum nihilominus dæmoni serviat, & ad ejus familiam pertineat ; qui habitum induit pœnitentiæ , sine pœnitentia peccatorum ; qui Vitam Religiosam profitetur , Deoque solemnibus votis se consecrat , nec tamen in ejus gratiam se restitui prius curat , si ab ea exciderit , hunc novi peccati mortalis reum fieri minime dubitaverim . Deo namque Sacrificium exterius offert , non se ipsum . Impium Cainum imitatur , qui cum sua Domino bona offerret , se ipsum sibi retinuit , ideoque Sacrificium illius reprobatum est . Insignem & eximium Religionis actum modo plane irreligioso , & sacrilego exequitur . Abominatio est Domino cum votis suis . *Quis*
Apol. ad Guilliel. Abb. c. 1. *magis impius* (inquit S. Bernardus) *an profitens impietatem , an mentiens sanctitatem ? Nonne is , qui etiam mendacium addens , geminat impietatem ?* Verum majorem dispositionem , ac vitæ puritatem requiri certum est , ut ad statum Ecclesiasticum aliquis admittatur , quam ut ad Monasticum . Hic enim pœnitentiæ , ille perfectionis status est . Ad perfectionem tendere debent Religiosi ; ad illam pervenerint oportet Viri Ecclesiastici . Vita Religiosa status est perfectionis acquirendæ . Vita Clericorum status est perfectionis acquisitæ , siquidem ex sui status
Epist. 2. officio aliorum sanctificationem , & perfectionem procurare illis incumbit . *Sic vive in Monasterio , ut Clericus esse merearis* (ait S. Hieronymus .) Antiqui certe Canones homines , qui crimina in sæculo commiserunt , ad Clericatum promoveri vetant , quamvis ea in Monasterio expiaverint . Ita sanxit Gelasius I. in Epistola ad Episcopos per Lucaniam , & Brutios constitutos , & refertur Canone , *Priscis* , Dist. LV. *Si quis* , inquit , *Monasterialibus disciplinis eruditus ad Clericale munus accedit , etiam de Laicis anteacta ejus vita requiratur , ne sit aliquo facinore infectus . . . . vel ab adolescentia sordidatus , vel publica Pœnitentia notatus .*

Quocirca S. Augustinus ex Monachis , *nonnisi probatiores , atque meliores in Clerum assume-*
Epist. 60. Alias 76. ad Aureliam. re solebat . . . . *Cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat , si adsit ei sufficiens continentia , & tamen desit instructio necessaria , aut personæ regularis integritas .* Christum singulari quadam ratione imitari debent Clerici *Pontificem sanctum , innocentem , im-*
Hebr. 7. *pollutum , segregatum a peccatoribus , & excelsiorem cælis factum* . Deo grati esse debent ; qui ad eum statum ascendunt , in quo mediatores ex officio inter Deum , & homines constituuntur , ut pro illorum cum Deo reconciliatione intercedant . *Væ* enim *ministris infidelibus , qui nedum reconciliati , reconciliationis alienæ negotia , quasi homines , qui justitiam fecerint , apprehendunt ! Væ filiis iræ , qui se ministros gratiæ profitentur ! Væ filiis iræ , qui fideles sese mediatores pacis , ut peccata populi comedant , mentiuntur ! Væ , qui ambulantes in carne Deo placere non possunt , & placare velle præsumunt !* Verba sunt S. Bernardi in Tractatu *De conversione ad Clericos* , Cap. XIX.

Quod vero ex principio a me posito colligit Anonymus , hominem , qui peccato mortali contaminatus sit Senator , Medicus , aut Miles , novum peccatum mortale committere , id minime consequens est : quæ enim comparatio Ecclesiæ cum Prætorio , Medicinæ animarum cum Medicina corporum , militiæ terrenæ , cum spirituali , conditionis , ac professionis civilis , profanæ ,
Epist. 1. sæcularis cum statu sacro ? *Ne Officium Clericatus genus antiquæ Militiæ putes* (inquit S. Hieronymus .) Ex principio nostro id unum inferri potest , eum , qui Senatoris officium , aut similem Magistratum suscipere , vel qui medicinam , aut negotiationem vult profiteri , aut exercere , aut Militiæ nomen dare , ad Deum prius convertere se debere per actum contritionis , & charitatis . Hæc vero consecutio tantum abest , ut incommoda censeri debeat , quin potius saluberrima veritas est , fidelibus prædicanda . Nonne enim vero conditiones illas , & professiones vitæ civilis Christiano animo eligere debent propter Dei gloriam , & sanctificationem animarum suarum ? Nonne a Deo lumen , & auxilium gratiæ ipsius humili , & fervente oratione postulare , ut sciant , quid ipsi acceptum sit , quid suæ saluti conducibile ? Nonne cum Propheta precari

nunc

hunc in modum, *Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam ... Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu... Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Cum enim cogitationes mortalium timidæ sunt, & incertæ providentiæ nostræ, nescimus, quid saluti nostræ expediat, nisi Dei voluntatem sedulo exploremus. Ad ipsum ergo confugiendum est, ut illuminet tenebras nostras, ut donum Consilii nobis tribuat, ne statum, aut conditionem, sive professionem eligamus, quæ nobis sit occasio peccati, & æternæ damnationis. Gratiam nobis necessariam debemus implorare in tanti momenti negotio. Hanc vero nemo homo impetrat, nisi a Deo postulet ut oportet; non postulat ut oportet, nisi peccati lethalis affectum deposuerit, & ad Deum animo pœnitente sit conversus; *Peccatores* enim *Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Quod si Christiani hominis officium est ad Deum converti per actum contritionis, & charitatis cum statum, aut conditionem civilem eligit; multo magis ad id tenetur, cum Deo se devovet in statu Ecclesiastico, & in statu perfectionis: longeque gravioris peccati reus est, qui sacrum illum statum impœnitens amplectitur.

Psal. 142.

Joan. 9. 31.

Addiderim, Senatoriam Dignitatem, Medicinæ professionem, Militiam, proprie status non esse, sed varias vitæ civilis conditiones. *Ad statum enim requiritur immobilitas in eo, quod pertinet ad rationem personæ* (inquit S. Thomas.) At Senator, Miles, Medicus, Mercator hujusmodi conditiones mutare possunt: Ordo vero Clericalis mera conditio non est, quam ad tempus eligere possit homo commodi alicujus temporalis intuitu, & pro arbitrio deserere; sed status est Hierarchicus, ad quem Ecclesia neminem admittere intendit, nisi, qui a Deo legitime vocatus, in eo perseverare velit, & cum Dei gratia se perseveraturum speret. Unde status Ecclesiastici desertionem, etiam a minoribus Clericis, ut veram apostasiam spectabat olim, & puniebat Ecclesia.

Secunda Secundæ Qu. 183. A. 1. Ad 3.

Rhemense Concilium anno millesimo quadragesimonono præside Leone Nono Pontifice Maximo. Canone statuit, *Ne quis Clericus, vel Monachus a suo gradu apostataret.*

Nicolaus II. in Concilio Romano anno millesimo quinquagesimo nono Decretum edidit adversus Clericos sacræ Militiæ desertores, quos Juliani Apostatæ imitatores vocat, qui cum Ecclesiæ Lector esset, Clericatum simul, & Religionem Christianam ejuravit. *De his autem Clericis, qui Tonsuram projiciunt, & a Clericatu recedunt, quos apostatas Julianistas jure vocitamus, statuimus, ut nisi ad professionem Clericatus redierint, omni Christiana communione priventur.*

Epist. 8.

Idem sanxerunt Concilia, Rothomagense anno millesimo septuagesimo-secundo, Canone undecimo; Londinense anno millesimo centesimo secundo, Canone pariter undecimo. Tolosanum anno millesimo centesimo decimo nono, Canone decimo.

Concilium Tridentinum lege lata prohibuit, *Ne prima Tonsura initientur, de quibus probabilis conjectura non sit eos ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* Concilium Burdigalense anno millesimo quingentesimo octogesimo-tertio, Cap. 14. addit: *Ut Deo fidelem, & perpetuum cultum præstent.*

S. Carolus Borromeus in Concilio quarto Mediolanensi P. 11. Tit. *De his, quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, statuit, ut qui prima Tonsura vult initiari, testimonium afferat, *Spem esse se in Clericalis Ordinis disciplina permansurum. Hoc vero testimonium a Parocho, aut ab eo Sacerdote habeat, cui ab Episcopo in disciplinam traditus est, postquam Clericalis Ordinis suscipiendi animum, voluntatemque ei patefecit.*

Navarrus *magna laude dignos esse Episcopos* scribit, *qui primam Tonsuram, & quatuor Minores non conferunt, nisi ei, qui per se, si fuerit adultus, aut per parentes, si puer, juraverit se velle ad Majores legitimo tempore ascendere.*

De Oratione & Horis Canon. C. 7. N. 15.

Ex his omnibus perspicuum est, quam absurda sit comparatio, quam instituit Auctor Anonymus inter electionem forensis Officii, aut Militiæ, vel aliarum vitæ civilis conditionum, & ingressum status Ecclesiastici per primam Tonsuram: & quam sit non solum a Christiana pietate, sed etiam a recta ratione alienum, propugnare, majorem conscientiæ puritatem in eo non requiri, qui in sacro illo statu Deo se devovet, quam in illo, qui Senator, Medicus, vel Miles fieri velit. De hujusmodi commenti absurditate ipse judicabis. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XXII.

Alias 111. quæ autem 22. erat, nunc 40.

De peccato Clericorum alea ludentium, aut ludos aleatorios spectantium.

VIRO CLARISSIMO ***

QUod humaniter ad me scribis, paulo severiorem nonnullis Clericis videri positam a me Regulam *Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis* Tom. v. in Tractatu *De Sacramento Ordinis*, Cap. v. *De vita, & honestate Clericorum*, qua Clericos ludis aleatoriis absque gravi crimine ludere non posse dixi, vel ludentes studiose spectare, jam aliunde acceperam, scilicet ex libello Auctoris Anonymi vernaculo idiomate conscripti, cui titulus est: *Scrupuli contra Theologiam Dogmaticam Patris Alexandri.* Objicit porro duriorem esse, immo improbabilem opinionem

xiorem, quæ lethalis peccati reum censet Clericum, qui virum aut fæminam nobilem urbanitatis, vel negotii causa conveniens, ludentes invenit, nisi statim oculos avertat, sine mora e domo exeat.

Verum Regula, quam tradidi, ad illam speciem non pertinet. Ludi enim aleatorii spectatores non sunt, si proprie, & canonice loquamur, qui scientes volentes non adeunt domos, aut societates, in quibus alea luditur, aut in iis forte non morantur eo fine, ut hujusmodi ludo intersint: sed qui ex condicto, & deliberata voluntate, absque necessitate, eo se conferunt ubi alea luditur, ut eo spectaculo avidos pascant oculos, qui Deus offenditur; qui ludentibus favent, iisque applaudunt, qui eorum cupiditate afficiuntur; qui denique præsentia sua ludis prohibitis conciliant auctoritatem. Hos autem graviter peccare scite dixi, cum in materia gravi transgrediantur Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos. Id a me probatum est ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Canone XVI. relato Cap. *Clerici*, Extra, *De vita, & honestate Clericorum*; ex Glossa ibidem; ex Cap. *Inter dilectos*, Extra, *De excessibus Prælatorum*, ex Novella CXXII. Justiniani Imp. ex Concilio Tridentino anteriora Ecclesiæ Decreta circa vitam, & honestatem Clericorum, & nominatim circa aleas, & lusus renovante Sessione XXII. Cap. 1. *De Reformatione*; ex Concilio Mediolanensi primo, & ex Mexicano, nec non ex Sanct. Raymundi auctoritate. Horum verba cum protulerim in eo Theologicæ nostræ Dogmaticæ, & Moralis tractatu, quem penes te habes, ea hic repetere superfluum foret. Addere possum ad cumulum.

Ephes. 5. Concilium Senonense anno 1528. in Decretis Morum, Cap. 25. ubi de Clericis: *A ludo* (inquit) *alearum, aliisque, qui a sorte pendent, abstineant: neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant.*

Philip. 1. Concilium Narbonense anno 1551. Canone 18. *Cum exacti inter homines temporis Deo reddenda sit ratio, Clericosque* (in primis) *Divus Paulus moneat, ut quodcumque faciant in verbo, aut in opere, in nomine Domini nostri Jesu-Christi faciant, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum, non ad oculum servientes, sed in simplicitate cordis timentes Deum: cumque eorum modestiam omnibus notam esse velit, innumeræ autem sordes ex aleis contrahantur: jubet hæc Synodus, ut tesseras, & omne aleæ genus, præsertim publice vitent: ludisque haudquaquam permissis non utantur, neque intersint, ne ut supra puniantur.*

Concilium Aquense 1585. Tit. *De vita, & honestate Clericorum*, Cap. 9. *Ne pagellis pictis, aut alea, aliove hujusmodi ludi genere ludant, aut ludentes spectent.*

Concilium Mecliniense 1607. Tit. XVIII. *De vita, & honestate Clericorum*, Cap. 6. *Ea generaliter quæcumque a sacris Canonibus, præsertim Concilii Tridentini, de vita, & honestate, & modestia Clericorum retinenda, & simul de luxu, lusibus, & quibuscumque criminibus vitandis sancita sunt, eadem omnia sub iisdem pœnis, tanquam hic repetita, hæc Synodus fieri mandat.*

Statuta Siffridi Coloniensis Archiepiscopi, Tit. De vita, & honestate Clericorum: *Item ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint*. Hæc Statuta repetita sunt, & confirmata in Concilio Provinciali Coloniensi anno 1310.

Synodus Nemausensis anni 1284. Tit. De vita, & honestate Clericorum: *Ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.*

Concilium Salzburgense 1420. Cap. 4. *Ad aleas etiam, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint, nec ludos tales in domibus suis exercere permittant.*

Synodus Carnotensis 1526. *Clerici a ludo alearum, taxillorum, & similium, quæ in sorte pendent, sic abstineant, ut neque etiam aliis ludentibus fautores, aut testes intersint.*

Statuta Synodalia Stephani Poncherii Parisiensis Episcopi: *Clerici tabernas prorsus evitent .... ac etiam aleas, taxillos, chartas .... & ne ludere conspiciant, prohibemus*. Idem vetant Statuta Synodalia Illustrissimi, ac Religiosissimi D. Antonii Ludovici de Noailles Archiepiscopi Parisiensis anno *1696*. edita.

His adde Statuta Synodalia Petri de Colle-medio Rothomagensis Archiepiscopi &c.

Quis grave peccatum esse neget, Leges Ecclesiæ sacratissimas, ac mandata violare, quam Christus a nobis audiri, eique obedientiam accuratissimam ut Matri nostræ præstari jussit? Quis actiones permultas sæpe in Clericis gratia esse peccata inficietur, tametsi in laicis, vel nulla, vel levia peccata sint? Aleatorios ludos non modo SS. Patres, & Concilia damnant, non modo Imperatores, & Reges Christianissimi Legibus suis, & edictis prohibent, sed & gentiles ipsi, & hæretici bonis moribus contrarios pronuntiant. Ab iis ut Clericos averteret Ecclesia, non solum prohibuit, ne taxillis, aut chartis, aliisve hujusmodi ludis luderent, verum etiam ne ludentes spectarent: quemadmodum illis prohibuit ingressum popinarum, ut eos a crapula, & ebrietate penitus averteret, quæ graviora sunt in sacratis hominibus, quam in sæcularibus, crimina. Plures Episcopi tabernarum ingressum sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda Clericis Diœcesum suarum prohibent. Insipiens, & temerarius est, qui saluberrimas illas Sanctiones nimiæ severitatis arguit. Sed ecce vir Ecclesiasticus ab amico rure veniente invitatur, tabernam ingreditur, moderate bibit, popinam frequentare non solet, sobrius est, nullum forte scandalum inde ortum. Numquid in suspensionem propterea non incurrit? Incurrit certe ipso facto, & lethale peccatum commisit hoc ipso, quod Episcopi sui Statuta violavit, ingressum tabernarum sub pœna tam gravi prohibentia. Ludis aleatoriis non solum ludere,

tiere, sed interesse, ac ludentes spectare, sub pœnis gravissimis prohibent non unus, aut alter Episcopus, sed frequentia Concilia, etiam generalia: quis prævaricatores sacrarum Sanctionum a gravi crimine excuset? Quis vero temeritatis non damnet Anonymum Auctorem, & alios idem cum eo sentientes, qui Canones illos vim legis amplius non habere effutiunt, nullumque ex illis de morali quæstione judicium nostris temporibus secure ferri posse? Quis non potius auscultandum censeat Sacræ Synodo Tridentinæ, Sessione xxv. Capit. xviii. *De reformatione* declaranti, Fideles omnes, & maxime Clericos ad observantiam sacrorum Canonum pro virili sua parte adstringi? *Sciant universi, sacratissimos Canones exacte ab omnibus, & quoad fieri poterit indistincte observandos.*

Quis inconcussum illud S. Thomæ principium non amplectatur, secunda Secundæ, Quæstione 97. Ar. 3. *Si maneat ratio eadem, propter quam lex primo utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit*? At eadem ratio manet, propter quam Ecclesia in Conciliis frequentibus, Generalibus, Provincialibus, Diœcesanis prohibuit Clericis non solum, ne taxillis, & chartis luderent, verum etiam, ne hujusmodi ludis interessent, ac ludentes spectarent. Eamdem igitur vim habent Canones, quibus id vetitum, quæcumque consuetudo, seu verius corruptela contra invaluerit.

Quamvis autem grave peccatum esse dixerim sic ludentes spectare, non tamen lethale semper peccatum esse scripsi, nec fieri posse, ut aliquando veniale sit propter circumstantias. Quemadmodum enim a peccato mortali excusandos censeo cum S. Antonino, cujus verba retuli in eodem Theologiæ nostræ Moralis loco, illos, qui *non ex cupiditate, sed ob recreationem, vel modicum quid, ut pueri, & moderate ludunt*; ita nec gravis peccati reos existimo, qui sic ludentes spectant. Non ex regula solum generali, sed ex singularibus circumstantiis judicium de moralibus actibus ferendum est. Apostolus *rixas, contentiones, æmulationes* inter opera carnis enumerat, de quibus pronunciat, *Quoniam, qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur*. Certum tamen est, quasdam esse rixas, contentiones, & æmulationes leviores, per quas non extinguitur charitas de quibus judicium ferendum est ex adjunctis circumstantiis. Quamquam vero hanc exceptionem Apostolus non apposuerit, quæ aliunde satis intelligi potest, nemo nisi impius dixerit Apostolum in tradendis Morum regulis modum excessisse. Grave peccatum in Clericis esse scripsi, alea ludere, aut ludentes spectare. Regula generalis est in sacris Canonibus fundata; cujus applicatio ad singulares species ita facienda est, ut expendatur, num forte actionis circumstantiæ malitiam ejus minuant. Modum certe mihi non videor excessisse, cum secundum Canones pronunciaverim Sancti Spiritus auctoritate firmatos, & æternum victuros: assertionisque meæ Auctorem etiam habeam S. Raymundum, S. Carolum Borromæum, &c. ceterum severitas in praxi hac in materia, & in similibus Moralis Christianæ Quæstionibus, severitas est, quam prudentia illuminat, pietas dirigit, atque huic sancti Thomæ Regulæ consentanea omnino est: *Cum debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive alienis, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, quod supponatur id, quod est deterius: quia remedium, quod est efficax contra majus malum, multo magis est efficax contra minus malum.*

Gal. 5. 21

Secunda Secundæ Quæst. 60. Ar. 4 ad 3

Vale, meique in sacrosancto Sacrificio memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XXIII.

Alias LV. quæ autem 23. erat, nunc 14.

Simoniæ peccatum nullo intercedente pacto committitur.

CLARISSIMO VIRO ***

Firmiores, ac puriores Moralis Christianæ Regulas nostris temporibus impugnari, valde lugendum est. Gravissima hæc est in Ecclesia Dei tentatio, qua diabolus, & in errorem, & in omne genus vitiorum homines inducit. Ecclesiam malignantium sibi constituit Christi æmulus, & adversarius; & Ecclesiasticos plerosque Viros Simoniæ, ambitionis, avaritiæ laqueis implicatos, in eam pertrahit, cujus ipse caput est, malorum societatem, quod ut facilius assequatur, licitum esse persuadet, quod Divinis, & Ecclesiasticis Legibus vetitum est. Antiqui illius Dei, & hominum hostis artibus fuisse delusum Anonymum summopere dolendum est, qui inter alias Theologiæ nostræ Dogmaticæ, & Moralis Regulas hanc impugnat Libro II. Cap. VII. pag. 36. traditam, *Simoniæ reus est, qui pro indigno ad obtinendum illi Ecclesiasticum beneficium preces interpositas exaudit; vel qui preces pro digno quidem factas, sed tamen favoris humani, non meritorum rationem habet; vel qui pro se rogat, ut obtineat curam Animarum*. Hanc Regulam quoad singulas partes tradit S. Thomas, cujus Doctrinam *tutissimam*, & *inconcussam* Sedes Apostolica non semel pronuntiavit, Secunda Secundæ Quæstione centesima Artic. v. in responsione ad tertiam objectionem, & in Quartam Sententiarum, Distin. xxv. Quæst. III. Art. III. in responsione ad quartum argumentum. Eamdem confirmat Sanctus Raymundus in Summa Lib. I Tit. I. *De simonia*, Cap. VII. Doctoris Angelici, & Sancti Pœnitentiarii testimonia, & rationes protuli loco indicato.

His addo Sylvestrum Prieratem in Summa, verbo *Simonia*, Quæst. XVI. *Si quis* (inquit) *preces*

Preces porrigit pro se obtinendo beneficio, vel Ecclesia, aut dignitate habente curam animarum, Simonia est secundum Hugonem, Raymundum, Ostiensem, Directorium Juris, & Sanctum Thomam, etiamsi alias esset dignus: quia se ingerendo præsumptuosus, & ambitiosus videtur, & consequenter indignus: quia secundum S. Thomam in Quodlibetis, sine gratia Dei, quam nullus scit se habere, non potest quis exercere curam animarum digne: cum peccet mortaliter, indigne faciendo ea, quæ pertinent ad curam. Et infra: *Ratio S. Thomæ quoad curam animarum, non est solubilis, quia scilicet talis est præsumptuosus, vel superbus, si omnibus, quibus vult præferri, si credit meliorem; aut injustus, si hoc non credit. Et fundatur in Scriptura ad Hebræos 5.* „ Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.... *Hæc opinio non est dura humilibus, & parvis, & amatoribus sapientiæ, sed ambitiosis, & deliciosis, & non habentibus interiores virtutum delectationes... Non tolerantia Papæ excusat in his, quæ sunt prohibita quia mala. Nec inconvenit majorem partem Cleri Beneficiati esse in malo statu si vacat ambitioni, pompis, & lasciviis.... Preces pro alio, si sit indignus, factum est Simoniacum: si vero sit dignus, ipsum factum non est simoniacum; licet possit esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad humanum favorem.*

S. Th. Quodlibeto 2. art. 2.

At, inquit Anonymus Auctor, opulenta Abbatia cupiditatem, ac ambitionem movet multo magis, quam Parochiale Beneficium cujus redditus centum fere nummos non excedit. Qua igitur ratione simoniæ reus asseritur, qui Parochialem Curam pro se petit, a Simoniæ vero labe purgatur, qui pro se postulat Beneficium simplex, etiam Abbatiam, cujus redditus annuus ad centum millia librarum ascendat?

Absit, ut cupiditatis, vel ambitionis artes, precesque ad Ecclesiastica Beneficia aucupanda ullatenus approbem, cujuscumque generis illa sint, sive curam animarum habentia, sive simplicia. Verumtamen cum illa, quibus animarum cura annexa est, singularem a Deo vocationem exigant in iis, qui illa suscipiunt, & dignioribus conferenda sint secundum Canones, Sanctorumque Patrum, & S. Thomæ, ac celebriorum Theologorum sententiam longe gravius (ceteris paribus) peccatum est, in illa irrepere, ac se ingerere pro se rogando, quam in Beneficia simplicia. Horrenda enim præsumptio est, ceteris existimare se digniorem, virtutibus præsertim, & charitatis ratione. Gravis injustitia est, se dignioribus velle præponi. Quamobrem, qui pro se rogat, pro indigno rogat, vocatus a Deo non est; *Non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, tanquam fur, & latro.* Simplicis vero Beneficii pro se postulationem pauperibus dumtaxat Clericis permittunt SS. Thomas, & Raymundus, secundum quos hanc Regulam statui Libro III. Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis, Cap. V. Art. XXIV. numero septimam: *Qui pro se Beneficium Ecclesiasticum sine cura animarum petit ad inopiam sublevandam, non est reus ambitus.* Id enim spectator velut supplementum Tituli, qui ad congruam, & honestam Clerici sustentationem non sufficit.

Frustra vero Anonymus obiicit, Simoniam rei spiritualis emptionem esse pro temporali, adeoque nullam esse Simoniam, ubi simplices preces intercedunt; aut ubi propter solam amici commendationem, nullo intercedente pacto, vel formali, vel tacito, beneficium confertur.

Triplex enim genus muneris, quo fit, ut rei spiritualis collatio non sit mere gratuita, S. Thomas, & omnes, cum eo Theologi, & Juris Canonici Periti vulgo distinguunt, scilicet *Munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio.* Munus a manu, pecuniam, & quæcumque pecunia æstimari possunt; munus a lingua, laudem humanam, adulationes, preces, commendationes; munus ab obsequio, genus omne obsequii, & officii complectitur. Nec arbitraria hæc divisio est, sed a Patribus, & Conciliis tradita, scilicet a S. Gregorio Magno Homilia 4. in Evangelia ex quo refertur Canone, *Sunt nonnulli*, Causa I. Quæst. I. quam & multo ante S. Hieronymus innuerat in cap. I. Epistolæ ad Titum; ab Urbano II. ex quo refertur Canon *Salvator*, Causa I. Quæst. III. a Concilio Asquisgranensi sub Ludovico Pio Canone XXVIII. a Gregorio VII. Libro sexto Regesti Epistola XXXIV. & a beato Petro Damiani Epistola II. Libri secundi. Qui ergo preces pro indigno ad obtinendum illi beneficium Ecclesiasticum exaudit; aut qui pro digno quidem, sed nulla meritorum habita ratione, is contra Christi Domini mandatum peccat: *Gratis accepistis, gratis date:* siquidem *munus a lingua* offert, ut sibi, vel alteri beneficium, quæ res spiritualis est, conferatur. Nec refert, quod nullum pactum intercedat. Si enim absque pacto interveniente nulla committeretur simonia, e numero peccatorum expungenda esset simonia mentalis. Et eo quidem collineare videtur Auctoris Anonymi conatus, ut nulla agnoscatur, nisi forte in illis, qui ita rudes, ac stolidi fuerint, ut artem dirigendi intentionem nesciant. Nec attendit, *Ea, quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda;* ut docet S. Augustinus Lib. *Contra Mendacium*, Cap. VII.

Nec sequitur, quod infert Anonymus ille Auctor, eos, qui beneficia Ecclesiastica pro se postularunt, & humanis rationibus, nulla meritorum habita ratione, obtinuerunt, vel contulerunt, in Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas canonicas incurrisse, aut beneficia, sic impetrata devolutis esse obnoxia. Cum enim ad simoniæ mentalis genus crimen istud pertineat, Ecclesiasticis pœnis in simoniacos latis non subjacet, quæ ne conventionalis quidem, sed realis dumtaxat simoniæ reos afficiunt: cum scilicet ita de pecunia, seu re pretio æstimabili pro spirituali danda expresse, vel tacite conventum est, ut ex una saltem parte conditio impleta sit. Quod Libro II. *Theologiæ Moralis*, in Tract. De Ordine, Cap. VII. Regula XLII. probatur:

a [illegible]

a me, & explicatum est. Verum quamvis in foro exteriori cogi non possit ad beneficium ejurandum, aut eo privari per sententiam Ecclesiastici Judicis, sive jure devoluto ab eo excidere qui aliquo munere, seu a manu, seu a lingua, seu ab obsequio in illud irrepsit nullo intercedente pacto, nulla conventione; secundum fori tamen interioris leges tenetur ad resignandum, sive dimittendum beneficium in manu Collatoris, si animo proposuerit rem temporalem pro spirituali dare. Id Regula sequenti probavi: quæ quidem etsi severa cupiditati videatur, nec nova tamen, nec singularis est cum sententia sit Henrici Gandavensis, Quodlibeto VI. Adriani VI. Quodlibeto IX. Dominici Soto Lib. 9. De justitia & Jure, Quæst. 8. Art. 1. Bartholomæi Medinæ in Summa Lib. 1. Cap. 114. §. 2. Joannis Medinæ Quæst. *De acquisitis per usuram*, Estii in quartum sententiarum, Dist. XV. §. 18. & Silvii in Secund. Secundæ, Quæst. 99. Art. 6. Dubio 1. Unius Estii verba describo.

Ex jam dicta ratione (inquit) *videtur & illud consequens, mentalem quam vocant simoniam cum opere subsecuto restitutioni obnoxiam esse, verbi gratia: Si quis non expresse paciscatur de pretio, sed munus quasi liberaliter offerat, mente tamen simoniaca, qua intendat munere tanquam pretio beneficium sibi comparere, is obnoxius sit restitutioni, quia tali modo beneficii possessor fieri non potest, nihilo magis quam si expressa pactio intercederet. Idque confirmari potest ex simili. Nam qui ea mente dat mutuum, ut aliquid speret ultra sortem; usuram mente committit, & ad restitutionem tenetur ejus, quod tali intentione acceperit etiamsi expressa conventio non antecesserit; quemadmodum ex Urbano III. decretum habemus* Extra, *De Usuris*, Cap. *Consuluit: quare idem omnino de mentali simonia sentiendum videtur. Atque ita sentiunt Adrianus VI. & Dominicus, reclamantibus licet plerisque Canonum Doctoribus.*

Neque obstat huic sententiæ Rescriptum Gregorii Noni, quod habetur, Extra, De simonia Cap. Mandato, *quod ita sonat, quasi fateatur Pontifex ad eos resignationem spiritualium vel temporalium non teneri, qui nullo pacto, sed solo affectu animi præcedente, ea acquisiverint; sufficere enim, ut per solam pœnitentiam suo satisfaciant Creatori. Nam eo loco non aliud docet Pontifex, quam pœnas Canonibus expressas, & solo jure positivo constitutas, non eas extendi ad eos, qui sola mentis intentione simoniam commiserunt; quia de occultis Ecclesia non judicat; & Pontifex canonice loquitur, idest de pœnis canonicis. Nam & nos dicimus, non eos teneri ad restitutionem lege Ecclesiastica, sed divina, ac naturali: qua utraque docemur, non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum, ac generaliter injuste acquisitum. Itaque restitutio in ea includitur pœnitentia, per quam vult Pontifex, ut qui dicto modo mentalem simoniam commiserunt, suo satisfaciant Creatori. Eadem ratione Innocentius III. ejus tituli cap.* Tua, *tales apud districtum judicem Deum culpabiles judicari pronunciat, neque ipse aliam pœnam addit;* Quia (*inquit*) nobis datum est de manifestis tantummodo judicare. *Gregorius autem primus, a cujus sententia non est verisimile Gregorium IX. voluisse recedere, apud Gratianum* 1. *Q.* 1. *Can.* Si quis, *aperte dicit, eum, qui fraudulento munusculo Dignitatem aliquam Ecclesiasticam acceperit, eumque insperata mors pœnitentem non invenerit, proculdubio in æternum periturum. Quo loco fraudulentum munusculum intelligitur, quod sine pacto expresso quasi liberaliter datum est; quemadmodum illud recte Glossa interpretatur. Vult ergo Gregorius mentalem simoniam cum opere subsecuto, sub pœna æternæ damnationis esse restitutioni obnoxiam. Nec plane apparet, sanctum Thomam in diversa esse sententia Articulo sexto ad sextum. Quamvis enim Cajetanus sic eum intellexerit, Dominicus tamen locutum eum interpretatur de simoniaco mentali, qui intendit quidem dare, aut accipere aliquid, non tamen dedit, aut accepit.*

Non sequitur etiam, quod infert rursus Anonymus Simoniæ reum esse collatorem, qui ex duobus Ecclesiastici Beneficii candidatis æqualium meritorum, illi beneficium confert, qui ab amico commendatur: siquidem ratio principalis, cur beneficium isti conferat, non est commendatio, aut propositum amico gratificandi. Ubi enim paria merita sunt, unus alteri sine injustitia, & sine peccato acceptionis personarum præponi potest; & vero necesse est uni præ alium beneficium conferatur, quod sine divisione, & diminutione conferendum sacri Canones statuunt. Vale, meique ad Altare Domini in Sacrificio Prætii nostri memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XXIV.

Alias XXXI. quæ autem 24. erat, nunc 41.

Qui Beneficium *simplex habet per se ad honestam sustentationem insufficiens, illud dimittere non tenetur, cum pinguius Beneficium, ac per se sufficiens adeptus fuerit.*

CLARISSIMO VIRO *** INSIGNIS ECCLESIÆ ***

CANONICO.

INtentionis tuæ puritatem, conscientiæque teneritudinem plurimum laudo, quæ te impulit, ut subjectam Quæstionem mihi proponeres, consiliumque de illa rogares meum. Beneficium Ecclesiasticum simplex antehac habebas, ad vitam quidem honeste sustentandam insufficiens, vale-

valoris scilicet ducentarum dumtaxat libellarum annui redditus. Collatus nuper tibi est ab Illustrissimo Episcopo *** optimus Canonicatus, qui ad honestam vitæ, statusque tui sustentationem solus, ac per se sufficiat. Quæris utrum primum beneficium simplex ejurare, ac dimittere tenearis? Sacerdotem Regularem conscientiæ Moderatorem tuæ ea de re tibi scrupulum movisse scribis, quod ea mens sacræ Synodi Tridentinæ fuisse videatur, ut Clericus ex fructibus unius, vel alterius Beneficii Ecclesiastici non habeat, nisi honestam sustentationem. Quemadmodum ergo non permittit, ut qui unum sufficiens habet, obtinere, ac possidere possit alterum, etiam per se insufficiens: ita (inquit) permisisse non censetur, ut qui alterum habet sufficiens primum, quod per se insufficiens erat, retinere possit.

Quamvis inconcussas esse velim, quas contra Beneficiorum pluralitatem tradidi Regulas Libro 11. Theologiæ nostræ Dogmaticæ, & Moralis in Appendice ad Tractatum *De Ordine*, Cap. 6. p. 13. 14. 15. 16. tamen in specie quam proponis severior mihi videtur pii Confessarii opinio: nec ea mens est Tridentini Concilii, quod statuit: *Ut imposterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens dummodo utramque residentiam non requirat, eidem conferri*. Nec valet optimi Sacerdotis ratiocinium a paritate rationis (ut illi quidem videtur) informatum. Ratio enim discriminis inter utramque speciem hæc est, quod primi beneficii ad honestam sustentationem per se sufficientis possessor, ad alterius impetrationem ex avaritia, vel ambitione impelli videatur; quæ præcipuæ rationes sunt, cur prohibita sit Beneficiorum pluralitas, Cap. *Cum jamdudum*, Extr. *De Præbendis, & Dignitatibus*. At vero unius Beneficii ad vitam suam honeste sustentandam minime sufficientis possessor juste appetit alterum ad honestam sui sustentationem. Et quamvis accidat, ut secundum per se sufficiat, illud tamen impetranda non peccat, cum auctoritate Concilii generalis juvetur: nec privatione primi, quod insufficiens erat, mulctandus est, cum Ecclesiæ lex id permittat, & quod legitime factum est, nullam pœnam mereatur. Primum itaque Beneficium per se insufficiens, nec personalem exigens residentiam, tuta conscientia retinere potes cum Canonicatu. Sic respondet vir juris Canonici consultissimus, & laxiorum opinionum impugnator acerrimus Prosper Fagnanus in Cap. *Cum jamdudum*, Extra, *De Præbendis, & Dignitatibus*, Quæst. 4. N. 55. Favet enim Barbosa in Collectan. Doct. in Concil. Trident. Sess. 24. De Reform. C. 17. Nu. 4. Vale, & utriusque Beneficii fructibus ita utere, ut fidelem dispensatorem decet, superflua in pios usus erogans. Mei vero ad Altare Domini memineris.

Sess. 24. De Refor. cap. 7.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias XIII, quæ autem 25. erat, nunc 16.

EPISTOLA XXV.

Episcopus ad Capituli sui Visitationem non tenetur sibi adjungere duos ex ejusdem Capituli gremio Canonicos, aut dignitates.

CLARISSIMO VIRO***

QUantum tibi debeam ob tuam de me opinionem, ac singularem in me, resque meas benevolæ voluntatis propensionem, satis exprimere non possum, nec pro meritis gratias agere. Obsequii duntaxat mei specimen occasione data exhibere valeo. De Quæstione, quam proposuisti, hæc mea sententia est: Episcopum ad sui capituli visitationem non teneri sibi adjungere duos ex ejusdem capituli gremio Canonicos, vel dignitates: imo aliquos extra capitulum assumere posse, si ita ipsi videatur. Tridentini scilicet Concilii Sessione VI. Cap. IV. *De Reformatione*, datur Episcopis facultas visitandi, & corrigendi capitula Cathedralium Ecclesiarum, illorumque personas, *per se ipsos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta canonicas sanctiones, &c.* Hæc porro verba rem totam permittunt arbitrio Episcopi, ut videlicet nemine capitularium adjuncto visitationem capituli peragat, aut etiam aliquos extra capituli corpus sibi hoc in negotio adjungat. Ita respondit sacra Congregatio Concilii Interpres, cujus sententiam approbavit Gregorius XIII. ut Fagnanus refert ad cap. *Ut juxta*, Ext. *De Officio ordinarii*, Derogavit porro sacra Synodus capiti, *Irrefragabili*, sub eodem titulo, quatenus statuit *Ut excessus Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, qui consueverunt corrigi per capitulum, per ipsum in illis Ecclesiis, quæ hactenus talem consuetudinem habuerunt, ad commonitionem, vel jussionem Episcopi corrigantur intra terminum competentem ab eo præfigendum; alioquin ex tunc Episcopus Deum habens præ oculis, ipsos, ut animarum cura requirit, per censuram Ecclesiasticam corrigere non postponat*. Huic (inquam) Decretali derogavit sacra Synodus Tridentina hac in parte; siquidem Episcopo tribuit potestatem corrigendi capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, & eorum personas, *non solum quando visitaverit, sed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicujus* contra membra capituli procedet. ita tamen, ut si extra Visitationem processerit, formam servet eodem capite sexto Sessionis XXV. *De Reformatione* præscriptam: videlicet ut capitulum initio cujuslibet anni eligat ex gremio suo duos, de quorum concilio, & assensu Episcopus, vel ejus Vicarius, tam in formando Processum, quam in ceteris omnibus actibus, usque ad finem causæ inclusive, coram Notario

tario tamen ipsius Episcopi, & in ejus domo, aut consueto Tribunali procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alteri Episcopo accedere. Quod si ab Episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria, vel definitiva Sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant; & si in electione tertii etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio devolvatur; & juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur: alias Processus, & inde secuta nulla sint; nullosque producant juris effectus. *In criminibus tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in Decreto de concubinariis, & in atrocioribus delictis depositionem, aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut juxta qualitatem delicti, ac personarum, delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur.* Vale, meque tui observantissimum semper dilige.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XXVI.

Alias XXXIX quæ autem 20. erat, nunc 37.

Utrum Episcopus vagam, & indefinitam licentiam concedere possit Abbatissæ, admittendi intra septa sui Monasterii pro libito, & absque necessitate, personas omnis sexus, ætatis, & conditionis; & utrum personæ prætextu hujusmodi licentiæ ingressæ, & Abbatissa, quæ illas admisit, excommunicatæ sint ipso facto?

VENERABILI SACERDOTI SANCTIMONIALIUM*** CONFESSARIO.

Consilium meum, sententiamque rogas de subjectis conscientiæ casibus, urgesque comiter, ut sine mora respondeam. Studia igitur mea intermitto ad horam, ut tibi faciam satis.

Quæris primo, utrum Episcopus licentiam vagam, & indefinitam concedere potuerit Abbatissæ Diœcesis suæ introducendi pro arbitrio, sine causa, & necessitate, intra septa Monasterii sui personas extraneas omnis generis, sexus, ætatis, conditionis diu, noctuque: illas ad mediam noctem usque retinendi, permittendi etiam, ut in Monasterii ipsius interioribus ædibus manducent, & dormiant?

Quæris secundo, utrum Abbatissa, quæ licentia Episcopi abutitur, & personæ, quæ sine causa necessaria ingressæ sunt septa Monasterii, vaga illa, & indefinita Episcopi licentia fretæ, in excommunicationem ipso facto incurrerint?

Ad primam Quæstionem respondeo, incredibile videri, Episcopum licentiam superius enunciatam Abbatissæ suæ Diœcesis concessisse. Religiosissimi Præsules Ecclesiæ Regulas, & Decreta, potestatem suam, officiaque melius norunt, quam ut licentiam adeo exorbitantem sacris Canonibus, & Decretis Ecclesiasticis adeo contrariam, adeo periculosam, disciplinæ regulari adeo repugnantem, adeo scandalosam concedant. Ipsis namque compertum est Episcopos permittère non posse personis extraneis (idest, quæ ad ipsam familiam Religiosam non pertinent) cujuscumque sint sexus, ætatis, conditionis ingressum in septa Monasterii sine causa, & necessitate: quæ quidem non ex parte personarum hujusmodi extranearum, sed ipsarum Monialium, attendenda sit, & spectanda.

Id Bonifacii VIII. Decretali, quæ incipit, *Periculoso* sancitum est, Tit. *De statu Regularium*, in Sexto. *Nullique aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ (nisi rationabilis & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinueris, speciali licentia) ingressus, vel accessus pateat ad easdem: ut sic a publicis, & mundanis conspectibus separatæ omnino servire Deo valeant liberius, & lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora in omni sanctimonia diligentius custodire.*

Sanctissimam hanc disciplinam Decreto suo firmavit Tridentina Synodus Sess. XXV. *De Regularibus, & Monialibus*, cap. V. *Ingredi autem* (inquit) *intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis.*

Id ipsum confirmarunt Concilia Provincialia post Tridentinum celebrata: Mediolanense I. P. III. Tit. *De Clausura*: Toletanum anno 1566. Actione III. Decreto XXV. Tit. *De Monialibus*: Rothomagense anno 1581. Tit. *De Monasteriis*: n. XXVII. Mediolanense sextum Tit. XXX. Rhemense 1583. Tit. *De Regularibus, & eorum Monasteriis*, n. XII. Aquense 1585. Tolosanum 1590. I. P. cap. VII. n. V. &c. Gregorius XIII. Constitutione, quæ incipit, *Ubi gratiæ*, idem confirmat, gravioribus pœnis latis. *Quin etiam sub iisdem pœnis* (excommunicationis) *ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuscumque Personis Ecclesiasticis, & Sæcularibus, ac etiam Ordinum quorumcumque, etiam Mendicantium, Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex Decreto Concilii Tridentini potestas tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium*

pro

pro libito, sed necessitatibus urgentibus duntaxat ingredi, neque Moniales, sub eisdem pœnis, illas aliter admittere præsumant.

Concilium Mediolanense v. anno 1579. P. III. Titulo *Quæ ad Moniales pertinent*, hanc Gregorii XIII. Constitutionem executioni mandari jubet. *Caveant, qui ab Episcopo, Superioreve facultatem habent ingrediendi Monasterium, ne pro libito intra ejus septa datæ facultatis prætextu ingrediantur, sed tum solum cum urgens necessitas deposcet: ut ne ex sanctissimi Pontificis Gregorii XIII. sanctione excommunicationis pœnam statim subeant, a qua nisi per Sedem Apostolicam absolvi non possint.*

Ad hæc accedit Regia Constitutio Blæsis data, cap. *De Ecclesia*, Art. xxxi. *Nemini* (inquit) *licebit ingredi clausuram Sanctimonialium sine Superioris licentia, in casibus necessariis tantum, sub pœnis a jure latis.*

Ad Quæstionem alteram respondeo, Abbatissam, & personas supra dictas in excommunicationem ipso facto non incurrisse, si bona fide existimaverint, Episcopum licentiam superius enunciatam concedere potuisse: & Abbatissa, vel ipsemet, facultatem in scriptis ab Episcopo obtinuerint, nec ea fuerint abusæ, extendendo vagam, & indefinitam licentiam ultra quam Episcopus esse verisimiliter concessurus; verbi gratia, pernoctando intra septem Monasterii, vel ad noctem multam usque ibi permanendo, & cum Monialibus comedendo. Excommunicatio enim ipso facto hac in specie in eos soluma Tridentina Synodo lata est, qui *sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta*, septa Monasterii ingressi fuerint. Constitutione quidem Gregorii XIII. excommunicantur ipso facto omnes, & quæcumque Personæ Ecclesiasticæ, & Sæculares, ac etiam Ordinum quorumvis Regulares, quæ prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus concessarum, Monasteria Monialium pro libito, & nulla necessitate urgente ingressæ fuerint: & Moniales, quæ ipsas aliter admiserint. Verum ignorantia invincibilis Constitutionis illius, quæ in Galliis promulgata non fuit, Abbatissam, & personas supra dictas ab excommunicatione incurrenda excusare, ac tueri potuit. Excommunicatio enim solos contumaces ligat: contumacia porro monitionem supponit, aut certe notitiam legis Ecclesiasticæ, sive Decreti, aut Mandati Prælatorum. Si autem sine licentia Episcopi in scriptis obtenta Monasterium ingressæ fuerint, in casum excommunicationis ipso facto incurrendæ, ex Concilii Tridentini Decreto, inciderunt. Quamobrem absolutionem ad cautelam postulare debent, quamvis Abbatissa generalem, & indefinitam potestatem, ac licentiam habere se præsumpserit, aut verbo tenus habuerit ab Episcopo admittendi intra septa Monasterii sui, pro libito, quas personas vellet, quando, & quotiescumque vellet.

Ceterum postquam Abbatissa, & personæ supra dictæ a Confessariis suis, seu aliis viris doctis didicerint, Leges & Decreta Ecclesiæ, quæ superius a nobis prolata sunt, prohibere personis quibuscumque ingressum in Monasteria Monialium sine causa necessaria, & urgente, etiam prætextu licentiæ ab Episcopo, vel aliis Superioribus concessæ, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & sub eadem pœna vetare Abbatissis, ne illas admittant: abstinere debent illæ ab ingressu, istæ ab admissione, & introductione, qualemcumque licentiam generalem ab Episcopo obtinuerint, nisi causa justa, & necessaria urgeat: alioquin mortalis peccati reæ erunt, & in periculum excommunicationis ipso facto incurrendæ incident. Vale, meque Deo in sacrosancto Altaris Sacrificio commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias xxxiii. quæ autem 27. erat, nunc 58.

EPISTOLA XXVII.

Episcopus statuere potest, ut Parochi ne per hebdomadam quidem a Parochiis suis absint absque sua licentia.

CLARISSIMO VIRO***

AB Illustrissimo, & Religiosissimo Episcopo N. statutum scribis, ut Parochorum Diœcesis illius nemini liceat, vel per hebdomadam a Parochia sibi commissa abesse sine ejusdem Episcopi licentia in scriptis, sub pœna Suspensionis, durum statutum vocas: quæris an Concilio Tridentino nōn repugnet, ea quæ de residentia Episcoporum constituta sunt Sessione xxiii. Cap. i. ad Curatos extendenti. Episcopi autem (inquis) duos aut tres menses abesse possunt ab Ecclesiis suis absque licentia Metropolitani, & absque probatione causæ, cujus æquitatem eorum conscientiæ permittit, judicioque Dei relinquit sacra Synodus. Quamobrem eodem jure Curatos uti posse tibi videtur. Addis, casus repentinos occurrere posse, in quibus temporis angustiæ non permittant ad Episcopum scribere, ac responsum expectare, & rogas utrum in illis casibus incurrat in suspensionem, qui sine licentia per hebdomadam abfuerit?

Mea de proposita Quæstione sententia est, Episcopum id statuere potuisse; Decretum ejus durum videri non debere, sed prudens, salubre, suave, Ecclesiasticæ Disciplinæ, & Concilii Tridentini Decretis prorsus congruum: quod etsi parem non residentium Parochorum conditionem esse sanciverit, ac declaraverit, *etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas*: continenter addidit: *Ita tamen ut quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita,*

& pro-

& probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant: Abesse igitur non possunt Parochi a suis Ecclesiis quandocumque, nisi cum licentia Episcopi in scriptis. 2. Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum relinquere debent. 3. Hæc licentia ultra bimestre tempus concedi non debet nisi ex gravi causa.

Hinc sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres declaravit, Parochos non posse, etiam per duos menses, imo nec per hebdomadam abesse absque licentia Episcopi, quæ causa cognita, & in scriptis concedatur. Et alias rogata, an valeat constitutio Episcopi vetans, ne Parochi absint ultra duos dies sine sua licentia, respondit, *Valere*. Quin etiam cum Episcopus Brixiensis editurus esset constitutionem prohibentem, ne ullus Curatus a sua Parochia abesset, vel unicum diem sine ejus licentia, sub mulcta pecuniaria, & Parochi illius Diœcesis dubitassent utrum id liceret Episcopo, cum ex Concilio Cap. 1. Session. XXIII. qui paulisper abest a sua Diœcesi non videatur abesse: sacra Congregatio censuit, Statutum illud non fore contra Concilium, quod videtur velle, ne possit Rector paululum abesse absque licentia Episcopi, etiam per unum diem. Si tamen hujusmodi constitutio absque aliquo temperamento edatur, sacram Congregationem effecturam, ut Episcopus det potestatem alicui ex Vicariis suis foraneis ut hujusmodi licentiam rogantibus concedat. Si quis autem ex gravi causa, repentina, & ita urgente, ut non potuerit petere licentiam, a sua Parochia absfuerit, quantocius redire debet ad residentiam: & cum primum potuerit, Episcopum de absentia sua, & absentiæ causis certiorem facere: cujus est judicare num absentiæ causa legitima, an impotentia, vel difficultas petendi licentiam vera, an simulata fuerit. Si enim causa necessaria, & urgentissima non fuerit, aut necessaria quidem, & legitima, propter quam Episcopus facultatem discedendi concessurus fuisset; sed tamen non fuerit petita, & expectata, cum peti, & expectari facile potuisset, Parochum, qui sine licentia sua discessit suspendere, vel alia pœna canonica mulctare poterit Episcopus. Vale, mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XXVIII.

Alias LXXXIV. quæ autem 28. erat, nunc 2.

Episcopus jure negat Parocho facultatem studium Theologicum, seu licentiam in aliqua universitate decurrendi.

CLARISSIMO VIRO ***

GRatulandum est Illustrissimo, & Religiosissimo Episcopo N. de zelo, quo Dominus cor illius accendit præsertim vero de constanti animo in promovenda sacrorum Canonum de residentia Parochorum observantia. Jure negat ejus amplitudo Parocho Ecclesiæ N. facultatem studium Theologicum, seu licentiam decurrendi in Academia, cujus inter Baccalaureos cooptatus erat antequam illi Parochiale beneficium conferret. Quamvis enim similes dispensationes concedendi potestas olim Episcopis conveniret ex Cap. *Cum ex eo*, Tit. *De electione* in Sexto; Concilii tamen Tridentini Decreto videtur sublata, quo forma examinis per concursum in collatione Parochialium Ecclesiarum præscribitur, jubeturque, ut illi conferatur Beneficium, qui magis idoneus fuerit judicatus. Et quamvis ubique Disciplina illa non vigeat, supponit tamen sacra Synodus sufficiente scientia instructum esse debere, cui Parochialis Ecclesiæ cura committitur. Aliunde statuit, ut iis omnibus, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum obtinent, Episcopi *discedendi licentiam in scriptis gratisque, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non concedant*. Eam vero dispensationem ultra annum extendi non posse sacra Congregatio Concilii censuit, etiam causa inimicitiarum; vel infirmitatis, quæ graviores certe causæ sunt quam studii, aut Licentiæ in aliqua universitate decurrendæ. Denique proposito sacræ Congregationi dubio infrascripto; an Ordinarius possit concedere licentiam Parocho, ut in publica universitate studiis sacræ Theologiæ, vel Canonum vacare possit, sacra Congregatio, & Summus Pontifex responderunt. *Non posse* jussitque Sanctissimus, *Episcopum ab ejusmodi licentiæ concessione abstinere*. Refert Fagnanus in Cap. *Super specula*, Ext. *De Magistris*. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

EPI-

Alias XI. quæ autem 29. erat, nunc 8.

EPISTOLA XXIX.

An Vicarius Generalis Episcopi in iisdem casibus agere possit absque speciali, novoque mandato, in quibus agere potest Episcopus, ut Sedis Apostolicæ Delegatus?

CLARISSIMO VIRO ***

QUæstionem litteris nuper ad me datis proposuisti, quæ paucis expediri non potest. Cum a sacra Synodo Tridentina tributa sit Episcopo facultas plurimis in casibus agendi tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, rogas an Vicarius Generalis Episcopi possit in iisdem casibus agere absque speciali novoque mandato: cum in omnibus, quæ voluntariam Jurisdictionem spectant, Vicarius Generalis vices gerat Episcopi, & una, eademque cum illo persona censeatur.

Ad Quæstionis hujus solutionem observandum est Episcopo a sacra Synodo Tridentina jurisdictionem variis modis tribui. Primo in his, quibus etiam ante Concilium ordinario jure potestatem habebat: Et in his quidem casibus etsi constituatur *etiam* Sedis Apostolicæ Delegatus, potest tamen, ut Ordinarius cognoscere: & videtur potius excitata jurisdictio prius competens quam potestas collata, ut loquuntur Juris Canonici Periti. Unde Vicarius Generalis eosdem actus, eademque munia exercere poterit. Secundo Episcopus constituitur Delegatus in casibus, in quibus jure ordinario ante Concilium non habebat facultatem: & in his quidem subdelegare Vicarium suum potest, ut colligitur ex cap. *Quoniam Apostolica Sedes*, Extra, *De Officio Delegati*: sed per generalem institutionem Vicarii translata in eum facultas non censetur, quæ speciali jure competit Episcopo, ut Sedis Apostolicæ Delegato, ut colligitur ex cap. *Cum in generali* Tit. *de Officio Vicarii*, in Sexto. Unde nec in capitulum Sede vacante transit jurisdictio delegata. Tertio delegatur Episcopus cum adjectione dictionis exclusivæ *tantum* vel *solus*, aut alterius vim eamdem habentis: & in his casibus Vicarius Episcopi, & alii quicumque excluduntur, & cum industriā personæ censeatur electa, Episcopus negotium alteri demandare non potest. His positis singulares casus expono, propositam a te Quæstionem spectantes.

I. Episcopi compellere possunt Abbates negligentes, ut in suis Monasteriis, ubi id commode fieri queat, lectio sacræ Scripturæ habeatur, ut Sedis Apostolicæ Delegati (ex Concilio Tridentino, Sessione V. cap. I.) Id vero non potest Vicarius Generalis Episcopi, nisi speciali mandato subdelegatus, quia Episcopus ante Concilium hanc facultatem ordinario jure non habebat nisi respectu subditorum, ut constat ex cap. *Prohibeas*, Extra, *De Magistris*. Et propterea Concilium Tridentinum non adjicit in ea specie particulam, *etiam*, sed simpliciter dicit: *Qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, ut Sedis Apostolicæ Delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.*

II. Licentiam concionandi regularibus concedere potest Episcopus, sine qua concionari non possunt in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt. Si vero concionator errores, aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicet: quod si hæreses prædicaverit, contra eum agere potest tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, exemptione quacumque regularium non obstante (ex Concilio Tridentino, Sessione V. cap. 2.) Prædicandi licentiam regularibus concedere pariter potest Vicarius Episcopi, & in prædicantes hæresim animadvertere, quia hæc facultas jure ordinario competebat Episcopo ante Concilium, ut constat ex cap. *Excommunicamus* I. Extra, *De Hæreticis*, §. *Qui vero*. Sed tamen contra Concionatorem exemptus agere non potest Vicarius Generalis Episcopi, nisi speciali mandato delegatus, quia Episcopus in exemptos jure ordinario jurisdictionem non habet, ut constat ex cap. *Sicut nobis*, Extra, *De supplenda negligentia Prælatorum*. Idque perspicue significant verba Concilii: *Quod si hæreses prædicaverit, contra eum secundum juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat: etiamsi Prædicator ipse generali, vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet: quo casu Episcopus Auctoritate Apostolica, & tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus procedat.* Hæc enim verba, *quo casu*, significant Episcopum tunc solum uti auctoritate delegata, cum agit contra exemptos.

III. Cum Parochi a Sede Apostolica dispensationem de residentia ad tempus impetrarunt, quæ ex veris tantum, & legitimis causis, coram Ordinario probandis, ipsis suffragatur: *Officium est Episcoporum, tamquam in hac parte a Sede Apostolica Delegatorum, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur; nemini quoad hoc privilegio, vel exemptione quacumque suffragante.* Hæc facultas in Vicarium Generalem Episcopi transit, si Ecclesiæ Parochiales non sint exemptæ. Hæc enim Vicariorum deputatio jure ordinario spectabat ad Episcopum ante Concilium, ut constat ex cap. *Cum ex eo*, §. *Porro*, Tit. *De Electione*, in Sexto. Si vero Ecclesiæ exemptæ sint, facultas illa non transit in Vicarium sine speciali delegatione: quia eo casu sacra Synodus Episcopum agere jubet *tanquam in hac parte a Sede Apostolica delegatum*.

IV. Episcopus Regulares extra Monasterium degentes, quovis privilegio munitos, si deliquerint tamquam Sedis Apostolicæ delegatus visitare, punire, & corrigere potest, ex Tridentino Concilio Sessione VI. cap. III. Hæc porro facultas in Vicarium Generalem Episcopi non

transsum-

transfunditur, nisi speciali mandato sit ab ipso delegatus: siquidem jure ordinario caret Episcopus hac potestate, quæ ipsi convenit in eos dumtaxat, qui non sunt exempti, ut colligitur ex cap. *Quanto*, & cap. *Licet*, Extra, *De Officio Ordinarii*. Quamobrem Concilium hoc loco non utitur dictione, *etiam*, sed hanc potestatem tribuit simpliciter Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ Delegato. *Nemo sæcularis Clericus cujusvis personalis: vel Regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii prætextu tunc censeatur, quo minus, si deliquerit, ab Ordinario loci tamquam super hoc a Sede Apostolica Delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.*

V. Episcopus in Ecclesia sua residens de surreptione, & obreptione gratiæ, quæ super absolutione publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ ad quam reus per eum condemnatus fuerat, falsis precibus impetratur, cognoscere potest tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, ex Concilio Tridentino Sessione XIII. capit. V. Hujus tamen causæ cognitionem suscipere non potest Vicarius Generalis Episcopi. Hæc enim facultas, prius Episcopo non competens, illi tribuitur ut *per se ipsum tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, etiam summarie, cognoscat, ipsamque gratiam, postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam esse legitime constiterit, non admittat.* Quamobrem pars hæc jurisdictionis non transit in Vicarium Generalem Episcopi, sed nec eidem speciali mandato committi ab ipso potest. Illa enim verba, *per se ipsum*, electam demonstrant personæ industriam, & causam delegari non posse.

VI. Episcopus in Ecclesia sua residens, quoscumque *sæculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui alias suæ jurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus, & delictis, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegatus, corrigendi, & castigandi facultatem habet*, ex Concilio Tridentino Sessione XIV. capit. IV. Sed non transfunditur hæc facultas in Vicarium Episcopi per ejus institutionem, ac generale mandatum. Ibi enim constituitur Episcopus summi Pontificis Delegatus in his, quæ non poterat ante Concilium, ut constat ex cap. *Irrefragabili*, Extra, De *Officio Judicis ordinarii*. Delegari tamen potest Vicario Generali ab Episcopo facultas agendi in hujusmodi negotio: siquidem non est ipsi Episcopo demandata verbis designantibus electam esse personæ industriam.

VII. In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, *tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum, tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum, & Officiorum, separari oportet, & in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & ceteros divinis interessentes, proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividantur .... non obstantibus exemptionibus, &c. crescenteque non servientium contumacia, liceat contra eos procedere juxta juris, & sacrorum Canonum dispositionem* (ex Decreto sacri Concilii Tridentini, Sessione XXI. capit. III. quod Sessione XXIII. confirmatur:) Hæc facultas competit & Vicario Generali Episcopi in capitulis, non exemptis, quam jure communi in illis exercebant Præsules ante Concilium: sed non competit Episcopi Vicario in capitulis exemptis, in quibus ipsi Episcopo non competebat. Ideo Concilium his locis utitur dictione, *etiam*, quæ innuit, Episcopum aliquando agere debere jure delegato, respectu scilicet exemptionum, quibus utrobique sancta Synodus in fine laudatorum capitum derogavit; sed tamen posse etiam aliquando agere jure ordinario respectu capitulorum, quæ nulla immunitate, aut privilegio donata sunt.

VIII. *Episcopi, etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis administrandis, & cultui divino peragendo*, cogere possunt *Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem, Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina Officia audienda accedere non possunt; novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam Costitutionis Alexandri III. quæ incipit*, AD AUDIENTIAM, *constituere possunt* (ex Decreto Concilii Tridentini Sessione XXI. cap. IV.) Hæc facultas cum Vicario Generali Episcopi communicatur, quia jure ordinario Episcopo competit. Unde sacrum Concilium voce, *etiam*, utitur, quæ jurisdictionem ordinariam supponit: *Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati: &c.*

IX. Episcopi commendata Monasteria, etiam Abbatias, Prioratus, & præposituras, in quibus non viget Regularis observantia, nec non beneficia tam curata, quam non curata, sæcularia, & regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, *etiam tamquam Sedi Apostolicæ Delegati*, annis singulis visitare possunt (ex Decreto Concilii Tridentini Sessione XXI. capit. VIII.) Vicarius Generalis Episcopi hanc jurisdictionis partem exercere potest in Monasteriis, & Beneficiis Episcopo jure ordinario subjectis: sed in exemptis exercere non potest vi istius Decreti, nisi ab Episcopo speciali mandato delegetur. Ideo sacra Congregatio Concilii censuit, si Episcopus visitare velit vi capitis quarti Sessionis sextæ, debere id personaliter agere, quia Concilium ait; *Per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis*. Si vero vi aliorum Concilii Decretorum sacram Visitationem obire velit, per Vicarium suum Genera-

lem, aut Visitatorem id exequi posse, modo legitime fuerit impeditus, ut permittit Concilium Sessione XXIV. capit. III. etiamsi de visitatione exemptorum ageretur juxta caput VIII. Sessionis XXI. cum dictum caput tertium hac in specie exemptiones tollat his verbis: *Non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, atque exemptionibus, & privilegiis quibusque*:

X. Dispensationes a Sede Apostolica gratiose concessæ suum non sortiuntur effectum, *nisi prius ab Episcopis, tanquam Delegatis Apostolicis, summarie tantum, & extra judicialiter cognoscatur, expressas preces surreptionis, vel obreptionis vitio non subjacere*; (ex Concilii Tridentini Decreto Sessione XXII. cap. V.) hanc vero cognitionem Vicarius Generalis Episcopi sine speciali mandato suscipere non potest, siquidem Episcopus ordinario jure hanc facultatem ante Concilium non habebat. Ideo sacra Synodus hoc loco non adhibet dictionem, *etiam*, sed simpliciter ait: *Nisi prius ab eisdem tanquam Deligatis Apostolicis cognoscatur, &c.*

XI. Concilium Tridentinum Sessione XXII. in Decreto *de observandis celebratione Missæ*, omnia, quæ ibi summatim enumerata sunt, & statuta omnibus locorum Ordinariis ita proponit, *Ut non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut Delegati Sedis Apostolicæ prohibeant, mandent, corrigant, statuant; atque ad ea inviolate servanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant*. Hæc potestas, quam jure ordinario Episcopi exercent respectu sæcularium, & eorum, qui non sunt exempti, in Vicarios Generales transfunditur. At respectu exemptorum auctoritate delegata, uti debent, quam Vicariis suis Generalibus demandare possunt, cum exemptiones nemini his in casibus suffragentur, *Non obstantibus privilegiis exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque*.

XII. Episcopi, *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati*, jus habent visitandi hospitalia, collegia quæcumque, & confraternitates laicorum, & pia loca omnia, etiam illorum cura ad laicos pertineat, *atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita*; ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, *ex officio suo, juxta sacrorum Canonum statuta* cognoscendi, & exequendi: *Non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio, aut statuto* (ex Decreto Concilii Tridentini Sessione XXII. cap. VIII.) Hæc facultas ordinario jure competens Episcopo, in Vicarium illius Generalem transfunditur.

XIII. Episcopus, *etiam tanquam delegatus Sedis Apostolicæ*, Notariorum capacitatem scrutari potest. Quæ potestas cum jure ordinario competeret Episcopo ante Concilium Tridentinum, ut innuit dictio, *etiam*, huic Decreto Sessionis XXII. cap. X. adjecta, in Vicarium Generalem Episcopi sine speciali mandato transfunditur.

XIV. Episcopi *Ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas Auctoritate Apostolica singulis annis visitare tenentur; & opportunis juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur; & cura animarum, si qua illius immineat, aliisque debitis obsequiis minime fraudentur appellationibus consuetudinibus, privilegiis, & pœnitus exclusis* (ex Decreto Concilii Tridentini Sessione VII. De reformatione, cap. VIII.) In omnibus etiam iis, quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant *jus, & potestatem habent Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ea ordinandi; moderandi, puniendi, & exequendi juxta Canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac Diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur*: exemptionibus non impedientibus (ex ejusdem Concilii Decreto, Sessione XXIV. cap X.) In his duobus Decretis Concilium promiscue loquitur tam de exemptis quam de non exemptis. Quamobrem hac utitur loquendi ratione: *Auctoritate Apostolica ...... etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati*. Quoad Ecclesias scilicet, ac personas sibi subditas uti potest Episcopus auctoritate ordinaria, quæ cum Vicario Generali communicatur: quoad exemptas vero delegata dumtaxat, quæ Vicario non competit ex generali mandato, quamvis illi speciatim demandari possit.

XV. Ecclesiæ sæculares nullius Diœcesis, ab Episcopo, cujus Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet: alioquin ab eo, qui semel in Concilio Provinciali a Prælato loci illius electus fuerit, *tanquam Sedis Apostolicæ Delegato* visitari debent, *non obstantibus privilegiis, & consuetudinibus quibuscumque, etiam immemorabilibus* (ex Concilii Tridentini Decreto, Sessione XXIV. cap. IX.) Jus illud, ac potestas ante Concilium non competebat Episcopo: ideo sacra Synodus Episcopum in hac specie negotii agere decrevit tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum. Quamobrem Congregatio Concilii interpres declaravit, Episcopum Ecclesias exemptas, vel nullius Diœcesis visitare volentem, exprimere debere se id agere tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum, illasque visitare posse etiam per Vicarium suum Generalem, sed opus esse speciali in scriptis facultate. Refert *Fagnanus* in capit. *Quoniam*, Extra, *De Officio Delegati*.

XVI. Tridentina Synodus Bonifacio VIII. Constitutionem, quæ incipit, *Periculoso*, renovans, Episcopis præcipit Sessione XXV. *De Regularibus*, capit. V. *Ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui; & ubi inviolata est, conservari maxime procurent: inobedientes, atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione seposita, compescentes*. Et cap. IX. Sessionis ejusdem statuit, ut *Monasteria Sanctimonialium Sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subjecta, ab Episcopis tanquam dicta Sedis Delegatis, guberen-*

bernentur. Jus, & potestas, quæ competunt Episcopo in Monasteriis Monialium illi jure ordinario subjectis quoad clausuram competit, & ejus Vicario Generali: in exemptis vero non competit, nisi eis speciatim ab Episcopo demandetur. In Monasteriis etiam Sedi Apostolicæ immediate subjectis nullam exercere jurisdictionem Vicarius Generalis potest sine speciali Episcopi mandato.

XVII. Accessiones per viam unionis factas a quadraginta annis citra, de beneficiis liberis ad Ecclesias jurispatronatui etiam laicorum subjectas, tam ad Parochiales, quam ad alia quæcumque beneficia etiam simplicia, Tridentina Synodus Sessione xxv. *De Reformatione*, cap. IX. *Nihilominus ab Ordinariis, tanquam a Sede Apostolica Delegatis, revideri, ac examinari* statuit, *ac quæ per surreptionem obtentæ fuerunt, simul cum unionibus irritas declarari, ut beneficia ipsa separentur, & aliis conferantur*. Decrevit insuper, ut Patronatus quicumque in Ecclesiis quibuscumque aliis Beneficiis, etiam dignitatibus antea liberis, acquisitis a quadraginta annis citra, & in futurum aquirendi, seu ex augmento dotis, seu ex nova constructione, vel alia simili causa, etiam auctoritate Sedis Apostolicæ, *Ab iisdem Ordinariis, ut Delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus, aut privilegiis impediantur, diligenter cognoscantur: & quos non repererint ob maxime evidentem Ecclesiæ, vel Beneficii, seu Dignitatis necessitatem legitime constitutos esse, in totum revocent; atque Beneficia hujusmodi sine damno illa possidentium, & restitutio Patronis eo, quod ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statum reducant.*

De his causis judicare non potest Vicarius Generalis, nisi sit ab Episcopo speciatim ad hoc delegatus: cum has facultates Episcopus jure ordinario non habeat, ut constat ex Clementina, *Romani*, Tit. *De Electione*; & propterea Concilium tribuat Episcopo hanc facultatem simpliciter tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, absque adjectione particulæ, *Etiam*.

XVIII. Episcopus, *etiam uti Sedis Apostolicæ Delegatus* in concubinarios Clericos agere potest, eos a beneficiorum administratione suspendere, & si ita suspensi concubinas non expellant, Beneficiis, portionibus, ac Officiis & pensionibus ecclesiasticis quibuscumque perpetuo privare (ex Concilio Tridentino Sessione xxv. *De Reformatione* cap. XIV.) Hæc facultas in Vicarium Generalem Episcopi transit, quoad non exemptos, quia & ante Concilium poterat Episcopus jure ordinario in concubinarios animadvertere, ut constat ex cap. *Cum multis*, & seq. Extra, *De cohabitatione Clericorum, & mulierum*. Quoad exemptos vero Vicarius Generalis indiget speciali Episcopi mandato: siquidem Concilium statuit, ut in ejusmodi causis Episcopus agat, *etiam ut Sedis Apostolicæ delegatus*.

XIX. Monasteria, quæ Generalibus capitulis, aut Episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares Visitatores, si infra præscriptum tempus in Congregationem se redigere neglexerint, *Episcopis, in quorum Diœcesibus sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis subduntur*: (ex Tridentini Concilii Decreto, Sessione xxv. *De Regularibus*, cap. VIII.) Verum cum hæc facultas prius Episcopo jure communi non competeret, prohibentibus exemptionibus, ut colligitur ex cap. *Sicut nobis*, Ext. *De supplenda negligentia Prælatorum*, cap. *Cum tempore*, Ext. *De Arbitriis*, & cap. *Cum olim*, 2. Ext. *De Privilegiis*, non censetur in Vicarium Generalem translata sine speciali mandato.

XX. In omnibus quidem, quæ voluntariam jurisdictionem, & ordinariam spectant, Vicarius Generalis vices gerit Episcopi. Excipienda tamen est beneficiorum collatio: Vicarius enim Generalis Beneficia conferre non potest, quorum collatio ad Episcopum pertinet, nisi hæc illi facultas speciali mandato concessa sit, ut constat ex capit. *Cum in generali*, Tit. *De Officio Vicarii*, in Sexto, cujus hæc sunt verba: *Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quæ non esset quis verosimiliter concessurus: nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa: Officialis, aut Vicarius Generalis Episcopi Beneficio conferre non possunt, nisi Beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa*. Potest tamen Vicarius Episcopi præsentatos a Patronis instituere, quamvis Episcopus facultatem conferendi Beneficia ipsi non concesserit, ut Zerola in Praxi Episcopali 1. P. verbo *Vicarius*, Num. 15. & alii Juris Canonici Periti docent. Verum cum unaquæque res per easdem causas dissolvatur per quas constituta est, ut habetur cap. *Omnis res*, Ext. *De Regulis Juris*, ejusdemque propterea potestatis sit exuere, cujus est investire: Vicarius Generalis cui potestas conferendi beneficia speciatim ab Episcopo non est demandata, resignationes Beneficiorum admittere non potest. Eadem ratione a receptione permutationum arcetur, quia permutatio Beneficiorum duplicem collationem requirit.

XXI. Excipienda rursus est ab ordinaria Vicarii Generalis jurisdictione facultas dandi litteras dimissorias ad Ordines, nisi Episcopus hanc illi speciatim concesserit, ut sancitum est, cap. *Cum nullus*, Tit. *de Temporibus Ordinationum*, in Sexto. Episcopo *tamen in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis, vel Sede vacante capitulum, seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi*, & dimissorias concedere, ut ibidem dicitur.

Hæc ad Quæstionem a te propositam habui, quæ responderem. Prolixitatem Epistolæ excuses velim: paucioribus etiam confici res non potuit.

Vale, meique ad Altare Domini memor esto.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias XII. quæ autem 3. erat, nunc 57.

EPISTOLA XXX.

Capituli potestas Sede vacante explicatur.

VENERANDO VIRO***

INSIGNIS ECCLESIÆ*** DECANO

De Illustrissimi, Religiosissimique Præsulis vestri obitu doleo ex animo ob egregias Viri dotes, eximiam virtutem, præcellentem eruditionem, zelum pro Ecclesiasticæ disciplinæ conservatione, vel restauratione incredibilem, profusam in pauperes beneficentiam, Pastoralem vigilantiam. Ipsius Animæ bene precor, Deumque oro, ut dignum Pastoralem, similemque successorem Ecclesiæ *** concedat, ac præficiat. Exequor interim quod optas, ut absque mora tibi per litteras breviter explicem fines potestatis Capituli Sede vacante: quod tamen non sine pudore quodam facio, cum in rerum Ecclesiasticarum praxi, Jurisque sacri notitia te peritissimum noverim.

I. Defuncto Episcopo Jurisdictionem Episcopalem ad Capitulum devolvi compertum est ex Cap. *Cum olim*, Ext. *De Majoritate, & Obedientia*, Cap. *Ad abolendam*, Ext. *De Hæreticis*, Cap. unico *De Majoritate, & Obedientia*, in Sexto, & Cap. 1. *De Institutionibus*, in eadem Collectione. Quamobrem Capitulum Sede vacante, judicare, excommunicare, absolvere potest; non tamen anathematizare, idest, excommunicare cum solemnitate, de qua Canon *Debent*, Causa XI. Quæst. III. Item potest visitare, quin etiam de delictis extra visitationem contra certas personas inquirere, ac in reos sententiam ferre per Vicarium a se institutum.

II. Capitulum Sede vacante beneficia conferre non potest, quorum collatio ad solum Episcopum pertinet, ut constat ex Cap. *Illa*, Ext. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, & Cap. I. *De Institutionibus*, in Sexto. Præsentatos tamen a Patronis potest admittere, si sint idonei, & eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint præsentati: licet ad Episcopum (si viveret) admissio, & institutio hujusmodi pertineret, ut constat ex eodem capite. Ratio autem, cur capitulum admittere, instituere, & confirmare possit præsentatos, vel nominatos a Patronis, non vero beneficia conferre, est quod confirmatio sit necessitatis justitiamque sapiat: cum per electionem jus quæsitum sit electio, eique sit debita confirmatio, modo legitima sit electio, personæque idoneæ, capacis, & dignæ, ut colligitur ex Cap. *Cum inter* 3. *De electione, & electi potestate*; sed collatio est voluntatis, & sapit gratiam, ut colligitur ex Cap. *Illa*, Ext. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, & ex Cap. *Cum in generali*, Tit. *De Officio Vicarii*, in Sexto. At capitulum Sede vacante non succedit in jurisdictionem voluntariam, sed in necessariam tantum, ut summo consensu docent Juris Canonici Periti.

III. Capitulum Sede vacante concedere non potest indulgentias: quod voluntariæ jurisdictionis est.

IV. Vicarius Capituli Sede vacante potest instituere concursum ad Parochiales Ecclesias vacantes, & magis idoneum præeligere, secundum præscriptum Concilii Tridentini Sessione XXIV. *De Reformatione*, Cap. XVIII. Hæc enim præelectio necessariæ jurisdictionis est, & justitiæ.

V. Jurisdictio Episcopo competens, ut Sedis Apostolicæ Delegato, in capitulum Sede vacante minime transfunditur.

VI. Bona, vel jura Ecclesiæ capitulum alienare non potest Sede vacante, ut colligitur ex Can. *Si qua de rebus*, & Can. *Precariæ*, Causa XII. Quæst. II. Cum enim Ecclesia pupillo comparetur, & jure minoris fruatur, ut habetur cap. *Auditis*, Ext. *De in integrum restitutione*: sicut pupillus nihil alienare potest sine auctoritate tutoris, ita nec Ecclesia sine voluntate, & consensu Episcopi. Exceptio tamen admittenda est in fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt, quales sunt res mobiles, quæ non durant triennio, vel usu consumuntur, & non fructificant. Has enim capitulum alienare potest, dummodo pretium servetur ut colligit Innocentius IV. in cap. *Novit*. Ext. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, argumento sumpto ex L. *Lex qua tutores*, C. *De administratione Tutorum*.

VII. Licentiam transeundi ad aliam Ecclesiam capitulum Sede vacante Clerico impertiri non potest, ut colligitur ex Canone, *Presbyteri*, Dist. XXIV. & Can. *Fraternitatem*, Dist. LXXI. Ratio est, quia major est alienatio personæ quam rerum: capitulum autem sine consensu Episcopi bona Ecclesiæ alienare non potest; multo minus igitur potest alienare personas.

VIII. Capitulum Sede vacante ordinandi licentiam, & litteras dimissorias infra annum a die vacationis concedere non potest, nisi arctatis ratione beneficii recepti, vel recipiendi: ad quod scilicet præsentatus sit Clericus, & quod Ordinem annexum habet, ad quem promoveri postulat: alioqui capitulum, & sic ordinati incidunt in pœnas a Concilio Tridentino statutas cap. X. Sessionis VII. *De Reformatione*. Solum autem capitulum, ex sacræ Congregationis Sententia, quibus casibus potest dimissorias concedere, potest Ordinum interstitia remittere, non capituli Vicarius, nisi ex speciali mandato.

IX. Capitulum tenetur infra octo dies post mortem Episcopi, Officialem, seu Vicarium Gene-

ralem

talem constituere, vel existentem confirmare, qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et, si Ecclesia ipsi Metropolitana fuerit, aut exempta, capitulumque (ut prætertur) negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta, Vicarium Generalem constituere poterit (ex Concilio Tridentino Sessione XXIV. *De Reformatione*, cap. XVI.) Unum tantum Vicarium deputare potest capitulum Sede vacante, nisi sit immemorabilis consuetudo constituendi duos, ut censuit sacra Congregatio Concilii Interpres, fulta ejusdem Concilii verbis loco mox laudato.

X. Vicarium a se institutum revocare capitulum potest, modo infra octo dies alterum instituat.

XI. Substitutio facienda propter absentiam Vicarii Generalis, aut aliorum Officialium capituli Sede vacante spectat ad ipsos Officiales, non ad capitulum, ut censuit sacra Congregatio: quia licet jurisdictio Sede vacante præcipue resideat penes capitulum, usus tamen jurisdictionis residet penes Vicarium Generalem ab eo institutum. Quamobrem nec capitulum absque Vicario suo Generali Visitatorem Diœcesis eligere potest, ut censent *Joannes Franciscus Pavinus* in Tractatu *De Officio*, *& potestate capituli Sede vacante*, *& Prosper Fagnanus* ad cap. *His*, *quæ*, Ext. *De Majoritate*, *& Obedientia*. Vale, meque tui singularem æstimatorem, ac tibi comprimis addictum ad Altare Domino commenda, quoties Sacris operaberis.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XXXI.

Alias XV. quæ autem 31. erat, nunc 10.

Qua ratione Capitulum Statuta condere, & pœnas in eorum transgressores possit decernere?

CLARISSIMO VIRO***

DE Quæstione, quam mihi proponis, ita censeo: capitulum Statuta condere potest de his, quæ non spectant Episcopum nec generalem statum Ecclesiæ, sed singularia ipsius capituli negotia: & pœnas decernere potest in transgressores Statutorum, non quasi jurisdictionem habens, sed ex conventione. Quæ tamen pœnæ non afficiunt Canonicos successores, nisi statuta sint ab Episcopo confirmata. Quamobrem die 30. Martii 1607. hoc dubio in sacra Congregatione Concilii proposito, Patres unanimi suffragio censuerunt, capitulum posse Statutis suis pœnas adjicere quasi conventione facta, modo sint ex eo pœnarum genere, quæ pacto promitti, atque in conventionem deduci possint: sufficereque ad hujusmodi Statuta condenda consensum majoris partis capituli; sed canonicos successores pœnalibus illis statutis non affici, nisi fuerint ab Episcopo confirmata. Refert *Fagnanus* in cap. *Cum omnes*, Ext. *De Constitutionibus*. Nostri tuis in Sacrificiis memor sis, etiam, atque etiam rogo. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XXXII.

Alias XVI. quæ autem 32. erat, nunc 45.

Potestas Episcopi in Regulares exemptos certis in casibus explicatur.

RELIGIOSISSIMO VIRO***

ORDINIS *** PROVINCIALI.

PRudentiam tuam, ac Religionem laudo plurimum, quod Ordinem nostrum, qui ad sacram Hierarchiam quam proxime accedit, in observantia Illustrissimis, ac Reverendissimis Episcopis debita contineri semper velis, nec Priores aut Fratres tibi subditos cum illis committi. Id ne contingat aliquando, jubes, ut Episcoporum auctoritatem in Regulares explicem, & uno velut aspectu intuendam proponam. Quod, ut tibi morem hac Epistola exequar cujus prolixitati parces, tametsi a rebus, verbisque inutilibus, quantum in me erit, temperabo.

Episcoporum potestas quoad Regularium approbationes ad Confessiones audiendas.

I. Regulares Confessarii ab Episcopo necessario sunt approbandi. Possunt Episcopi restringere, vel limitare eorum approbationes ad certas personas, necnon ad certa loca, & tempora, possunt eas revocare, vel Confessarios hujusmodi ab audiendis Confessionibus suspendere ex nova causa ad Confessiones pertinente. Approbati sine restrictione a Vicario Generali Episcopi possunt iterum ab ipso Episcopo revocari ad examen. Approbati ab Episcopo possunt ab ejus successore rursus examinari, & si minus capaces inventi fuerint, rejici. In una Diœcesi generatim approbati, Confessiones in alia Diœcesi audire non possunt absque Diœcesani Episcopi approbatione a casibus Episcopo reservatis Regulares absolvere non possunt, nisi hæc facultas ab illo concessa ipsis fuerit. Hæc partim ex Tridentino Concilio, partim ex Constitutionibus Sum-

morum Pontificum, præsertim ex Clementina, *Dudum*, Tit. *Sepulturis*, ex *Gregorii XV.* Constitutione, quæ incipit *Inscrutabili*, ex Clementis X. Diplomate, quod incipit *Superna*, ex Decreto Alexandri VII. in causa Episcopi Andegavensis, & Regularium ejusdem Diœcesis, &c. satis a me probata Lib. 11. *Theologiæ Dogmaticæ*, & *Moralis*, in Tractatu *De Sacramento Pœnitentiæ*. Hic tantum subjiciam sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretis, & Congregationis Episcoporum, & Regularium declarationes quasdam hæc disciplinæ capita spectantes, quas refert vir Juris Canonici Consultissimus *Prosper Fagnanus* in cap. *Grave*, Ext. *De Officio Ordinarii*.

„ Quæsitum est a sacra Congregatione Concili, 1. An Regulares ab Ordinario ad Confessiones audiendas, prævio examine approbati ad tempus, elapso tempore, tanquam semel „ approbati possint invito Ordinario deinde audire Confessiones? Congregatio censuit, *Non* „ *posse*.

„ Quæsitum est 2. an Episcopus volens ex nova causa Regulares semel ad Confessiones audiendas approbatos examinare, teneatur eam patefacere Superioribus Regularibus: & an de „ hujusmodi causa constare debeat, vel sit credendum Episcopo attestati hujusmodi causam subesse? Congregatio Concilii censuit, *Posse Episcopum ex nova causa, etiamsi de ea non constet in Actis, rursum examinare, ac minus repertum idoneum reprobare Regularem semel ad audiendas Confessiones approbatum, idque ejus arbitrio, quod tamen debebit esse moderatum, & discretum, & ita ut eo non abutatur. Verum ubi hoc facere voluerit, debere id Superioribus Regularibus significare, non quidem cum individua expressione causæ, sed tantum se velle ob novam, quæ supervenerit, causam, ab hujusmodi examen procedere*.

„ 3. Conquerentibus Regularibus S. Dominici Neritonensis quod dum essent prævio examine approbati ad Confessiones sæcularium audiendas a Vicario Generali Episcopi, dum Episcopus Romæ degeret, ille ad suam Ecclesiam reversus vellet eos rursus pro audiendis Confessionibus examini subiicere: Sacra Congregatio Concilii censuit, *Posse Episcopum rursum* „ *examinare Confessarios Regulares a suo Vicario approbatos*.

„ Quæsitum est a sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, an Episcopus qui Regulares ad Confessiones personarum sæcularium audiendas approbavit, possit eosdem ex nova causa ab iisdem confessionibus audiendis suspendere, aut licentias illis concessas revocare, non obstantibus quibuscumque privilegiis, & qualis hujusmodi causa esse debeat? Sacra „ Congregatio respondit: *Episcopum, quamvis simpliciter & absque ulla temporis præfinitione approbaverit Regulares ad Confessiones sæcularium personarum audiendas; posse tamen eosdem, si nova causa superveniat, suspendere, ac licentias illis concessas revocare, dummodo causa hujusmodi Confessiones ipsas concernat. Ceterum si Regulares cum scandalo, aut alias inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, propter quod rationabili Episcopi judicio videantur a Confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam voluit esse oneratam, cum præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas, sit integritas, vitæ ac morum honestas: utique eam causam ad Confessionis ministerium pertinere; ac proinde nihil obstare, quo minus ob eam possit Episcopus Regulares a semetipso approbatos suspendere, aut repellere a Confessionibus audiendis*.

„ Quæsitum est 5. a Congregatione Concilii, an Regulares possint personarum sæcularium „ Confessiones audire virtute licentiarum a decessoribus Ordinarii illis concessarum, etiam renuente Episcopo Ordinario pro tempore existente? Sacra Congregatio censuit, *Posse quandiu Episcopus non prohibuerit. Ceterum esse in facultate Episcopi successoris illos rursus examinare, atque interim prohibere*.

Approbatio ad audiendas Confessiones Monialium, etiam Regularibus subditarum.

II. Regulares deputari non possunt ad audiendas Confessiones Monialium, etiam Ordinibus suis subjectarum, absque approbatione Episcopi. Potest Episcopus ex legitima causa Superiores Regulares monere, ut hujusmodi Confessarios Monialium amoveant, si renuerint, aut neglexerint, potest Episcopus illos ab audiendis Monialium Confessionibus amovere. (Et constitutione Gregorii XV. quæ incipit, *Inscrutabili*) Regulares ad audiendas Confessiones Monialium unius tantum Monasterii ab Episcopo approbati, audire, non possunt Confessiones Monialium alterius Monasterii. Sic respondit sacra congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ut refert Fagnanus in cap. *Cum Capellas*, Extra *De Privilegiis*.

Expositio sanctissimi Sacramenti in Ecclesiis Regularium.

III. Non licet Regularibus, etiam in propriis Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario. Ex causa autem privata possunt ea conditione, ut Sanctissimum Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, & velatum remaneat, ita ut sacra Hostia videri non possit. Ita declaravit sacra Congregatio Concilii, ut refert Fagnanus in cap. *Grave*, Ext. *De Officio Ordinarii*.

Visitatio, & correctio Regularium extra claustra degentium.

IV. Regulares extra claustra degentes visitari, corrigi, & puniri possunt ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, non solum in Visitatione, ut sancitum est, cap. 11. Sessionis sextæ Concilii Tridentini, *De Reformatione*, sed etiam extra Visitationem, modo Episcopus in Diœcesi sua resideat, ut declaravit Pius Quartus in Constitutione de Residentia Episcoporum. Similiter Regulares Apostatæ, & ejecti ab Ordine subsunt Episcoporum Jurisdictioni, ut declaravit sacra Congregatio Concilii Interpres.

Regulares etiam intra claustra degentes, sub-

V. Regulares etiam intra claustra degentes, qui vel curam animarum personarum sæcularium exercent, vel personis sæcularibus aliquod Sacramentum prævia Episcopi licentia administrant,

ſtant, aut in alicujus Sacramenti adminiſtratione de facto abſque ulla auctoritate ſe ingerunt, plene in omnibus ſubjiciuntur juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, cum in aliqua ſacri illius Monaſterii parte delinquunt (ex Concilio Tridentino Seſſione XXV. *De Regularibus* cap. XI. ex conſtitutione Gregorii XV. quæ incipit, *Inſcrutabili*: & ex Declaratione Congregationis Concilii.)

ſunt juriſdictioni, & correctioni Epiſcopi, in his quæ ſpectant Sacramentorum adminiſtrationem perſonis ſæcularibus.

VI. Cum Regulares delinquunt circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa eorumdem Monialium clauſuram, aut circa bonorum eorumdem Monaſterium adminiſtrationem, nullius privilegiis, & exemptionibus tueri ſe poſſunt, quominus ab Epiſcopo loci, tamquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeant (ex laudata Gregorii XV. Conſtitutione.)

VII. Regulares adminiſtrantes bona ad eadem Monaſteria Sanctimonialium, etiam Regularibus ſubjectarum, pertinentia, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas reddere tenentur, ad idque juris remediis cogi, compelli poſſunt. Licetque Epiſcopo ex legitima cauſa admonere Superiores Regulares, ut eoſdem Adminiſtratores amoveant, iiſque negligentibus datur Epiſcopo facultas eos amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit (ex eadem Gregorii XV. Conſtitutione.)

Regulares circa Monialium clauſuram, aut bonorum earumdem adminiſtrationem delinquentes, &c. Epiſcopi correctioni ſubjiciuntur.

VIII. Regulares, qui Libros de rebus ſacris in lucem edunt, vel edi curant ſine nomine Auctoris, ſubjiciuntur pœnæ anathematis, a Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſtatutæ, & a Concilio Tridentino innovatæ Seſſione IV. de editione, & uſu ſacrorum Librorum. Iiſdemque pœnis illi ſubjiciuntur, qui ſcriptos communicant, vel evulgant, niſi antea examinati, probatique fuerint, ut declaravit ſacra Congregatio Concilii.

IX. Concilii Tridentini Seſſione V. *De Reformatione*, cap. I. ſtatutum eſt, ut in Monaſteriis Monachorum, commode fieri poterit, lectio ſacræ Scripturæ habeatur. Qua in re ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc, ut Sedis Apoſtolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.

Librorum de rebus ſacris tractantium examen, & approbatio.

X. Regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia; & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente prædicare præſumpſerint, idem Epiſcopus punire poteſt. (Ex Concilio Tridentino Seſſione V. *De Reformatione*, cap. II. ex Gregorii XV. Conſtitutione ſupra laudata, & declaratione Congregationis Concilii ab Urbano VIII. approbata.)

Scripturæ ſacræ lectio in Cœnobiis.

XI. Regularibus, qui errores, & ſcandala diſſeminaverint in populum, cum ſacræ Prædicationis munus obeunt, vel alias, etiamſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis Conciones habeant, Epiſcopus prædicatione interdicere poteſt (ex Concilio Tridentino Seſſione V. *De Reformatione*, cap. II.) Poſſunt etiam Epiſcopi, quo tempore concionandi licentiam dabunt, a Regularibus exigere profeſſionem fidei; ut declaravit ſacra Congregatio Concilii ab Archiepiſcopo Mediolanenſi rogata.

Epiſcoporũ in Concionatores Regulares auctoritas.

XII. Regulares promulgare, vel proponere populo Indulgentias non poſſunt ſine licentia, & approbatione Ordinarii (ex Concilio Tridentino Seſſione XXI. *De Reformatione*, cap. IX. & declaratione ſacræ Congregationis Concilii.)

Indulgentiarum promulgatio.

XIII. Concilium Tridentinum Seſſione XXII. *De obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſarum*, ſtatuit, *Ne patiantur Epiſcopi privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium a ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi.* Quibus verbis ſublatum eſt privilegium ab Honorio III. olim conceſſum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus celebrandi in Altari viatico, ſeu portatili; etiam Epiſcopo non permittente, ſecundum cap. *In his*, Ext. *De Privilegiis*. Declaravit autem ſacra Congregatio Concilii, hoc Decreto comprehendi etiam Regulares quantumvis exemptos, eoſque ea omnia, quæ ab Ordinariis locorum circa obſervanda, & evitanda in Miſſarum celebratione ſtatuta fuerint, omnino ſervare teneri, ad idque etiam pœnis, & Cenſuris Eccleſiaſticis ab iiſdem Ordinariis compelli poſſe.

Regulares ſtatutis Epiſcoporum circa obſervanda, & vitanda in celebratione Miſſę parere tenentur.

XIV. Confraternitates Laicorum in Eccleſiis Regularium conſtitutas Epiſcopus viſitare poteſt, atque ab illarum adminiſtratoribus rationes adminiſtrationis exigere (ex Concilio Tridentino ibidem) non tamen poteſt earum Capellas ibi ſitas, aut Altaria viſitare, niſi quatenus Confratrum adminiſtrationem ſpectant, ut reſpondit ſacra Congregatio Concilii.

XV. Regulares, qui Confraternitatum Laicorum, vel Hoſpitalium adminiſtrationem ſuſcipiunt, cogere poteſt Epiſcopus ad reddendas rationes adminiſtrationis ſingulis annis, & in eos, quos reos repererit, animadvertere, conſuetudinibus, & privilegiis quibuſcumque in contrarium ſublatis, ut ſtatuit Concilium Tridentinum Seſſione XXII. *De Reformatione*, cap. VIII. & IX. & ut declaravit ſacra Congregatio ejuſdem Concilii Interpres.

Rationes Epiſcopo reddendæ a Confraternitatum & Hoſpitalium adminiſtratoribus, etiam Regularibus.

XVI. Epiſcopi Regulares ordinandos ad interſtitia ſervanda juxta præſcriptum Tridentini Concilii Seſſione XXIII. *De Reformatione*, cap. XI. compellere poſſunt, ut eadem ſacra Congregatio declaravit.

Regulares ordinandos ad interſtitia ſervanda compellere poteſt Epiſcopus.

XVII. Regulares, qui Parochialium Eccleſiarum, aut aliarum ſæcularium, etiam annexarum contra gerunt, Synodo Diœceſanæ debent intereſſe: & qui alias ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec generalibus capitulis ſubduntur, compelli poſſunt ab Epiſcopis, ut ad Synodum Diœceſanam accedant (ex Concilio Tridentino, Seſſione XXIV. cap. II.) & contumaces privatione

Qui Regula-

res cogi possunt, ab Episcopo, ut adsint Diœcesanæ Synodo?

tione vocis activæ, & passivæ, aliisque pœnis arbitrariis, etiam excommunicationis, plectere potest Episcopus, ut declaravit olim sacra Congregatio Concilii, referente Fagnano in cap. *Quod super his* Extra, *De Majoritate, & Obedientia*.

Numerum Monialium præscribere potest Episcopus etiam in Monasteriis Regularibus subjectis.

XVIII. Numerum Monialium, etiam in Monasteriis Regularibus subjectis, Episcopus definire potest, secundum Tridentini Concilii Decretum Sessionis XXV. *De Regularibus*, cap. III. ita tamen, ut adjuncto Superiore Regulari id agat.

Monasteria sine licentia Episcopi erigi non possunt. Quibus conditionibus concedenda?

XIX. Monasteria tam virorum quam mulierum erigi non possunt sine licentia Episcopi in cujus Diœcesi erigenda sunt (ex Concilio Tridentino loco mox indicato.) Clemens VIII. ex sententiæ sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium die 26. Augusti 1603. declaravit, locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus, cujuscumque, etiam Mendicantium Ordinis, in civitatibus, & locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos concedere, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis, quorum interest; & causa cognita constiterit in eisdem civitatibus, & locis novos hujusmodi erigendo Conventus sine aliorum detrimento commode sustentari posse. Si vero ab eorum sententiis in hujusmodi causis ad Sedem Apostolicam appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque ab Apostolica Sede pronuntiatum fuerit. Gregorius XV. decrevit, ut deinceps novi Conventus non erigantur, nisi in eis duodecim saltem Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, competenter sustentari valeant. Urbanus VIII. decrevit, ut Conventus imposterum erigendi, in quibus duodecim Religiosi sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecti esse intelligantur. Quod Decretum Italiam solam non spectare, sed alia etiam Regna, & Provincias, declaravit sacra Congregatio Concilii, ut refert Fagnanus in cap. *Non amplius* Ext. *De Institutionibus*.

Episcopus animadvertere potest in Regulares fugitivos, & extra Conventus studiorum prætextu degentes.

XX. Regulares, qui sine Superiorum mandato in scriptis recesserint a Conventibus suis, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, & reperti fuerint, ab Ordinariis locorum tam. quam Instituti sui desertores puniri possunt. Illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantum habitare debent: alioqui in illos animadvertere potest Episcopus (ex Concilio Tridentino Sessione XXV. *De Regularibus*, capit. 4.)

Episcopi auctoritas in iis, quæ spectant clausuram Monialium.

XXI. Episcopi in his, quæ pertinent ad clausuram Monialium conservandam, aut ubi violata est, restituendam, in Monasteriis etiam exemptis, plenam auctoritatem habent, ut Sedis Apostolicæ Decreti (ex Concilio Tridentino Sessione XXV. *De Regularibus*, capit. V.) Unde licet Episcopo Monasteria Monialium, etiam Regularibus subjectarum, visitare, & singulas Moniales absque Regularium interventu alloqui, in iis, quæ clausuram spectant, examinare; & clausuram violantibus pænas infligere, ut declaravit sacra Congregatio Concilii, cujus ecce Decretum.

Die 26. Maii anni 1640. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Episcopum Colimbriensem, uti Sedis Apostolicæ Delegatum, potuisse quoad clausuram Monasteriorum Monialium Conventus, & Cellas Ordinis Cisterciensis Regularibus ejusdem Ordinis subjectas visitare, etiam assumpto secum Vicario Generali, & Confessario earumdem Monialium, Monialesque ipsas in iis, quæ ad eamdem clausuram pertinent, examini subjicere: semotis etiam suspicione violatæ clausuræ, & quacumque Superiorum Regularium negligentia, ipsisque inconsultis, & irrequisitis: ac insuper eidem Episcopo licuisse Rectorem Collegii dicti Ordinis ex supradicta causa inobedientem declarare in pœnam excommunicationis, ac alias comminatas incurrisse. J. CARDINALIS PANPHILIUS.

Vide Barbosam P. 3. *De Officio, & Potestate Episcopi*, p. 3. Alleg. 102. Zerolam in *Praxi Episcop.* p. 1. verbo *Moniales*, Piasecium in *Praxi Episcop.* De Visitatione sanctimonialium, art. 7. Tamburinum *De Jure Abbatissarum*, disp. 24. quæst. 9. num. 4. Galletum verbo, *Clausura*.

XXII. Eodem Tridentini Concilii capite sancitum est ut nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire e Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda; indultis quibuscumque, & privilegiis non obstantibus.

Quæ Monasteria Regularium Episcopis subiecta?

XXIII. In Monasteriis omnibus, quæ generalibus capitulis non subsunt, nec suos habent Regulares Ordinarios Visitatores, Episcopi jurisdictionem exercere possunt, prout cap. VIII. Sessione XXV. Concilii Trident. *De Regularibus*, statutum est. Nam si infra annum in Congregationem se redigere neglexerint, licet Metropolitano, in cujus Provincia sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, eos pro prædictis causis convocare. Quod si Metropolitanus id exequi non curaverit, Monasteria, eorumque personæ subduntur Episcopo in cujus Diœcesi sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato.

XXIV. Monasteria Monialium Sedi Apostolicæ immediate subjecta Episcopo subjiciuntur tanquam Sedis Apostolicæ Delegato (ex Concilio Tridentino Sessione XXV. *De Regularibus*, cap. IX.)

In Monasteriis, quibus cur a Paro-

XXV. In Monasteriis quibus imminet cura animarum personarum sæcularium, Regulares dictæ curæ, etiam pro tempore, ad nutum amovibiles perfici non possunt, nisi de Episcopi consensu, ac prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo, excepto Monasterio Clu-

nia-

niacensi cum suis limitibus, & exceptis etiam Monasteriis seu locis, in quibus Abbates Generales, aut capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis, seu Domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos & Parochianos exercent. Ita statuit Concilium Tridentinum Sessione xxv. *De Regularibus*, cap. xi.

chialis annexa est, Regulares hujusmodi curæ præfici non possunt sine consensu, & examine Episcopi. Exceptio.

Regulares publicare, & servare tenentur Censuras, & interdicta Ecclesiastica ab Episcopis promulgata.

XXVI. Censuræ, & interdicta Ecclesiastica ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a regularibus in eorum Ecclesiis publicari, atque servari debent (ex Concilio Trid. cap. xii. ejusdem Sessionis.) Cum autem dubitatum fuisset, an Episcopus prohibere posset, ne Regulares in Ecclesiis suis Sacerdotes exteros sæculares divina celebrare permittant, nisi prius ab Episcopo visis litteris commendatitiis Sacerdotes illi admissi fuerint? Sacra Congregatio Concilii respondit, *POSSE*.

Festos dies ab Episcopis præceptos servare tenentur Regulares.

XXVII. Dies etiam Festos, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus, servari debent, ut decernit ibidem Tridentina Synodus. Quod quidem Decretum sacra Congregatio Concilii ita intelligendum declaravit, ut Regularium ritus illis diebus festis nihilominus servetur, quoad Missas celebrandas, & alia divina Officia tam publice quam privatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persolvenda.

Controversias de præcedentia componere potest Episcopus.

XXVIII. Sessionis xxv. Concilii Tridentini *De Regularibus*, cap. xiii. tribuitur Episcopis facultas componendi controversias omnes de præcedentia, quæ persæpe maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas tam sæculares, quam Regulares, cum in Processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & deferenda umbella, remota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque.

Regulares exempti ad publicas Processiones ab Episcopo vocati, adesse tenentur.

XXIX. Statuit ibidem sancta Synodus, ut exempti omnes tam Clerici sæculares, quam Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas Processiones ab Episcopo vocati, accedere compellantur. Quod fieri posse censuit sacra Congregatio, etiam compellendo eos per pœnas, vel Censuras Ecclesiasticas; nec eo casu absolvi posse a suis Superioribus, quia sunt excommunicationes ab homine, quarum absolutio petenda est a Judicibus, qui eas tulerunt, vel a summo Pontifice. Excipit tantum sacra Synodus a publicarum Processionum officio Monachos, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt.

Punitio Regularium extra claustra delinquentium.

XXX. Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit, & extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat. Sin minus, a suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. Ita statuit iisdem verbis Concilium Tridentinum Sessione xxv. *De Regularibus*, capit. xiv. idemque decrevit Clemens VIII. Constitutione edita 18. Martii 1596. ac insuper statuit, ut si Superior sic delinquentem ad aliam Diœcesim transmiserit, postulante Episcopo intra terminum ab eo præscribendum, ad locum, in quo deliquit, illum revocare teneatur: alioquin Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, ab Ordinario loci, ubi delictum commissum est, rogatus, vel alias de delicto certior factus tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus Decretum Concilii exequi, & illum punire possit, ac debeat. Regularem vero extra claustra delinquere sacra Congregatio declaravit, etiam cum in Ecclesia Monasterii delinquit, nisi clausis januis, & solis Regularibus in ea existentibus delictum sit commissum. Ceterum cum extra claustra delinquit, statim remittendum esse ad suum Superiorem una cum inquisitionibus, & probationibus, si quæ sint, sacra Congregatio declaravit.

Renuntiationes, & obligationes Novitiorum cum licentia Episcopi.

XXXI. Ejusdem Sessionis cap. xvi. irritæ declarantur renunciationes, & obligationes quælibet Novitiorum, etiam in favorem cujuscumque causæ piæ, nisi fiant cum licentia Episcopi, aut ejus Vicarii Generalis infra duos menses ante Professionem.

XXXII. Statuitur ibidem, ut Novitiis a Monasterio ante professionem abeuntibus, & habitum regularem dimittentibus, omnia restituantur, quæ sua erant. Idque ut recte fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas si opus fuerit, compellat.

Puellæ ante susceptionem veli, & Professionem ab Episcopo examinandæ.

XXXIII. Sancta Synodus Sessionis ejusdem xxv. *De Regularibus*, cap. xvii. statuit, ut si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia Professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, aut impedito, ejus Vicarius, vel aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat: & si voluntas ejus pia, ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta Monasterii illius, & Ordinis regulam, nec non Monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat. Cujus Professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta Monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quandiu Episcopo videbitur, ab Officio suspensa sit.

Judicium de nullitate Professionis, qua ratione ad Episcopum pertineat.

XXXIV. Ordinarius debet adhiberi una cum Superiore Regulari in judicio de nullitate Professionis (ex Concilio Tridentino Sessione xxv. *De regularibus*, cap. xix.) sive professus vota sua irrita esse contendat, sive Ordo illum tanquam non professum expellere velit, ut declaravit sacra Congregatio Concilii. De nullitate tamen Professionis, ex eo quod facta non fuerit in Conventu pro Novitiatu designato juxta Decreta Clementis VIII. & Urbani VIII. judicare non potest Episcopus nisi ex speciali Sedis Apostolicæ mandato, sub pœna Interdicti: Abbas vero, seu Prælatus Regularis sub pœna excommunicationis; sed hujus causæ cognitio Sedi Apostolicæ

est

Regularium ob notorium delictum excommunicatorum publica denuntiatio. Regulares in personam Episcoporum delinquentes, & eorum jurisdictionem turbantes, ab illis puniri possunt.

est reservata, ut declaravit sacra Congregatio Concilii, approbante Urbano VIII. die 5. Januarii 1636.

XXXV. Regulares, qui ob notorium delictum in excommunicationem incurrerunt, Episcopus publice excommunicatos denuntiare potest, ut ab aliis vitentur, ut declaravit sacra Congregatio Concilii.

XXXVI. Regulares, etiam S. Joannis Jerosolymitani, qui in personam Episcoporum delinquunt, ipsorumve jurisdictionem turbant, aut illos impediunt, ne munus suum exequantur, iidem Ordinarii legitime coercere, & punire possunt; incidduntque in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini, ut declaravit sacra Congregatio Concilii, cujus sententia a Gregorio XIII. probata est.

Hi sunt casus, & negotiorum species præcipuæ, in quibus Episcoporum jurisdictio in Regulares extenditur, immunitatibus, sive exemptionibus, ac privilegiis nequicquam prohibentibus. Vale, meque tui semper observantissimum habeto.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias IX. quæ autem 33. erat, nunc 46.

EPISTOLA XXXIII.

Episcopus promovere non potest ad sacros Ordines juvenem in suo Seminario institutum, eo solum titulo, quod patrem divitem habeat, cujus aliquando heres erit.

ILLUSTRISSIMO PRÆSULI ***

JUbet amplitudo tua, ut sententiam dicam de quæstione, quam proponit. Juvenem habet in suo Seminario optimæ indolis, annos viginti duos natum, Philosophicis, ac Theologicis disciplinis instructum, moribus optimis præditum, a Deo vocatum ad Sacerdotium. Patrem habet divitem, qui filium unicum vitæ sæcularis, connubiique vinculis illigare velit; ideo bonorum patrimonialium congruam, sufficientemque portionem filio in Titulum non vult assignare. Quæris utrum illum nihilominus ad sacros Ordines promovere possis, nullo prius ipsi collato beneficio, cujus ad Titulum ordinetur cum certum sit, illum in patris bona successurum? Pareo jussioni amplitudinis tuæ.

Clericum illum promovere non debes, nec jure potes, nisi beneficium Ecclesiasticum ad sustentationem sufficiens ipsi contuleris. Ad Titulum enim patrimonii non potest ordinari, cui nulla bonorum patrimonialium portio assignata est; siquidem perspectum prius esse debet Episcopo, patrimonium vel pensionem ab eo, qui ad sacros Ordines promovendus est, vere obtineri, & ad vitam congrue sustentandam sufficere, ex Trident. Concilii Decreto. Statuit præterea sancta Synodus, ut patrimonium illud, vel pensio in Titulum Clerico promovendo assignata, alienari, extingui, aut remitti non possit sine licentia Episcopi: quod caveri non potest de bonis, quæ actu non possidentur, sed spe duntaxat, & jure ad paternam hæreditatem. *Patrimonium vero* (inquit Concilium) *vel pensionem obtinentes ordinari post hac non possint nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum: eo quoque prius perspecto*, PATRIMONIUM ILLUD, VEL PENSIONEM VERE AB EIS OBTINERI, *taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint; antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* Hoc sacræ Synodi Decreto reiicitur manifeste Tancredi, Hostiensis, Imolæ, & Decii opinio, asserentium, Clericum posse ad sacros Ordines promoveri, si patrem habeat divitem, nec Ordinatorem pœnis Canonum antiquorum obnoxium esse, idest ad alimenta sic ordinato subministranda, vel conferendum illi Beneficium Ecclesiasticum sufficiens, teneri, quia ad Titulum patrimonii tacite ordinatus censetur. Hæc, inquam, opinio reiicitur, quandoquidem, ut recte observat Fagnanus in cap. *Episcopus*, Extra, *De Præbendis*, ,, patrimonium patris non est patrimonium filii vere, sed interpretative, seu per ,, quamdam juris fictionem, secundum quam pater & filius censentur una, & eadem persona. ,, At ex Concilio hujusmodi præsumptio, sed fictio non sufficit; sed exigitur, ut promovendus patrimonium illud vere obtineat; obtinere autem non dicitur, qui actionem habet, ,, vel jus ad rem, sed qui habet jus in re, & legitime possidet. Et adverbium illud, *vere*; ,, fuit oppositum a Concilio ad hujusmodi fictiones excludendas. Præsertim vero quia Concilium paulo post adjecit, ut patrimonium illud deinceps sine licentia Episcopi alienari non ,, possit: quæ verba non conveniunt nisi bonis vere assignatis in Titulum, non autem bonis ,, paternis, quorum pater habet liberam dispositionem. Amplitudini tuæ prospera omnia a Deo ,, adprecor. Vale mihique tui observantissimo benedicas.

Sess. 21. cap. 2.

Lutetiæ Parisiorum.

EPI-

EPISTOLA XXXIV.

Alias x. quæ aut. 34. erat, nunc 8.

An juvenis ex parentibus Calvinianis in Gallia genitus, qui post Edicti Nannetensis abrogationem in hæresi pertinaces manserunt, & in Angliam transfugerunt, ad Ordines, & Beneficia sine Pontificia dispensatione promoveri possit?

CLARISSIMO VIRO***

SEntentiam meam rogas, VIR CLARISSIME, de juvene ex parentibus Calvinistis nato, qui post Edicti Nannetensis abrogationem a Christianissimo Rege, in hæresi pertinaces manserunt, & in Angliam transfretarunt. Juvenis iste (ut scribis) optat in Clerum cooptari, & per Ordinum Ecclesiasticorum gradus ad Sacerdotium suo tempore promoveri. Catholicæ fidei probata integritas, & firmitas, probitas morum, litteraturæ sufficientia ipsi suffragantur; Titulus patrimonialis non suppetit; vellet Episcopus ipsi providere collatione beneficii. Quæris quid facto sit opus. Utrum sit irregularis, Ordinumque, & Beneficiorum Ecclesiasticorum ob præcedentem suam, & parentum hæresim incapax? Et si res ita se habet, utrum cum illo dispensare possit Episcopus, aut necessaria sit Summi Pontificis dispensatio?

Non te latet, Vir Clarissime, quam antiqua sit hominum, qui olim hæretici fuerunt, irregularitas. Hujus irregularitatis testis est Illiberritana Synodus Canone 51. Testis S. Augustinus variis in locis Operum suorum contra Donatistas, cum quibus tamen dispensatum est a Melchiade Summo Pontifice, & ab aliis Episcopis, ut extra Ecclesiam ordinati, ad eam redeuntes in suis Ordinibus susciperentur. Testis Nicæna Synodus, quæ cum solis Novatianis dispensavit Canone Octavo. Legem firmavit Innocentius I. dispensationem a Nicæna Concilio Novatianæ sectæ Clericis ad Ecclesiam redeuntibus concessam, ad aliarum hæresum Clericos non pertinere declarans, Epistola XXII. Cap. VI. iis, qui ex parentibus Donatistis nati erant, & in ea secta baptizati, dispensationem, ut ad sacros Ordines promoverentur, concedere proprio arbitrio, & auctoritate noluerunt Africanæ Ecclesiæ Episcopi, sed ea de re ad Siricium Pontificem Maximum scripserunt, & ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum, ut constat ex Concilio Africano, seu potius ex collectione variorum Canonum Ecclesiæ Africanæ, Canonibus 14. & 24. *Tantum* (inquiunt Africani Patres) *de his, qui infantes baptizati sunt, satagimus, ut nostræ, si placet, in eisdem ordinandis consentiant voluntati*. Æquum scilicet videbatur, ut eos, qui parvuli baptizati erant apud Donatistas nondum scire valentes erroris eorum interitum, & compotes rationis facti, agnita veritate, ad Ecclesiam Catholicam animo sincero conversi, & per manus impositionem recepti erant, ad Clericatum suscipiendum *non impediret nomen erroris*, præsertim *in tanta rerum necessitate*. Testes sunt ejusdem irregularitatis S. Athanasius in Epistola ad Rufinianum: S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos: S. Leo Epistola 14. alias 3. Cum iis tamen, *qui Professionibus plenissime scriptis* pristinos errores ejurassent, & hæreses condemnassent, S. Leo dispensavit, ut sacris Ordinibus initiarentur, Epistola 109. alias 71. Cum Nestorianis dispensavit S. Gregorius, ut servatis propriis Ordinibus in Catholicam Ecclesiam reciperentur. (Lib. IX. Epist. LXI.) Agapetus Papa ex Arianis ad Ecclesiam redeuntes, *quolibet modo, in qualibet ætate, illius pestilentiæ labe pollutos*, a Clericatu exclusit, *ut erubescerent aliud magis quærere, quam redire*. (Epist. 11.) Cum Clericis Arianis sincere conversis, & dignam vitam morum, & actuum probitate custodientibus, dispensandum decrevere Concilia, Aurelianense I. Canone 10. & Cæsaraugustanum. Nicolaus III. Constitutione in Romano Bullario edita, Alexander Quartus cap. *Quicumque*. Innocentius Quartus, & Bonifacius VIII. cap. *Statutum*, Tit. *De Hæreticis*, in Sexto, Filios & nepotes Hæreticorum irregulares declarant, & beneficiorum incapaces. *Statutum felicis recordationis Innocentii, & Alexandri prædecessorum nostrorum* (inquit Bonifacius VIII.) *ne videlicet hæretici, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad aliquod Beneficium Ecclesiasticum, seu publicum Officium admittantur; quod si secus factum fuerit, sit irritum, & inane: primum, & secundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus: per maternam vero ad primum duntaxat hoc volumus extendi. Hoc sane de filiis, & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum hujusmodi, qui tales esse, vel etiam tales decessisse probantur, intelligendum esse videtur: non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ unitati, & pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiæ Pœnitentiam recepisse: quam ipsi, vel jam perfecerunt, vel humiliter persecutioni ejus insistunt, vel parati fuerint ad recipiendam eamdem*. Solam irregularitatem ad Beneficia, non ad Ordines, Decretales illæ Pontificum exprimunt. Irregularitas tamen, quæ homines olim hæreticos, & filios hæreticorum, incapaces Ordinationum sacrarum efficit secundum veterem disciplinam, sublata non est jure novo: maxime cum infames arceantur a Clero, & infamia comitetur hæresim, ut Navarius, & omnis Canonistarum natio testatur. In illis quidem regionibus, in quibus illa disciplina consuetudine contraria abrogata est, & hæretici tolerantur, ut in Germania, & olim in Gallia ante Nannetensis Edicti revocationem, hæreticos post conversionem irregulares non manere, & multo minus eorum filios, plerique casuum conscientiæ arbitri * censent.

S. Aug. Epist. 43. alias 162 & Ep. 185. alias 50. c. 10.

* Savrus lib.

Verum

6. de Censuris cap. 10. Heriquez lib. 14. c. 7. n. 4. Tannerus lib. 1. de Fide q. 8. dub. 6. n. 122. Bonacina disp. de Irreg. q. 3. punct. 7. propos. 2. n. 9. & alii. Const. 2. in bull. Rom. Tom. 1.

Verum cum post Nannetensis Edicti abrogationem hæretici non amplius in Galliis tollerentur, jamque antea Regiis Edictis a publicis Officiis exclusi essent, infamiam ex eo tempore hæresis professioni adjunctam in hoc Regno, & omnibus Regis Christianissimi ditionibus constat; adeoque irregulares esse, & incapaces non modo beneficiorum, sed Ordinum Ecclesiasticorum hæreticos, etiam post conversionem; eamque irregularitatem ab illorum filiis esse contractam cum infamia juris. De illa porro irregularitate mihi videtur dispensare non posse Episcopum. Beneficiorum namque collationem hujusmodi hominibus factam Nicolaus III. Constitutione sua irritam declaravit. *Hæretici autem* (inquit) *receptores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu Officium admittantur: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane. Nos enim prædictos ex nunc privamus beneficiis acquisitis, volentes, ut tales & habitis perpetuo careant, & ad alia similia nequaquam imposterum admittantur.*

„ Ea de re olim controversiam contigisse in Rota refert Fagnanus, & re ad Clementem „ VIII. Pontificem Maximum delata die 3. Novembris anni 1594. Sanctissimum in Generali „ congregatione sanctæ Inquisitionis proposito articulo, consultisque Cardinalibus, & reliquis „ Prælatis Consultoribus, qui præsentes aderant auditisque Cardinalibus Inquisitoribus senioribus, „ affirmantibus non esse Inquisitionis usu receptam doctrinam asserentium, filios hæreticorum „ propter parentum hæresim privari beneficiis habitis: censuisse hanc opinionem „ tanquam mitiorem fore amplectendam: & iterum referente D. Justo die 23. Decembris „ immediate sequentis, Sanctitatem suam dixisse, se allocutum fuisse Congregationem sanctæ „ Inquisitionis, & reperisse sanctum Officium servare opinionem negativam tamquam beni„ gniorem, & idcirco non esse locum disputationi. Sed postea die 6. Martii 1598. dubio exa„ ctissime discusso, de mandato Sanctissimi Rotam declaravisse filios hæreticorum esse priva„ tos ipso jure beneficiis, & pensionibus, etiam ante delictum obtentis, seu reservatis: & „ hanc opinionem dixisse esse veriorem de jure, & communiter receptam, eamque probari ex „ pluribus Romanorum Pontificum Constitutionibus, nempe Innocentii Quarti, Alexandri „ Quarti, & præcipua ex illa Nicolai III. Refert Fagnanus in 1. P. Libri v. Decretalium, „ Tit. *De Hæreticis*, ad cap. *Vergentis*.

Quærit ibidem Vir Juris Canonici consultissimus, utrum Episcopus possit dispensare cum filiis hæreticorum ad Officia, & beneficia Ecclesiastica? Quæstioni hunc in modum respondet: „ Cum explorati sit juris hæreticorum filios nec ad Beneficia Ecclesiastica, nec ad Officia, „ vel Honores admitti debere, cap. *Quicumque*, Tit. *De Hæreticis* in Sexto; non videtur Epi„ scopus habere facultatem cum eis dispensandi. Primo quia cum textus dicti capitis contineat „ decretum irritans; *Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane:* sequitur, ut „ Episcopus dispensare non possit. Nam etiam in adulterio, & minoribus criminibus Episco„ pus non potest dispensare, quando leges, vel canones prohibentes annullant actum factum „ contra prohibitionem. Deinde, quia Nicolaus III. in costitutione superius relata statuit, ut „ hæretici, eorumque filii usque ad secundam generationem beneficiis habitis perpetuo careant, „ & ad alia similia nequaquam imposterum admittantur. Quibus verbis censetur adempta Epi„ scopis dispensandi facultas, ut notat Glossa in cap. *Cupientes*, §. *Ceterum*, verbo *perpetuo*, „ Tit. *De Electionibus*, in Sexto. Denique cum filii hæreticorum, qui læserunt Majestatem „ divinam, non minus videantur infames, quam filii conspirantium adversus Principem: infa„ mia hujusmodi per solum Principem, sive Summum Pontificem aboleri potest, non per Epi„ scopum. Hæc Fagnanus.

His omnibus perpensis, censerem, juvenem, de quo sententiam meam rogas, esse irregularem; nec Beneficiorum tantum, sed Ordinum omnium Ecclesiasticorum, & Clericatus incapacem ob præcedentem suam, & parentum suorum in Calvinismo pertinacium hæresim. Episcopum cum illo dispensare non posse: sed Summo Pontifici supplicandum, ut juveni, cujus optimas dotes, fideique Catholicæ firmam integritatem, ac morum probitatem Episcopus probavit, Sanctitas sua gratiam faciat, & canonicum impedimentum auctoritate sua auferat. Si tamen usu sit receptum, ut Gallicani Episcopi, etiam num post Edicti Nannetensis abrogationem dispensent cum hominibus ab hæresi conversis, & cum filiis hæreticorum pertinacium, ut ad Ordines Ecclesiasticos, & Beneficia promoveantur: Reverendissimus, & Religiosissimus Episcopus R. receptum in Ecclesia Gallicana usum, si ita ipsi videbitur, sequi poterit. Vale, meique in sacrosancto Altaris Sacrificio memineris. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias XVIII. quæ autem 35. erat, nunc 46.

EPISTOLA XXXV.

Solutio dubiorum circa materiam Irregularitatum.

CLARISSIMO VIRO***

Dubia quædam circa materiam Irregularitatum mihi proponis, eorumque solutionem rogas. Id officii tibi libenter impendam.

Du-

Dubium I. Martinus Presbyter, cum audiffet, Jacobum laicum muliere quadam foluta ipfius Martini nepte abuti, & concubia nocte domum ejus ingreffum, tenebrarum negotium peragere armatus ipfe, aliifque confanguineis pariter armatis comitatus ad domum dictæ neptis acceffit, intentione compellendi Jacobum, ut matrimonium cum illa contraheret, non ut illum occideret. Verum ftatim ac Jacobus audivit fores pulfare, fe in aream domus e feneftra præcipitem egit, fubitoque exanimatus eft. Quæris, utrum Martinus fit Irregularis?

Dubium II. Joannes Subdiaconus cum noctu ad mulierem conjugatam acceffiffet de abfentia viri certior factus, vir improvifo cafu rediens uxorem in flagitio deprehenfam occidit, cum adulter evafiffet. Quæris, an Joannes fit Irregularis, ita ut acta pœnitentia, ad fuperiores Ordines fine Pontificia difpenfatione afcendere non poffit?

Dubium III. Petrus Presbyter, Parochus S. Nicolai de *** iter agens, ad hofpitium divertit, in quo tres laici poft multam compotationem rixati enfibus diftrictis digladiati funt, unufque ex eis cæfus eft, Petro Presbytero præfente quidem, fed diffuadente, & ad concordiam adhortante, veruntamen nihil aliud agente, quia metu correptus, & viribus fuis diffidens, tres in mutuam furentes perniciem folus ipfe cohibere non potuit. Quæris, an fit Irregularis hoc ipfo, quod homicidio interfuit, quamvis homicidæ teftificati fint illum criminis confcium nullatenus fuiffe? Quæris infuper, utrum Epifcopus illum a facris functionibus prohibere debeat; & Vicarium Ecclefiæ Parochiali, cujus Rector eft, ejus fumptibus alendum præficere, donec difpenfationem a Summo Pontifice obtinuerit.

Dubium IV. Robertus Clericus afcendit campanile in vigilia Fefti folemnis, & dum fune una manu apprehenfo, altera campanam crebro pulfaret, animadvertens campanam dimoveri, e tabula, cui infidebat, defcendit, funem furfum traxit: dum autem attraheret, perfenfit funem gravi pondere onuftum; fed tamen trahere perrexit, & alligavit trabi, ne campanas ad modulos pulfando, a quoquam impediri poffet. Feftivo fonitu finito, e campanili defcendens, reperit puerum moribundum fubtus funem campanæ, qui fe cannabi appenderat, ut pueri ludendo folent, & ufque ad fornicem elatus, cafuque cæfus fuerat. Quæris utrum Robertus Clericus fit Irregularis?

Dubium V. Alfonfus Abbas mandavit famulis, ut hominem rufticum in ejus agris, aut nemore cum catapulta frequenter venationi indulgentem fufte verberarent, prohibitione tamen addita, ne mutilarent: vel occiderent. Famuli herilis mandati fines prætergreffi, rufticum exarmarunt, propriæque catapultæ cornu in caput ejus impacto, occiderunt. Quæris, utrum Alfonfus Abbas fit Irregularis ea irregularitate, quæ ex homicidio voluntario oritur, adeo ut a facris Minifteriis, & afcenfu ad majores Ordines, Beneficiis, & Officiis Ecclefiafticis in perpetuum exclufus, abfque ulla fpe difpenfationis manere debeat, fecundum Tridentini Concilii Decretum Seffione XIV. cap. VII.

Dubium VI. Sacerdos quidam ruralis ad exquirenda vafa ftannea, & pateras argenteas in puteum a fure projectas, eo demifit adolefcentem fune novo, ac forti colligatum, eumque appenfum fuftentabat, donec pateras, & vafa expifcaretur; accidit ut funis, qui ore putei refricabatur, dum adolefcens fenfim extrahebatur onuftus, dirumperetur; qui in aquam fuo, farcinæque pondere ruens, fuffocatus eft. Quæris, utrum Sacerdos ille, quem rei illicitæ operam non dediffe conftat, ob homicidium omnino fortuitum Irregularis evaferit?

Ad primum refpondeo, Martinum Irregularem non effe, quia proxima caufa non fuit, cur Jacobus e feneftra fe præcipitem daret. Venerat, non ut occideret, fed ut terreret; atque ad neptem, quam feduxerat ducendam compelleret: ille apprehendi metuens, nec inveniens exitum, qua fugeret, e feneftra profilire voluit in aream, ac mortem fibi demens confcivit, cui nullatenus cooperatus eft Martinus, in cameram, ubi erat cum ejus nepte, nondum ingreffus. Irregularitatem in fimili fpecie Clericum non contraxiffe cenfuit facra Congregatio Concilii Tridentini Interpres die 29. Novembris anno fecundo fupra millefimum fexcentefimum, fulta cap. *Exhibita*, Ext. *De Homicidio*, cujus hæc funt verba: *Exhibita nobis J. Clerici confeffio; quod cum in puerili effet conftitutus ætate, cum quibufdam coætaneis fuis ludens, & infequens unum ex illis, lapidem poft eum, non animo lædendi, fed timorem incutiendi projecit: qui licet ex projecto lapide percuffus non fuerit, neque tactus, ad alium tamen lapidem corruens, & caput offendens, tum propter imperitiam medicantis, tum propter patris incuriam, qui laboribus, & fudoribus ipfum expofuit, expiravit. Quia vero dictus Clericus, ut mitigaretur dolor patris defuncti, veniam fuper hoc poftulavit ab ipfo, tu eum a facrorum Ordinum fufceptione repellis: quamquam idem defuncti pater in extremis laborans, tibi, & Presbytero, cui fuam aperuit confcientiam, confeffus fuerit, & præftito firmaverit juramento, nihil ipfum in morte filii fui (prout fibi confliterat) commififfe. Quare idem Clericus poftulavit a nobis, ut cum de illius obitu læfam non habeat confcientiam, dignaremur agere mifericorditer cum eodem. Quocirca mandamus, quatenus fi conftiterit ita effe, ipfum propter hoc a receptione facrorum Ordinum non repellas.*

Ad fecundum refpondeo, Joannem Subdiaconum irregularem non effe, quamvis rei illicitæ operam daret; quia mortis, quam maritus adulteræ uxori intulit proxima caufa non fuit, nec furtiva ejus libido tendebat ad cædem, quæ omnino ex accidenti confecuta eft. Ita cenfuit in fimili fpecie facra Congregatio Concilii die trigefima Julii, anno millefimo fexcentefimo decimo, ut refert *Fagnanus* in cap. *De cetero*, Ext. *De Homicidio*. Ceterum fi adulterium ejus notum

tum sit, ad altiores Ordines non est admittendus ob infamiam criminis, & ob scandalum. Sed & si occultum fuerit, ad sacros tamen Diaconatus, & Presbyteratus Ordines accedere Joannes non debet, nisi acta diu pœnitentia, sive in Monasterio vitam Religiosam professus, sive in Seminario, secundum prudentis, & pii Directoris consilium: quamvis ex occulto illo crimine irregularis non fuerit.

Ad tertium respondeo, Petrum Presbyterum in ea specie irregularitatem non contraxisse, siquidem nullatenus particeps criminis fuit; non ope, non consilio, non mandato, nec silentio quidem occasionem homicidio dedit; imo rixantes ad pacem hortatus est, pugnam, & cædem dissuasit quantum in ipso erat, proindeque illi non convenit hoc Juris effatum, cap. *Sicut dignum*, Extra, *De Homicidio*, quod Alexandri III. responsum est: *Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare*. Quamvis porro Speculator Tit. *De dispensat. §. juxta*, num. 56. Tabiena in verbo *Irregularitas*, 2. num. 31. & Majolus *De Irregular.* Lib. 5. Cap. 48. §. 5. num. 1. afferant, ad Irregularitatem contrahendam satis esse, ut aliquis interfuerit homicidio, tametsi non percusserit; non tamen intelligendi sunt de eo, qui casu reperitur in loco, ubi homicidium perpetratur, sed eo, qui homicidam comitatur, ut ipsum defendat, si necessitas postulet; vel ipsum non prohibet a cæde, cum possit; vel certe illum præsentia sua reddit audaciorem, & fortiorem, cum ejus adversarii comitatum magis timeant, quam solum. At in proposita specie nihil hujusmodi occurrit: itaque Petrus Presbyter Iregularitatem non contraxit, ut colligitur ex Canone, *Si quatuor*, Causa XXIII. Quæst. VIII. Can. 33. *Si quatuor, aut quinque homines, seu etiam plures contra unum hominem rixati fuerint, & ab his vulneratus mortuus fuerit, quicumque eorum plagam ei imposuit, secundum statuta Canonum, ut homicida judicetur; reliqui autem, qui cum impugnabant, volentes eum interficere, similiter pœniteant; qui vero, nec eum impugnabant, nec vulnerabant, nec consilio, nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantum adfuerunt, extra noxam sunt*. Aliud tulit judicium Alexander III. de Presbytero, qui in quodam conflictu studiose præsens fuerat, quamvis ab illorum partibus staret, qui violentiam repellebant; & lapides ipse projecerat, quamvis neminem percussisset: quia tamen in illo conflictu homicidia per alios perpetrata fuerant Presbyterum illum, ad exemplum quo Clerici a præsentia hujusmodi conflictibus exhibenda deterrerentur, a celebratione Missarum per biennium suspendit, cap. *Præsentium*, Ext. *De Clerico percussore*. Sed alia longe causa est Petri Presbyteri, qui casu fuit in eodem hospitio, in quo ebrii rixati sunt, & in mutuam cædem enses distrinxerunt: illisque pugnam, & cædem frustra dissuasit, nec eorum furorem sedare, aut impetum, ac violentiam cohibere potuit. Quamobrem Episcopus inquisitione facta per suum Officialem, & comperta facti, prout propositum est, veritate, illum suo ministerio fungi, & Parochiam regere sinat: siquidem, etsi res dubia videretur, in foro tamen contentioso *Pœnæ legum interpretatione molliendæ sunt potius, quam exasperandæ*, ut dicitur Canone *Pœnæ*. Dist. 1. *De Pœnitentia*: & *In pœnis benignior est interpretatio facienda*, secundum regulam Juris in Sexto.

Ad quartum respondeo, Clericum, qui campanas pulsabat in campanili, in casu proposito Irregularitatem contraxisse, quia debitam deligentiam non adhibuit: dum enim funem sursum trahens sentiebat ponderis gravitatem, advertere poterat, & debebat, puerum aliquem (ut fieri solet) esse illi appensum, & inde posse grave aliquod nocumentum contingere. Ita respondit in simili specie sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres; quæ tamen cum Clerico misericorditer agendum censuit eique dispensationem ad Ordines, & beneficia indulgendam.

Ad quintum respondeo, Alfonsum Abbatem Irregularem quidem esse, quia jubens famulis, ut hominem rusticum fuste verberarent, *homicidio causam dedisse videtur* (cap. *De cetero*, Ext. *De homicidio*) sed non ea Irregularitate, quæ oritur ex homicidio voluntario, siquidem contra ejus intentionem, immo contra expresum illius mandatum, mors rustico illata est. Quamobrem ad sacrorum Ordinum, & Altaris ministerio, & Beneficia quæcumque ac dignitates jure dispensari cum ipso potest in forma præscripta a Concilio Tridentino, Sessione XIV. cap. VII. *De Reformatione*. Ita censuit in simili specie sacra Congregatio Concilii Interpres. Et cum postea dubitatum fuisset, an is, qui gravibus ab aliquo affectus injuriis, famulo mandavit, ut illi in facie vulnus leve cæsim infligeret, si mandatarius jussionis fines excedens pluribus mortiferis vulneribus illi necem intulerit, censeatur incurrise in Irregularitatem provenientem ex homicidio voluntario: sacra Congregatio censuit non incurrise, sed in eam duntaxat, quæ oritur ex homicidio fortuito. In his igitur, & similibus casibus solus mandatarius est Irregularis ex homicidio voluntario, non autem mandans, cujus præter intentionem homicidium perpetratum est, adeoque non est simpliciter volitum.

Ad sextum respondeo, Illum quidem Sacerdotem rei illicitæ operam non dedise, dum vasa sua in puteum a fure demersa extrahere satagebat: an vero ipsi nihilominus imputanda sit mors adolescentis in puteum propterea demissi, quæ inde consecuta est, dubium videri potest Non imputandam colligi poset ex cap. *Dilectus*, Ext. *De homicidio*, ubi dicitur, Clericum equo insidentem, qui disrupto fræno hominem prætereuntem interfecit, Irregularem factum non ese, quia nec rei illicitæ operam dabat, nec ulla ejus culpa præcessit; quia videlicet fragile frænum non adhibuerat, sed validum satis (inquit Bernardus vetus Canonista.) Pari ergo ratione Sacerdos ruralis, de quo in proposita specie, excusandus videtur, quandoquidem fune novo, satisque firmo adolescentem constrinxerat. Idem confirmari videtur ex cap. *Joannes*

nae, sub eodem Titulo, cujus hæc sunt verba: *Nos igitur attendentes, quod dicto Sacerdoti, qui dabat operam rei licitæ, nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non prævidit*, &c. Imputandam vero esse Presbytero illi rurali mortem adolescentis in puteum demissi inde suadetur, quod ut in casibus fortuitis aliquis culpa careat, necesse sit, ut omnia præstiterit, ac observaverit, quæ diligentissimus quisque observaturus, ac præstiturus fuisset, ut ait Jurisconsultus, L. *Si merces*, D. *Locati conducti*, §. *Qui columnam*. Presbyter porro in proposita specie ea omnia non præstitit, quæ diligentissimus quisque præstitisset, ac observasset; tum quia firmiorem funem adhibere debeat in tanto periculo; tum quia prævidere debebat adolescentem, qui sursum trahebatur onustus periculo objici, ne disrupto fune laberetur, & mergeretur, præsertim cum funis esset unicus, & ore putei refricaretur. Sacerdos igitur ille videtur irregularis esse, cum Hostiensis, Joannes Andreas, aliique celebres Canonici Juris Interpretes in cap. *Significasti*, 1. Extra, *De homicidio*, culpam levissimam ad Irregularitatem sufficere censeant. Addiverim, forte etiam in illa specie intervenisse latam culpam, quia vehementior vasa in puteum demersa recuperandi cupiditas causa fuit, ne infelix adolescens cautius extraheretur. Unde ad hanc speciem applicari potest Alexandri III. responsum cap. *Suscepimus*, Extra, *De homicidio*, cujus hæc sunt verba: *Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus, & transitoriis tam acriter in alios exardescere, abstineat iste humiliter ab Altaris ministerio*. In eam quidem sententiam magis propendeo, Sacerdotem illum ruralem, de quo agitur, Irregularem esse: sed esto res dubia sit, in dubio certe a sacris ministeriis, & Missarum celebratione abstinere debet, donec dispensationem obtinuerit, quia *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, ut respondet Clemens III. Cap. *Ad audientiam*, Extra, *De Homicidio*. Vale, mei in sacrosancto Altaris Sacrificio memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XXXVI.

Alias XIX. quæ autem 36. erat, nunc 47.

Solutio difficultatum quarumdam circa Irregularitates occultas.

CLARISSIMO VIRO ***

Cum liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, aliisque deductis ad forum contentiosum pariter exceptis, dispensare, ex Concilio Tridentino Sessione XXIV. cap. VI. quæris a me, an delictum coram duobus, aut tribus testibus commissum, de quo tamen nullus rumor sparsus in vulgum est, cum testes sint Rei amici, ac secreti tenacissimi, dici possit occultum, ita ut in Irregularitate ex eo secuta dispensare possit Episcopus, aut a Censura ipsi annexa, Summoque reservata Pontifici absolvere? Quid si crimen solis complicibus notum sit, quamvis plurimi sint? Quid si deductum fuerit ad forum contentiosum, sed probari non potuerit, ideoque Reus dimissus fuerit, & quodammodo absolutus?

De his quæstionibus ita censeo. De prima: Delictum coram duobus, aut tribus testibus commissum, non esse quidem notorium evidentia facti, forte, nec evidentia præsumptionis, sed tamen occultum non esse. Occultum enim proprie dicitur, quod probari non potest: verbaque Concilii secundum proprietatem sunt accipienda; delictum porro coram duobus, aut tribus testibus commissum probari juridice potest, non est igitur occultum. Quamobrem ab eo absolvere non potest Episcopus, si sit Apostolicæ Sedi reservatum; nec in Irregularitate ex eo secuta dispensare. Ita censuit sacra Congregatio Concilii, ut refert Fagnanus in cap. *Vestra*, Extra, *De cohabitatione Clericorum, & mulierum*, num. 127.

De secunda Quæstione sic censeo. Si crimen solis complicibus notum sit, adhuc occultum censendum est: siquidem testimonium eorum, qui socii sunt criminis, jus repellit, ut constat ex cap. *Veniens*, & cap. *Personas*, Extra, *De testibus, & attestationibus*, & L. *Quoniam* Cod. *De testibus*, & ex cap. *Cum Monasterium*, Extra, *De Confessis*. In illa igitur specie potest Episcopus absolvere a crimine reservato Sedi Apostolicæ, & in Irregularitate ex eo secuta dispensare, modo deductum non sit ad forum contentiosum.

De tertia quæstione censeo. Posse Episcopum in illa specie pariter absolvere, & dispensare: quia ex quo crimen probari in judicio non potuit, adhuc occultum manet. Si tamen causa criminis judicio finita non sit, nec reus absolutus, vel simpliciter dimissus, sed relaxatus sub fidejussione de sistendo se, ac repræsentando, non potest Episcopus a crimine Sedi Apostolicæ reservato absolvere, aut in Irregularitate inde secuta dispensare: siquidem ad forum contentiosum deductum est, manetque ratio scandali, nec abstersa est infamia. Unde Concilii Tridentini exceptio cap. VI. Sessionis XXIV. locum habet: *Ex exceptis aliis deductis ad forum contentiosum*. Ita sacram Congregationem Concilii Interpretem censuisse refert Fagnanus in cap. *Vestra*, Extra, *de cohabitatione Clericorum, & mulierum*, Vale, meque tui observantissimum Deo commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

EPI-

Alias XX. quæ autem 37. erat, nunc 48.

EPISTOLA XXXVII.

Qui Duello pugnans hominem occidit, & postea vitam Religiosam solemni ritu professus est, ac sacros Ordines suscepit, & dispensatione super Irregularitate a Summo Pontifice non impetrata; Sacris operari non potest . . . . Qui Professionem suam nullam esse contendit, voce activa, & passiva gaudere non debet.

RELIGIOSO VIRO***

QUæris a me, quid sentiam de conscientiæ casu, quem his fere verbis exponis, F. N. cum adhuc in sæculo viveret, duello pugnans hominem interfecit. Monasterium deinde ingressus vitamque religiosam professus, dispensatione super Irregularitate, quam per homicidium voluntarium contraxerat, a Summo Pontifice non impetrata, sacros omnes Ordines suscepit, eorumque functiones hactenus exercuit. Is porro ante lapsum quinquennii a religiosa professione, contra illam reclamavit, canonicam non esse causatus, tum quia diebus aliquot ante probationis annum omnino expletum emissa fuit, tum quia minis patris in illum irati ad vovendum coactus est. Rogas primo, utrum Religiosa Professione sublatum sit Irregularitatis impedimentum, ex hypothesi, quod valida fuerit Professio? Secundo, utrum sacris operari potuerit post reclamationem suam juridice per Notarios publicos Superioribus significatam? Tertio, utrum voce activa, & passiva gaudere debeat, ex quo secundum formam juris declaravit Professionem suam nullam, & irritam esse.

Ad primam quæstionem respondeo, F. N. Irregularem fuisse ratione homicidii voluntarii, ut constat ex Jure Canonico, Tit. *De homicidio voluntario, & casuali*, & ex Concilio Tridentino Sessione XIV. cap. VII. *Cum etiam* (inquit) *qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id, nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni Ordine, & beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat.*

Ad secundam quæstionem respondeo, Irregularitatem illam Religiosa Professione minime fuisse sublatam, quamvis Professio canonica, & legitima fuisset. Solam enim Irregularitatem ex natalium defectu provenientem tollit Religiosa Professio (cap. *Ut filiis Presbyterorum*) quæ vero per homicidium voluntarium contrahitur, ne ab Episcopis quidem potest auferri, etiamsi delictum sit occultum, multo minus a Prælatis Regularibus. *Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.* Verba sunt Concilii Tridentini Sessione XXV. De Reformatione, cap. VI. Cum itaque F. N. Irregularitatis impedimento solutus non fuerit a Summo Pontifice, Irregularis permansit etiam post Religiosam Professionem, quamvis legitima, canonica, & valida fuisset: adeoque graviter, ac lethaliter peccavit singulos Ordines sacros suscipiendo; & quoties eorum functiones exercuit. Tu vero, VIR RELIGIOSE, cui animæ ejus cura commissa est, illi prohibere debes, ne Sacris operetur, servatis prudentiæ legibus: & si nota sit, vel juridice probari possit Irregularitas, contumacem, & sacrilegum arcere debes via juris ab Altari, & ab omnibus Ordinum Ecclesiasticorum ministeriis, ne peccata illius tibi imputentur.

Ad tertiam quæstionem respondeo, F. N. voce activa, & passiva frui non debere, ex quo Professionem suam nullam, & irritam esse contestatus est, donec re judicata constet illum legitime professum esse. Vocis enim activæ, & passivæ privilegium in electionibus, ex Professione Religiosa legitime, & canonice facta consequitur. *Ex eo porro non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare*; ut habet Regula Juris XXXVI. in Sexto, Vale, Vir Religiose, meque Domino ad sanctum Altare commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias XXV. quæ autem 38. erat, nunc 49.

EPISTOLA XXXVIII.

Regularis sine Summi Pontificis dispensatione, & Superiorum suorum licentia ad mitiorem Ordinem transiens, ibique sacros Ordines suscipiens, non est Irregularis.

RELIGIOSO VIRO***

LItteris nuper ad me datis dubium proponis his verbis conceptum. F. Vincentius Ordinis Capuccinorum a suis Superioribus ab annis aliquot male habitus, & vexatus absque causa, ad Monasterium *** Cluniacensis Ordinis migravit, ibique se licentiam a Summo Pontifice habere jactans ad mitiorem Ordinem transeundi, rogante Abbate Commendatario cognato suo receptus est a Priore claustrali, & Monachis, absque Pontificii rescripti exhibitione. Peracto Novitia-

vitiatus anno professus, sacros Ordines suscepit, Sacerdosque factus, celebravit per multos annos. Promulgato deinde Innocentii XII. Pontificis Maximi Diplomate, quo apostatas omnes, & fugitivos ad suos Ordines, & Monasteria redeuntes recipi jubebat Sanctitas sua, pœnis omnibus, quas defectione sua meruerant, clementer condonatis, dictus F. Vincentius ad Capuccinos rediit. Receptus a Fratribus a sacrorum Ordinum functionibus prohibitus est. Superiores hanc interdicti sui rationem afferebant, quod sacris Ordinibus in apostasia, & consequenter in statu excommunicationis susceptis, eorumque ministerio in eodem statu functus, Irregularis esset, Summique Pontificis dispensatione speciali ad sacra ministeria obeunda indigeret, secundum cap. *Consultationi*, Ext. *De Apostatis*, cujus hæc sunt verba: *Monachus aliquem sacrum Ordinem in apostasia recipiens, quantumlibet suo reconciliatus fuerit Abbati, & receperit pœnitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis: ministrare non poterit in Ordine sic suscepto.* Meam de hac difficultate sententiam rogas; eam tibi aperire non moror.

Censeo F. Vincentium proprie apostatam non fuisse. Monachus enim proprie non dicitur apostata, nisi qui a religioso statu omnino deficit, dimissoque habitu, & excusso penitus obedientiæ jugo, ad sæculum redit. Qui vero a strictiori ad mitiorem, seu laxiorem Ordinem absque licentia & dispensatione transeunt, a statu religioso omnino non deficiunt, nec penitus excutiunt obedientiæ jugum; nec dimittunt habitum regularem, sed mutant, votaque substantialia Religionis in Ordine laxiori renovant: Apostatæ igitur minime censendi sunt, nec proinde excommunicati. Sententia est celeberrimorum Canonici Juris Interpretum Innocentii IV. in cap. *Intelleximus* Ext. *De ætate, & qualitatibus ordinandorum:* Joannis Andreæ, ibidem: Archidiaconi, in Can. *Placuit*; Dist. 50. nu. 4. Abbatis: Antonii de Butrio: Joannis de Annania Lupi Alleg. 33. Ludovici Romani Consil. 341. Glossæ in cap. *Consultationi*, Ext. *De Apostatis*. Itaque Frat. Vincentius post suam in Ordine Cluniacensi Professionem sacros Ordines suscipiens eorumque functus ministerio, in Irregularitatem non incurrit. Tametsi enim lethaliter peccasset discedendo ab Ordine FF. Capuccinorum, & gravissimo rursus peccato se obstrinxisset decipiendo Superiorem, & Monachos Monasterii laxioris, & mendaciter asserendo se dispensationem transeundi ad mitiorem Ordinem a Summo Pontifice obtinuisse; ac proinde Professio illius in Ordine Cluniacensi canonica, & valida non esset, ideoque ad Capuccinos suos reddire teneretur rebus ita stantibus; excommunicatus tamen ob defectionem non erat. Quamobrem illi ad priorem Ordinem reverso Capuccinorum Superiores immerito interdixerunt sacrorum Ordinum functionibus, & divinorum celebratione Mysteriorum. Quod disertis verbis confirmat cap. *Ex parte* Extra, *De temporibus Ordinationum*, quod Innocentii III. responsum est Abbati, & Conventui Cariloci datum. *Ex parte vestra* (inquit) *nostro fuit Apostolatui reseratum: quod quidam Monachus vester se ad nigros Monachos transferens, & habitum eorum assumens, ad Sacerdotii Ordinem in ipso habitu est promotus: unde quia dubitastis, utrum in assumpto taliter Ordine ministrare debeat: mandamus, quatenus (nisi canonicum aliud obviet) ipsum Monachum officium Sacerdotis libere exequi permittatis.* Vale, Vir Religiose, meque Domino ad sanctum Altare commenda,

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XXXIX.

Alias XIV. quæ autem 39. erat, nunc 26.

Quamvis Episcopi subditos sibi Clericos possint corrigere, & mores eorum reformare, appellatione quavis, & consuetudine non obstantibus, Clericus tamen ob suspicionem de mala familiaritate in carcerem Episcopalem detrusus ad Metropolitanum appellare potuit.

CLARISSIMO VIRO ***

Dum Illustrissimus Præsul *** sacram Diœcesis suæ Visitationem obiret, Clericum de mala familiaritate cum muliercula quadam graviter, ut scribis, suspectum in carcerem Episcopalem detrudi jussit. Appellavit ille ad Metropolitanum, Metropolitanus reum a carcere solvi decrevit, causamque ad Tribunal suum traxit. Nullum fuisse appellationi locum existimas, secundum Tridentini Concilii Decreta, cum de morum correctione, & reformatione ageretur: proindeque Metropolitanum potestatis suæ fines excessisse. Meam ea de re sententiam rogas. Morem gero lubens.

Episcopi subditos suos corrigere possunt, mores eorum reformare, appellatione quavis, & consuetudine non obstantibus. Ita statuit Lateranense Concilium Generale sub Innocentio III. cujus hæc sunt verba: *Irrefragabili constitutione sancimus, ut Ecclesiarum Prælati, ad corrigendos subditorum excessus, maxime Clericorum, & reformandos mores prudenter, ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. Ut autem correctionis, & reformationis officium libere valeant exercere, decernimus, ut executionem ipsorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire, nisi formam in talibus excesserint observandam.*

Correctionem legitimam, ac morum reformationem Prælatis Regularibus competere appellatione non obstante, constat ex cap. *Ad nostram*, Ext. *De Appellationibus*: multo magis igitur convenit Episcopis. Decretalis illa sic habet; *Quia vero remedium appellationis non*

ideo est inventum, ut alicui a Religionis, & Ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere: mandamus quatenus si quilibet subditorum suorum ad remedium appellationis convolaverit, non ideo minus eum, juxta tenorem mandati, quod in prædicta regula continetur, & institutionem Ordinis, corrigas, & castiges.

Et capit. *Reprehensibilis*, sub eodem titulo: *Nec subjecti contra Disciplinam Ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant ...... Præcipue vero hoc in Religiosis volumus observari, ne Religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati sui, & capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter, ac devote suscipiant, quod pro salute sua eisdem fuerit injunctum.*

Istud disciplinæ caput confirmat sacra Synodus Tridentina Sessione XXII. cap. I. *Nec appellatio* (inquit) *executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat.* Et Sessione XXIV. cap. X. *Nec his ubi de visitatione, & morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio; seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab iis mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoque modo impediat, aut suspendat.*

Ex his sacri Concilii Decretis compertum est, appellationem, etiam in causis correctionis, & visitationis, ad effectum suspensivum locum non habere, nec executionem impedire: ad effectum tamen devolutivum in his etiam causis locum habet, modo a definitiva, non ab interlocutoria appelletur. Quamquaquam, & ab interlocutoria appellare licet, si sit irreparabile gravamen, quod appellationis fundamentum est. Id confirmatur altero ejusdem Concilii Decreto, Sessione XIII. cap. I. *Cum igitur* (inquit) *rei criminum plerumque ad evitandas pœnas, & Episcoporum subterfugienda judicia, querelas, & gravamina simulent, & appellationis diffusio judicis processum impediant; ne remedio ad innocentiæ præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem abutantur, atque, ut hujusmodi eorum calliditati, & tergiversationi occurratur, ita statuit, & decrevit; In causis visitationis, & correctionis, sive habilitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario Generali, ante definitivam sententiam, ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur: nec Episcopus, seu Vicarius appellationi hujusmodi, tanquam frivolæ deferre teneatur, sed ea, ac quacunque inhibitione ab appellatione emanata, nec non omni stylo, & consuetudine, etiam immemorabili, contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit; quibus casibus sacrorum antiquorum Canonum statuta illibata persistant.* In causis igitur visitationis, & correctionis appellare licet post definitivam sententiam, vel antea, si gravamen sit irreparabile, devolutiva duntaxat, non suspensiva appellatione. Ita censuit sacra Congregatio Concilii Interpres, ut Fagnanus refert in cap. *Ad nostram*, Ext. *De appellationibus*.

Jam ad speciem, de qua sententiam rogas meam, descendo. Cum carcer infamiæ notam inurat, & damnum interat quasi irreparabile, nec ad pœnitentiam duntaxat, & simplicem correctionem infligatur, sicut imperatur secessus in Seminarium, sed ad pœnam corporalem; Clericus ob suspicionem de mala familiaritate carceri a suo Episcopo addictus appellare potuit ad Metropolitanum, ejusque appellationi Illustrissimus Episcopus deferre debuit, & causam ad Metropolitanum remittere, reo tamen in carceribus interim manente donec Metropolitanus causa cognita aliud forte decrevisset. Ita sacram Congregationem Concilii Interpretem in pari causa ab Episcopo Brundusiensi ad illam delata judicasse refert Fagnanus in cap. *Super ea*, Ext. *De appellationibus*. Vale, meque tui observantissimum semper habeas, precor.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias XXII. quæ autem 40. erat, nunc 17.

EPISTOLA XL.

Clericos urbanitatis specie mulieribus passim oscula libantes, post monitionem saluberrimam, severioribus remediis a licentia periculis plena cohibere potest, & debet Episcopus.

CLARISSIMO VIRO ***

DE Clericis, qui passim mulieribus libant oscula, nec ab Episcopo suo moniti pravæ consuetudinis vitium emendant, patriæ morem, urbanitatis officium, benevolentiæ testimonium consanguineis, aut amicis impendi solutum ab honestis quibusque viris prætexentes sententiam meam quæris, utrum post monitionem iteratam, severioribus remediis hanc licentiam periculis plenam cohibere possit, & debeat Illustrissimus, & Religiosissimus Præsul? **

Cohibere posse, ac debere censeo; siquidem oscula mulieribus libata exitialia sæpe, periculosa semper sunt castitati, quam sacrati homines profitentur. De his præclare San. Clemens Alexandrinus Lib. 3. *Pedagogi* cap. XI. *Dilectio non in osculo censetur, sed in benevolentia. Illi autem nihil aliud osculo, quam Ecclesias conturbant, cum ipsam non habeant intus amicitiam. Etenim hoc utique turpem movit suspicionem, & maledicentiam, quod imprudenter osculo uterentur, quod esse oportebat mysticum. Id sanctum vocavit Apostolus. Regno digne* dege-

degustato, ore modesto, & clauso benevolentiam animi ostendamus, per quod maxime se exerit mansuetudo morum. Est aliud quoque osculum incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis, quod etiam phalangia si ore tantum tangant, graves dolores hominibus afferunt? Oscula autem impudicitiæ sæpe virus immittunt. Manifestum itaque nobis factum est, osculum non esse dilectionem. Dilectio enim est Dei. Hæc autem dilectio Dei (inquit Joannes) *ut mandata ejus servemus, non ut nos invicem ore demulceamus.*

Et San.Isidorus Pelusiota Lib. 4. Epist. CIX. ad Fidelem Diaconum: *Quoniam* (inquit) *per litteras quæsivisti, quam ob causam postquam scriptum fuerat:* „ Qui ingreditur ad mulierem „ nuptam, non innocens erit, *dictum si præterea*, neque omnis tangens eam? *Respondeo ingrediendi quidem verbum usurpasse Salomonem de coitu, secundum id quod dictum est a Sara ad Abrahamum*, „ Ingredere ad ancillam meam, & liberos ex ea procrea: *tangendi autem, de osculis, & contactu. Quamquam enim ista, si cum coitu conferantur, peccata esse non videntur, verum tamen veritate judicante ipsa quoque merito lapsus quidam censenda fuerint. Nam si curiosus aspectus adulterium esse judicatus est a Christo, contrectatio certe pro adulterio multo magis judicabitur. Quemadmodum enim imaginibus depictis color magis afficit spectatores, quam nuda lineamenta; sic etiam in corporibus comparatum est, ut tactus, quam visus majorem movendi vim habeat. Si igitur aspectus, quamvis subtilior sensus sit, ac purior, condemnatus est tamen, non immerito tactus, ut qui sit crassior, atque impurior sensus, prohibitus est.*

Præclare quidam veterum ait: Osculum pars adulterii est, criminis ostium, mortis initium, „ morsus diaboli, & arrha peccati. Etsi enim nondum in opere consummetur iniquitas, per„ fecta est in corde captivitas. Hinc Regula Militum Templi, cap. ultimo, mulierum omnium, „ etiam propinquarum, oscula ipsis prohibet: *Periculosum* (inquit) *esse credimus omni Religioso vultum mulierum nimis attendere: & ideo nec viduam, nec virginem, nec matrem, nec sororem, nec amitam, nec ullam aliam fœminam aliquis Frater osculari præsumat. Fugiat ergo fœminea oscula Christi Militia, per quæ solent homines sæpe periclitari ut pura conscientia, & secura vita in conspectu Domini valeat perenniter conversari.* Clericos, qui mulieribus oscula libarent, olim in Galliis coram Episcopo in jus vocatos, & castigatos, colligitur ex Dialogo II. Sulpitii Severi, ubi Postgumianus, cum ageretur de accepto per S. Martinum Imperatricis uxoris Maximi obsequio, idque exemplum aliqui Clerici mulierum familiaritati addicti ad sui excusationem traherent: *Si* (inquit) *Martini sequeremur vias, nunquam causas de osculo diceremus, & universi sævæ opinionis opprobriis careremus.* A prisca igitur Disciplina non recedet Religiosissimus Episcopus, si Clericos a mulierum osculis temperare nolentes, post monitionem saluberrimam, & increpationem, ad continentiam ore quoque servandam, quo Christi Corpus conficiunt, compellat. Vale, meque tui studiosissimum dilige.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XLI.

Alias XXIV. quæ autem 41. erat, nunc 1.

Sacerdotes, qui boves, oves, equos emunt, in pascuis suis alunt, eorumque fructus vendunt, non sunt rei negotiationis illicitæ.

CLARISSIMO VIRO***

QUosdam Diœcesis N. Sacerdotes, boves, oves, equos emere scribis, in pascuis suis alere, & eorum fructus vendere, rogasque ut ea de re sententiam dicam, num illud sit illicitæ negotiationis genus, Clericisque prohibitæ cap. *Secundum instituta*, Ext. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*: ac proinde illud prohibere possit Episcopus, sub pœna suspensionis.

Hanc proprie dictam negotiationem esse non censeo, sed magis artificium, quod Clericis sacri Canones permittunt, Canon. *Clericus*, & 2. Dist. XCI. Hinc sanctus Raymundus in Summa Libro II. Titul. *De negotiis sæcularibus*, ubi sæcularia negotia regulariter Clericis prohibita esse dixit his Apostoli verbis: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, nec non sacris Canonibus: quatuor casus explicat, in quibus possunt hujusmodi negotia tractare, quorum postremus Quæstionem propius attingit, quam mihi proposuisti. *Quartus* (inquit) *casus est, si Clericus indigeat; tunc enim potest recipere possessiones excolendas ad firmam, sive conducere.* Argum. Dist. 86. *Pervenit*, Versic. *Avaritiæ causa*. Dist. 91. c. 2. vers. *Agricultura. Potest etiam talis Clericus artificio suo honesto aquirere sibi victum, dum tamen occasione talis artificii non desit divinis Officiis* Dist. XX. per totum, Dist. V. *De Consecratione. Nunquid*, Ext. *Ne Clerici, vel Monachi*, cap. I. *Item, quod dictum est supra, quod non licet Clerico emere vilius, ut vendat carius, ita intelligatur, si ejus intentio est, ut vendat carius in eadem forma sed ut vendat carius mutata forma, bene potest; puta, emit tabulas, ut fa-* 1. Tim. 2.

ceret scrinium: vel chartas, ut scriberet libros: vel linum, ut faceret retia, & similia. Potest etiam emere pullum, & illum educatum, & opera sua melioratum carius vendere. Argum. Dist. 91. *Clericus*. Et est ratio, *Quia talis quæstus ex artificio intelligitur provenire.*

Idem docet *S. Antoninus* III. P. Tit. XIII. Capit. II. §. 3. Idem confirmant Declarationes sacræ Congregationis Concilii in gratiam Presbyterorum, & Clericorum Terræ Maidæ Neocastrensis Diœcesis. Quæsierant, an liceret eis absque reatu illicitæ negotiationis.

1. *Terras patrimoniales, & beneficiales per laicos colere?*

2. *An pro necessario culturæ usu possint emere boves, & alia animalia, & fructus illorum vendere?*

3. *An ii, qui in propriis terris habent quercus, & castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosque alere, & pro familiæ sustentatione vendere.*

4. *An iidem Clerici, cum foliis suarum arborum possint in propriis ædibus artis sericæ operam dare, vel idem opus alteri ad medietatem committere, ut in illis partibus fieri, consuevit.*

Ad primum respondit sacra Congregatio, *Licere Clericis agros beneficiorum, & patrimoniorum suorum opera laicorum colere, absque reatu illicitæ negotiationis.*

Ad secundum. *Posse similiter Clericos pro ejusdem culturæ usu boves, & alia animalia necessaria emere: illorum fœtus justo pretio, atque honesta ratione vendere; nec propterea eos prohibitæ negotiationis prætextu vexari posse, aut debere.*

Ad tertium itidem, *Posse pro sua, & familiæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, seu distrahendis suibus nihil sordidum, aut indecens Ordini Clericali exerceant.*

Ad quartum, *Licere Clerico arborum in propriis bonis existentium folia alicui laico concedere eo pacto, ut lucrum, quod ex bombicibus proveniat; inter utrumque dividatur, ac pariter eidem licere earumdem arborum foliis per se ipsum, absque officii sui duntaxat detrimento, ac pro sua, & familiæ sustentatione arti sericæ operam dare, dum tamen in artificio hujusmodi personas suspectas non adhibeat, & quoad hoc Episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat.*

Eadem sacra Congregatio die XX. Augusti 1627. censuit *Clericos pauperes, ob suam, suæque familiæ necessitatem posse terras Ecclesiasticorum conducere absque reatu illicitæ negotiationis: bona vero laicorum non posse, nisi ex mera pracise necessitate.*

Item censuit, *Posse retinere, & locare boves, oves & alia animalia, quæ habent ex successione, vel decimis, nec non fructus illorum vendere, absque crimine illicitæ negotiationis.*

Hæc refert Fagnanus, quo Secretario Declarationes istæ a sacri Concilii Congregatione editæ sunt, in cap. *Multa*, Extra, *Clerici, vel Monachi*, &c.

Quæ cum ita sint, Clericis de quibus quæstio est, molestus, (ut spero) non erit Religiosissimus Episcopus N. a Censuris in illos distringendis temperabit, minis parcet, modo alias honeste, & Ecclesiastice vivant. Si quæ tamen avaritiæ labes illis adhærere videatur, paterna charitate illos arguet, obsecrabit, increpabit in omni patientia, & doctrina. Vale, meque Deo commenda in Sacrificio Pretii nostri.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias XXV. quæ autem 42. erat, nunc 3.

EPISTOLA XLII.

*Oblationes Deo factæ ad imaginem Beatæ Virginis, muro Castri ** contiguam, ad Parochum, non ad Castri Dominum pertinent.*

CLARISSIMO VIRO ***

CUm unus sit Deus montium, & vallium, unusque & idem in pagis, & urbibus amplissimis colatur, fideles Ministros, ac pios Sacerdotes, animarumque Rectores, qui pagorum Ecclesiis præsunt, Christianamque plebem regunt ruri degentem, non minus colo, & in Christo complector, quam urbium florentissimarum Parochos. Non est igitur, cur veniam deprecere, dum Quæstionis propositæ solutionem rogas. Christianis omnibus debitor sum, quia omnium frater, multo magis Consacerdotibus. Quæris porro utrum oblationes Deo factæ ad imaginem Deiparæ Virginis ... in Oratorio, quod a D. Marchione, pagi Toparcha, erectum, muroque castri contiguum est, ad eumdem Marchionem pertineant: an vero ipsas repetere possis, ut loci Parochus.

Oblationes illas tui juris esse censeo, teque illas repetere posse, ac debere: siquidem sacra imago Deiparæ, & Oratorium intra fines Parochiæ tuæ posita sunt. Omnes enim proventus spirituales, qui infra limites Parochiæ obveniunt, quales sunt decimæ, primitiæ, oblationes, funeralia, &c. ad Parochialem Ecclesiam jure communi pertinent, ut colligunt Juris Canonici Periti ex cap. *Pastoralis* Ext. *De his quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli* & cap. *Ad audientiam*, Ext. *De Ecclesiis ædificandis, & reparandis*. Idque Sanct. Thomæ auctoritate confirmatur, Secunda Secundæ, Quæst. LXXXVI. Art. I. ad secundum. *Monachi* (inquit) *sive alii Religiosi possunt oblationes recipere tripliciter. Uno modo, sicut pauperes, per dispensationem Sacerdotis, vel ordinationem Ecclesiæ. Alio modo, si sint Ministri Altaris; & tunc possunt accipere oblationes sponte oblatas. Tertio modo, si Parochiæ sint eorum: & tunc ex debito possunt accipere oblationes, tanquam Ecclesiæ Rectores.*

Obla-

Oblationes igitur omnes Deo factæ intra fines Parochiæ jure debentur Ecclesiæ Parochiali, secundum mentem Angelici Doctoris. Atque ita respondit sacra Congregatio Concilii, ut refert Fagnanus in cap. *Postulasti*, Ext. *De his*, *quæ fiunt a Prælatis*, &c. Vindicare certe sibi illas non potest laicus Toparcha, administrationis etiam titulo, quamvis in pios usus erogaturus, nisi hæc illi cura demandetur ab Ecclesiæ Parochialis Rectore. Cum enim oblationes res spirituales sint, quatenus sunt Deo consecratæ, laici illarum dominium, receptionem, vel administrationem sibi privata auctoritate vindicare non possunt, ut constat ex Canone, *Quia Sacerdotes*, & Canone. *Hanc consuetudinem*, Causa x. Quæst. I. Idemque colligitur ex capit. *Decernimus* Ext. *De Judiciis*, quo prohibetur, ne laici Ecclesiastica tractare negotia præsumant. Intercedere igitur jure potes, ne Dominus Marchio N. oblationes ad sacram imaginem Deiparæ Virginis N. & Oratorium Castri sui muris adjacens, Deo factas percipiat, quamvis in pios usus erogaturus. Ipsum urbane, & amice convenire primum debes, jus Ecclesiæ tuæ Parochiali illi exponere, rogare, ne jus illud usurpet cum animæ suæ periculo. Si precibus tuis insuper habitis dictas oblationes recipere, de illisque pro arbitrio disponere pergat, Illustrissimum Episcopum adi, ejusque auctoritatem implora, ut D. Marchionem compellat ad dimittendum oblationes illas Ecclesiæ Parochiali. Vale, mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XLIII.

Alias LXI. quæ autem 43. erat, nunc 14.

Qua prudentia gerere se debeat Prælatus Regularis in Reformatione Monasteriorum sibi subditorum?

RELIGIOSISSIMO VIRO ABBATI ***

TUum de Regularis Disciplinæ instauratione in Cœnobiis curæ tuæ, ac regimini subditis consilium non solum probo, sed laudo vehementer, Deoque gratias ago, qui hanc tibi voluntatem dedit: ipsum precor, ut det tibi sancti operis exequendi, & perficiendi facilitatem.

Prælatum arctioris, ut par est, Disciplinæ studiosum, in ea subditis imponenda, singulari prudentia, mansuetudine, & patientia uti debere, Tibi perspectum, & exploratum est. Hanc Regulam tradebat S. Bernardus Simoni Abbati S. Nicolai de Saltu in Diœcesi Laudunensi, Epistola LXXXXIII. *Omnes*, inquit, *qui pie volunt vivere in Christo; persecutionem patiuntur, ita ut cum eis numquam desit pie velle, non semper tamen adsit, & perficere pro bona voluntate. Sicut enim impiorum est piis bonorum propositis assidue reluctari, sic contra pietatem non est, propter multitudinem adversantium, quamvis justa, & sancta desideria paucorum plerumque non perfici. Sic Aaron sceleratis tumultuantis populi contra voluntatem suam clamoribus cessit. Sic Samuel eidem populo inordinate Regem petenti invitus Saulem inunxit. Sic David, cum vellet construere Templum propter infestantium tamen bella inimicorum, quia vir bellicosus erat prohibitus est facere, quod sancte proposuit. Simili forma Tibi, Pater Venerande, consulimus, ut tamen sapientorum consilio non prejudicemus, quatenus ad tempus propositi tui, tibique consentientium rigorem sic temperes, ut infirmorum salutem non negligas. Invitandi quippe sunt ad arctiorem vitam, non cogendi, quibus utique semel in Ordine illo Cluniacensi præesse consensisti. Illis autem, qui arctius vivere desiderant, aut condescendere imbecillioribus ex charitate (quantum sine peccato possunt) suadendum est; aut ibidem tenere, quod cupiunt permittendum, si absque utrarumque partium scandalo fieri potest; aut certe de Congregatione liberos dimitti, Fratribusque aliis secundum eorum propositum viventibus sociari oportet.*

Idem confirmat Concilium Rotomagense anno MDLXXXI. Tit. De *Monasteriis* Cap. XI. *In his* inquit, *exequendis, & reformandis prudentia, & mansuetudine opus est, ne frangamus potius quam corrigamus, quæ in pravum longa consuetudine induruerunt.*

Eadem est Venerabilis Gersonii, Ecclesiæ, & Academiæ Parisiensis Cancellarii sententia, Libro *De vita spirituali Animæ*, Lectione VI. *Esus carnium* (inquit) *& usus pelliciorum, & aliorum hujusmodi, quibus Regularis Institutionis superficies adversari videtur, eidem consonat in casu caritatis, & necessitatis. Unde S.Bernardus in libello de Præcepto et dispensatione ait: quod* Ubique regulariter vivitur, ubi consuetudines laudabiles pro tempore, & loco observantur. *Ex his concludendum, quod aliquando Monachus abstinens a carnibus, dum scrupulosus observator Regulæ videri vult, erit ejusdem violator, et hoc si tanquam singularis ferus turbet alios, et quasi reos suæ abstinentiæ putativa sanctitate condemnet, quos magistra caritas; aut caritatis comes necessitas, aut consuetudo laudabilis per Superiores tolerata, vel imposita excusat, absolvitque. Sed heu! rarus valde casus talis. Utinam crebrior non esset transgressio per excessum, quam per diminutum? Propterea non diximus ea, quæ diximus ad laxandam frena luxuriæ, gulæ, et inobedientiæ; non ad dissolvendum rigorem Regularis Disciplinæ: non ad habendum velamen malitiæ libertatem: seorsum a nobis hoc sacrilegium; sed quod interim quærimus investigare quousque, & quantum obligatio regularis extenditur, ne vitare cupientes scyllam nimiæ laxationis, præcipitemus nos, & alios in charybdim falsæ, & austeræ obligationis: quoniam displicet Deo infidelis, & stulta promissio; infidelis, si non impletur:* Eccl. 5. 3. *stulta, si discretione non fallitur.*

Cum itaque prudentia, & mansuetudine singulari præditus sit, VIR RELIGIOSISSIME, nullus dubito, quin susceptum Monasticæ Reformationis opus feliciter exequaris. Vale, meque tuis sanctis Sacrificiis, & Religiosæ Congregationis orationibus habeto commendatum.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias xcI. quæ autem 44. erat, nunc 15.

EPISTOLA XLIV.

In Galliis, non vero in Italia, Moniales e Monasteriis suis exire possunt cum Superiorum suorum, & Episcopi licentia, ut aliis Monasteriis præsint.

NUllum movere debes scrupulum Sanctimoniali Ordinis N. in Priorissam alterius Monasterii ejusdem Ordinis electæ, & confirmatæ circa migrationem, positis conditionibus requisitis. Nullum enim dubium est, quin e Monasteriis suis exire possint Moniales secundum mores Ecclesiæ Gallicanæ, ut aliis Monasteriis præsint, cum Superiorum suorum, & Episcopi licentia. Hic casus cum dispositione capitis VIII. Sessionis XXV. Concilii Tridentini *De Regularibus* convenit, quo permittitur, ut si Monialis dotibus requisitis prædita, & legitimæ ætatis non reperiatur in eodem Monasterio, quæ in Abbatissam, vel Priorissam eligi valeat, *ex alio ejusdem Ordinis eligi possit.*

Ceterum alia viget in Italia disciplina. Hanc enim dispositionem immutatam S. Pii V. Constitutione, quæ incipit, *Decori*, declaravit Gregorius XIII. cujus declaratio illis in regionibus usu recepta est; ita ut sine speciali Summi Pontificis licentia in hujusmodi casu, Moniali e suo Monasterio exire non liceat. Cum enim Ordinis Eremitarum S. Augustini Generalis Archimandrita dubitaret, utrum post Constitutionem S. Pii V. liceat de uno ad aliud Monasterium transferre Monialem, ut illi præsit tamquam Abbatissa: Sacra Congregatio censuit, Quæstionem referendam esse Sanctissimo. Respondit porro Summus Pontifex, Concilii Tridentini decreto supradicto derogatum fuisse Constitutione S. Pii V. ideoque vi illius decreti, non licere amplius educere Moniales e suo Monasterio, ut in alio Abbatissæ, vel Priorissæ, seu Præpositæ instituantur, nisi petita, & impetrata licentia a Summo Pontifice.

Idem confirmat Decretum Pauli V. a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium promulgatum die 22. Decembris anni 1617. ac Procuratoribus Generalibus Ordinum significatum, quo declaratum est, Non posse Moniales quacumque occasione transferri de Monasterio ad Monasterium, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia; toties quoties impetranda, etiam ratione Prioratus, vel alterius Officii, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Ita referunt *Castellinus* in Tractatu *De electione*, Cap. 27. nu. 5. & Fagnanus in Cap. *Recolentes*, Ext. *De statu Monachorum*, n. 51. Vale, meque ad sanctum Altare Deo commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias XXXII. quæ autem 45. erat, nunc 4.

EPISTOLA XLV.

Quæ servanda in expulsione Monachorum contumacium ab Ordine. A Sacrorum Ordinum functionibus perpetuo sunt suspensi.

RELIGIOSISSIMO ARCHIMANDRITÆ ***

DE Monachis contumacibus, & qui emendari nolunt, ab Ordine expellendis, quid consilii tibi capiendum sit, dubitas, & mecum quæris. Tibi morem gero.

Monachos contumaces, & qui emendari nolunt, ab Ordine expelli posse censeo, re absolute spectata. Sic a Sanctis Augustino, & Benedicto statutum est in Regulis quas probavit Ecclesia. Sic sentiunt S. Bonaventura in Regulam S. Francisci Quæst. XIV. & S. Thomas Quodlibeto XI. Quæstione XXIV. Art. unico. Quod autem expulsio remedium sit juri consonum, colligitur ex cap. *Ne Religiosi*, Ext. *De Regularibus*. Idque necessarium videtur ne Monachus sceleratus, & contumax contagione pestifera plurimos perdat. Sicut ad corporis naturalis valetudinem natura, & naturæ adjutrix Medicina humores noxios expellunt: & Magistratus flagitiosos quosdam homines ad Reipublicæ purgationem in exilium emandat; & Ecclesia facinorosos Clericos exauctoratione, seu degradatione eiicit e Clero, ne Ordinis Ecclesiastici privilegiis amplius abutantur, & gravius noceant: ita congruum est, ut Monasticus Ordo sibi consulat flagitiosorum, & contumacium Monachorum expulsione, postquam alia remedia ad illorum emendationem frustra tentata sunt, omneque charitatis officium inutiliter adhibitum est, scilicet multiplex admonitio, blanditiæ, terrores, minæ, flagella, carcer, jejunia, prorogatio temporis ad emendationis experimentum, aliaque remedia.

Decrevit autem sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 21. Septembris anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti, ut imposterum ex Ordinibus Religiosis „ nemo legitime professus eiici possit, nisi sit vere incorrigibilis. Talis autem minime censeatur, „ nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris dispositione requiruntur, sublatis hac „ in parte Statutis, & Constitutionibus cujusque Religionis, & Ordinis, etiam a Sede Apostolica „ approbatis, & confirmatis; verum etiam unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur „ in carceribus. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua „ pervicacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac „ mem-

,, membrum putre ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum, de consilio, & assensu sex
,, Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generali-
,, bus; tumque nonnisi instructo secundum eorum stylum, & Constitutiones Processu, & plene
,, probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum. Sic vero ejecti, quandiu non redie-
,, rint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, & obedien-
,, tiæ subsint: proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare tenea-
,, tur. Ceterum sacra Congregatio Religionum Superiores serio admonet, ac Per Jesu Christi viscera
,, obtestatur, ut memores paternæ charitatis, ac mansuetudinis, quam profitentur, nihil intenta-
,, tum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, ante-
,, quam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur; idque eo magis, quod
,, subditorum suorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officii immemorum Prælatorum
,, regimine peribunt, Dominus noster Jesus-Christus in supremo Dei judicio de eorumdem Præ-
,, latorum manibus sit requisiturus. ,,

Statuit præterea eadem sacra Congregatio, *Ut ejecti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.*

In contumacium igitur, & eorum, qui emendari nolunt, Monachorum expulsione, Provinciales, & Capitula Provincialia nihil aliud possunt, quam allegare causas, quæ merentur expulsionem, & Inquisitionum, seu Processuum instrumenta, sive informationes (ut loquuntur) ad summum Ordinis Moderatorem mittere, qui secundum formam a Sacra Congregatione præscriptam expulsionis sententiam ferat. Hæc tamen de Monachorum expresse Professorum ejectione ab Ordine disciplina, in Galliis recepta non est, nec eam Curiæ supremæ patiuntur. Vale, mei ad sanctum Altare memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XLVI.

Alias xxxv. quæ autem 46. erat, nunc 42.

Episcopus Collegiatam Ecclesiam supprimere potest, ut in ea Seminarium erigat, cui ejusdem Ecclesiæ Beneficia uniat in perpetuum.

CLARISSIMO VIRO ***

DE Seminarii erectione, fundatione, dotatione pie, & ex officio cogitat Illustrissimus, ac Religiosissimus Episcopus *** remque strenue urgendam censet. Nonnullas autem Quæstiones hac occasione natas rogas ut expendam, tibique de illis mentem meam aperiam.

Quæris primo, utrum Episcopus supprimere possit Capitulum Ecclesiæ N. ut in ea Seminarium suum erigat, & instituat: cum ea in Ecclesia canonicum Officium, & Missa diebus singulis regulariter cantentur a Canonicis, sicut in Ecclesia Cathedrali, ab annis mille circiter: plurimaque Anniversaria, Officia, statasque preces celebrari, ac recitari fundationum tabulis præscriptum sit?

Quæris secundo, Utrum Canonici dictæ Ecclesiæ Collegiatæ tuta conscientia consensum præbere possint capituli sui suppressioni, cum Episcopus spondeat se decreturum, & curaturum, ut Officium divinum in dicta Ecclesia perpetuis temporibus celebretur, & fundationibus satisfiat; piisque Fundatorum voluntatibus, sicut in hanc usque diem factum est? Hunc articulum videri contrarium ais Tridentini Concilii Decreto Sess. XXIII. *De Reformatione*, cap. XVIII.

Quæris tertio, Utrum Episcopus jure possit impedire dictos Canonicos, ne Præbendas suas resignent, ut eas unire possit Seminario suo, earumque redditus illi incorporare post eorum obitum, ad ejus dotationem, & sustentationem juniorum Clericorum, Præceptorum, & Moderatorum?

Quæris quarto, Utrum Episcopus Seminario suo unire possit, sine Titularium consensu, Capellas, quas dictum Capitulum pleno jure confert, quæ dudum Capitulari mensæ unitæ fuerunt in casu vacationis.

Quæris quinto, Si Canonici prædictæ suppressioni consentire debeant, & resignandi facultate priventur, utrum pinguiores postulare possint, ratione sumptuum, quos non sine incommodo fecerunt ab annis amplius quindecim, ad Ecclesiæ ædiumque canonicalium restaurationem, ampliationem, & decorem; tum etiam ratione dictarum Capellarum, quarum vacatio in dies contingere potest, & ex quarum redditibus mensa Capitularis ipsorum augeretur. Quibus commodis si fruatur Seminarium æquitatis esse videtur, ut Canonici compensentur?

Quæris sexto, Utrum similes Capitulorum aliquorum in aliis Diœcesibus suppressiones in eumdem finem, sive de consensu Canonicorum, sive illis repugnantibus, & invitis, legis instar, & regulæ esse possint: cum non sit vivendum exemplis, sed legibus? Utrum his exemplis cogi possint Canonici ad cedendum Ecclesiæ suæ? Utrum tandem intervenienti Senatusconsulto tuta conscientia parere possint?

His Quæstionibus, quas ipse pro tua eruditione facile solvere potes, ut respondeam, tria suppono principia secundum Jus Canonicum, & Ecclesiæ Disciplinam inconcussa.

Primum, Episcopos supprimere, & unire posse beneficia juri-patronatus non obnoxia, in sua Diœcesi, sicut Summus Pontifex Episcopatus in tota Ecclesia unire potest, ut constat ex cap. *Sicut unire*, Extra, *De Excessibus*, *Prælatorum*; ex Clementina I. *De statu Monachorum*, §. *Ad hæc* & Concilio Tridentino Sessione XXI. *Re Reformatione*, cap. V.

Secundum, Suppressiones, & uniones hujusmodi Beneficiorum ab Episcopis fieri canonice non posse, nisi habita ratione necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ. *Si evidens necessitas, vel utilitas exigat* (ut habet cap. *Exposuisti*, Extra, *De Præbendis*.)

Tertium, Institutionem, dotationem, conservationem Seminarii opus esse necessarium, & maxime utile Ecclesiæ, ut experientia docet, ac ratio, qua nititur Concilium Tridentinum Sessione XXIII. *De Reformatione*, cap. XVIII. *Cum adolescentium ætas*, &c.

His positis, Ad primam Quæstionem respondeo, Episcopum supprimere posse Capitulum, de quo agitur, ad institutionem, & fundationem Seminarii sui: siquidem nullum in urbe Episcopali erectum est, sed provisorie solum ab Illustrissimis Episcopis ejus decessoribus concessum, ut Seminarii exercitia interim fierent in Communitate Sacerdotum, Regiis quidem litteris approbata, non tamen in Seminarium instituta, & confirmata. Verum Religiosissimus Episcopus hanc suppressionem, & unionem exequi debet *sine cultus divini, & illa beneficia obtinentium præjudicio*; ut statuit sacra Synodus Tridentina.

Ad secundam Quæstionem respondeo, dictæ Ecclesiæ Collegiatæ Canonicos non modo posse tuta conscientia suppressioni, & unioni prædictis consensum præbere, sed ex officio teneri, cum Episcopo suo canonicam obedientiam debeant, & cum veneratione, & summissione animi Statuta illius, ac mandata suscipere, auctoritatem suam secundum regulas, & pro bono Ecclesiæ exercentis. Quod sane prętat instituens Seminarium, adhibensque media; quę sancta Synodus Tridentina, & Regiæ Constitutiones Episcopis proponunt ad tam sancti, & Ecclesiæ tam necessarii operis executionem. Concilii Tridentini decreto plane congruit, tantum abest, ut repugnet hic articulus. Triplex fundorum genus ab Episcopis destinari, & applicari posse ad institutionem, dotationem, & sustentationem Seminarii, sanxerunt Concilii Patres. Primum, *ea, quæ in aliquibus Ecclesiis, & locis ad instituendos, & alendos pueros sunt destinata*. Secundum, est delibatio, vel *subtractio partis alicujus, vel portionis ex redditibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli, et quarumcumque Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, et Prioratuum, cujuscumque ordinis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint...... et Beneficiorum quorumcumque, etc. etiam ex quibuscumque aliis Ecclesiasticis redditibus, seu proventibus*. &c. Verum cum paucæ sint Ecclesiæ, in quibus aliqui redditus ad puerorum institutionem, & educationem habeantur, aut illi sint admodum tenues; cum delibatio, & subtractio portionis fructuum ex mensa Episcopali, & Capitulari, & impositio pensionum omnibus dignitatibus, Officiis, Personatibus, Præbendis, Abbatiis, Prioratibus, & quibuscumque Beneficiis, & bonis Ecclesiasticis, Communitatibus etiam Clericorum, vel Regularium &c. multis incommodis, difficultatibus, contradictionibus plerumque insuperabilibus obnoxia sit: Tridentini Patres fundum certiorem, ac solidiorem Seminariorum fundationi, ac dotationi designarunt, scilicet Beneficiorum simplicium unionem. *Nec non Beneficia aliquot simplicia, cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam ante vacationem, & sine cultus divini & illa obtinentium præjudicio, huic Collegio applicabunt, & incorporabunt. Quod locum habeat etiamsi beneficia sint reservata, vel affecta.*

Constitutio Regia Blesensis Art. XXIV. Episcopis præcipit, ut Seminaria in suis Diœcesibus instituant, eorumque fundationi, ac dotationi provideant *unione beneficiorum, aut assignatione pensionum, prout ipsis expedire videbitur*. Episcoporum arbitrio Rex permisit, ex illis duobus mediis, ac fundis illum ad Seminarii fundationem, ac dotationem eligere, quem convenientiorem judicaverint; nec ad beneficia duntaxat simplicia illorum potestatem coarctatam esse voluit.

Ad tertiam quæstionem respondeo, Episcopum jure impedire posse supra dictos Canonicos, ne Præbendas suas resignent, eas uniendo Seminario suo, *Etiam ante vacationem* (ut declarat Synodus Tridentina) *Nec per resignationem ipsorum beneficiorum uniones suspendi, vel ullo modo impediri possint; sed omnino quacumque vacatione, etiamsi in Curia, effectum suum sortiantur, & quacumque Constitutione non obstante.*

Ad quartam Quæstionem respondeo, Episcopum Capellas ante hac mensæ Capitulari canonice unitas, Seminario suo incorporare posse sine consensu Titularium. *Quibusvis* (inquit Concilium Tridentinum) *quoad omnia, & singula supradicta, privilegiis, exemptionibus, etiamsi specialem derogationem requirerent, consuetudine etiam immemorabili, quavis appellatione, & allegatione, quæ executionem impediat, non obstantibus.*

Ad quintam Quæstionem respondeo, Canonicos supra dictos non posse sine turpis lucri cupiditate, & injustitia postulare pinguiores pensiones ratione sumptuum factorum ad restaurationem, ampliationem, decorem, & ornatum Ecclesiæ, & ædium canonicalium, & ratione capellarum mensæ ipsorum Capitulari unitarum, quarum vacationem in dies sperant. Ecclesiæ namque, & ædium canonicalium restaurandarum onus illis ex officio incumbebat. Ex Præbendarum suarum redditibus habuerunt, quod eorum honestæ sustentationi satis esset: nihil præterea ipsis debet Ecclesia. Nullum jus habebunt in Capellis supra dictis, cum unitæ fuerint Seminario. Episcopus illas uniendo jure suo utetur. Nullo titulo pinguiores pensiones exigere, seu postulare possunt, ne compensationis quidem, cum illis non subtrahentur, nec earum redditus mensæ capitulari accedere deberent ante vacationem. Totum igitur committant Episcopi sui dispositioni, & æquitati.

Ad sextam Quæstionem respondeo, Similes Capitulorum suppressiones in aliis Diœcesibus ob eumdem finem factas, novę Legis vim non habere, sed firmare legem Tridentini Concilii, cujus in executionem decretę sunt, & factę. Canonicos supradictos cogi posse, ut Tridentinę Synodi Decreto, Constitutionibus Regiis, Episcopi sui litteris, Mandato, Sententię hac in causa pareant, Ecclesiaque sua Collegiali cedant, si ad Seminarii erectionem, & dotationem Capitulum illius

Ca-

canonice suppressum ab Episcopo fuerit. Regii Consistorii Decreta, aut Senatusconsulta in similibus causis gravissima sunt præjudicia adversus Canonicos. Expectare non debent Regiorum Magistratuum sententiam, ut pareant Episcopi decreto, ac mandatis, cui parere tenentur ex officio; sed interveniente Senatusconsulto non solum parere tenebuntur, sed compellentur. Ita censeo de Quæstionibus a te propositis. Vale, meique ad Altare Domini memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XLVII.

Alias XXXVI. quæ autem 47. erat, nunc 61.

Episcopus Beneficia simplicia Capitulari Mensæ unire non potest.

VIRO CLARISSIMO ***

Jubes, ut sententiam dicam de Quæstione, quam amantissimis litteris proponis; Utrum Episcopus ex Concilii Tridentini Decreto Sess. XXIV. *De Reformatione*, cap. XV. non solum Præbendis Canonicorum, sed ipsi etiam Capitulo, seu Capitulari Mensæ Beneficia simplicia unire possit ubi frequentes, & adeo tenues sunt Præbendæ, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui non sufficiant?

Unire non posse censeo, jure communi repugnante, cui sacra Synodus Tridentina hac in specie non derogavit. Ita sancitum est Clementina. *Si una*, Tit. *De rebus Ecclesiæ non alienandi*, cujus hæc sunt verba: *Quod si Episcopus (sui etiam Capituli accedente consensu) mensæ suæ, vel ipsi Capitulo aliquam duxerit Ecclesiam uniendam, hoc irritum esse decernimus*. Neque vero huic Clementinæ derogavit Concilium Tridentinum, quod permittit quidem Episcopis, ut accedente Capituli sui consensu Beneficia simplicia, non tamen regularia, Præbendis, uniant, ubi frequentes, adeoque tenues sunt, ut simul cum distributionibus quotidianis, sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & personarum qualitate non sufficiant: sed facultatem non tribuit uniendi Mensæ Capitulari. Cur non concesserit, hæc ratio fuisse videtur, quod ad unionem necessarius sit Capituli consensus ex Clementina laudata: Capitulum autem facto proprio præstare non possit auctoritatem, ut ait Glossa ejusdem Clementinæ; summoque consensu docent omnes Canonici Juris Interpretes. Capitulum quidem potest auctoritatem præstare unioni Beneficiorum, quæ fit omnibus, & singulis Præbendis, quia tunc præcipue agitur de utilitate singulorum, & secundario de utilitate, & commodis Capituli: non autem unioni, quæ fit Mensæ Capitulari, quia tunc præsertim agitur de utilitate Capituli, & secundario de utilitate singulorum. Jure autem permissum est ei, cujus non interest principaliter, & primario, sed secundario tantum in aliquo negotio, auctoritatem suam interponere, ut constat ex L. *Quamquam Regula*, D. *De auctoritate, & consensu tutorum*.

Hac tandem Quæstione ad sacram Congregationem Concilii Interpretem olim delata, sacra Congregatio declaravit, non posse Episcopum Beneficia simplicia unire Capitulo, seu Capitulari Mensæ: quod si fecerit, irritam fore unionem: & hanc declarationem confirmavit Paulus V. Pontifex Maximus die 19. Decembris anno 1612. Neque etiam id potest Episcopus, ubi Præbendæ non sunt distinctæ, sed redditus omnes in distributionibus consistunt, quæ ex communi Mensa percipiuntur, ut censuit eadem sacra Congregatio die 5. Februarii anno 1611. referente Fagnano in cap. *Exposuisti*, Extra, *De Præbendis*. In ea igitur specie Summi Pontificis auctoritas imploranda est. Vale, meque tui observantissimum Deo commenda.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA XLVIII.

Alias XXXVII. quæ autem 48. erat, nunc 62.

Si lis de Jure-Patronatus finita non sit post quatuor menses in Patronatu Laico, vel post sex menses in Ecclesiastico, jus instituendi Parochum, absque præsentatione seu nominatione Patroni, ad Episcopum, pro hac vice, devolvitur.

CLARISSIMO VIRO ***

Consultius egissent D. Marchio N. & D. Præses N. de Jure-Patronatus Parochialis Ecclesiæ N. litigantes, si Illustrissimi Episcopi N. judicio, vel arbitrio causam suam permisissent. Controversiam facile diremisset pro sua singulari Juris Ecclesiastici peritia. Proferri jussisset fundationis, vel dotationis authentica documenta, & alia jure requisita, sive etiam multiplicium Præsentationum per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, fidem facientia instrumenta. Expendisset, an præsentationes, quibus sibi Patronatum vindicant Dominus Præses, & D. Marchio, interruptæ sint, vel continuatæ non minori saltem, quam annorum quinquaginta spatio, an omnes effectum sortitæ sint, idque scripturis authenticis probetur. Has enim regulas judicandi de Jure Patronatus præscribit sacra Synodus Tridentina Sess. XXV. *De Reformatione*, cap. IX. Expendisset omnia causæ ancipitis momenta, & æquissimam sententiam tulisset. Verum cum partes ad Senatum causam Juris Patronatus detulerint, & lite a quatuor mensibus contestata nondum

finita

finita sit, nec ulli contendentium adjudicata possessio; juris est Illustrissimi Episcopi N. Parochum instituere, secundum cap. *Quoniam*, Extra, *De Jure Patronatus*, cujus hæc sunt verba: *Si forte in plures partes Fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur assensu. Si autem hoc sine scandalo esse nequiverit, ordinet Antistes Ecclesiam, sicut melius eam secundum Deum viderit ordinandam. Et id ipsum etiam faciat, si de Jure Patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat, intra quatuor menses non fuerit deffinitum*. Idem confirmat cap. *Cum propter*, sub eodem Titulo. Gallicana Jurisprudentia quatuor mensium intervallum Patronis Laicis ad nominandum tribuit: Jurisprudentia singularis Normanniæ sex menses. Si vero Jus-Patronatus sit Ecclesiasticum, nullibi devolvitur nominatio ad Episcopum nisi post sex menses, ut statutum est cap. *Eam te*, Ext. *De Jure Patronatus*. Verum in dubio jus illud præsumitur laicum: omnia enim Beneficia vulgo censentur a Laicis fundata, ait Guillelmus Benedicti ad cap. *Raynutius*, Ext. *De Testamentis*. Jus autem providendi Ecclesiæ devolvitur ad Episcopum intra tempus a Canone statutum, cum quæstio de Jure-Patronatus inter litigantes Patronos non est finita, sive quæstio sit de quasi possessione præsentandi, sive de proprietate, nec aliquis sit in possessione, ut censent Innocentius IV. & alii Canonici Juris Interpretes. Nam si unus contendentium in possessione sit præsentandi bona fide, ab illo præsentatum Clericum Episcopus in Beneficio canonice instituere interim debet, si dignum & capacem judicet; *cum ex hoc nullum imposterum præjudicium generetur ei, qui Jus Patronatus debet habere*. Et si non solum possidebat, sed etiam credebatur esse Patronus illius Ecclesiæ, qui præsentavit, Clericus cui ad ejus præsentationem Beneficium illud ab Episcopo collatum est, si postea Jus Patronatus in judicio alius evicerit, non debet propter hoc ab illius Beneficii possessione removeri, ut constat ex cap. *Consultationibus*, Ext. *De Jure-Patronatus*.

Episcopalis itaque juris est personæ idoneæ Parochialem Ecclesiam N. conferre pro hac vice: *Ita quod illi ex hoc non debeat imposterum præjudicium generari, qui Jus evicerit Patronatus*; ut habet, cap. *Cum propter*, Extra, sub eodem Titulo: Vale, meque tui observantissimum semper habeas.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias XXXVIII. quæ autem 49. erat, nunc 63.

EPISTOLA XLIX.

Qua ratione Præbendarum aliquarum suppressio ob aliarum tenuitatem, in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis Episcopo permissa sit?

CLARISSIMO VIRO ***.

OPtas, ut ad te scribam, qua ratione Præbendarum aliquarum suppressio ob aliarum tenuitatem in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis Episcopo permissa sit? Morem gero lubens, quamvis id a te discerem lubentius, quod docere posses pro summa tua Juris Ecclesiastici peritia.

Concilium Tridentinum statuere probe nosti, ut *in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, & adeo tenues sunt Præbendæ, simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia Beneficia, non tamen regularia, iis unire; vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis cum Patronorum consensu, si de Jure Patronatus Laicorum sint, quarum fructus, & proventus reliquarum Præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere; ita tamen, ut tot supersint, quæ divino Cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commode respondere*. Hæc sunt verba Concilii Sess. XXIV. *De Reformatione*, cap. XV. Verum supprimi in eum finem dignitas ab Episcopo non potest, ut respondit sacra Congregatio Concilii Capitulo Elnensi, referente Fagnano, in cap. *Cum accessissent*, Ext. *De Constitutionibus*. Addit idem Canonista in cap. *Cum M. Ferrariensis*, sub eodem titulo, suppressionem Præbendarum, eo, quo nunc utimur, jure, fieri non posse nisi in subsidium, nempe cum deficit remedium unionis Beneficiorum simplicium. Nam alternativa, *vel*, non est electionis (inquit) sed ordinis, ut patet ex illis verbis, *si hac ratione provideri non possit*. Sic respondit sacra Congregatio Concilii. Sex ergo conditiones concurrere debent, ut fieri possit Præbendarum suppressio. Prima, ut Ecclesiæ sint insignes. Altera ut Præbendæ sint frequentes, & tot supersint, quæ sufficiant ad divinum cultum peragendum, & conservandam Ecclesiæ dignitatem. Tertia, ut Præbendæ simul cum distributionibus sint adeo tenues, ut non sufficiant ad decentem Canonicorum sustentationem. Quarta, ut suppressio non fiat a Capitulo, sed ab Episcopo de Capituli consensu. Quinta, ut fiat in subsidium, id est, deficiente remedio unionis beneficiorum simplicium, & residentiam non postulantium. Sexta, ut suppressio fiat cum Patronorum consensu, si de Jure Patronatus laicorum sint.

Alias vero ponderatis illis verbis Concilii, *Liceat Episcopis*, sacra Congregatio ejusdem Interpres censuit Præbendarum tenuitati, Cathedralis, vel Collegiatæ insignis, Episcopum providere posse, sed non teneri; nec Metropolitanum in hoc posse supplere. Refert Fagnanus in

cap.

cap. *Ex parte*, Ext. *De Constitutionibus*, qua Decretali declaratur non licere Canonicis Præbendas supprimere quando Ecclesiæ redditus non sunt imminuti: quia Dei cultus minuendus non est, imo potius augendus: sed nec in hypothesi imminutionis redditum id possunt Canonici, sed solus Episcopus cum eorum consensu. Vides, Vir Clarissime, nihil novi ad te scribi de hoc argumento: nec scribi posse aliquid noveram, quod non plene, ac perfecte scires: sed observantiæ in te meæ, ac obsequii fuit præstare, quod optasti. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA L.

Alias LXXXI quæ autem 50. erat, nunc 76.

Resignatio Beneficii e Novitio facta sex ante Religiosam Professionem mensibus nullius est roboris.

CLARISSIMO VIRO***

URgentibus licet studiis distentus, litteris tuis singulari humanitate conditis, ac propositæ Quæstioni respondere non moror. Julianus Ecclesiæ N. Canonicus, cum Ordinem Religiosum ingressus esset, Beneficium suum Jacobo sex ante Professionem mensibus resignavit. Vota solemni ritu cum emisisset, Jacobus Beneficii possessionem adire voluit. Episcopus ad quem Canonicatus collatio pertinebat, viso resignationis instrumento, Beneficium Petro contulit. Jacobus incertæ liti se implicare nolens, meam (ut scribis) rogat sententiam, num ad Canonicatum illum jus habeat vi resignationis a Juliano Religiosi Ordinis Novitio factæ?

Censeo resignationem illam nullius esse roboris, utpote factam contra formam a Concilio Tridentino præscriptam Sess. XXV. *De Regularibus*, Cap. XVI. cujus hæc sunt verba: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiam cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus*. Hoc porro decreto resignationem Beneficii etiam comprehendi declaravit sacra Congregatio Concilii, ut refert Fagn. in Cap. *Statuimus*, Ext. *De Regularibus*.

Hoc Tridentini Concilii decreto Cap. *Beneficium*, Tit. *De Regularibus* in Sexto, emendatum est, quo Bonif. VIII. decreverat, *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non esse intra probationis annum alicui conferendum, nisi ad id ipsius accedat consensus*, &c.

Nullum ergo jus habet Jacobus ad Canonicatum, qui tunc demum vacavit, cum Julianus expressam Professionem emisit: adeoque Petro legitime, canonice, valide ab Episcopo collatus est. Illi ergo cedat Jacobus, ob animi moderationem, qua lites, Beneficiorum præsertim aucupandorum gratia, suscipere detractat, plurimum laudandus. Vale, mei tuis in Sacrificiis memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LI.

Alias LXXXII. quæ autem 51. erat, nunc 77.

Dignitas Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, quæ nullos fructus habet, & cui nulla cura incumbit, Residentiam nihilominus postulat.

CLARISSIMO VIRO***

CUm dignitates, canonicatus, & Præbendæ Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum; mansionem sive personalem residentiam Clericorum, qui hujusmodi possident Beneficia, secundum Canones exigant, in dubium revocari scribis a quibusdam, num dignitas Ecclesiæ N. quæ nullos fructus habet, & cui nulla cura incumbit, residentiæ legi obnoxia sit: rogasque ut scribam ad te, quid ea de re sentiam.

Tuam de hoc Moralis capite sententiam audire, & sequi mallem, quam meam dicere, nisi tibi pariter, ac mihi visum iri minime dubitarem plane adhærendum esse Responsis sacræ Congregationis Concilii. Cosentinæ Thesaurarius Ecclesiæ, quæ dignitas nec fructus aliquos habebat, nec annexam animarum curam, licet post Pontificalem in illa Ecclesia major esset, dubitabat, an mansionis seu residentiæ lege teneretur, stante consuetudine non residendi cum Ecclesia, vel dignitas nullos redditus habet; quam consuetudinem legitimam censet Abbas in Cap. *Extirpandæ*, Ext. *De Præbendis*, §. *Qui vero*. Dubio ad sacram Congregationem Concilii relato, Eminentissimi Patres, ac Domini responderunt: Thesaurarium, licet nullos fructus haberet, teneri ex Concilio ad residentiam: quia consuetudo non residendi cum nulli sunt fructus, alias jure communi probata, sublata est a Concilio Tridentino in Canonicatibus, & Parochialibus Beneficiis. Similiter cum Cardinalis N. Episcopus Auximanus quæsivisset, an duæ dignitates suæ Cathedralis, videlicet Archidiaconus, & Archipresbyter, qui nullos redditus habent, sed solum stallum in Choro, ad residentiam teneantur? Sacra Congregatio Concilii die 18. Januarii anno 1614. respondit: Dignitates illas, etsi redditibus omnino destitutas, residen-

tiæ

tiæ lege teneri, juxta formam a sacra Synodo Tridentina præscriptam Sessione XXIV. Cap. XII. Ita refert *Fagnanus* in Cap. *Cum omnes*, Ext. *De Constitutionibus*. Vale, meque addictissimum semper habeto.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LII.

Alias LXXXV quæ autem 52. erat, nunc 64.

Clericus Canonicatum, & Capellam in eadem Ecclesia obtinere, & servare potest sine Sedis Apostolicæ dispensatione, si alterutrum ad honestam sustentationem non sufficiat.

CLARISSIMO VIRO***

REdditum Ecclesiasticorum incrementi per novi Beneficii accessionem tibi non gratularer, si Capella quam prius possidebas ad honestam tui sustentationem satis fuisset. Verum cum tenuioris esset redditus, gaudeo plurimum quod Canonicatu in eadem Ecclesia donatus sis. Quæris utrum absque Sedis Apostolicæ dispensatione Beneficium utrumque retinere possis. Non te latet duplicis generis Beneficia in eadem Ecclesia a Juris Canonicis peritis vulgo distingui, quædam sunt conformia, sive ejusdem generis, ut duo Canonicatus, vel duæ Præbendæ: quædam difformia, ut dignitas cum Canonicatu, vel Præbenda, aut Canonicatus, & Capella. Circa beneficiorum conformium possessionem sola Sedes Apostolica dispensare potest: circa possessionem difformium dispensare potest Episcopus, ut censet Joannes Andreas, & tota Juris Canonici Peritorum schola, fulta Cap. I. *De consuetudine*, in Sexto, cujus hæc sunt verba *Statuentes ut cum unum officium vix digne valeat aliquis adimpleri, nulli liceat de cetero nisi unicum Personatum, vel Dignitatem, aut Præposituram, sive administrationem, vel Officium perpetuum, quocumque nomine censeantur, cum Præbenda insimul absque dispensatione dictæ Sedis in eadem Ecclesia obtinere, vel jam obtenta tenere. Quod si a quoquam secus præsumptum fuerit, irritum sit omnino*. Canonicatum autem, & Capellam difformia Beneficia esse seu diversi generis, evidens est. Utrumque igitur possidere licet, ac retinere cum dispensatione Episcopi: sed necessaria est expressa dispensatio; nisi Ecclesiæ, in qua mereris, statutum, vel consuetudo possessioni diversi generis Beneficiorum sub eodem tecto auctoritatem præstet. Quæ autem ab Episcopo concedi potest hac in specie dispensatio, ex magna, & evidenti Ecclesiæ utilitate, aut urgente necessitate, aut certo ob insignia personæ merita concedi debet. Hanc addunt exceptionem eruditi Canonici Juris Interpretes, ut Episcopus dispensare non possit circa diversi generis sub eodem tecto beneficiorum possessionem, si ex privilegio, statuto, vel consuetudine personalem utrumque residentiam exigat. Ita censent Fredericus de Senis Consilio 250. & 206. & Prosper Fagnanus in Cap. *Litteras*, Extr. *De concessione Præbendæ*. Cum igitur Capella, & Canonicatus in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata beneficia sint residentiam exigentia, secundum hanc sententiam tutius ages, si Provisionis litteras ab Apostolica Sede obtineas.

Sic in pari causa censuit sacra Congregatio Concilii Interpres. Cum enim Episcopus Maurianensis contulisset Canonicatum, & Capellam in Ecclesia sua vacantem Amedeo Clerico, & quæsitum esset, an tuta conscientia posset ille Capellam cum Canonicatu retinere absque dispensatione Summi Pontificis: sacra Congregatio declaravit, Amædeum absque Provisione Sedis Apostolicæ hæc duo, difformia licet, sub eodem tecto beneficia obtinere non posse, nisi id statutum, vel Ecclesiæ Maurianensis consuetudo permittant, vel cum eo exprese dispensaverit Episcopus; cum utrumque conferendo non intelligatur tacite dispensasse, ut colligitur ex Cap. *Fraternitati*, Ext. *De Schismaticis*, & ex Glossa ejusdem capitis. Cumque generatim dubitatum fuisset, an pro tutiore conscientia obtinentium duo beneficia difformia sub eodem tecto, personalem residentiam postulantia, ipsis ab Ordinario collata, debeat nova provisio peti a Summo Pontifice, sacra Congregatio respondit, peti debere: quia licet Episcopus ex causa dispensare possit circa possessionem duorum Beneficiorum difformium sub eodem tecto, tamen periculum est, causa non subsit ea, quam Canones requirunt: ideo tutius est adire Sanctissimum. Refert Fagnanus in Cap. *Litteras*, Ext. *De concessione Præbendæ*. Fac ut valeas, meique in sancto Sacrificio memineris.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LIII.

Alias LXXXVI. quæ autem 53. erat, nunc 78.

Quando obtinens Capellam Sacerdos esse teneatur, Divinorumque celebrationi per seipsum satisfacere.

HONORANDO VIRO*** INSIGNIS ECCLESIÆ *** CAPELLANO.

ROgasti per litteras nudius tertius ad me datas, ut explicarem, quando Clericus obtinens Capellam Sacerdos esse teneatur, ac divinorum celebrationi per se ipsum satisfacere. Propositæ Quæstioni breviter respondeo.

Aut

Aut Capellæ annexus est Ordo Presbyteratus, quia videlicet in illius fundationis tabulis cautum, & expressum est, ut Capellanus sit Sacerdos, aut non est annexus. Si sit annexus, & Capella sit in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia constituta, Clericus illam obtinens tenetur esse Sacerdos, & Missas, ac divina Officia in fundationis tabulis injuncta per se ipsum celebrare, & onera adimplere per se ipsum. Ea in specie lex fundationis ad amussim servanda est, ut statuit Concilium Tridentinum Sess. xxv. *De Reformatione*, Cap. v. Si vero Capella non habet Ordinem Presbyteratus annexum, & fundationis tabulis cautum sit dumtaxat, ut Capellanus Missas celebrare debeat, & divinis inservire, seu interesse, aut divina Officia celebrare; in ea specie non tenebitur ad suscipiendum Presbyteratus Ordinem, nec ad Missas celebrandas per se ipsum: sed tamen divina Officia per se ipsum celebrare, seu illis personaliter interesse tenebitur, non per substitutum, si Cathedralis, aut Collegiata sit Ecclesia, non alias, ut ex Concilii Tridentini Decretis mox laudatis, & declarationibus sacræ Congregationis ejusdem Interpretis compertum est, a Fagnano relatis in Cap. *Ut Abbates*, Ext. *De ætate, & qualitatibus Ordinandorum*. His porro verbis conceptum est Tridentini Concilii Decretum, Cap. IV. Sessionis XXII. *Quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, Sæculari, vel Regulari Ecclesia divinis mancipatus Officiis in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habebit.... Ii vero qui dignitates, Personatus, Officia, Præbendas, Portiones, aut quælibet alia Beneficia in dictis Ecclesiis obtinent, aut imposterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolas dicant, seu cantent, quocumque ii privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate sint insigniti, teneantur, justo impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos: alioquin pœnas incurrant juxta Constitutionem Concilii Viennensis, quæ incipit*, Ut ii, *quam præsenti Decreto innovat; cogantque Episcopi eos diebus statutis dictos Ordines per se ipsos exercere.*

Et Cap. XII. Sessionis XXIV. de Reformatione. *Omnes vero divina Officia per se, & non per substitutos compellantur obire; & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere & inservire, atque in choro ad psallendum instituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.*

Et Cap. v. Sessionis xxv. de Reformatione: *Quandocumque igitur ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis Constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta; in Beneficiorum collatione, aut in quacumque alia dispositione eis non derogetur. Idem in Præbendis Theologalibus, Magistratibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocumque ita constituta fuerint, observetur, ut eorum qualitatibus, vel Ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur: & aliter facta provisio subreptitia censeatur.* Vale, mei tuis in orationibus memor.

Lutetiæ Parisiorum.

EPISTOLA LIV.

Alias LXXXVIII. quæ autem 54. erat, nunc 102.

Pensio Ecclesiastica solutionibus anticipatis redimi non potest sine licentia, & auctoritate Romani Pontificis.

CLARISSIMO VIRO ***

VArias in Diœcesi N. opiniones esse scribis de redemptione Pensionum Ecclesiasticarum, quæ fit anticipatis solutionibus: quosdam asserere illas redimi posse sine licentia Summi Pontificis; quorum sententia doctissimos Cardinales Cajetanum, & Toletum fautores habet, alios negare. Sententiam hac de re meam rogas. Dicam ingenue, quod sentio. Pensionem Ecclesiasticam redimi non posse solutionibus anticipatis sine licentia, & auctoritate Romani Pontificis existimo, nec probabilem esse consuetudinem contrariam. Navarri sententia est, Consilio LXV. *De Simonia*, contra Cardinales Cajetanum, & Toletum, qui pensionem numerata pecunia redimi posse privata auctoritate, & arbitrio censerunt, quod jus esse mere temporale falso existimarent. Verum Pensionem Ecclesiasticam non esse quid profanum, sed annexum spirituali, certum est, cum nonnisi Clericis in habitu, & Tonsura Clericali incedentibus reservari possit, secundum Constitutionem *Sixti V.* quæ incipit, *Cum sacrosanctam*; & *S. Pii V.* Constitutione, quæ incipit, *Ex proximo*, Pensionarii ad parvum Officium Beatæ Virginis recitandum teneantur. Et hanc quidem sententiam Rota amplexa est in causa Pharensis Pensionis die 24. Januarii 1578. coram Clemente VIII. Pensionem scilicet Ecclesiasticam solutionibus anticipatis extingui non posse sine auctoritate Romani Pontificis. Ita post Gigantem, Garciam, Navarrum, aliosque Juris Canonici Peritos, censent Prosper Fagnanus in Cap. *Ad audientiam*, Extr. *De Rescriptis*, & Pirrus Corradus in Praxi Beneficiaria, Libro v. Cap. 4. Ideo autem Summo Pontifici reservata est auctoritas concedendi licentiam, ut extinguatur Pensio anticipatis aliquibus solutionibus; quia redemptiones hujusmodi aliquam simoniæ speciem habere videntur, quæ coram Pontifice Maximo purganda est. Qui loquendi modus non eo pertinet, ut Summus Pontifex abstergere possit simoniæ labem a conventione, seu pacto vere simoniaco; sed quod re diligenter examinata in Curia, tunc tantum supplicationi annuat sua Sanctitas, cum arbitratur nullum intervenisse

venisse pactum de Pensione certis anticipatis solutionibus redimenda; quod quidem pactum sacrilega esset Beneficii nundinatio. Vale, meque Deo ad ejus Altare commenda, qui sum ex animo tuus.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias LXXXIX. quæ autem 55. erat, nunc 23.

EPISTOLA LV.

Lethalis peccati rei sunt, qui defuncti Beneficiarii corpus celant vel celari procurant, ut ejus obtineant Beneficium, illis ab infirmo, qui infra viginti dies a resignatione obiit, resignatum, vel ut alterum juvent ad illud obtinendum contra jus Collatoris, aut aliorum.

CLARISSIMO VIRO ***

SEntentiam tibi aperire meam de Moralis Christianæ capite nuper a te mihi proposito non moror. Lethalis peccati reos esse non dubito, qui defuncti Beneficiarii corpus celant, vel celari procurant, ut ejus obtineant Beneficium illis ab infirmo, qui infra viginti dies a resignatione obiit, resignatum; vel ut alterum juvent ad illud obtinendum contra jus Collatoris, aut aliorum legitime provisorum. Gravem enim committunt injustitiam, Beneficium absque legitimo titulo invadunt, aut alteri auxilium, & favorem præstant, ut illud sic mala arte obtineat; peccant adversus Regulas Ecclesiæ, & Constitutiones Principum. Quamobrem illi ad Beneficii hoc modo impetrati abdicationem in manibus Collatoris, restitutionemque fructuum perceptorum, & percipiendorum, extantium, & consumptorum: isti ad illati aliis damni compensationem, in Beneficiarii intrusi supplementum tenentur. Regula Cancellariæ Apostolicæ, in Galliis etiam recepta, *De infirmis resignantibus*, hæc habet: *Si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod Beneficium, dimiserit, aut illius Commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ: postea infra viginti dies, a die per ipsum Resignantem præstiti consensus computandos de ipsa infirmitate decesserit, ac ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi nulla sit, ipsumque Beneficium censeatur nihilominus per obitum vacare.*

Edixit autem Rex Christianissimus Franciscus I. Constitutione anno 1539. edita Articulis 50. & 51. in Ecclesiarum Necrologii conscribi diem sepulturæ Beneficiarii defuncti, ipsius Parochi, sive Rectoris, aut Superioris manu, adjuncta Notarii publici subscriptione, ne fraudi sit locus. Præterea jubet Articulo 54. Beneficiarii defuncti domesticis, sub pœna corporali, ut illius obitus diem dictis Ecclesiis sincere denuntient. In laicos, qui defuncti corpus celaverint pœnam capitis decernit: in Clericos vero exclusionem omnimodam a Beneficiis defuncti, gravesque præterea mulctas infligendas arbitrio Judicis, Articulo 55. Porro & Constitutionibus Principum, quæ Divinæ, aut Ecclesiasticæ Legi non adversantur, parendum esse, *non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, Apostolus docet. Vale.

Lutetiæ Parisiorum.

Alias LXXXVII. quæ autem 56. erat, nunc 163.

EPISTOLA LVI.

Solutio variorum casuum circa Simoniam.

CLARISSIMO VIRO *** SACERDOTI.

NOnnullas circa Simoniam difficultates mihi per litteras proponis, earumque solutionem rogas, & urges vehementer. Tibi satisfacio cursim, quamvis materiæ gravitas intervallum temporis paulo longius forsan postularet.

DIFFICULTAS I. Petrus rogavit Patronum, ut illum præsentaret ad dignitatem in Ecclesia Collegiata vacantem: & quo facilius eam obtineret, promisit se beneficio simplici, scilicet Capellæ, quam in Ecclesia Cathedrali possidebat, renunciaturum in manibus Ordinarii, qui primam Capellam vacantem promiserat Præceptori filiorum supra dicti Patroni. Petrus ad dignitatem præsentatus est, & possessionem adeptus, Capellæ, prout conventum erat, renunciavit. Quæritur an Simoniam realem admiserit, & dignitatem dimittere teneatur.

DIFFICULTAS II. Joannes beneficium suum in manibus Ordinarii pure, simpliciter, ac libere dimisit; certa tamen spe concepta, quod Patronus Laicus ad illud nepotem dicti renunciantis præsentaret. Quæritur, an Simoniacæ confidentiæ reus sit, an in pœnas incurrerit S. Pii V. Constitutione contra confidentiarios latas?

DIFFICULTAS III. Martinus de suo Canonicatu resignando cogitans, dixit Nicolao se illi resignare velle. Post aliquot menses Martinus in eadem perseverans voluntate ab illo petiit mutuum centum nummorum aureorum. Pecuniam statim numeravit Nicolaus, ne chirographum quidem exigens. Martinus accepto mutuo statim illi Canonicatum resignavit. Ille vero Provisionis litteris impetratis possessionem iniit. Quæritur, utrum, Simoniæ reus sit, ac Beneficium ejurare teneatur.

DIFFI-

DIFFICULTAS IV. Philippus resignavit Jacobo beneficium annui redditus duarum millium librarum, cum [illegible] pensionis annuæ mille librarum: ut vero resignatio cum hujusmodi pensione rata haberetur in Romana Curia conv[illegible] in supplicatione exprimeretur, valorem fructuum beneficii esse trium millium librarum; quod nisi expressum fuisset, Summus Pontifex resignationem cum tali pensione non admisisset. Quæritur utrum resignans, & resignatarius Simoniæ rei sint, & resignatio nulla sit ipso jure?

DIFFICULTAS V. Andreas Carolo amico suo, ac Procuratori speciale mandatum dedit, ut beneficium quoddam litigiosum, & controversum Laurentio resignaret, ea conditione, ut evicta lite Laurentius certæ pensionis creationi consentiret, illamque Andreæ resignanti solvere teneretur. Consensit, pensionem tamen nondum solvit. Quæritur, quid juris?

DIFFICULTAS VI. Mævius auctoritate, & commendatione sua beneficium Ecclesiasticum impetravit Titio inhabili, & indigno, hac adjecta pactione, ut ipse Titius illud post triennium resignaret cuidam ipsius Mævii nepoti. Hac in specie quid facto opus?

DIFFICULTAS VII. Gymnasiarcha quinquaginta nummorum argenteorum sive scutorum munus accepit a quibusdam, ut eorum filio locum inter sui Collegii alumnos, stipendiumque scholasticum, vulgo Bursam procuraret. Quæritur, utrum ille Gymnasiarcha Simoniæ reus sit, quas in pœnas incurrerit, & utrum restitutioni sit obnoxius?

DIFFICULTAS VIII. Quæritur, utrum Episcopus cujus redditus sunt modici, possit mille aureos a Notario suo quotannis exigere?

Ad primam difficultatem respondeo, Petrum simoniace dignitatem in Ecclesia Collegiata fuisse adeptum; siquidem ipsum inter, & Patronum conventum est, ut ad dignitatem præsentaretur ea conditione, ut cederet ille beneficio simplici: omnes porro hujusmodi pactiones Simoniacæ sunt, etiamsi nihil mere temporale detur, ut constat ex Cap. *Pactiones*, Ext. *De pactis*, cujus hæc sunt verba: ***Pactiones factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque contentio debeat omnino cessare, nullius sunt omnino momenti***. Idem probat Caput, *Tua nos*, Extr. *de Simonia*, eaque S. Raymundi, Sylvestri Prieratis, & Angeli de Clavasio sententia est. Certe in specie proposita jus spirituale promissum est cum onere, ut fieret aliquid quasi pro pretio juris illius, seu causa principali illud habendi. Simoniaca igitur conventio fuit. Et cum ab utraque parte pacta conventa impleta fuerint, simoniæ realis rei sunt Petrus, & Patronus. Quamobrem in excommunicationem incurrerunt, & præsentatio Petri ad dignitatem nulla fuit, & invalida, adeoque & institutio ob eam facta ab Episcopo, fructusque male percepti. Petrus itaque dignitatem dimittere teneretur, & fructus male perceptos restituere.

Ad secundam difficultatem respondetur, Joannem simoniacæ confidentiæ reum non esse: siquidem beneficium suum in manibus Ordinarii pure, ac simpliciter dimisit: nulla pactio expressa, aut virtualis intercessit Joannem inter, & Patronum, aut Ordinarium, ut ad illud beneficium renunciantis nepos præsentaretur, vel illi conferretur. Sola spes ea de re concepta est, quod nullo jure prohibetur. Unde S. Antoninus Par. II. Tit. I. Cap. 5. §. 2. ait: ***Si quis renunciat beneficio ea intentione, ut detur nepoti, vel alteri, nulla tamen de hoc facta pactione, vel conventione, nullam incurrit Simoniam, renunciare autem beneficio, ut detur alteri, est simoniacum, quia prohibitum, scilicet jure positivo. Sed non est hoc prohibitum simpliciter, sed secundum istum modum, cum videlicet hoc ducitur in pactum***. (Can. I. Quæst. 2. Can. Quam pio.) Non incidit igitur Joannes in pœnas Constitutione S. Pii V. latas. Neque contrarium colligi potest ex illis verbis: ***Etiamsi sola dimittentis intentione receperit***, sive ex illis, *conscientia tantum unius partis*. Id enim unum significant: Ubi prava dimittentis, aut conferentis intentio perspecta, & explorata fuerit, præsumendum esse in foro exteriori de pravo suscipientis, vel impetrantis affectu: sed in foro interiori præsumptione agendum, & judicandum non est, sed secundum confessionem pœnitentis. Quiescat igitur Joannes: & tuta conscientia sacris Ministeriis fungatur.

Ad tertiam difficultatem respondetur. Nec Martinum, nec Nicolaum, simoniæ reos esse, cum Nicolaus non emerit, nec ullo contractu oneroso quæsierit a Martino resignationem beneficii, sed Martinus illud sponte resignare voluerit in ejus favorem: nullaque inter ipsos intervenerit conventio, ut ille mutuum daret, iste beneficio in ejus gratiam renunciaret. Post oblationem spontaneam, & mere gratuitam beneficii, mutuum iste petiit ad necessitatem suam sublevandam; dedit ille ob amicitiam, & grati animi significationem: nullum hic pactum apparet dandi rem spiritualem, aut spirituali annexam pro temporali. Quod si forte prava intentio in alterutro fuerit, & Nicolaus mutuum dedit Martino metuens, ne voluntatem resignandi ipsi beneficium mutaret, alias non daturus, simoniæ tantum mentalis reus censeri debet, siquidem prava illa intentio in pactum non est deducta, nec ullo signo exteriori expressa.

Ad quartam difficultatem respondeo; Resignantem, & resignatarium reos esse Simoniæ. Nihil enim refert, quid de æquipollentibus fiat, ut ajunt Jurisconsulti. At si duo ita convenirent, ut unus renunciaret beneficio duarum millium librarum annui redditus in favorem alterius, & alter promitteret ei solvere mille libras annuæ pensionis sine Summi Pontificis consensu, uterque Simoniæ reus esset, ut compertum est. Qui porro conveniunt, ut valor beneficii duarum millium librarum in supplicatione Summo Pontifici offerenda enuncietur esse trium millium librarum, ad hoc ut pensio mille librarum super ea constituatur, seu rata habeatur, æquipollenter conveniunt ac duo supra dicti, cum propositum habeant, ut resignatio fiat, pensioque male & invalide imposita sine Summi Pontificis consensu solvatur. Cum igitur ita se habeat conventio Philippi cum Jacobo; uterque

que pernicioſi mendacii, & fraudis Summo Pontifici factæ, ſed & Simoniæ reus eſt. Præterea, omne pactum expreſſum, vel tacitum dandi ſpirituale pro temporali, vel contra, ſimoniacum [illegible] ut conſtat ex Can. *Quam pio*, cauſa 1. quæſt. [illegible] & Cap. *P[illegible]* [illegible]. At conventio inter Philippum reſignantem, & Jacobum reſignatarium facta, ut major valor beneficii enuncietur in ſupplicatione Summo Pontifici porrigenda, ut majoris penſionis conſtitutio impetretur quam alias conſtitueretur, eſt pactum conventum dandi aliquid ſpirituale, ſcilicet beneficium, pro re temporali, ſcilicet penſione male, & invalide collata, ſine conſenſu nempe Summi Pontificis, qui de rei veritate, ſeu vero valore beneficii certior factus penſionem ratam non haberet, neque conſtitueret. Quamobrem proviſio non ſolum nulla eſt, & ſubreptitia ob doloſam expreſſionem falſi, ſed & reſignatio ipſo jure nulla, & invalida ob Simoniam, non ſolum conventionalem, ſed realem; ſiquidem ſimoniaca conventio ab una ſaltem parte impleta eſt, cum Philippus beneficium ſuum Jacobo reſignaverit. Uterque igitur excommunicationem, aliaſque pœnas incurrit, & Jacobus beneficium dimittere tenetur, omneſque fructus, quos percepit, reſtituere.

Ad quintam difficultatem reſpondetur, Andream, & Laurentium ſimoniæ reos eſſe, quæ licet a principio conventionalis dumtaxat fuiſſet, poſtea tamen [illegible] lite, & conſ[illegible] p[illegible] reſervationi penſionis, realis evaſit. In cenſuras proinde incurrerunt reſignans, reſignatarius, & ſimoniacæ reſignationis mediator, ut conſtat ex Pauli II. Conſtitutione, quæ incipit, *Cum deteſtabile*. Laurentius vero beneficio renunciare tenetur, & quos percepit fructus reſtituere, ut conſtat ex Cap. *De Regularibus*, & Cap. *Ex inſinuatione*, Extr. *De Simonia*.

Ad Sextam difficultatem reſpondetur, collationem Titio factam nullam, & invalidam eſſe, tum ob canonicam incapacitatem, & impedimentum, tum ob ſimoniacam confidentiam, quæ [illegible] ſum inter, & Mævium interceſſit. In Cenſuras proinde incurrerunt, ac pœnas Pii IV. & S. Pii V. Conſtitutionibus in Confidentiarios latas. Titius beneficio renunciare tenetur in manibus Collatoris, & fructus male partos reſtituere. Quod niſi præſtiterit, Mævius ad reſtitutionem tenebitur. Qui enim damni dati cauſa eſt, participatione, mandato, conſilio, conſenſu, ſine quibus damnum datum non eſset, reſtituere tenetur in ſupplementum principalis auctoris, ſecundum S. Thomam, & omnes Theologos. Mævius plus quam conſilium, & conſenſum, ſcilicet auctoritatem, & mediationem ſuam interpoſuit, ut beneficium inhabili, & indigno conferretur, & pactionem adjecit ſimoniacæ confidentiæ peſte infectam; cauſa itaque fuit, ſine qua Titius fructus indebitos non percepiſſet: illos igitur reſtituere tenetur Eccleſiæ, vel pauperibus, niſi in Eccleſiæ ipſius, vel pauperum utilitatem a Titio forte impenſi, & conſumpti fuiſsent. Sicut enim Magiſtratus malum tutorem nominans reſtituere tenetur damna per illum illata pupillo, ſi tutor non reſtituat, ut legibus ſancitum eſt: ita conferens beneficium inhabili, vel indigno, vel procurans ut conferatur, non ſolum peccat lethaliter, ſed etiam tenetur in ſubſidium ad reſtitutionem fructuum.

Ad ſeptimam difficultatem reſpondeo, Gymnaſiarcham illum gravis quidem peccati, & turpis lucri, non tamen ſimoniæ reum eſse, cum ſcholaſtica illa ſtipendia, ſeu jura ſodalitia in Collegiis, nec ſpiritualia ſint, nec ſpiritualibus annexa. Navarro quidem aliter viſum eſt Conſilio LXX. *De ſimonia*, ſed nulla probatione ſuam opinionem fulcit. *Admittunt* (inquit) *ſimoniam, quoniam loca illa ſive ſodalitia, licet non ſint ſpiritualia, videntur tamen eis annexa ſicut Jus-Patronatus Eccleſiaſticum*. Verum de jure patronatus diſpoſitionem Canonici juris habemus, illud vendi non poſse declarantis, utpote rei ſpirituali annexum. (Cap. *De jure*, Extra, *De Judiciis*.) At ſodalitia illa & ſtipendia ſcholaſtica ſpiritualibus annexa eſse jus non declarat, & mere temporalia eſse, nullam ad aliquem actum ſpiritualem relationem habentia, evidens eſt. Nullas igitur pœnas canonicas incurrit Gymnaſiarcha, qui nummorum quinquaginta munus ab adoleſcentis parentibus accepit, ut eorum filio locum inter alumnos Collegii ſui, ſtipendiumque ſcholaſticum procuraret. Nec ullis ſubjacet cenſuris, quamvis aliquam ſimoniæ labem hac in ſpecie cum Navarro admitteremus: quia ſola ſimonia in Ordine vel beneficio excommunicationem infert, ſecundum Extrav. *Deteſtabile*, Tit. *De ſimonia*. Acceptum vero munus, quia turpiter datum, & turpiter acceptum eſt, auctor ſum, ut pauperibus eroget, vel ipſis Scholaſtici parentibus reſtituat, ſi tenuis fortunæ homines ſint.

Ad octavam difficultatem reſpondeo, Epiſcopum non poſse a Notario ſuo certam pecuniæ ſummam quotannis exigere, ſive Notariatum locare, aut ad firmam tradere (ut vulgo loquuntur) Si enim Vicedominatus, Oeconomatus, Caſtellionatus, vel alia quæcumque rerum Eccleſiaſticarum procuratio vendi non poteſt abſque ſimoniæ labe, ex Concilio Chalcedonenſi Canone ſecundo, Urbano II. cujus verba referuntur Canone *Salvator*, Cauſa 1. Quæſt. 112. Alexandro III. Cap. *Conſulere*, Extr. *De Simonia*; nonne ſimili ratione illicitum eſt Epiſcopis jus ſigilli Notario pecunia committere, quod magis ſpirituale eſt, quam redituum Eccleſiaſticorum, prædiorum, vel aliorum adminiſtratio? Si Canones eos tamquam ſimoniæ reos plectunt, qui vices ſuas, juriſdictionem ſuam, Eccleſiarum viſitationem, vel quippiam ſimile ſub annuo cenſu committunt (Cap. *Præterea*, & Cap. *Quoniam*, Ext. *Ne Prælati vices ſuas ſub annuo cenſu committant*) poteruntne Epiſcopi, vices ſuas in litteris pro ordinatione, pro Beneficiorum collatione, vel proviſione, pro diſpenſationibus Epiſcopali nomine ſcriptis, ſigillo muniendis, ſub annuo cenſu collocare? Docet S. Thomas Secunda Secundæ, Quæſtione centeſima, Art. 111. ad tertium, quod *Ille, cui committitur ſpiritualis poteſtas, ex officio obligatur ad uſum poteſtatis ſibi commiſſæ in ſpiritualium diſpenſatione, & etiam pro ſuſtentatione ſtatuta ſtipendia habet ex redditibus Eccleſiæ; & ideo ſi aliquid acciperet pro uſu ſpiritualis poteſtatis, non intelligeretur locare operas ſuas, quas ex ſuſcepto debiti officii deberet impendere, ſed intelligeretur vendere ipſum ſpiritualis gratiæ uſum*. Cum igitur Epiſcopus ad te-

ad testimonium ferendum de Ordinibus, & beneficiis a se collatis teneatur ex officio suo pastorali, cum pro officio suo gerendo redditus ei ab Ecclesia ministrentur; si quid pro illo testimonio prætextu sigilli accipiat, spiritalem officii sui partem vendere videtur. Quamobrem sacra Synodus Tridentina ita Notariorum Episcoporum stipendia moderatur, ut Episcopo ex Notarii commodis nullum emolumentum directe, vel indirecte provenire possit. An vero id observant, qui sigillum suum collocant sub annuo censu? Verba Concilii subjicio Sessione XXI. *De Reformatione*, Cap. I. *Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam gratis oblatum, Episcopi, & alii Ordinum Collatores, aut eorum Ministri, quovis prætextu, accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo; nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos omnino præstare teneri decernit, contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicendo: & qui secus fecerint, tam dantes quam accipientes ultra divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant.*

Hoc Decretum observandum statuit Concilium Rhemense sub Cardinali a Guisia celebratum anno 1583. *Episcopus* (inquit) *qui pro conferendis Ordinibus sacris, vel Minoribus, vel etiam Tonsura Clericali aliquid acceperit, quod pretio æstimari queat, vel qui aliquid postulaverit pro litteris dimissoriis earumque Sigillo, notam simoniæ, vel avaritiæ incurrit. Secretarius tamen illius decimam aurei partem accipere queat juxta Concilium Tridentinum.*

Concilium Mediolanense I. Præside S. Carolo Borromæo, *p.* II. Tit. *De Notariis, & Scribis*, ea de re ita statuit: *Notarii in litteris dimissoriis, seu testimonialibus, sacri Concilii Tridentini decretum servent, in aliis, quæ mere spirituales sunt, etiamsi nullum stipendium eis constitutum sit, nihil omnino accipiant præter scripturæ mercedem ab Ordinario statuendam... Cancellarias Episcoporum deinceps vendi, locari, vel earum nomine, vel occasione, quovis prætextu cujusvis personæ quidquam solvi prohibemus.*

Concilium Bituricense Præside Francisco Turnonio Archiepiscopo celebratum anno 1528. Cap. 14. decernit, *Ut emendæ imposterum non dentur ad firmam, nec etiam jus sigilli Dominorum Prælatorum.*

Concilium Rothomagense anno 1581. Tit. *De Jurisdictione Ecclesiastica*, §. 8. *Non liceat Episcopis sigillum suum ad certum pretium locare, sed illud probo viro, nec indocto, tamen Ecclesiastico committant.*

Hanc responsionem absolvo verbis doctissimi Theologi Francisci Hallerii Professoris Sorbonici, in Libro *De Sacris Electionibus, & Ordinationibus*, quem Gallicano Clero Lutetiæ Parisiorum congregato dicavit, Sessione VII. Cap. I. Art. VI. §. 3. num. 16. *Quis*, inquit, *tot auctoritatibus, rationibusque convictus, tam turpem de cetero quæstum valeat approbare? Si consuetudo opponitur, consuetudinem Tridentina Synodus explosit. Si Tridentinæ Synodi decreta accepta negantur: pudeat ad fovendam avaritiam magnæ Synodi auctoritatem infringere. Sed si quem pudor iste non retinet, cogitet consuetudinem hoc tantum posse efficere, ut honesto titulo pecunia in Ordinatione accipi possit, verbi gratia; titulo honorarii cathedratici, vel doni gratuiti, ut nempe munera ex reverentiæ subjectione, gratitudine, vel aliqua alia honesta de causa offerantur. At titulus iste, ut pro sigillo aliquid exigatur, honestus esse non potest. Cum enim ex officio litteras testimoniales Episcopus debeat Ordinato, eo titulo nihil ab eo accipere potest. Nam, ut recte ait Gregorius*, Vendentes in Templo sunt, qui hoc quod quibusdam jure competit, ad præmium largiuntur. *Nec magis fieri potest, ut honestum sit pro sigillo pecuniam accipere, quam pro ipsa Ordinatione. Simoniacus ergo est, meo quidem judicio, Episcopus, quicumque, non obstante quavis consuetudine, hoc titulo, hocque prætextu pecunias aliquas ab Ordinatis exegerit, aut exigi curaverit. Neque tamen talis certo mihi pronunciandus videtur simoniacus, quem nec Tridentini Concilii, nec aliorum Conciliorum Patres simoniacum declarare voluerunt: præsertim quia qui sigilli nomen prætexerit, alia fortassis ratione consuetudinem receptam fovet. Damno itaque prætextum, damno exactionem hoc prætextu factam: Sanctissimos Antistites, si qui vetitis istis lucris inhiant ad Concilii observationem, quantum possum revoco, & ut ab illa turpi nundinatione, tamquam a simoniaca pravitate fugiant, quantopere possum contendo: eosdem tamen, si qui sunt auctores hujus exactionis, quandiu eos Ecclesia non damnaverit, nec ego damno. Nec blandiri lubet, nec Religionis nostræ Principibus impune lubet irasci: ne fovere iniquitatem, vel contemnere Ecclesiæ Principes, si iniqui fuerint, videamur.* Vale, Vir Clarissime, meique ad Altare Domini memineris.

Hom. 39. in Evang.

Lutetiæ Parisiorum.

APPENDIX ALTERA
MONUMENTORUM,
QUIBUS DOGMATA CATHOLICA, ET DISCIPLINA CONFIRMANTUR.

X.

DECRETUM

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.

ARCHIEPISCOPI DUCIS RHEMENSIS,

PRIMI FRANCIÆ PARIS,

CAROLI MAURITII LE TELLIER,

Instar Institutionis Pastoralis, ad Facultatem Theologicam Universitatis Rhemensis directum,

Occasione duarum Thesium Theologicarum in Collegio Societatis Jesu ejusdem Urbis habitarum diebus 5. & 17. Decembris anni 1696.

Ex Gallico idiomate Latine redditum ab erudito Theologo.

CAROLUS MAURITIUS LE TELLIER, Dei gratia Archiepiscopus Dux Rhemensis, primus Par Franciæ, Regiorum Ordinum Commendator, Regii Sacelli Præfectus, Sorbonæ Provisor, &c. Venerabilibus Viris, Decano, Magistris, & Baccalaureis Facultatis Theologicæ Rhemensis, Salutem, & Benedictionem.

Carolus Cardinalis a Lotharingia, Sæculi superioris insigne decus, ac noster quondam in Archiepiscopatu Rhemensi Decessor meritissimus: quo novam perantiquæ, sanctissimæque Metropoli, (unde Regibus Christianissimis totique Galliarum Regno fidei lumen affulsit, cœlestibusque in sacra sui inunctione benedictionibus irrigantur iidem Augustissimi Principes) lucem adderet, a Paulo III. Pontifice Maximo, annuente Henrico II. Rege veniam obtinuit anno 1547. erigendæ in hac Urbe Rhemensi studiorum Academiæ. Hanc ille expeditiorem viam existimavit, qua in Diœcesi sua divinas, atque humanas litteras promoveret, suisque deinceps Successoribus, atque adeo & Nobis, viros eruditos suppeditaret, qui in ferendo nobis ex alto imposito onere, adjumento esse possent. Non illum spes fefellit. Ab annis quippe supra vigintiquinque, quibus istud gerimus onus, non exigua nobis Academia hæc adjumenta contulit; cui & nos quo potuimus studio decus addidimus, magnaque identidem dedimus benevolentiæ, & existimationis argumenta.

Nos itaque quibus ex Pastoralis Officii debito convenit servare depositum fidei; quique ex ejusdem Academiæ Fundatoris, & Præpositi titulo, tenemur maxime sanioris doctrinæ fontem, unde in Seminaria nostra totumque Clerum diffunditur, purum, & illibatum servare; dissimulare non possumus quid de duabus Thesibus periculosis sentiamus, in Collegio Jesuitarum hujus Urbis, diebus 5. & 17. Decembris, anni proxime elapsi, propugnatis.

Silentium nostrum, hac dubio procul occasione exciperent universi ut tacitam Molinianæ doctrinæ approbationem, quam unam circa divinæ Gratiæ quæstiones ab Ecclesia Catholica comprobatam artificiose innuit prima Thesis. Quin etiam ea ipsa exprobrari nobis (siquidem taceremus) merito possent, quæ S. Celestinus Papa Gallicanis Episcopis quondam objecit, de Presbyteris Masiliensibus sermonem habens, quos Prosper, & Hilarius coram Apostolica Sede accusaverant: *Timeo ne connivere sit hoc tacere .... In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret.*

Absit, ut hæc in nos probra concitare velimus, imo vero officii nostri ducimus in Thesis utriusque Auctores animadvertere, ut tandem aliquando sentiant, summam illam quam de Molina suo imbibere animis libuit opinionem, non illos tamen eo usque efferre debuisse, ut indebitis eum laudibus exornarent, doctrinamque ex sola Ecclesiæ tolerantia permissam, Augustinianæ ab Apostolica Sede adeo solemniter comprobatæ privata auctoritate præferrent. *Ergo corripian*

piantur hujusmodi (ait Celestinus de Presbyteris Massiliensibus ad eosdem Gallicanos Episcopos scribens) *nec sit his liberum pro voluntate habere sermonem*.

His de causis, ac ne Theses illæ erroris ansam fortasse præbeant, hac vos Institutione Pastorali muniendos existimavimus.

Harum Thesium prima sic habet in prima tertiæ columnæ positione, quæ est de Ludovici Molinæ sententia : *Doctrina Ludovici Molinæ, aliorumque Theologorum, qui concordiam libertatis humanæ cum gratia divina ope scientiæ mediæ tradere enucleatius tentarunt, ita ab errore Calvini, aliorumque hujus ætatis Sectariorum recedit, ut ad opinionem Pelagianorum nullo modo accedat. Et ideo tam valide impetita, toties a diversi generis hostibus impugnata, & coram Summis Pontificibus tam diligenter agitata, tamquam aurum in fornace probata, purior inventa est, ut ait Maurolicus, & cum honore ex tot disputationum fluctibus emersit*. Quæ sane Molinianis opinionibus commendandis usque adeo honorifica verba sunt, ut illustriora in iis extollendis usurpari nequicquam possent, si illas solemni judicio Ecclesia comprobasset.

Verum statim, atque Molinæ Liber * Ulisippone typis editus * anno 1588. publici juris fuit, magnos in Hispania tumultus opinionum novitate concitavit. Intercessit universus Prædicatorum Ordo, ac singulari zelo pro avita doctrina pugnavit.

* Molinæ Liber de Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, &c.

* Editionem UlisipPonensem indicat ubique hoc mandatum.

Thomas Lemos * Doctor, inter multos, quos isto, ac superiori sæculo Ordo ille peperit insignes, eximius fidem facit hunc Molinæ Librum, Theologos quibus pietatis, ac religionis sensus inerat, usque adeo commovisse, ut etiam e Societate Jesu vir celebris Henricus Henriquez prolixam in eum Censuram ediderit : ubi post expensas, gravissimisque Censuris confixas Propositiones illius quinquaginta duas, ita demum de toto Libro universim pronuntiat : *Licet Auctor admittendus videatur, ut apud Censores Fidei se purget de vehementi suspicione, & intentione hæresis Pelagianæ, cui sæpe favet, & admonitus non desistit ; liber tamen dignus est, ut omnino prohibeatur : nec enim purgari potest, cum passim infinitis locis scateat periculosis, & erroneis doctrinis, &c.... In illa nova doctrina*, addit Henriquez, *quam in Præfata Concordia Auctor sibi arrogat, asserit etiam sanctos Augustinum, & reliquos Patres, imo & Pelagium, aliosque Hæreticos, si advertissent illam, fuisse sibi consensuros. Insuper haud satis modeste de Fratribus, & Theologis loquitur : quinimo sententias, quas ipsi certas, & indubitatas asserunt, ait Auctor iste periculosas esse, & errorum occasionem, imo tollere liberi arbitrii libertatem, & nec ab illis, nec a Conciliis fuisse veritatem de Prædestinatione, & Gratia, atque libertate arbitrii declaratam, aut plane intellectam, antequam ipse hunc librum conderet*. En, inquit Lemos, Henriquez de Molinæ libro judicium. Addit eruditus ille Dominicanus, se multo duriora Jesuitæ hujus de Sodali suo verba silentio premere, ne illi insultare videatur.

* Lemos in Panoplia gratiæ, To.1. tr.6.c.2.

* Henriquez Theologiæ Doctor, & Professor in Academia Salmanticensi.

Idem Lemos asserit, Episcopos plurimos, & Salmanticensem Academiam hunc ipsum Molinæ librum Censorio Judicio damnavisse.

Ut excitatæ turbæ, quarum infaustum in Hispaniis exitum timebat Rex Catholicus Philippus II. opportune sedarentur, Sedis Apostolicæ implorata auctoritas est, quæ gravissimæ causæ cognitionem Romam ascivit. Nullo porro publico instrumento liquet, Romanos Pontifices Clementem VIII. & Paulum V. qui Auctoris hujus doctrinam in multis Congregationibus sua auctoritate, ac sæpius coram Sanctitate sua examinari curarunt, latas in Hispaniis contra Molinæ librum Censuras, factaque judicia rescidisse, aut suspensa dixisse ; nec probari potest, Summos illos Pontifices Molinianis opinionibus unquam favisse. Quin potius certo certius est eas, illis & novas, & Sanctis Patribus repugnantes visas esse, & inprimis S. Augustino, cujus principiis in novi Systematis Moliniani examine insisti voluerunt. Noverant quippe Sanctos Decessores suos, de quibus postea dicemus, non semel declarasse, Romanam Ecclesiam Sanctissimi Viri doctrinam circa divinæ Gratiæ, liberi arbitrii Quæstiones semper approbasse, ac secutam esse.

Tom.I.4.p.1. tr.4 c. 34. & 2. p. ejusdem Tomi tr.5.c.35.

Quod de Summorum Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. dum Congregationes de Auxiliis haberentur, animo & affectu dicimus, perspicua res est, & omnibus explorata. Nemo est, qui Clementis VIII. in retinendis, servandisque Decessorum suorum definitionibus, ac Decretis studium constantissimum vertere in dubium possit, ex quo nobis doctissimi Cardinalis Baronii testimonio certo constat : qui in Epistola hoc ineunte sæculo ad Viennensem Archiepiscopum data fidem facit Beatissimo Patri *Hoc in proposito fuisse, hoc in voto, hoc in decreto, ut nec latum unguem a vestigiis Prædecessorum recederet, sed iisdem insisteret, quam firmissime*. Addit eumdem Clementem VIII. *plane scivisse, tot Sanctos Pontifices, Innocentium, Sixtum, Celestinum, Hormisdam, ac denique Felicem, (cujus sunt Canones Arausicani Concilii) hoc professos scriptis suis esse, atque testatos, Romanam Ecclesiam in iis, quæ spectant ad gratiam, & liberum arbitrium, S. Augustinum sequi semper consuevisse*. Ac tandem concludit, *Hormisdam id tot verbis attestari, ut alio judicio non sit opus* ; cum jam in rem prædicatam abierit.

In ea nihilominus Thesi, quæ die 5. Decembris propugnata est, hoc defensoribus studium fuit, ut Molinæ doctrinam approbatæ doctrinæ characteres præseferre vulgo persuaderent : eamque cum Augustiniana, cujus tanta est in Ecclesia auctoritas, non modo conferre, sed etiam præ illa extollere non dubitarunt.

Equidem Clemente VIII. ad superos vocato, Paulus V. cujus consilia scrutari præ reveren-

tia

tia nolumus, suspensum tenuit judicium, quod fuerat meditatus. At nemo inde citra temeritatis notam colliget, approbatum propterea ab illo fuisse Molinæ Librum, de quo tot deliberationes habitæ fuerant. Post ea omnia; quæ in hujus cognitione causæ gesta sunt, silentium Romanorum Pontificum approbationis loco jactare, hominum est nimis audacium, qui Sanctam Sedem Protestantium calumniis exponunt, illam immerito & injuria accusantium, quod antiquam Sanct. Augustini de Gratia doctrinam deseruerit, ut novitia Molinæ inventa amplecteretur.

Quantamlibet ergo hujusce Thesis Auctor despiciendæ, futilique Maurolici sui auctoritati fidem habeat ferre nullatenus debemus eam doctrinam immoderatis adeo laudibus efferri, quæ ab ipsa sui origine, sinistræ, ut minimum suspicionis labem incurrit, quod & ex antedictis, & ex probatissimorum hujus ætatis Scriptorum suffragio perspicuum est; maxime vero ex Epistola Cardinalis Baronii, cujus judicium tanti apud omnes ponderis est.

Doctissimus ille Cardinalis in ipso Epistolæ exordio significat, Se Molinæ Libros *non sine stomacho legisse, cum nihil potentius præ se ferat, quam Sancto Augustino adversari, quanquam Sanctum nunquam nominet; eumque oscitantiæ redarguere, seque in illis disputationibus vigilantiorem, acutioremque jactare. Qui possit*, inquit, *talia loquentem absque nausea tolerare?* Vanos, temerarios, intolerabiles sermones, quæ quamvis patientes aures, & animi ferre valeant!

Asserit præterea, se quinquaginta, & amplius Propositiones, locutionesque eo in Libro notasse *erroribus Pelagianorum, sive Semipelagianorum saltem affines*; neque id ab ullo negatum iri, qui Molinam *absque affectu privato* perlegerit. Mitius denique de Molinæ Opere judicium ferre non poterat Eminentissimus ille Cardinalis, quam quod his verbis expressit: *Quid Ecclesia Dei indiget hujus Molinæ Libris, ut discat, quæ a tot Sanctis Patribus, Conciliis, atque Decretis jam ante tot sæcula didicit, ac docuit?* Tota hæc Epistola, quæ anno 1603. data est, dum scilicet Congregationes de Auxiliis haberentur, necnon sub Clementis VIII. Pontificatu, qui Baronium anno 1596. ob egregia pietatis, & eruditionis merita Cardinalitiis infulis ornaverat, paucis adeo nota, tanti tamen hac in parte ponderis est, ut eam ad Decreti hujusce calcem edendam existimaverimus.

Id observatione dignum, Molinam damno suo de propria doctrina decretorio quodam modo præjudicasse; dum eam & novam, & Ecclesiæ hactenus ignoratam fassus est. En ejus verba: *Quæ si data, explicataque semper fuissent, forte neque Pelagiana Hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare; obtendentes cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione cohærere non posse; neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot Fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent: facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi, & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ.* Quid plura? in altera Concordiæ suæ Editione, quæ anno 1595. novis additamentis aucta prodiit Antuerpiæ, eo progressus est temeritatis, ut scriberet, *S. Augustinum sub ea quasi caligine, ad hoc non attendisse, scilicet fuisse prædestinationem, & reprobationem non sine præscientia qualitatis usus liberi arbitrii.*

In Concordia. Qu. 29. art 4. disp. 1. Membro ultimo. Quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 6.

Ex his compertum est, quo lumine, quibusve præsidiis defraudatam Ecclesiam novus ille Auctor existimaret, donec ipse mundo illuxisset, suamque doctrinam divulgasset. Intoleranda sane illius hominis temeritas, qua se supra Sanctos Patres Gratiæ defensores effert audacius, ac præsertim supra S. Augustinum, quem ad explicandam tam altam, tantisque momenti quæstionem a Deo suscitatum Romana semper agnovit, & prædicavit Ecclesia. In suum certe caput ea loquendi ratione pronuntiat Molina. Nec vero, quæ subinde addit, opinionem minuunt præconceptæ de se vanæ fiduciæ, & arrogatæ sibi præ omnibus Ecclesiæ Patribus, ipsoque Augustino in exponendis divinæ gratiæ Quæstionibus solertiæ. *Neque vero dubito* (inquit) *quin ab Augustino, & ceteris Patribus unanimi consensu comprobata fuisset hæc nostra de prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii, cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione, si iis proposita fuisset.*

Tantum igitur abest, ut Molinæ doctrinam velut Ecclesiæ approbatione dignam excipere liceat; quin potius hunc, ceu virum propriis figmentis, ceterorum Novatorum more delectatum spectare, & habere necesse est; ejusque doctrinam velut in ipsa sui origine pravo novitatis, & præsumptionis charactere a suo signatam Auctore. Id perspectum habebit, quisquis ad verba ejus attenderit. *Longior* (inquit) *fui in hac disputatione, quam optaram . . . . quia res est magni momenti, ac veluti lubrica: & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione, a nemine, quem viderim huc usque, tradita est.*

Typhanius, Molinæ Sodalis, eximiusque Theologus, nullam illi de novo invento gloriandi rationem fuisse agnoscit, de scientia media plene, & accurate disserens, *Scientiam mediam*, inquit, *rejicimus, non ut erroneam, aut in fide periculosam, sed ut falsam, ut novam, ut nullum solidum in Scriptura, in Sanctis Patribus, in Sancto Thoma, aliisque vetustioribus Theologis fundamentum habentem: ut superfluam ad sacræ Scripturæ intelligentiam; ut inutilem ad humanam libertatem tuendam, aliasque difficultates Theologicas expediendas.*

Dio-

Dionysius Petavius Societatis ejusdem Theologus sapienter observat, scientiam illam mediam priscis Ecclesiæ Patribus incognitam fuisse, eaque ne vel unam quidem difficultatem solvi, & explicari, quibus defensores ejus Augustinianam doctrinam implicari finxerunt.

Qui Molinæ doctrinam Jesuitas inter amplexi sunt, altiorem opinationum ejus originem indigitant, eamque ex SS. Patrum, ipsiusque Augustini fontibus derivare nituntur: quod & nunc Thesis Auctor infeliciter tentat. At usque adeo petitis ex sanctissimo Doctore probationibus diffidunt, ut Suarez ipse primi inter illos subsellii Theologus, qui Molinæ in explicanda divinæ gratiæ efficacia conciliatione amplexus est, eam a sancto Augustino *nunquam satis expresse declaratam*, fateri demum coactus sit. Cujus quidem pronuntiati (quod stupendum magis) hanc rationem affert; *quia res est difficillima, & ab humanis sensibus remotissima*. Interea dum Suarez ineffabilis divinæ gratiæ efficacitatis rationem nusquam satis expresse a S. Augustino declaratam obtendit, remittendus est ad ea sanctissimi Doctoris loca propemodum infinita, quibus eam in suavi, ac victrici delectatione positam esse docet, qua Deus eorum corda perfundit, quos ad se trahere vult, ut loquitur Evangelium. Ceterum duo hæc ex Suaresii verbis colligere licet; primum, traditam ab eo, post Molinam, tanti Mysterii expositionem, procul esse a S. Augustini mente: alterum, rei tam difficilis, & ab humanis sensibus tam remotæ explanationem aliunde, quam ex Sanctissimi Doctoris Operibus repetendam ipsum existimasse.

Præter eam Molinæ, ac Sectatorum ejus confessionem qua vel una suspecti sunt; dum in re solis Scripturæ sacræ, & Traditionis regulis definienda, novitatis proprio testimonio convincuntur; id potissimum observandum venit, Molinæ doctrinam tot erroribus scatere, ut quibus a Thesis Auctore ornatur laudibus, indigna prorsus haberi debeat. Certum quippe est, Molinam in suo *De concordia* Libro non casu, & obiter, sed ex instituto, conceptisque Articulis hunc Semipelagianorum errorem docere: *Facienti, quod in se est, per naturæ vires Deus non denegat gratiam*. Quod quidem his verbis exponit: *Quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstove est ad conandum totum id, quod ex sese potest, tam circa ea, quæ fides habet addiscenda, & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis, ac justificationem, a Deo confertur gratia præveniens, auxiliave, quibus id faciat, ut oportet ad salutem*.

Ex quo Molinæ principio sponte fluit ille ipse Pelagii quondam error, quem is a Diospolitano in Palæstinæ Concilio ejurare compulsus est, suæque deinceps hæreseos caput Semipelagiani posuerunt: Gratiam scilicet prævenientem nativis liberi arbitrii conatibus prævenire. Equidem Molina, ejusque Sectatores a *meriti* vocabulo abstinent. Verum nec ab eo reticendo procul abessent Semipelagiani, modo (quamvis tandem ratione) salutis initium, ipsaque justificationis prima radix, naturalibus liberi arbitrii viribus adscribantur. Ea siquidem arte eluderetur, quicquid Scriptura sacra, & Traditio de gratuita divinæ gratiæ vocatione docent.

Magnus ille Pontifex S Leo, qui horum Hæreticorum errores adeo perspectos habuit, ac feliciter profligavit, nobis illos expcsuit, & qua ratione expugnari possint ostendit, scribens Pelagianos callida simulatione reprobare in speciem solitos esse, aut certe silentio premere odio sas, & improbatas ab Ecclesia loquendi rationes, modo tota arte fallendi doctrinæ suæ caput in tuto ponerent, *Gratiam scilicet Dei secundum merita nostra dari*. Systema certe suum S. Augustini ætate prorsus ignotum, vere dixit Ludovicus Molina. Sua Pelagiani verba paulo aliter composuissent, ac mutata *meriti* notione, Gratiam Christi non quidem naturæ viribus, & conatibus nos mereri: sed Gratiam nativis liberi arbitrii conatibus semper addictam, atque conjunctam cum Molina dixissent. Verum etsi Pelagiani ab Auctore suo degenerassent, & paulo tolerabilius Molinæ Systema fuissent amplexi; non illorum doctrinam Leo Magnus, non sui temporis Ecclesia propterea suscepisset. Quas enim conditiones postularet, ut Pelagianismi notam in Quæstionibus de Gratia Dei quis effugeret, Magnus ille Pontifex declarat. *Nisi gratis detur*, inquit, *non est gratia, sed merces, retributioque meritorum: dicente B. Apostolo, GRATIA salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur*. Cum itaque gratiam gratis datam fateri necesse sit, hoc est, (ut loquitur Concilium Arausicanum Canone sexto) Dei misericordiam collatam, non nativis liberi arbitrii conatibus, unde gloriari homo posset, obtentam: quisquis gratiam Dei, quovis quæsito diverticulo, humanis conatibus, virtutibusve naturalibus certo dari profitetur, Apostolo, S. Augustino ejus Interpreti, S. Leoni Magno, ac toti demum Ecclesiæ contradicit. *Gratiam Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet*.

Suis satis implicitus retibus hæreret prioris Thesis Auctor, si Molinæ sententiam naturæ plus justo faventem a Semipelagiano errore, quem tertia positione tertiæ columnæ delineat: * secernere vellet. Et vero, qui non piam duntaxat credulitatem, sed & ipsam fidem supernaturalem, ceterasque gratias omnes, naturalium liberi arbitrii conatuum individuas comites, ac pedissequas agnoscit, is ne quoad hoc caput Semipelagianis est tolerabilior? Nihil magis sacris Litteris, & Traditioni expressum occurrit, quam generalis humanæ naturæ ex primi parentis peccato depravatio, & redemptricis gratiæ secuta necessitas. Tota hinc Mysteriorum Gratiæ simul, & naturæ enodatio repetenda. Fidei dogma est, universa corrupti hominis desideria, cogitationes, affectus, illum ad malum ferre, cum sibimetipsi relinquitur: non esse nos sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis; vel tenue boni alicujus, quod ad salutem

To. 1. Theolog. Dogm. l. 4. c. 8. n. 2. & l. 9. c. 15. nu. 6.

Suar. lib. 2. de concursu, & efficaci auxilio Dei ad actus liberi arbitrii necessario, c. 14 Edit. Mogunt. ann. 1619. pag. 133.

Quæst. 14. art. 13. disp. 10. p. 44.

S. Leo Epist. 86. ad Aquilejensem Episcopum. Cum omnes definitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere, hoc sibi nota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratia Dei secundum meritum dari accipientium sentiatur Epist. 86 ad Aquil. Episc.

S. Aug. l. de gratia Christi c. 26. nu. 270.

*In eo Semipelagiani errarunt, quod ad aliquampiam credulitatem, quæ esset initium salutis vires liberi arbitrii sufficere dicerent,

Genes. 6. 7. & c. 8. 21. 2. Cor. 8. 4. & 5. Concil. Arausic. 2.

tem pertinet vitæ æternæ, desiderium a nobis concipi sine gratiæ adjutorio non posse. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Qua igitur ratione ex corruptæ adeo, & inquinatæ naturæ fundo eas dispositiones haurire potuit Molina; eam (ut postea videbitur) laudabilem fidem tametsi minime supernaturalem, charitatem illam, & contritionem, illos demum liberi arbitrii naturales conatus quibus gratiam supernaturalem suprema velut auctoritate adpromittit, & adjudicat? Ea humanæ naturæ generali depravatione toties ab Apostolo ad nostram humiliationem inculcata permoti Arausicanæ Synodi Patres, vivisque sacrarum Scripturarum luminibus, ac ipsis, ut ita dicam, tractabilibus humani cordis tenebris insigniter eruditi, celebrem illam definitionem protulere. *Nemo habet de suo nisi peccatum, & mendacium.* Qua ergo nunc fronte dicat aliquis, hominem ingenita sibi labe excæcatum, atque corruptum, tenebrarum suarum, suæque corruptionis amantem, meris naturæ viribus ad justificationem, & salutem adeo laudabiliter, ac feliciter eniti, ut hujusmodi conatus gratia supernaturalis certa lege consequatur? *Ergo ne*, exclamaret attonitus S. Augustinus, si vanas illas, & fanaticas opinationes, a se pridem attritas renovari cerneret, *ut perveniatur ad adjutorium Dei, ad Deum curritur sine adjutorio Dei?* Sed quid tandem sibi volunt, qui nativas liberi arbitrii vires Molina duce sic efferunt? Quid aliud homines illi moliuntur, nisi (quod Leo Magnus observat) occulta dexteritate vulnus originalis peccati obtegere, illud mortalium oculis studiose subducere, cujus intuitu continuo humiliare se deberent: ac suspicionem pene ingenerare, quod Systematis illius vindices originale peccatum, aut minus agnoscant, aut minori, quam par est illius horrore afficiantur.

Neque vero inanibus ducimur conjecturis, dum generalem humanæ naturæ depravationem a Molina minime cognitam suspicamur. Hunc si audiamus, ingenitæ naturæ vires æque integræ in homine lapso manserunt, ac *in statu puræ naturæ fuissent*, in quo nullo originis peccato sauciatus esset. Amissa quidem in Adam supernaturalia dona profitetur: at nihil ultra mali ex Adami peccato derivatum agnoscit. *

Non eum latere quidem poterat, nec reipsa latebat effatum in Schola, & in Ecclesia receptum, quo vulneris ex protoparentis peccato contracti gravitas demonstratur; quandoquidem illud axioma post paginam alteram laudat. Nemo Christianus est, qui fatali experimento non probet, lapsum hominem non modo spoliatum fuisse gratuitis, ac supernaturalibus donis, sed & in naturalibus perfectionibus vulneratum, ac infirmatum; instar infelicis illius, qui ab Jerusalem descenderat in Jerico, quem SS. Patres, ceu typum hominis ab innocentiæ statu in peccatum lapsi exhibent. Non denique Molinam latebant ab ipsomet laudati Synodorum Arausicanæ, & Tridentinæ Canones, definientes hominem nedum fuisse donis supernaturalibus in Adamo spoliatum; verum, & *totum secundum corpus, & animam in deterius commutatum.*

Iis tamen insuper habitis, in sua opinione Pelagianis adeo favente stat immotus, & a Conciliorum definitionibus insulsa distinctiuncula expediri se posse putans, quasi Scholasticis argutiis responderet, fidenter pronuntiat, *Concilium Tridentinum, & Arausicanum loqui comparatione virium, quas liberum arbitrium habebat in statu innocentiæ ex præsentia justitiæ originalis; non vero comparatione virium quas habuisset, si homo in puris naturalibus esset conditus.*

Næ miseri Pelagiani, tali magistro, atque Doctore destituti! quam feliciter institutore Molina Definitiones Ecclesiasticas elusissent! certe non erant illi adeo stolide amentes, ut eo nunc felicitatis statu positum hominem effutirent, quo fuerat ante peccatum. Id unum iniqua, & Molinianæ germana miseratione commoti sibi finxerant, non ea peccatum Adæ vulnera posteris intulisse, quibus sauciatos se Catholici profitentur, & ingemiscunt. Quid vero prodest, si quod ille verbis tenus suum inter, ac Pelagianum dogma discrimen affert? Non ait quidem homines ingenitis arbitrii viribus, & conatibus, ut Hæretici illi asserebant, Christi gratia dignos effici, ullaque ratione salutem promereri: * ab odiosis Pelagianorum elocutionibus, quibus Christi mortem (uti eis non semel Patres exprobrant) cassam, & inanem faciebant, studiose temperat. Quin etiam hominem nonnisi gratuitis, Christique merito partis auxiliis justificari profitetur: verum invertit, deformatque omnia, integrare dum nititur, & conciliare. Pactum Patrem Æternum inter, & Christum Jesum comminiscitur, Pelagianis, ceterisque quos noverimus omnibus, ac ipsi etiam Gentium Apostolo * prorsus ignotum. En illud, ut ex Molinæ cerebro prodiit: *Id obtinuit nobis Christus ob sua merita, atque inter leges, quas tam ipse, quam Pater Æternus statuerunt de auxiliis, & donis, quæ nobis Christus promeruit mere gratis conferendis, una eaque rationi maxime consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficeremus, ut ea ratione, dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra; per nosque ipsos staret, quod ad Deum non converteremur.*

Certe Pelagianos, usque adeo obfirmato animo fuisse, nemo dixerit, ut ad eas Molinæ compositiones venire pertinaciter detrectassent. Quid enim reipsa postulabant, nisi ut in singulis Adami posteris sufficientes naturæ vires admitterentur, quibus gratiam, & salutem (mereri quidem, ne dicamus, quandoquidem Molinam pariter, & Ecclesiam verbum offendit) *adipisci possent, quoties liberum arbitrium ex viribus naturalibus conatur, præstove est ad conandum?* Quid ultra ad hominis commodum eis erat in votis, quam quod Molina comminiscitur? Ingenitis scilicet naturæ studiis, & affectibus gratiam specialem, & supernaturalem Dei concursum tam certo, & indivulse connexum esse (ut Molinæ placet) quam certo naturalis, & generalis concursus adest

Can.7. Psal. 13. 3.& seq.

Can.22.Lib. De Gratia Christi c.23. n.24.

S.Leo Epist. 86.ad Aquil. Episc.

Bonorum operum donatio... ab istis ideo per naturalem industriam dicitur præveniri, ut quæ ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere fauciata, falsumque sit quod veritas ait, quoniam Filius hominis venit quærere, & salvare quod perierat.

* Molina in Concordia q.14. disp. 3. p. 14. Vires naturales secundum se manserunt, quales illas essemus habituri, si in puris naturalibus ad finem tantum naturalem a principio conditi fuissemus Luc. 19.30.

Conc. Arausic.2. Can.1. Trid. sess.6. c.1 Molina q.14. art.11. disp.3.pag.16.

S.August.l.1. Operis imperf. cont. Julian.n.96. Cum in Palæstino judicio Pelagio fuisset obje-

est homini secundum naturam agere volenti.

Suis sane commodis minus bene consuluissent Pelagiani, si sano, rectoque doctrinæ capite, minus de pristina tenacitate pro Christi gratia remisissent, quam ipse Molina ad liberi arbitrii commendationem de Ecclesiæ doctrina remiserit. Etenim si res intimius attenditur, positis Molinianæ compositionis conditionibus, post tot erecta a S. Augustino, & Gentium Apostolo divinæ gratiæ trophæa, liberum arbitrium ambitiosius triumpharet: ac reluctantibus licet Scripturarum, & Traditionis oraculis, salus hominis (si penes Molinam judicium staret) non a Deo pro arbitrio miserente, sed ab homine propriis conatibus volente, ac concurrente penderet, *Semper*, inquit, *in manu liberi arbitrii nostri posita est salus nostra*.

Si ita est, si stant pacta illa conventa, vix ultra nobis est cum Pelagianis aliqua de re disputandum. Id exemplo compertum erit. Tot inter agitatas olim in Ecclesia controversias, ea sane gravissima fuit; quæ de peccati originalis transmissione, ejusque pœnis in Adami posteris movebatur. Mirum quantum hæc Pelagianis, nimis pro more suo humanis, & indulgentibus stomachum fecerit. Verum mollescere, ac flecti nescia veritas obstitit, ne quid unquam Ecclesia hac in parte remitteret: maluitque sacris Oraculis erudita, alte de divinæ Justitiæ severitate sentire, quam projecta Hæreticorum, ac licentiorum hominum somnia consectari. Id nobis certo persuasum est, nihilo magis Ecclesiæ probari Molinianam de peccato originali, quam de divina Gratia, & Prædestinatione concordiam, (quæ cum peccato originali valde connexa sunt argumenta) Pelagianosque illam circa utrumque caput lubentibus animis excepturos fuisse.

Quid porro circa originalis peccati dogma veteres illos hæreticis offendebat? Non id certe, quod pueros baptizandos Ecclesia crederet, ut regni cœlorum introitu digni essent; perspicuum eis Evangelium hoc in capite videbatur. Immo nec peccatum originale, suo tamen arbitratu expositum fateri Pelagius detrectavit in Synodo Diospolitana, ac velut impactam sibi calumniam propulsavit, quod illi a nonnullis exprobrabatur, *Quod infantes*, (secundum ejus opinionem) *etiamsi non baptizentur, vitam æternam* habere possunt*: hunc errorem; ejusque Sectatores libere condemnavit. Qua igitur parte Pelagiani a Catholicis de peccati originalis dogmate dissidebant? Ista maxime, qua totius difficultatis cardo vertebatur: quod videlicet duram nimis, & inhumanam opinionem arbitrarentur, quam Ecclesia Scriptura sacra duce, & S. Augustino vindice tuebatur; parvulos non modo vitiatam ex Adam originem ducere, nulloque, vel minimo ad salutem conatu se ipsis eniti posse: sed & illos æternum damnatum iri, ac miseros fore, nisi in Christo per baptismum renascerentur. Hac in re S. Augustini adversarii illum, ceterosque Catholicos, crudeles, barbaros, Manichæos, divinæ Bonitatis hostes, appellabant: omnia demum pro sua cæcitate adversus illos congerebant probra, convivia, maledicta, quæ falsa in humanum genus miseratio suggerebat. Quisquis controversias illas penitus attingerit, eo universa recidisse fatebitur. Si Pelagianis dedisset Ecclesia, parvulos sine Baptismo defunctos nullatenus æternis miseriis addicendos, immo naturali felicitate donandos; secum certe satis liberaliter actum existimassent. At nulla unquam S. Augustino, nec Ecclesiæ compositio placuit, ubi summa fidei vertebatur. Unus Molina mitioris concordiæ genus commentus est, Catholicis non minus exosum, quam Pelagianis acceptum. Quid novus ille Auctor insolita luce perfusus, totaque Ecclesia Catholica, & S. Augustino longe humanior docere nos velit, audiamus. *Parvuli reprobati perinde se habebunt, ac si in solis naturalibus fuissent constituti: immo post diem judicii, cum ipsorum animæ suis fuerint corporibus restitutæ, ab omnibus molestiis, & ærumnis, quibus in hac mortali vita subjacemus, supernaturaliter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis, & corporis immunem in perpetuas æternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit*. Quid ergo? Ad eas ne conditiones cum Molina descendere Pelagius detrectasset? Si hoc parvulis morientibus sine Baptismo non erit malum, a regno Dei separari (ajebat olim tota cum Ecclesia S. Augustinus) non itaque summum bonum erit regnum ejus. At Molina averso a S. Augustini doctrina animo, & quadam in Pelagianas opiniones propensione, judicat, pronuntiat, illos citra inhumanitatis vitium miseros appellari non posse, quos tamen iræ filios appellat Apostolus. Prohibente licet originali peccato, Scriptura Sacra, & Traditione repugnantibus, eos in Paradisum deliciarum Molinianis manibus consitum inducit, quos Deus e suo cum Adamo expulit, & quos a facie sua æternum exterminabit. *Meliorem in naturalibus vitam in perpetuas æternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit*.

Gratias huic Jesuitæ maximas haberet humanum genus, si tantum in rescindenda damnatione, quam in nos trahit originale peccatum, ipsi inesset auctoritatis, quantum eius Sectatoribus in illius doctrina promovenda. Ad Ecclesiæ tamen honorem dicendum est, Molinæ opinionem quoad hoc caput nequaquam tolerari, tametsi Auctor solemni judicio non sit ex nomine damnatus. Concilium plenarium totius Africæ, contra Pelagium, & Cœlestium anno 418. celebratum, omnium Christiani orbis Ecclesiarum, a quibus receptum est, fidem expressit: *Si quis dicit ideo dixisse Dominum*. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, *ut intelligatur quid in re-*
„ *gno cœlorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine Baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum cœlorum, quod est vita æterna, intrare non possunt, anathema sit*. Quisquis errorem illum protulerit, sit ille Pelagius, aut Cœlestius, sit Molina, *si quis dicit*, anathema esto. Ac ne ambigua felicitatis naturalis, aut supernaturalis, voce difficultatem sibi eludere videatur Scholasticus noster, reliqua Canonis verba ponderet, seque ab illis, si potest, defendat. *Nam cum Dominus dicat*, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu

ctum, quod diceret infantes nuper natos in eo statu esse, in in quo Adam fuit ante peccatum, negavit se dicere, idque damnavit.

* Ad Ro. 9. 30. 31. & 32. Quid ergo dicemus, Quod gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; justitiam autem, quæ ex fide est. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.

Rom. 9. 16. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

Molina loco jam citato.

S. August. l. 1 cont. Julian. c. 9. n. 19.

Tom. 7. Concil. pag. 1529 Edit. P. Labbe.

Molina qu. 23. art. 4. & 5. membro 8. p. 447.

Lib. 6. cont. Julian. c. 10. n. 32.

Ephes. 2. 3. Eramus natura filii iræ.

In Appendice ad Tom. 1. Operum S. August. pag. 106.

„ Sancto, non intrabit in regnum cœlorum; *quis Catholicus dubitet participem fieri diaboli,*
„ *eum, qui cohæres esse non meruit Christi.*

Si quis, his insuperhabitis, Molinæ opinionem omni retro tempore ab Ecclesia reprobatam adhuc tueri velit, illum ad eruditam Dissertationem remittimus celeberrimi illius Theologi, quem eximia merita, justaque Summi Pontificis existimatio ad Eminentissimam Dignitatem extulerunt, invidia, calumniaque frendentibus, & nihil non tentantibus, ut injecta infamia dignam tot virtutibus mercedem eriperent. Nobis tamen non est animus legem vobis imponere seu credendi, seu docendi, mortuos sine Baptismo parvulos ipsius etiam sensus pœna mulctari. Orbari Deo plus satis illis erit ad æternam miseriam. Quin etiam id certo cum sancto Augustino statuendum, illos *in omnium levissima, & mitissima damnatione futuros*. At non idcirco dicere licet, nisi Pelagianis assentiri velimus, illos minime miseros, aut etiam, quod pejus sonat, felices, ac supra mortalium sortem feliciores extituros.

Lib. 5. cont. Julian. Pel. c. 11. nu. 44. Enchirid. c. 93. n. 23. lib. de Peccatorum meritis & remiss. c. 16. nu. 21.

Sed ad Thesim, unde divertimus aliquantulum, redeamus. Si Molina iis est laudibus ornandus, quas illi tribuit, ejus ergo doctrina velut unice approbata, excipienda nobis erit, iis saltem in capitibus, ubi solæ post Molinæ sententiam Hæreticorum assertiones referuntur. Rigidioribus Calvinianis quodam saltem pacto in materia gratiæ concedenda lis erit; qui Sedem Apostolicam falso incusant, quasi S. Augustino relicto Molinæ doctrinam adoptaverit: Gratulandum, & Calvinianis mitigatis ex Arminii secta, qui Molinam S. Augustino prætulerunt: exprobare licebit sanctissimo Gratiæ Doctori (ut Hispanus ille Auctor ausus est) quod Ecclesiam turbaverit; veterumque, ac recentium Hæreticorum partibus vel imprudens, vel ignorans, vires addiderit: & dum S. Augustinum despicatui impune habet Molina, nova ejus figmenta summa veneratione nobis erunt suscipienda. Illi docere licebit, S. Augustino Synodisque conculcatis, & veluti repercussis, Christi, Sanctissimæque Matris ejus animas, idcirco præ ceteris *in tantam dignitatem electas fuisse, quod illas Deus prævidisset melius quam ceteras pro sua innata libertate usuras suo arbitrio*. Fas illi erit propugnare, contra expressa Scripturæ Sacræ verba, & apertas Ecclesiæ definitiones, hominem lapsum, integris æque viribus stare, ac illas in puræ naturæ statu erat habiturus, nullo peccati vulnere sauciatus: Pueros sacro Fonte minime expiatos, secundum naturam felices, ac supra quam ullus mortalium fuerit, extituros. Tandem faveat licet Molina Nestorianis, Pelagianis, aliisque tum veteribus, cum novis erroribus, primæ Thesis Auctor ejus doctrinam adeo periculosam, tantaque laborantem infamia, supramodum commendabit, & coram Summis Pontificibus examinatam, ac velut in fornace probatam auro puriorem inventam esse prædicabit.

Quæst. 23. a. 4. & 5. disp. 1 membro 9. pag. 478.

Id præ ceteris observandum, Molinam novam illam doctrinam, ut fructum scientiæ mediæ effundere, cujus se auctorem esse gloriatur. Id ex ipsius verbis compertum est. *Cum Deus scientia sua prævideat, quinam ex eis, qui audituri sunt Evangelium, conaturi sint ex suis naturalibus ad assensum eliciendum, ut tenentur, & qui non, sane, ut a peccato non excusentur, qui assensum fidei supernaturalem non elicuerint, satis est, Deum suo auxilio, & gratia præsto esse ad præveniendum in eodem instanti, quoscumque prævideret ex suis naturalibus ad assensum conaturos, ut ita non quidem tempore sed natura præventi talem eliciant fidei assensum, qualis necessarius est ad salutem.*

Quæst. 14. a. 13. disp. 7.

Explicatius profecto doceri nequit, Deum gratiæ suæ auxilia illis parasse, quos seipsis, atque ingenitis viribus acturos prævidet: quod ipsum in Pelagianis damnavit Ecclesia. Sic in errorum abyssum præcipites ruunt, qui inani fiducia tumidi, sola humana ratione duce de altissimis Mysteriis argutantur. Non absimili confidentia temerariam illam, & captiosam Propositionem propugnat: *Liberum arbitrium solo concursu Dei generali elicere posse assensum fidei, actu, qui sit mere naturalis*. Nec vero aliter de spe pronunciat, *quoad actus substantiam attinet*. Ac demum de charitate sermonem instituens, idem quod de reliquis virtutibus theologicis asserit: *Liberum arbitrium cum solo concursu generali Dei elicere posse non solum actum attritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi amplius lethaliter includat*. Hæc porro si cum aliis paulo antea positis conferantur, dilectionem scilicet ea contritione naturali includi, consequens profecto est, naturam ipsam, secundum Molinæ principia, sibi soli relictam, solo concursu generali opitulante, fidem, spem, & charitatem, quoad substantiam actus habituram: tametsi non aliam Scriptura Sacra, & Ecclesiæ Patres fidem, spem & charitatem agnoscant, quam quæ, secundum Apostolum, ex gratia sobolescunt.

Quæst. 14. a. 13. disp. 7. pag. 29. & 30 Disp. 14. pag. 62. Ibidem pag. 63.

Audiat Theseos Auctor Canonem sextum secundi Concilii Arausicani: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus ..... nobis misericordiam conferri dicit divinitus ..... & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium ...: resistit Apostolo dicenti*, Quid *habes, quod non accepisti? &*, *Gratia Dei sum id, quod sum.* Hoc-ne Concilium Molina legerat, cujus non semel suo in Opere meminit? An illud parvi fecerat? An forte eum latebat singularis auctoritas, quam in Romana Ecclesia hactenus obtinuit, unde suas Sanctus ille Cætus definitiones hauserat? Quo loco notare operæ pretium est, nullam eo in Canone meriti naturalis, aut dignæ ad gratiam sine gratia obtinendam dispositionis mentionem ingeri; sed eos simpliciter anathemate peti, qui misericordiam Dei hominibus sine Christi gratia credentibus, sperantibus, conantibus, laborantibus conferri dicerent; aut divinæ gratiæ adjutorium (ut Molina ausus est) virtutibus naturalibus hominis temere subjungerent? *Obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium*. Frustra porro ad eludendum Anathema

1. Cor. 47. & cap. 15. 10.

ma Concilii obtruderet aliquis duplex virtutum genus; alterum earum, quæ saluti, justificationi deserviunt; alterum virtutum naturalium, quas ad salutem conducere Molina non contendit. Sunt hæc speciosa diverticula, quibus non Pelagianos errores proscribere, sed Ecclesiæ censuras eludere velint. Nam præterquam quod fides, spes, charitas, contritio, ad salutem inutiles, monstri pene instar haberi possunt, quo vel uno deterreri Molina debuerat, quominus adulterinam, & apud filios Regni (ut Scripturæ verbis utar) reprobatam monetam tanti faceret; ejus etiam Sectatoribus mox ostensuri sumus, quantum ipsi fallantur, aut alios fallere velint.

Certum quippe est in Molinæ systemate primas reipsa partes naturæ tribui, quæ uni gratiæ in speciem tribui videntur. Quis enim negare potest id ab eo fundamenti loco poni, Deum certo gratias omnes ad justificationem, & salutem necessarias largiri homini, ubi primum ingenitis naturæ viribus egerit totum, quod ex se potest? Ex quo plane consectarium est, omnia tandem in gloriam liberi arbitrii cedere. Semipelagianis nihil ejusmodi venit unquam in mentem, ut damnationem effugerent artis scilicet, ac industriæ Molinianæ expertibus. Nihil sane intererat (quod dogmatis caput attinet) aut fidei supernaturalis initia, cum Fausto nobis adscribere; aut, cum Molina propugnare, nil quidem nos ultra fidem naturalem posse ex nobis; at supernaturalem fidem a Deo semper adjungi: qua una subtilitate fractæ, & elisæ hæresis reliquias, velut opportune succurrente in naufragio tabula collegissent. *Novimus hanc istorum esse versutiam* (inquit S. Leo Episcopum Aquilejensem adversus Pelagianorum astutias muniens) *ut in qualibet particula dogmatis execrandi, quam a damnandorum soliditate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum.* Epist. supra-citat.

Et vero dispungantur minutatim novæ Concordiæ principia, nemo erit, qui aperte non videat, quam facile Pelagiani sub umbra, & protectione Molinæ Ecclesiæ fulmina declinassent. Sic ille novum dogma suum exponit: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam, Christusque nobis promeruit auxilia non solum, quæ conantibus nobis ex nostris naturalibus efficere, quod in nobis est, præsto essent, ac prævenirent, ut sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam, sed etiam quibus excitaremur omnino; inde est, quod quoties quis paratus fuerit ad conandum ex timore, efficiendumque totum, quod potest circa detestanda peccata commissa, & cavenda imposterum omnia lethalia, præveniatur a Deo affectu, donoque timoris supernaturalis, & eliciat attritionem supernaturalem, qualis cum Sacramento est necessaria, ut peccata deleantur.* Hoc si verum, nihil obest quominus homo sibi justificationem suam, & salutem adscribat: siquidem gratia ingenitis liberi ejus arbitrii conatibus semper addicta est. Quæst. 14. art. 13. disp. 14. pag. 82. 83.

Tot illos Molinæ exitiales errores, dum de divina gratia sermo fuit, silentio præterire nefas erat: cum iis ab illo semel positis, quicquid demum de gratuita electorum prædilectione statuere visus est, sponte ruat. Dum hæc perversa dogmata stabunt, humanæ superbiæ, & gloriationi lo us erit: atque ubi gratuita supernaturalium donorum præparatio posita fuerit, eadem ipsa dona naturalibus liberi arbitrii conatibus fictitiisque virtutibus fidei, spei & charitatis naturalis, *quoad substantiam actus*, adscribentur.

Si hæc principia, atque dogmata sine debita animadversione serpere sineremus, vix, ac ne vix quidem Pelagianismum humana superbia renascentem, ac tumidum cohibere fas esset. Cogimur igitur, vel inviti piis Leonis Magni consiliis morem gerere, quibus Aquilejensem Episcopum hortabatur, ut obscuros aliquos Hæresis Pelagianæ fautores Pastorali vigilantia coerceret, tanto difficilius a veris Christi ovibus discernendos, quanto callidius ovina se pelle tegebant. *Cavendum ergo*, inquit, *magnaque diligentia providendum, ne per hujusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur, & de exciso olim dogmate aliquod in Provincia tua ejusdem mali germen oriatur; quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat.* Eo vero movemur magis, quod intemperans ille Molinæ laudator nullibi errores ejus, vel leviter perstringat, vel explodat: quanquam tales ii sint, ut totam Molinianæ doctrinæ summam inficiant, & si quid boni dixerit, inutile reddant. Epist. jam citata ad Aquilejensem Episc.

Accedit, & aliud hujusce Thesis incommodum longe gravius. Tertia scilicet columna, ubi variæ circa gratiam opiniones referuntur, sex complectitur Appendices. Quinque postremis Auctor hæreses omnes exponit, quibus Ecclesiæ Catholicæ doctrina de divina gratia pulsata est: Pelagianos, Semipelagianos, Prædestinatianos, Lutheranos, Calvinistas, Jansenianos numerat ordine longo. Porro tot illis divinæ gratiæ hostibus unam Ludovici Molinæ doctrinam ex adverso ponit Appendice prima, ceteri omnibus Theologorum orthodoxorum sententiis alto silentio prætermissis: quasi hujus unius doctrinam Catholicis Theologis amplecti necesse sit, si procul a damnatis hæresibus stare velint.

Certe, ubi de fidei dogmate statuendum, vel in Libro, vel indisputatione Theologica agitur, id primo proponitur, quod Ecclesia credit, omnique retro tempore professa est: tum oppositæ Catholico dogmati hæreses recensentur. Cum igitur una Ludovici Molinæ sententia de divinæ gratiæ auxiliis, uti subortis erroribus adversa recensita sit, perspicuum est, id unum Thesis hujus Auctori fuisse consilium, ut Molinæ sententiam tanquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, professionemque obtruderet, cui adhæret necesse sit, ut hæreses recensitæ vitentur.

Atque id quidem consilium eo manifestius se prodit, quod Thesis Auctor statim sub primæ Appendicis initio scripserit, Molinam, ejusque Sectatores, divinæ gratiæ, cum humana libertate concordiam, ope scientiæ mediæ, ceteris omnibus Theologis enucleatius tradidisse. Addit, Doctrinam ejus tam valide impetitam, toties a diversi generis hostibus impugnata, & coram Summis Pon-

Pontificibus tam diligenter examinatam, tanquam aurum in fornace probatam, puriorem inventam esse. Eo etiam venit audaciæ, ut sacrilega quadam violatione sacras divinæ Scripturæ voces usurpet, quibus invictam in tormentis Martyrum fidem celebrat Ecclesia: ac demum lata veluti sententia pronuntiat, Molinæ doctrinam dira coram duobus Summis Pontificibus persecutione agitatam, solidiorem, ac puriorem evasisse, dignamque etiam, quæ uti Sanctorum Patrum hæreditas excipiatur: *Cum honore ex tot disputationum fluctibus emersit.*

Constitutionibus Jesuitarum sancitum est, Ut *in Theologia legantur Vetus, & Novum Testamentum, & Doctrina Scholastica Divi Thomæ*. Hoc ipsum quinta Congregatio generalis, Societatis decrevit, nonnullaque quorumdam Deputatorum, de seligendis opinionibus instituta confirmavit, quorum primo ita constitutum est. * *Nostri omnino S. Thomam, ut proprium Doctorem habeant, eumque in Scholastica Theologia sequi teneantur, tum quia Constitutiones eum nobis commendant, & Summus Pontifex Clemens VIII. id se cupere significavit; tum quia cum unius Scriptoris doctrinam in Societate eligendam Constitutiones moneant, nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit ea solidior, aut securior: ut non sine merito S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.* Quin etiam Cap. 41. quintæ Congregationis generalis cautum est, *Ne deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, nisi qui Sancto Thomæ bene affecti fuerint; qui vero ejusdem Auctoris parum studiosi, vel etiam ab eo alieni sunt, a docendi munere repellantur.*

Sancti Thomæ principiis imbutus profecto non fuit Frater Gabriel Thiroux, Thesis hujus auctor, & propugnator, uti imbutum illum fuisse oportuerat, si Præpositi Societatis hæc Decreta executioni demandassent. At Magistrum ei Suarez dare maluerunt, cujus doctrina nil nisi Molinianæ temperamentum est. Ea nobis agendis ratione Jesuitæ significant, pluris apud illos fieri recentium Scholæ suæ Theologorum auctoritatem, quam Clementis VIII. Pontificis Maximi jussa, qui ferventibus Congregationum *De Auxiliis* disputationibus, unicum eis Magistrum esse voluit sanctum Thomam. Quid ergo mirum si quo tempore Thesis propugnanda fuit, quinta scilicet Decembris ultimo præteriti, nullam alterius Decreti prudentissimi rationem habuere, quo quinta illorum Congregatio generalis, vetuit, ne quis eas opiniones in aliqua Academia doceat, vel defendat, quæ Catholicos offendere possint?

Majori Jesuitæ Rhemenses reverentia duci debuerant in Societatis suæ Constitutiones, Congregationumque generalium ejusdem Societatis Decreta, quorum iis memoriam interdum revocavimus, dum nostrum illis de Molinæ doctrina judicium aperuimus. Si quod Majoribus quondam suis charitatis; ac prudentiæ studium insitum erat illos etiamnum egisset; non usque adeo publice comprobassent quam parvi sensa nostra, ac monita pendeant. Ab eo delicto procul illos esse, & ab immodicis Molinæ sui laudibus temperare oportuerat, vel eo solo nomine, quod illius sententiam inter fidei dogmata reputare ipsi non audeant; eamque e contrario novam, ut minimum, confiteri, compellantur.

Mirari subit, liberam opinandi licentiam, usque adeo Societatem occupasse, viris quondam, atque etiam hodie eruditis abundantem: cui etiam nihil in suis initiis omissum, ut prudentissimis institutis, ab ea sibi labe præcaveret. *a*

Joannes Mariana Jesuita Hispanus eruditione sua celeberrimus, ea de re gravius expostulat edito Tractatu, *De rebus emendatione dignis in Societate Jesu*. Ubi malum eo usque progressum ait, ut plures in Scholis opiniones recipi cerneret, quæ falsæ prius, at quæ infalsæ habebantur. Quam ardentiori reformandæ societatis zelo exarsisset, si detestandum peccati Philosophici errorem, impiamque adversus divini Amoris mandatum hæresim, publicis apud suos Theses celebri ætate sua comperisset. Nulla nobis ambas illas Theses *b* ut commemoremus religio est, iisdem illæ solemni Alexandri VIII. Decreto *c* damnatæ sunt. Alias silentio mittimus nostra ætate, nuper in nonnullis hujusce Regni Diœcesibus propugnatas; quod taiceri in messem alienam immittere, ac de gestis extra jurisdictionis nostræ fines publice pronuntiare nolumus. Ab iis Prælatis expectanda justa Censura est, quorum ovibus periculosæ illæ Theses scandalo fuere. Hanc ut libuerit ferent, pro ea, qua nobis præstant eruditione, & singulari custodiendi depositi sibi commissi zelo, cum auctoritate legitima conjunctis. Nos interim, qua poterimus vigilantia illud in Diœcesi nostra servare satagemus, ut cœpimus, iis præsertim temporibus, quibus sibi adulari sibi homines velint, impatientique dissolutæ disciplinæ prurigine laborent, promiscuam laxiorum Doctorum turbam audiunt, qui illorum cupiditatibus serviant. Hortabimur, obsecrabimus, increpabimus, uti nos monet Apostolus, *In doctrina sana, & eos, qui contradicunt*, arguemus, *Doctrinis variis, & peregrinis abductos*, qua decet charitate, & animi fortitudine castigabimus, ut *Profanas vocum novitates* devitent, & *Oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidem promittentes circa fidem exciderunt.*

Idem ille Joannes Mariana, qui, quo tempore Congregationes *De Auxiliis* habebantur, prælaudatum de Societatis emendando Regimine Tractatum edidit, diligentius notat, quæ mala liberiorem illam in vulgandis Molinæ, & aliorum plurimorum figmentis licentiam secuta sunt. *Ex inordinato*, inquit ille, *novitatis amore emanarunt illi turbines, & procellæ, quibus nostra Societas tentavit exagitare sapientissimos Dominicanæ familiæ Theologos, quos potius venerari debebat, quam sequi hesterna Ludovici Molinæ figmenta.* Addit, *Occasione Molinianæ concordiæ ab hisce Patribus certatum acriter; ac primo quidem ad Hispaniensem Inquisitionem provocatum, deinde Romam; ubi* (ut ait) *quo tempore scribebat, controversia magno animorum æstu disceptabatur: Cujus professum*

cœ-

P. 4. c. 14. p. 198. Edit. Antuerp. Et cap. 41. pag. 89.

Unanimi consensus statuit, doctrinam S. Thomæ in doctrina Scholastica tanquam solidiorem, securiorem, magis approbant, & consentaneam nostris Constitutionibus, sequendam esse a Professoribus nostris.

* Cap. 56. p. 300.

a Constit. pag. 3. cap. 2. pag. 118.

Idem sapiamus, idem quoad ejus fieri possit dicamus omnes juxta Apostolum: doctrinæ igitur differentes non admittantur.

b Theses propugnatæ in Collegio Societatis Jesu, Divisione 1686. mense Junio, & Mussiponti anno 1689. die 14. Januarii.

c Die 24. Augusti, 1690.

2. Tim. 4. 3.

Ad Titum. 1. 9.

Ad Hebr. 13. 9.

1. Ad Timoth. 6. 20. & 21.

Laudat Illustriss. Archipræsul Rhemensis Marianæ verba secundum Versionem in Gallicam ipsi Antographo coævam.

exitum (*etiamsi res illis prospere cederent*, *quod admodum incertum erat*) *nonnisi multis expensis*, *& anxia multorum annorum cura empturi essent*. Subjungit, Virum per illustrem, * rerum illarum apprime conscium, Societatis Præpositos monuisse, ne se liti huic altius implicarent; nihil tamen obtinuisse: *Tum quod ad litem urgendam proprii honoris stimulo duceretur Præpositus Generalis*, *ob datam Molinæ typorum veniam*, *minusque rei gravitatem persentirent juniores nonnulli Hispaniæ Professores*: *tum quod*, *qui Præposito Generali Romæ adsistebat*, *quique Hispaniæ Provincialis munus gerebat* (*quorum artibus omnia hæc movebantur*) *viri essent illiterati*, *qui publica illa Societatis munia hominum ejusdem moris*, *& indolis gratia obtinuerant*. Qua in re id tandem evenisse ait, quod visum est, *& quod evenit*, *quoties ardua Societatis negotia viris turbolensis*, *& ignavis Præpositis committentur*. Ita Mariana eo in Libro, quem publicæ luci præripere tantopere conati sunt, quemque nos in testimonium Hispano, & Gallico editum idiomate in Bibliotheca nostra servamus, Sic demum Auctor ille Tractatum suum absolvit. *Multam mihi fiduciam sumpsi in detegendis malis Societatis nostræ*, *ac Regiminis ejus erroribus*, *iisque potissimum*, *quæ cum communiter approbentur*, *libentius fiunt*. *Quid remedii?* (*candide loquor sine præjudicatæ mentis affectu*, *ac spe quacumque*) *Rem quisque*, *ut libuerit*, *æstimabit*. *Verum quod in me est*, *quod proprius ingravescente ætate ad Dei judicium accedo*, *Societatem nostram*, *quæ Dei opus est dubio procul*, *in præceps ruere firmius sentio*, *ac brevi etiam casuram omnino*, *nisi Deus ipse det opem*; *ejusque filii pro sua in Matrem pietate*, *omnique privati commodi studio seposito*, *præsens auxilium offerant*, *& ad vivas usque partes circumcidant*, *si ita est opus*, *ne ultra serpat corruptio*. Perpendite jam, per nos licet, Marianæ verba, & infausta præsagia. Duo tantum inde colligimus. Primum, isto ineunte Sæculo, Societatis Professorem magnæ apud Sodales suos existimationis de liberiori in ea opinionum licentia expostulasse: Alterum, non tanti illum fecisse Molinam, quanti nunc ipsum facit Societas.

* De Cardinali Baronio loqui videtur.

Unum superest, quod in Molina tantis in ea Thesi laudibus imprudenter commendato observari debeat; minor scilicet, quam par sit in sanctos Patres, & antiqua Concilia reverentia, immo contemptus, & despicatio. Hunc si audimus, minus illis circa divinæ gratiæ quæstiones luci affulsit. *Quin*, inquit, *Patres antiquos*, *antiquaque Concilia legenti perspicuum erit*, *parum admodum lucis fuisse circa ea*, *quæ ad gratiam spectant*. Atrocem Traditioni Sacræ, quæ doctrinæ depositum ad nos, usque transmisit injuriam! Puniendæ temeritatis verba! Videri quidem prima fronte potest, superiora dumtaxat Pelagio tempora notare: verum cum illic Arausicanæ Sydodi secundæ mentionem faciat, nullaque ante Pelagium circa Gratiæ quæstiones Concilia celebrata sint; perspicuum est, velle Molinam, & his verbis innuere, nedum superioribus Pelagio temporibus doctrinam de Gratia fuisse ignoratam; sed & ipsas etiam post hæresis Pelagianæ ortum celebratas Synodos nihilo magis luminis his controversiis attulisse. Conciliis igitur Africanis, & Arausicano, quorum tanta est in Ecclesia reverentia, necnon tot Summorum Pontificum definitionibus injuriam irrogat, quasi minus feliciter quam ipse Molina divinæ gratiæ dogmatum veritatem explicuerint. Audacem nimirum inscitiam, ac severiore censura dignam!

Quæst. 14. A. 13. Disp. 15. p. 86.

His de causis, aliisque gravissimis, Dei nomine invocato, re mature expensa, auditis Sacræ Thologiæ Doctoribus eruditissimis, sapientissimis, & in Ecclesiastica Dignitate pariter constitutis, damnavimus, atque damnamus primam Positionem tertiæ Columnæ Thesis propugnatæ die quinta Decembris ultimo elapsi, cujus verba supra descripsimus, uti falsam, temerariam, scandalosam, captiosam, & inducentem in errorem.

Thesis altera, die decima-septima Decembris propugnata, nec minus est ad fallendum composita, nec minus, si penitius attendatur, Censura digna est. Equidem primo quintæ Columnæ intuitu, suspicari pronum est voluisse Thesis hujus auctores Sancto Augustino, & Ecclesiæ pro illata ipsis ante dies aliquot injuria publice satisfacere. Ut enim præsenserant nos, cum omnibus probati nominis Theologis indigne laturos, in priori Thesi, cui titulus est *De variis circa Gratiam opinionibus* nullam aliam de Prædestinatione doctrinam, ceu orthodoxam agnosci, præter novum Molinæ systema Sancto Augustino adeo injuriosum, sibi utcumque præcaverunt. De Sancto Doctore paulo reverentius loqui ipsis visum est. *In exponenda Prædestinatione*, inquiunt, *Augustinum sequimur*. Hujus Urbis Jesuitæ Augustini discipuli videri affectantes, in Thesi sua dixere: *Toti Augustiniani sumus*. Bene id quidem: verum ut totus quis Augustinianus habeatur, haud satis est S. Augustini sententiam amplecti, nisi eodem modo, eodemque animo illam defendat. Si quid enim, ut fidei dogma docuit S. Augustinus, nec ab Augustiniano, tacendo, nec neganda tanti momenti veritas est. Videamus igitur num hac parte Jesuitæ Rhemenses Lugdunensibus * Sociis religiosiores extiterint; collatisque variis Thesis secundæ principiis perpendamus quo spectet ea in speciem reverentia, quam erga divinæ gratiæ Doctorem in nostra Diœcesi ostentarunt.

Posit. 5. col. 3

Ibidem.

* Thesis Lugdunensium Jesuitarum 22. August. 1696 propugnata Positione 15.

Antequam speciosa illa commendatione salutaretur S. Augustinus, id caute præmissum ab illis est, Scientiam mediam a Molina, ut nostis, inventam, *gratuitæ Prædestinationis explicandæ unice deservire*. Quæ illusio! Augustinianæ ergo doctrinæ tam antiquæ, tam universaliter, tantaque reverentia receptæ, & pro Sedis Apostolicæ doctrina semper habitæ approbatio e Molinianæ opinionis approbatione pendebit! Novæ, (inquam) opinionis, ab ipsa origine susceptæ, obscuræ, in sanioris doctrinæ Scholis impugnatæ, a plurimis e Societate Jesu, in qua nata est; magni nominis Theologis explosæ, Sedi Apostolicæ ignotæ, & ipsius respectu peregrinæ, ac prorsus extraneæ? (ne quid amplius dicamus, & solemnem Sententiæ illius Declarationem præveniamus.) Theologi igitur deinceps tenebuntur Auctoris recentioris figmenta

menta mutuari ad exponendum Prædestinationis Mysterium, eaque dumtaxat leges illis Augustinianis licebit esse, ut S. Augustinus Molinista fiat. Absit ut hæc feramus.

Ibidem. Concord. p. 489.

S. Prosper Carm. de ingratis.

* Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto, insanas pepulere feras, industria Major; Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.

Verum qua tandem ratione, ut ceteris illuderet Thesis Auctor, commentus est, S. Augustinum scientiam mediam luculenter approbasse, & *ad gratuitam Dei electionem demonstrandam, ea tanquam invicto argumento usum esse?* Itanedum hæc Columna secunda scriberet, cogitabat, quid tertia scripturus esset? Ibi quippe fatetur *Nullam aliam Prædestinationis causam S. Augustino esse probatam, quam Dei voluntatem*. Rogandum ergo, ut secum ipse consentiat. An cum forte fugiebat, Molinam scientiæ mediæ inventum ab uno Sodalium suorum ante dies aliquot adeo magnifice commendatum nemini alteri concessisse? Felicitatem illius inventi laudem longe minus concessit S. Augustino, quem illius ignoratione in eo argumenti genere cæcutiisse, omniaque turbasse commentus est. *Sic hæc* inquit, *explicata fuisset, neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudentes arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare: neque ex Augustini opinione, concertationibusque, cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facile que reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia fuissent extinctæ*. Quam dolendum heu, Molinam Pelagianæ Sectæ temporibus S. Augustini loco non decertasse; aut Lutheranos Molinæ ætate nuper enatos novum ejus Systema confidenter amplexos non fuisse! Quis recentis illius Theologi temeritatem non indigne ferat? Cui si demus aures, quomodo cum Ecclesia consentiemus, quæ Sanctum illum Patrem uti defensorum suorum illustrissimum in divinæ Gratiæ controversiis, utique Hæreticorum flagellum, ac debellatorem semper habuit, ac venerata est? *

* In Rep. ad serenifs. Magnæ Britaniæ, Regem, c. 12. Posit. 5. col. 5.

Ita de S. Augustino sensere quotquot Historiæ Ecclesiasticæ non imperiti fuerunt, & quibus Ecclesiæ honor, & utilitas cordi fuit. Summi Pontifices celebratas a S. Prospero ejus discipulo tanti Doctoris laudes non minoribus encomiis cumularunt. Quin & nostra ætate Cardinalis Perronius * S. Augustinum *Maximum post Apostolos Prædestinationis Doctorem* prædicavit, *immo os, ac vocem veteris Ecclesiæ, quod pertinet ad illud doctrinæ caput*.

Hormisda. Epist. 70.

De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quod Romana, hoc est Catholica, sequatur, & asseveret Ecclesia, licet in variis libris Beati Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum possit cognosci, &c.

Si Frater Franciscus Baltus, secundæ Thesis auctor, & propugnator, Augustinianus revera foret, ut eo quidem nomine gloriatur, num ita exiliter, & jejunie de Sanctissimi Doctoris sententia pronuntiasset? *Nihil*, inquit, *in doctrina Augustini certius, quam Prædestinationem esse omnino gratuitam*. Modo tamen, ut præmonet, Moliniano scientiæ mediæ sensu exponatur. Innuit ne vel leviter Thesis hujus Auctor, S. Augustini sententiam eo in capitæ Ecclesiæ Catholicæ doctrinam esse, atque a Summis Pontificibus expresse probatam? Solos-ne Hereticorum errores huic doctrinæ opponit, quemadmodnm in prima Thesi factum est in gratiam Moliniani dogmatis? Multum certe abest, ut id agat; satisque S. Augustini honori consultum putat, si se Augustinianum esse jactet, data tamen ceteris omnibus a sancto Doctore dissentiendi licentia. *In explicanda*, inquit, *Prædestinatione Augustinum sequimur, ab utrisque, Semipelagianis, & Prædestinatianis æque remotum*. Ne verbum quidem tota Thesi occurrit, quo vel leviter innuat longe a vicinia veritatis errare, qui aliter senserit: quod tamen palam significare opus erat, ut totus Augustinianus haberetur, & cum Romana loqueretur Ecclesia, ut Hormisdas Pontifex declaravit, totaque Pastoralis hujusce Institutionis serie demonstrabimus.

Qua in re id statim consilii nobis fuit, ea omnia seponere, quæ salvo fidei capite in Scholiis Catholicis disputantur, & intra Prædestinationis gratuitæ fines consistere. Hoc dogma est, quod a S. Augustino traditum diximus, ut communem Ecclesiæ Catholicæ sensum ex Scripturis Sacris, & Traditione petitum; & a Fidelibus universis summa veneratione, & consensione susceptum.

Lib. De dono persev. c. 14.

Fundamentalem illam veritatem, ut ordine statuamus, ponenda inprimis est Augustiniana Prædistationis definitio, ab universa Ecclesia probata. *Hæc est Prædestinatio Sanctorum*, inquit, *nihil aliud, præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*.

* Rom. 11. 6. Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.

Deus certis hominibus, quos electos Scriptura vocat, singularia beneficia præparavit, quibus a peccato, & æterna damnatione certissime liberantur. Si certissima est eorum liberatio, iis ergo procuratur auxiliis, quæ indeficientia sint, & ad exitum infallibiliter perducant. Hæc si Deus omnibus præparasset, omnes certissime liberarentur. His, qui ea recipiunt, bona voluntate ab illo destinata sunt. Quæ pro illis facturus erat in tempore, novit ex æternitate: idque ipsum præparavit, ac præordinavit. Nullis moveri meritis * potuit, ut certa illa auxilia præparet, ex quibus omnia merita oriuntur. Non quæ primo confertur gratia certo salvat electos; cum plurimi non salventur, quibus donata est. Non itaque prima duntaxat gratia, gratuito præparata, & prædestinata, æternam electorum liberationem certissimam facit; sed ipsa potissime gratiarum, beneficiorum peculiarium series, quæ illis a Domino præparantur. Horum, quibus præparata sunt, nemo perit. Adversus hanc Prædestinationem, si S. Augustino credimus digno Ecclesiæ interpreti, nemo unquam sine errore disputavit. *Hoc scio*, inquit, *neminem contra istam Prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse*. Hæc contra divinæ gratiæ hostes, inquit Sanctus ille Doctor propugnamus, non privatis præjudiciis occupati, sed Sacris Litteris eruditi; nec convocari in controversiam ullatenus possunt, nisi vel beneficia, quibus certissime liberantur electi negentur omnino, vel minus a Deo prævisa dicantur, ac præparata: quo utroque errore fides manifeste læderetur.

Lib. De Dono persev. c. 19.

Epist. 96. ad Egilam, & 97. ad Episcopos Hispaniæ.

Hanc doctrinam clarissime explicuit, ac definivit Adrianus I. Pontifex Maximus. *Opera*, inquit, *misericordiæ, ac justitiæ suæ præparavit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ, & sicut futu-*

futurorum operum suorum nunquam fuit ignarus; sic in eorumdem operum præparatione nunquam improvidus. Præparavit ergo justificandis hominibus merita, præparavit eisdem glorificandis & præmia: malis vero non præparavit voluntates malas, aut opera mala, sed præparavit eis justa, & æterna supplicia. Hæc est æterna Prædestinatio futurorum operum Dei, quam sicut nobis Apostolica Doctrina insinuari semper cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus. Teneatur ergo Prædestinationis veritas a fidelibus cunctis, quia quisquis divinum non credit in hac Prædestinatione consilium, non perveniet ad gloriosum ejusdem Prædestinationis effectum.

Quisquis Sanctissimi Doctoris Libros *De Prædestinatione Sanctorum*, & *De Dono perseverantiæ* vel obiter legerit (ne quid de ceteris adversus Pelagianos editis hic dicamus!) facile intelliget, nihil illum hoc in argumento nisi Sacrarum Scripturarum, & universalis Ecclesiæ fidem retulisse. Nihil æque Catholicorum fidem in aperto ponit, quam publicæ Orationes ab iis fundi solitæ. Quid porro omni retro tempore, & ubivis locorum, ac gentium, ardentius publicis supplicationibus a Deo efflagitavit Ecclesia, quam pro fidelibus perseverantiam, uti pro infidelibus fidem? Atque iis maxime donis impleri certum est, in tempore in gratiam Prædestinatorum, quæ Deus ante omnia tempora decrevit. Perspicua ea de re, ac decretoria S Augustini verba, amabo, audiatis. *Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem Prædestinationis hujus, & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos cura diligentiore defenditur; ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet aliquando eam non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles.* Si ergo eas hactenus gratias a Deo postulavit Ecclesia, eas ab illo uno donari certo credidit. Neminique negare fas unquam fuit (nisi omnem religionis, rectique judicii sensum exuere vellet) ea Deum ex æternitate prænovisse bona, quæ deinceps erat collaturus. *Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit; nec ab illo esse præcognita unquam ei negare fas fuit.* Quibus demum statutis, ac positis ita colligit S. Augustinus: *Ac per hoc Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos Hæreticos nova solicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.*

Lib. De Dono persev. c. 21. nu. 65.

S. Aug. ibid. c. 19. n. 48.

Augustinianæ Doctrinæ principia si serio perpendantur, perspicuum erit, neminem ab iis recedere posse, nisi simul a Scriptura Sacra, & Traditione aberret. Primam, ultimamque gratiam, fidem & perseverantiam, dona Dei esse, dogma fidei est. Fidem operibus eam præcedentibus mereri nullatenus possumus: preces vero, uti & bona opera, quibus perseverantiam obtinemus, ac etiam (ut loquitur Sanctus Augustinus) *Suppliciter emeremur*, nonnisi gratiæ gratuitæ fructus haberi possunt, quam Deus iis donat, quibus voluerit; iisque omnibus certissime donat, qui perseverant: nullo nobis relicto de illius bonitate, vel justitia querendi jure. Si ergo quicquid ad obtinendam perseverantiam facimus, gratiæ cujusdam singularis, & eximiæ partus est, quam Deus omnibus in bono perseverantibus donat: quidni cum Apostolo hac præsertim occasione dicamus? *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.*

Concil. Trid. Sess. 6. c. 8. & 13. Can 22.

Lib. De Dono persev. c. 6. nu. 20.

Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest.

Rom. 11 6.

Nulla futurorum bonorum operum nostrorum habita ratione certa nobis beneficia Deus præparavit, quibus ea faceremus, in iisque faciendis in finem usque perseveraremus; unde consequens est, nullo nos bonorum operum intuitu electos esse ad æternam illam, de qua S. Augustinus loquitur, liberationem; quandoquidem, ut illa perseveranter faciamus, indebitæ gratiæ munus, ac fructus est, ut Apostolus docet: *Nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.* Hoc sensu Prædestinationis Mysterium S. Augustino duce exponat necesse est, quisquis procul ab extremis hæreticorum erroribus esse velit: ne vel cum Calvinianis, gratuitæ Prædestinationis tuendæ specie, meritum omne fidelium e medio tollat; vel cum Pelagianis Dei Prædestinationem impugnet, ut humana merita tueatur. Ab utriusque ex æquo distat Ecclesiæ Catholicæ fides. Totum Deo referendum esse docet, a quo totum accepimus; illique gratia de meritis nostris agendas, non de illis gloriandum: Christianam humilitatem Pelagiani perimunt, excitandæ vigilantiæ obtentu: vigilantiam contra, omnemque virtutem eliminant Calviniani, libertatem, ac meritum impugnantes. Medius incedit S. Augustinus, nosque ex æquo & intentos officio, & acceptorum beneficiorum memores esse monet. Tametsi enim ex mera misericordia electi vocentur, ex justitia nihilo secius coronabuntur. Nemo adultus justificatur, aut salvabitur, nisi certam bonis operibus vocationem, & electionem suam faciat * Tantum vero abest, ut idcirco gratiæ, qua electi sunt, minus debeant; quin potius officiorum integra perfunctio novæ gratiæ genus est, ob quam satis dignas Deo gratias habere, ac rependere non possunt. Sua quidem illi bene usi sunt voluntate; sed præparata est illis, ut Scriptura loquitur, voluntas a Domino: opera bona ediderunt; at secundum Apostolum, Deus gratuito, quo illos dilexit amore, bonā illa opera ex omni æternitate præparavit, eaque ut in tempore faciant, per gratiam suam operatur. Itaque adulti gratis eliguntur ad gloriam, quam ut mereantur gratiæ mere gratuitæ donum est; perinde ac ipsi post Baptismum erepti ex hujus vitæ periculis pueri, quos intuitu meritorum Prædestinatos nemo nisi Semipelagianus dixerit. Quamobrem Prædestinatio Sanctorum, secundum Ecclesiæ, & S. Augustini doctrinam, omnino gratuita est. Vita igitur æterna, quæ corona justitiæ vocatur spectatis meritis, quæ Deus per gratiam suam operatus est in nobis, mera reipsa gratia est, nullis nostris meritis ex æternitate nobis a Deo præparata. Hæc Apostoli doctrina: *Gratia Dei vita æterna.... Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, ut ne quis glorietur:* unaque liberatis superfit misericordia liberantis. Perpetua il-

2. Timoth. 1. c. 1. 9.

*2. Petri 1. 10

Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.

Rom. 6. 23.

Ephes. 2. 8. & 9.

la est

Lib. De Dono persev. c. 23. nu 63.

la est Ecclesiæ fides, atque doctrina. *Sicut in his orationibus*, ait S. Augustinus, *ita in hac fide nata est, & crescit, & crevit Ecclesia.*

Nemo ergo effutiat, quod olim ab imperitis quibusdam, ac temerariis hominibus dictum est, gratuitam Prædestinationem nonnisi privatam S. Augustini opinionem esse, eumque, ubi ejus agitur causa, minime audiendum, cum suam nobis doctrinam velut Ecclesiæ fidem tradit. Aliud nobis eximia illius humilitas spondet, certioresque nos facit uni eum veritati studuisse. Verum si minus ejus probationibus conceditur, tot saltem Pontificibus credatur, quos & eminens Sedis auctoritas, & eruditio cum pietate conjuncta Ecclesiæ universæ spectabiles, ac venerabiles fecit. Penes omnium gentium, & temporum Doctores singularibus meritis eximios esto judicium. iisque demum reclamantibus neget si quis tam petulantis sit audaciæ, S. Augustini de Prædestinatione sententiam, constantem esse Romanæ Ecclesiæ doctrinam.

Sanctissimi Patris doctrinam etiam dum in terris viveret, Innocentius I. Zosimus, & Bonifacius I. approbarunt eamque successores Pontifices, ut pretiosam hæreditatem ab eo relictam exceperunt. Leonis Magni, & Celestini I. legantur Epistolæ; quorum alter S. Augustini doctrinam nulla unquam sinistræ suspicionis labe notatam pronuntiat. Qua certe laude indignus esset, nec ea ipsum ornasset S. Celestinus, si privatas opiniones suas uti fidei veritates omni retro tempore ab Ecclesia susceptas tradidisset. Nec minus luculenta sunt reliqua, quæ ad S. Augustini commendationem hac Epistola continentur: quæ cum Galliæ Episcopis ex certa scientia scripta sit, ut illorum zelum in Novatores quosdam sancto Gratiæ Doctori obloqui solitos concitaret, mirum videri non debet, si sacra ejus documenta tenacius complectimur, ejusque vobis verba damus, tametsi notissima: *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit; quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam ante a meis Decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote, qui ubiq; cunctis & amori fuerit, & honori.*

Libro contra Collatorem. Ep. ad Sixtum, inter Augustinianas 191.

Hoc uno elogio universis Augustinianæ Doctrinæ censoribus occlusum os existimavit Sanctus Prosper. *Per hunc virum* (ait ille de Cælestino sermonem habens) *intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehenderunt maleloquentiæ est adempta libertas.*

To. 4. Conc. gener. pag. 1260. p. 1538. pagin. 1666. pagin. 1633. pagin. 1751.

Sixtus III. in sacram B. Petri Sedem, ad quam vocato ad superos Cælestino est evectus, decessoris sui doctrinam intulit, ab ipso gratiæ Doctore sibi traditam, & ad Ecclesiam Romanam continuata Majorum serie una cum Apostoli ad Romanos Epistola derivatam. Eamdem illam Gelasius I. Hormisdas, Felix IV. quo auctore Canones Concilii Arausicani II. conditi sunt, Bonifacius II. & Joannes II. approbarunt, quorum ad marginem vobis indicare testimonia satis est.

Epist. 70. Hormisdæ

Hormisdæ Romani Pontificis definitio neminem fugit. Neque diffiteri quisquam potest, eum in sua ad possessorem Epistola ex Apostolicæ Sedis auctoritate pronuntiasse, quem Episcopo respondisse constat, qui illum ut suum, & Ecclesiæ caput consuluerat. Ex hac igitur supremi Ecclesiæ Hierarchiæ Cathedra, cujus judicium quærebatur, Sanctus ille Pontifex respondit; ut quod alias de Leone Magno, de Hormisda quoque dici possit; *Vocis Beati Petri omnibus constitutus interpres.* Ab annis ferme mille ducentis in universa Ecclesia Pontificium illud rescriptum receptum est, quo S. Augustini doctrina postremis præsertim libris distinctius, & luculentius expressa, sacro velut oraculo consecratur. *De libero*, inquit, *arbitrio, & gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica sequatur, & asseveret Ecclesia, in variis locis Beati Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum, cognosci potest.*

Bellarm. To. 4. Edit. Parif. 1613. lib. 2. de gratia, & libero arbitrio pag. 479.

Et quisquam jam dubitabit, Ecclesiam S. Augustini doctrinam fecisse suam? Non certe dubitabat Bellarminus e Societate Cardinalis. Optandumque, ut Thesis hujus Auctor, & vindex, eximii viri judicium, ex quo Societati tantum gloriæ, & honoris accedit, Molinianis novitatibus, quæ illi usque adeo dedecori sunt, prætulisset. *Hæc* (S. Augustini) *sententia*, ait ille, *non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debet.* Hac in re Patrum, & Doctorum scientia, & pietate celeberrimorum judicium sequitur meritissimus Cardinalis; nec unius S. Augustini, sed S. Prosperi, Petri Diaconi, S. Fulgentii, totiusque Ecclesiasticæ Traditionis auctoritate sententiam suam fulcit.

Patres non solum hoc affirmant, sed antiquiores, & doctiores ex ipsis, quos ceteri postea secuti sunt, ad fidem Catholicam hanc sententiam pertinere tradunt, & contrariam ad Pelagianos rejiciunt. Salmeron lib 3. disp. in Ep. ad Rom. disp. 21. Tom 13. p. 571.

In ea sententia Societas Jesuitarum quodam modo nata est. Alphonsus Salmeron, unus e decem primis S. Ignatii, & postremi sæculi Theologus eximius, suam his verbis mentem aperuit: *Tertius erat modus dicendi, quod a prævisione meritorum penderet Prædestinatio, qui quidem falsus est, & ut Pelagianum dogma Augustino confutatus, & ut dogma Calvini confutandum, qui Deum malorum causam esse prædicat.*

Dionysius Petavius Jesuita, cujus paulo ante suffragium usurpavimus, scribit, S. Augustinum tot inter Ecclesiæ Latinæ Patres, quorum in divinæ Gratiæ quæstionibus summa auctoritas est, omnium Theologorum consensu primas obtinere. Quin & addit: *Cujus de gratia sententiam quotquot deinceps consecuti sunt Patres, & Doctores, tum vero Ecclesiæ Romanæ Præsules, Præsulumque conventus aliorum, ratam, et Catholicam esse judicarunt, ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum, ac decretum esse constaret.*

Nec vero quis effutiat, posteriores Ecclesiæ Romanæ Pontifices, suos hac in parte Decessores deseruisse. Figmentum est illud quorumdam nostri temporis Protestantium, ut Apostolicam Sedem novitatis incusarent. Clemens VIII. Alexander VII. Clemens X. Innocentius XI. Innocentius XII. qui pari nunc integritate, ac potestate Ecclesiam regit, Doctores, ac fideles universos ætate nostra ad S. Augustini libros remisere, ut Ecclesiæ Romanæ doctrinam, quod Gratiæ quæstiones atti-

attinet, ex iis discerent. Minus igitur est in secunda Thesi dixisse Predestinationem omnino gratuitam esse secundum S. Augustini doctrinam; addendum erat cum Romanis Pontificibus, ac celeberrimis Catholicorum Scholis, hanc ipsam esse Ecclesiæ doctrinam.

Edi. Colon. Petavius To. 1. Theolog. Dogmatum lib. 9. c. 6 n. 1.

Qui etiam hic sumitur de industria, propugnandæ gratuitæ Prædestinationis modus, nescio quid affectationis prodit. *Nihil certius*, inquit, *in doctrina S. Augustini, & nos idipsum affirmamus*. Nihil eo dogmate certius, at ubi? Num in omnibus Theologorum Scholis? Num in Ecclesia? Altum ea de re silentium. Ita ne vero, ubi fidei dogma ponitur in Ecclesia susceptum, & Theologorum opinationibus minime permissum, ita-ne, inquam, jejune, & exiliter? Siccine occasione Moliniani dogmatis factum in altera Thesi, ubi solis ex adverso positis hæreticorum sententiis, magnificis adeo verbis Molinismus exponitur?

Innoc. XI. Constitut. data 25. Feb. 1677. qua jubet Festum S. Augustini per totam Hispaniam celebrari. Innoc. XII. in Brevibus ad Episcopos Belgii, & ad Theologos Lovanienses datis 7. Februar. 1694. & 24. Nov. 1696.

Quod in quinta tertiæ Columnæ Positione sequitur, tametsi S. Augustino, cujus in statuendo divinorum decretorum ordine præfertur sententia, honorificum videri utcumque possit, nonnisi tamen studiosa dexteritate dictum est, ut Sanctissimi Patris doctrina inter liberas Theologorum opiniones reponatur. *An ad gratiam prius, aut ad gloriam Deus electos prædestinaverit; hanc quæstionem non attingit Sanctus Doctor: ejus tamen doctrinæ magis consentaneum est, ut gloria prius decreta dicatur; & hic quoque toti Augustiniani sumus*. Quam grata nobis, quam jucunda hæc illa tandem Jesuitarum vox! *Toti Augustiniani sumus*. Monitos tamen volumus, ne varia promiscue dogmata misceant, neve opinionem Scholarum arbitrio datam, qualis illa est de ordine divinorum decretorum, gratiam, & gloriam spectantium, cum constanti S. Augustini doctrinam de gratuita Prædestinatione confundant. Procul est illa ab eruditis, & prudentibus Theologis aberratio: gravisque suspicio subest, ne Jesuitæ, qui se in statuendo divinorum decretorum ordine, perinde, ac in gratuita Prædestinatione constituenda Augustinianos profitentur, parem faciant utriusque dogmatis negandi libertatem. Magnum ab Ecclesia Romana inter quæstionem utramque discrimen poni meminerint. Nihil ab ea pronuntiatum legimus de divino decretorum ordine, quem Thesis Auctor, uti Augustinianæ doctrinæ consectarium ponit, de quo disputare sit liberum. At gratuitam Prædestinationem solemniter definivit, velut doctrinam ex Scripturis, ac Traditione, instar sacri depositi acceptam; a S. Augustino aperte traditam, & contra Hæreticos a quibus impugnata est, invicte propugnatam.

Ecclesiæ doctrinæ ignoratione liberior Lessio datus est campus, in quo nunc Molinam, nunc S. Augustinum ludit. In Tractatu, cui titulus est; *Disputatio Apologetica de gratia efficaci*, statim ab initio gratuita electorum prædilectionem ponit, sed tamen ex Molinæ principiis. In sequenti vero Tractatu de Prædestinatione, & reprobatione Angelorum, & hominum, oppositam viam init: nullam prædilectionem gratuitam agnoscit: Molinam sodalem suum hactenus defensum deserit: tantumque abest, ut præscientiam conditionatam explicando Prædestinationis Mysterio commodam censeat; quin potius parum, vel nihil ex ea solatii peti posse confidenter pronunciat in ipsa Tractatus Præfatione. Tum subinde, toto passim opere in sententiam Molinianam, quæ gratuitam prædilectionem scientiæ mediæ, sive conditionatæ fundamento superstruit, ea ipsa incommoda regerit, quæ Molina objicit, & exprobrat Gratiæ per se efficacis, & Prædestinationis ante prævisa merita defensoribus. Quin etiam graviora Molinianę doctrinæ incommoda objectat: Moliniana decreta *non esse mitiora* dicens: auctam, non sublatam scientia conditionata difficultatem: asserit insuper, neminem esse *Qui non mallet voluntatem suam prædeterminari, & necessario impelli ad opus malum, quam occultis modis ita gubernari, ut libere faciat, quia illo modo plus haberet excusationis*. Sic sane sibi relictus audacium hominum animus omni doctrinę vento jactatur. Verum etsi S. Augustini doctrinam Molinianæ hoc saltem loco Lessius anteponere videatur, ab ea tamen sequenda procul abest. Gratuitam prædilectionem non modo non admittit, *sed ad injiciendam desperationem pertinere* contendit.

Less. Ed. Lugdun. an. 1651. pag. 513. & 514.

Ibid. p. 532.

Ib. p. 535. & 536.

Siquidem Lessius Semipelagianorum in S. Augustini, & Ecclesiæ doctrinam odiosa probra, tritasque criminationes imprudenter refricuit, eadem illi responsa demus, quibus ingratos, & superbos illos gratiæ inimicos Sanctissimus Doctor propulsavit: *An vero timendum est, ne tunc de se homo desperet quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo; non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus, & infelicissimus poneret? Maledictus omnis, qui spem habet in homine. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, quia Beati omnes, qui confidunt in eum*.

S. Aug. Lib. De dono persev. c. 22. n. 62.

Hoc modo secundum divinas Scripturas S. Augustinus spes hominum erigit, eosque adversus nimiam de se ipsis fiduciam munit: nec modo sua nos doctrina * *in barathrum desperationis non agit*, ut ignaris quibusdam, ac temerariis ingeniis visum est: quin & nos eo certius constanti, firmaque spe in cælum erigit, quo firmius totam in Deo fiduciam, nullam in nostris viribus ponendam ostendit. *Absit autem a vobis*, inquit, *ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis*.

* Lessius pag. 554.

S. Aug. Lib. De dono persev. c. 22. nu. 62.

Iis documentis imbuendi fidelium animi, ut solidæ pietatis posito fundamento, nec vana de suis viribus fiducia extollantur, nec iniqua de divina misericordia diffidentia dejiciantur. In hac sententia firmi state? nec vanis Molinæ, Lessii, Arminianorum, licentiosorumque hominum terroribus moveamini, quibus gratuitam electionem hac nostra ætate impetunt; uti Semipelagianorum olim declamationes sprevit Ecclesia, qui similibus sophismatis, in sanctissimum gratiæ Doctorem, plebis, ac imperitorum hominum odia concitare nitebantur.

Absit nihilominus, ut Molinæ ejusque Sectatoribus Semipelagianorum hæresim imputemus. Hoc saltem æstimare par est, illos pro sua in Ecclesiam obedientia pravas Moliniani systematis

tis consecutiones rejicere : statuendumque omnino, illos, etsi in errore versentur, a pertinacia tamen, atque ita ab hæresi procul esse. Cum etiam sancta Sede Apostolica celeberrimæ disputationis de Auxiliis divinæ gratiæ, hujus initio sæculi inter Prædicatorum Ordinem, & nonnullos Societatis Theologos agitatæ, cognitionem sibi reservaverit, judicium, quod Summis Pontificibus suspendere placuit, cum reverentia exspectandum est. Interea per nos minime stabit, quominus Theologi Societatis in Diœcesi nostra constituti Molinianas divinæ gratiæ, & liberi arbitrii conciliationes pro viribus tueantur : ea tamen lege, ut nec scientiam mediam velut unicum explicandæ Prædestinationis modum orthodoxum venditent ; nec doctrinam de gratuita Prædestinatione a Sancto Augustino secundum Scripturas assertam, & omni retro tempore in Ecclesia Romana receptam, velut dubiam, & problematicam proponant.

His duntaxat conditionibus defendent, si poterunt, scientiam mediam Sodalis sui adversus eruditam S. Thomæ Scholam, quam posthabita Sanctissimi Institutoris sui voluntate, suis etiam Constitutionibus, ac Decretis Congregationum generalium Societatis repugnantibus, deseruerunt. Verum ne posthac usum scientiæ mediæ S. Augustino tribuant, ipso etiam Molina reclamante, Sanctissimoque Doctore prorsus invito, qui hanc eo ipso in libro funditus evertit, quem in ejus defensionem adducit Auctor secundæ Thesis. Agnoscit equidem S. Augustinus. *Habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Verum quid iis S. Augustini verbis, & scientiæ mediæ? An forte sancti Doctoris sensum esse putat hujus Thesis Auctor, verba vel miracula satis esse ad hominis conversionem, modo naturalibus cogitationibus nostris congruant? Purus hic, putusque Pelagianismus est, quem Sancto Doctori nemo affinget. Quovis igitur sensu sumatur *divinum naturaliter intelligentiæ munus*, eo tandem deveniendum est, quod de Tyriis, & Sidoniis ibidem S. Augustinus addit : *Nec illis profuit, quod poterant credere, quia Prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ : nec istis* (Judæis scilicet) *obfuisset, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* Huc ergo referenda est electionis gratia : non in naturale intelligentiæ munus, ejusve cum exterioribus mediis convenientiam, scientiæ mediæ lumine a Deo cognitam, de qua non loquitur S. Augustinus ; sed in arcanam divinæ voluntatis ordinationem, qua Omnipotentis jure, & pro beneplacito suo, magis excæcatos illuminat, magis obduratos convertit.

Positione 5. Colum. 2. Lib De dono persev. c. 14. n. 35.

Tota illuc collimat Augustinianæ doctrinæ summa. Istis principiis Deo dignis firmiter hærete : vana illa, novaque figmenta ablegate, quibus humana mens divina Mysteria explicare tentat. Unam Scripturam, ac Traditionem consulite, ubi certas æque, ac occultas rationes discatis, quibus Omnipotens corda hominum, quocumque voluerit, inclinat. Fide novimus, Deum omnia, quæcumque vult, facere in cœlo, & in terra ; eumdemque & in misericordia divitem, & in judiciis incomprehensibilem : ne igitur ejus omnipotentissimam voluntatem ab humanis affectibus pendere putemus : quasi rerum omnium Conditori Deo mutua nobiscum consilia conferre sit opus, ut sua illi prospere succedant ; & qui corda Regum quovis præ ceteris soluta jure summo dominio regit, ac pro nutu flectit, infirmæ prius voluntatis sinus exploret, quam suæ, quæ omnipotens est, decretum edat.

Ps. 113. Ephes 2. Rom. 11.

Lib. De dono persev. c. 22. n. 62.

S. Aug. Epist. 194. ad Xistum n. 30.

Ceterum spes nobis est, fore ut in tradenda gratuitæ Prædestinationis doctrina, non eruditioni tantum, sed & proximorum utilitati, ac ædificationi studeati. Utrumque nos admonet S. Augustinus, quid docendum? qua ratione docendum? Nedum vitandi sunt errores, hac in quæstione periculosissimi, sed & duriora verba, locutiones imprudentes, quæ non ædificationi forent, sed offensioni. Ea prudentia tractandum illud argumenti genus tam sublime, tam arduum, ut ex una parte inspiretur auditoribus humilitas, & fiducia, ne spem abjiciant, aut laborem piaque studia remittant ; ex altera sic ad vigilantiam, & laborem excitentur, ne superbia, nimiaque de propriis viribus fiducia nascatur. Piam fiduciam quod attinet, illius rationes ex orandi necessitate repetit Sanctissimus Doctor. *Vos itaque*, ait, *etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere non vos esse a Prædestinatione populi ejus alienos, quia ut hæc etiam faciatis, ipse largitur.*

Philip. 2. 13. Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.

Hæc dum fidelibus monita dabitis, non terrori eritis, sed solatio. Nemo quippe non sentit sua in oratione se gerere pię fiducię fundamentum : modo noverit illud ipsum ex Deo esse, qui orationis affectum inspirat, & exitum donat. *Impartito salubriter orationis affectu, & effectu.*

Ezech. 36. 26 & 27. Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Faciam ut in pręceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.

Jam vero, ut uno velut intuitu conspicere vobis liceat, quid a vestra prudentia, & pietate in hoc argumenti genere expectemus, omnia hoc ordine breviter complectemur.

Statuetis inprimis gratuitę hujus, & omnipotentis gratię veritatem, quam nullis naturę dotibus, vel naturali usu liberi arbitrii promereri valuimus ; quę nobis pias cogitationes, sancta desideria, bona opera, perseverantiam usque in finem impertit. Gratia hęc intima, & efficax, quę, secundum Apostolum, operatur in nobis velle, & perficere : quę non solum bonum ostendit, aut suadet, quod lex olim pręstabat, sed etiam persuadet ; atque ut faciamus, operatur : *Qua non solum suadetur omne, quod bonum est, verum et persuadetur.* Gratia victrix, quę & contra salutis hostes nos muniat, & contra propriam infirmitatem nostram. *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*, ut pronunciat Innocentius I.

S. Aug. Lib. de gratia Christi cap. 10. Innocent. I. Epist. ad Patres

Hoc gratię genus statuere facillimum est ; cum publicas Ecclesię preces consulere satis sit, quę necessitatem ejus liquido probant ; nullumque sit fidei dogma luculentioribus Scripturarum, ac Traditionis testi-

testimoniis confirmatum. Ea gratia mere gratuita ad cujusvis boni operis initium, progressum, consummationem, & in finem usque perseverantiam constituta, cum SS. Augustino, & Thoma facile probabitis, non ipsa duntaxat fide duce, sed & naturali ratione affulgente, Deum ante omne tempus praenovisse, ac praeparasse omnia illa dona, quae nobis in tempore ad salutem liberaliter impertit. Deo etenim aeterno, & immutabili, nihil novi saeculorum tractu accidere potest, quod is facturum se ex aeternitate non decreverit, si bonum sit, aut permissurum, si malum. Haec duo igitur ex aequo constat, ea videlicet Beneficia Dei, quibus electi certissime liberantur, illis ex aeternitate, nullis eorum exploratis meritis, esse destinata; eademque illa in tempore gratuito, & efficaciter dari, hujus nempe bonae voluntatis, aeternaeque dilectionis executione, qua in Christo ante tempora saecularia praeparata fuerunt. His duobus fundamentis inconcussis stat universa S. Augustini doctrina, ab Apostolica Sede probata, & contra Pelagianos uti Ecclesiae fides asserta. Hinc velut ex fonte derivatur celebratissima Praedestinationis definitio a nobis paulo ante tradita; qua tota paucis exponitur divinae gratiae, ac nostrae salutis oeconomia: *Haec est Praedestinatio Sanctorum, nihil aliud; praescientia scilicet, & praeparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.*

Carthag Concil. inter Augustinianos 181. n. 7. Jerem. 31. 3. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.

Lib. De dono Persev. c. 14.

Vestra illuc de divina gratia documenta perpetuo revocate; alias periculum suberit, ne regia relicta via, in sinistram, aut dexteram declinantes aberretis. Ceteras quaestiones, quod attinet, profundiorum, & incurrentium quaestionum numero haberi possunt, quas *Sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.* In haec verba desinunt Capitula illa celeberrima, quae Sancti Coelestini Epistolae ad Gallicanos Episcopos adnexa sunt. Ne porro S. Augustini adversarii iis forte verbis abutantur, ut Sanctissimi Doctoris sententiam de gratuita Praedestinatione, & efficacia gratia Christi, minus a S. Coelestino probatam dicant, quae sequuntur verba maturius expendant. *Ad confitendum gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundum praedictas Regulas Apostolicae nos Sedis scripta docuerunt; ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit praefixis sententiis esse contrarium.* Qui aures non penitus obtusas habent, noruntque, vel leviter, qua de re tunc ageretur, hoc uno velut fulmine conteri sentiunt S. Augustini Adversarios. Nec satis capere possumus, qua tandem audacia Theologi quidam gratuitam Praedestinationem adhuc impugnent.

Id vero cavete maxime, ne doctrinam adeo Catholicam tradentes, in extremum eorum errorem abeatis, qui divinae voluntatis colendae studio humanam libertatem e medio tollunt. Quinimmo, tametsi positis Scripturae Sacrae, & Traditionis principiis, vobis forte difficilior videretur divinae gratiae, & libertatis humanae conciliatio, quam statutis recentiorum quorumdam Auctorum variis opinationibus; vobis satis omnino sit, duo haec fidei Catholicae capita posuisse, Deum omnia posse, & sua hominem libertate frui. Cetera uni Deo committite, aut iis quos ille sua luce perfuderit, ut intimos, reconditioresque modos agnoscant, quibus (ut Scriptura loquitur) *Facit concordiam in sublimibus suis*; iis nempe, quae nimia sui sublimitate terrorem humanis mentibus incutiunt, vixque a nobis percipi, aut conciliari inter se possunt. Illa ipsa, quae a nonnullis obtenditur, incomprehensa Mysteria explicandi facilitas, apud vos in suspicionem veniat. Haec adversus recentiorum conciliationes, Apostolo, Patribusque doctissimis ignotas, instar praejudicii habenda est. Satius est altissimas illas veritates nusquam hactenus a Patre luminum revelatas, cum Apostolo, & S. Augustino nescire, quam Doctorum de se plus aequo fidentium ingeniosa nosse figmenta, quae illis caro, & sanguis revelarunt. Mementote, neque eruditi Theologi, nec prudentis esse Philosophi, veritates infallibili auctoritate, aut ipsa rationis evidentia constantes, propterea negare velle, quod gravissimis difficultatibus implicentur. S. Augustinus ex aequo humilis, & eruditus, magnis se in concilianda libertate cum Praedestinatione, & gratia difficultatibus obrueri fassus est, * (quo vel uno intelligimus obiter quantum illi a Sancto Doctore, & ab Apostolo diffideant, qui nullam hac in parte difficultatem pati volunt) stetit nihilominus in incoepto Sanctissimus Pater, nec ab omnipotentissima Dei operatione, & liberrima hominis cooperatione propugnandis unquam dimotus est. *Non enim cum ista commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam praedicamus.* Sat erit illustriora Sanctissimi Doctoris loca indicare, ubi liberum arbitrium in agendi, & non agendi potestate situm docet. Sententiam de hac gravissimi momenti veritate explicatissime dixit in Libro *De Spiritu, & Littera.* a Libro *De Gratia, & libero arbitrio,* b ac passim in Libro admirabili *De Natura, & Gratia.* c In eo asserendo dogmate ubique pene totus est: tum maxime in Enarratione in Psalmum XCI. ubi haec habet: *Aures tuae positae sunt inter monentem Deum, & suggerentem Serpentem. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Non cessat Satanas suadere malum; sed nec cessat Deus admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum: in tua potestate est consentire: & non consentire.*

Job. 21. 2. *Ista quaestio ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; & quando asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. S. Aug. lib. de gratia Christi, c. 47. Lib. de Natura, & Gratia, c. 32. n. 36.

Ecquis tandem sit Pastorali nostrae Institutioni modus, si illustria quaeque S. Augustini testimonia proferentur, quibus inconcussa liberi arbitrii jura, etiam post peccatum & sub gratiae reparatricis operatione tuetur, ac probat? Quicquid tamen hoc de argumento explicatius docuit, hac una brevi sententia Epistolae ducentesimae decimaequartae complexus videtur: *Si non est Dei gratia, quomodo salvat Mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat Mundum?* Si quis autem ultra modum argutari velit, atque e duobus alterutrum e medio tollendum putet, quod utriusque concordiam minus capiat, illius superbiam his verbis comprimet S. Augustinus: *Numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est? Numquid inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit,*

a Cap. 33. & 34. b Cap. 2. & 15 c Cap. 43. 64. 65. 67. Lib. De dono persev. c. 14. Epist. 194 n. 10.

non possumus invenire?.... Neque propterea judicia Dei sunt injusta, quia occulta.

Sapiens Theologus quemadmodum electorum salutem uni Dei bonitati adscribit, ita reproborum damnationem in sola eorumdem mala merita refundet: *Deus de suo bonus*, ait Tertullianus, *de nostro justus*. Diligit omnia, quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit (inquit Sapiens) quia non odiens constituit, & fecit. *Quia bonus est, sumus*. Procul igitur absit a nobis feralis illa sententia, Deum se ipso quempiam ad malum prædestinare.

Error est olim cum execratione damnatus a Concilio Arausicano II. suis in divinæ gratiæ, & gratuitæ prædestinationis hostes Canonibus celeberrimo, ac non ita pridem in sacra Synodo Tridentina.

Quotquot ad sobrietatem, ut monet Apostolus, Theologi sapient, ab eo errore procul erunt, quod Deus justus, ac bonus impossibilia jubeat. A priscis quondam Patribus damnata blasphemia, & a Concilio Tridentino rursus proscripta ipsis S. Augustini verbis: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.*

Illud etiam sæpius ad Fidelium solatium inculcandum est, *Deum sua gratia semel justificatos non deserere, nisi prius ab illis deseratur*. Alterum istud est pietatis Christianæ fundamentale documentum, S. Augustini verbis in Concilio Tridentino definitum. Nihil eo in S. Augustini doctrina eliquatius: *Ut innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, quæ ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.*

His principiis constitutis, duo hæc consectaria sponte fluunt: Primum, posse nos gratiæ cuilibet etiam efficacissimæ resistere, quia nos ea libertate frui finit: alterum culpæ nostræ certissime adscribendum esse, quoties aut exteriori gratiæ, aut etiam interiori reipsa resistimus, qua (nisi nostræ obessent infidelitates) Dei mandata implere possemus. Et hæc rursus in Concilio Tridentino tradita doctrina est, quæ hoc etiam in capite, ceterisque pene omnibus justificationem attinentibus, S. Augustini sententiam ipsis ejus verbis expressit. Ita nec efficacia gratiæ liberum aufert arbitrium, quod sartum tectum nobis esse vult Deus; nec libertas nostra gratiæ efficaciæ unquam derogat, quatenus gratia omnipotentis Dei voluntatis in nobis instrumentum est.

His igitur vos continete finibus, nec divinorum Judiciorum impenetrabilem abyssum tentetis. Occultas divinæ misericordiæ in electos rationes, aut tremenda in reprobos, sed justa, semper, adorandaque judicia, temere scrutari nefas esto.

Si qui vos imperiti, licentiorisque, ac procacioris ingenii viri sophismatibus irretire tentarint, veteresque Semipelagianorum argutias recudere, hoc ipsum illis respondete, quod toties olim secundum Apostolum respondit S. Augustinus: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Quasi dixerit: Quid tu homo, exilis admodum acuminis, & ingenii, ac ipso etiam originis vitio obcæcatus, ac depravatus, Dei arcana scrutari te posse putas, & inexhaustæ misericordiæ, vel infinitæ justitiæ rationes discutere? Cum gentium Apostolus cœlesti præ ceteris luce perfusus hanc unam noverit, aut certe dederit solutionem difficultatum, quas ignorantia, superbia, & pravitas humana omni retro tempore adversus Mysterium prædestinationis, & gratiæ objecerunt, ejus stare documentis debemus. Ad divina igitur Apostoli verba firmissimi responsi loco in hac difficillima quæstione confugiendum: *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.... Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quare me fecisti sic?* Si qui ultra molestius urgeant, cum Apostolo exclamandum: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Importunis cavillatoribus os occludite monendo cum S. Augustino, ut *Si quærant doctiores, caveant, ne inveniant præsumptores.*

Vanis recentiorum Theologorum speculationibus nullatenus invideatis, quæ illos in præcipitium impulerunt, quod illis imminere Sanctus Doctor prædixit. *Scrutetur, qui potest judiciorum Dei tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium*. Nec etiam eorum adversus Sanctissimum gratiæ Doctorem objectiones metuatis. Quantumlibet illi de novis inventis initio sibi blandirentur, magnaque spe erecti sibi fingerent, futurum tandem aliquando, ut Ecclesia S. Augustini sententiis (ut temere ajebant) turbata jampridem, eorum systemate, & conciliatione sedaretur, ac doceretur, suo tandem experimento comprobarunt, quam spes illorum fallaces quam inanes cogitationes fuerint. Tantum enim abest, ut quam spondebant pacem attulerint: quin potius doctrinæ suæ novitate excitata ubique dissidia, tumultus scandala viderunt. Novos illos, superbosque humani ingenii partus exploserunt Doctores, fidelesque, quotquot Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Romanæ doctrinæ studiosius, ac tenacius inhærebant. Joannes Mariana Molinæ licet sodalis, periculosam eorum pertinaciam lugebat, qui Societatis honorem in ejus doctrina tuenda positum existimabant. Ipse demum Lessius variis turbinibus ab humana ratione suscitatis agitatus, nihil ex hoc novo invento solatii reportavit.

Humilis Scripturarum meditatio, Traditionis studium, conscientiæ puritas, plus nobis lucis afferent, quam rationum quantacumque subtilitas, superbaque humanæ mentis elatio. Ac reipsa quidem probabitis, Augustinianæ de Prædestinatione doctrinæ studiosiores religiosiori grati animi significationi Dei dona excipere, iisdemque accuratiori fide, ac majori pietate respondere: cum alii ex opposito, qui cœlestem illam doctrinam rejiciunt, quasi animos frangeret, ac socordiam aleret, grave periculum subeant, ne ipsi minus vigilent, minus ferveant; imo vero magis ingrati sint, magis superbi.

Sed, & id obiter observandum, tumidos illos sublimioris (ut haberi quidem volunt) ingenii viros

Tertull. lib. de Resurr. carnis c. 14.
Sap. 11.
S. Aug. l. 1. de Doct. Chr. 32.
In fine Conc. Arausicani: Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.
Concil. Trident. Sess. 6. Can. 17. ib. c. 11. & Can. 18. S. Aug. lib. de Natura, & Gratia, c. 43. n. 50. Conc. Trid. sess. 6. c. 11. S. Aug. l. de Natura, & Gratia, c. 25. n. 29.
Aug. l. 2. de peccatorum meritis & remiss. c. 5. n. 5. Si ab illo avertimur nostrum est, & tunc secundum carnem sapimus, & concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit, sed etiam ut convertamur ipse adjuvat.
S. Aug. 16. c. 17. n. 26.
Psal. 45. 7. Judicia tua abyssus multa.
Ecclef. 3. 22.
Altiora te ne

viros, qui de Prædeſtinationis Myſterio pro arbitrio differunt, ut licentius vivant, ac molli ſecuritate torpeſcant, ita duntaxat ſubtiliter argutari ſolitos eſſe, ubi de ſua ipſorum ſanctificatione, & ſalute agitur. In aliis quippe negotiis, ubi ſui, vel minima vertuntur commoda, omne in rebus ſuis promovendi ſtudium ponunt: nec modo ceteris minus, ſed plus etiam quandoque vividi, acres, & experrecti, totis viribus admittuntur. Itane vero fugit eos, niſi forte omnem religionis, ac recti judicii ſenſum exuerint Deum eventura quæque certo prænoviſſe, atque æterno conſilio ſtatuiſſe? Quanto ergo una illos ſollicitat animæ ſalus, ubi de æterna felicitate, vel miſeria agitur? Ne illi ſæculi filiis, in fluxis, & caducis ſectandis prudentes, ac ipſis quandoque filiis lucis prudentiores!

Ne quid omittamus hoc loco inſtitutioni veſtræ neceſſario, ab iis maxime cavendum monemus, qui cum S. Auguſtini doctrinam aperto marte oppugnare minus audeant, ejus ſaltem auctoritatem imminuere nituntur objecta Sanctiſſimi Doctoris cum ſuperioribus Patribus, & maxime Græcis diſſonantia. Objectionem occupavit in antecessum S. Auguſtinus, oſtendens fieri non poſſe, ut aliter de divinæ gratiæ neceſſitate, & efficacia ſenſiſſent, qui iidem cum illo, & cum tota Eccleſia Catholica precibus, a Chriſtianæ religionis origine, ipſam a Deo flagitaſſent. Eos omnes ſuſpectos habete, qui vel Traditionis ſeriem ſuccidunt, vel ejuſdem univerſalitatem deſtruunt, Patribus ſecum mutuo commiſſi, & fictitio Orientem inter & Occidentem, priorum inter, ac ſequentium ſeculorum Doctores vulgato diſſidio. Eruditionem in ſolvendis, non in congruendis difficultatibus politam exiſtimate; in conciliandis Patribus, non illis mutua ſecum contentione committendis. Idque in antecessum credite; quod veſtro tandem experimento, & humili aſſiduaque lectione comprobabitis: poſteriores ſcilicet Patres (quemadmodum S. Auguſtinus, & Vincentius Lirinienſis obſervarunt) ea duntaxat diſtinctius, & clarius explicaſſe, quæ preſſius; atque ex occaſione tantum veteres attigerunt: ea præſertim ætate tempore: qua nondum ſubortis hæreſibus, nulla veritatis diſtinctius tractandæ, & eliquandæ neceſſitas erat.

quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.
Prov. 25. 27. Qui ſcrutator eſt majeſtatis opprimetur a gloria.
Rom. 9.
Rom. 11. 33.
Lib de Spiritu, & Litera c. 34. n. 60.
Epiſt. 194. ad Xiſtum, n. 23

Formam igitur, ut jubet Apoſtolus, ſanorum verborum habete, quæ ab iis audivimus, quibus veritatis depoſitum a Deo ipſo creditum eſt: idque in cœleſti doctrina melius reputate, quod emergentium hæreſum occaſione ab Eccleſiæ defenſoribus divinitus datis aſſertum, ac propugnatum eſt. Quod ſuperiorum temporum Patres attinet ſalva doctrinæ illorum integritate obſervare ſat eſt, illos nondum ſubortis controverſiis, minori cautione locutus. *Vobis nondum litigantibus, ſecurius loquebatur*, ajebat olim S. Auguſtinus de S. Joanne Chryſoſtomo ſermonem habens cujus hodie nobis nonnulla loca ſtudioſius opponuntur, doctiſſimi Photii de illius operibus minus ſpectato judicio. *Sicubi*, inquit ille, *ſententiarum aliquæ ſeu interpretationis, ſeu profundioris indagationis indigebant, neque tamen diligenter ſatis eas explanavit, mirum id minime videri debet. Quæcumque enim auditorum captui accommodata eſſent, atque ad eorum ſalutem, & utilitatem pertinerent, ea nequaquam ille prætermittebat. Quamobrem neque admirari Sanctiſſimum Virum ſatis unquam poſſum, quod perpetuo in omnibus ſuis ſcriptis, auditorum ita utilitatem tanquam ſcopum præfixiſſe ſibi videtur, ut cetera vel omnino neglexerit, vel leviſſime attigerit: ſed & illud præ auditorum utilitate contempſit, quod alicui vel ſenſus aliquos ignoraſſe, vel ad profundiora quædam penetrare refugiſſe, vel id genus alia præteriiſſe videri poſſet.*

S. Aug. l. 1. contra Jul. Pelag. c. 6. in Pſ. 54. & lib. de Præd. Sanctor. c. 14.
Vincent. Lirin. Commonit. c. 22. & 23. Lib. 1. contra Julian. c. 6.
In Biblioth. Photii, Edit. Rothom. p. 357.

Nos quidem, qui ea duntaxat vobis exponimus, quæ a ſanctiſſimis divinæ Gratiæ defenſoribus, quo tempore a variis hoſtibus impugnabatur, aſſerta, & vindicata ſunt, in eadem hactenus ſententia conſtantes fuimus. Hanc nos celeberrima Sorbona docuit, ubi & inſtituti quondam fuimus, ac nunc etiam, quod ſummo ducimus honori, Proviſoris munus gerimus.

Ab anno 1347. Theologica Facultas Pariſienſis omnium doctiſſima tres Propoſitiones ſequentes, a *Joanne de Mercuria* Ciſtercienſi propugnatas damnavit.

Quod propter opera alicujus futura bona Deus præordinavit aliquem ab æterno. Item. *Quod aliquis prædeſtinatus eſt ab æterno propter uſum liberi arbitrii, quem Deus præſcivit eum habiturum.* Item. *Quod non ſic gratis, & miſericordiæ Deus prædeſtinavit, quin & pro omnibus bonis ipſius futuris, vel alterius*. Legitur Academiæ Cenſura ad calcem Magiſtri Sententiarum, Editionis anni 1550.

Nec aliter cenſebat olim Academia iſta Rhemenſis, quo primum tempore inſtituta eſt. Fidem locupletiſſimam faciunt Alani Cardinalis Angli dictata Scripta, dum ante indutam Purpuram publici Profeſſoris munus obiret; cum S. Auguſtino de gratuita prædeſtinatione ſenſiſſe tunc Academiam noſtram plus ſatis indicant. Cardinalitiis infulis ornatus eſt a Xiſto V. 7. Auguſti 1587.

Exculta eruditio cum ſingulari pietate conjuncta, quam in hacce Academia veſtra læti ſuſpicimus, ſpem nobis facit, futurum, ut ſanctam illam doctrinam conſtantes, ac perſeverantes tueatur, & inductos a nonnullis abuſus caveat. Purus, erudituſque zelus procul vos faciet ab illorum erroribus, qui ſe Auguſtinianos falſo profeſſi, & Sanctiſſimi Doctoris mentem ceteris omnium ætatum Theologis Catholicis felicius attigiſſe ſibi viſi, gratiam neceſſitantem commenti ſunt, novam humanæ libertatis ideam intulere; infinitæ Dei bonitati, omnes homines ſalvos facere volenti, modum arbitratu ſuo poſuere: ceteros demum errores propugnarunt, quos a Concilio Tridentino jampridem anathemate damnatos, ſuis Conſtitutionibus proſcripſerunt Innocentius X. & Alexander VII. quinque famoſis Propoſitionibus ex Libro Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi, qui inſcribitur *Auguſtinus*, excerptis, juſta Cenſura confixis. Apoſtolicas illas Conſtitutiones ſumma, qua par erat, veneratione, & obedientia exceperunt Gallicani Epiſcopi; acceſſit totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſus. Rex Chriſtianiſſimus, Eccleſiæ commodis pro ſua pietate indeſinenter intentus, Eccleſiaſticæ auctoritati Regiam adjunxit lato Edicto menſe Aprilis 1665.

Refert Balduinus. Rithovius in Academia Duacenſi Theologiæ profeſſor.

 Fir-

Edicto suo Rex prohibuit ne subditorum suorum ulli se mutuo impetant, aut provocent sub obtentu controversiæ antehac excitatæ, neve sibi mutuo impingant Hæreticorum, Jansenianorum, Semipelagianorum, aut similia quævis factionis nomina; ne demum scribant, edant vel in lucem libellos de hoc eodem controverso argumento; nec verbis injuriosis famam cujusquam lædant, qui Fidei formulæ ex sui Archiepiscopi: Episcopive præscripto subscripserit, sub pœna gravi ad exemplum infligenda.

Firmam hæc, atque perennem Ecclesiæ pacem attulissent, nisi eam identidem inquieta perturbassent ingenia, seu scriptis, seu sermonibus minus orthodoxis, aut imprudentissimis, quibus etiam charitas non mediocriter lædebatur. Certam nobis restituendæ pacis Ecclesiæ, pariter, ac Reipublicæ conducibilis, viam monstravit Rex piissimus sanctioris Consilii sui Edicto dato die 23. Octobris 1688. quo Brevis Pontificii Clementis IX. felicis, sanctæque memoriæ dati 28. Septembris ejusdem anni observantiam imperabat.

Summa nobis ad hunc usque diem cura fuit sapientibus, ac religiosis tanti Principis consiliis, ac votis respondere, ut in hacce Diœcesi nostra pacem integram foveremus: ac re ipsa quidem Dei misericordis voluntate studiis nostris respondit eventus. Stabimus posthac in incœpto, nec minimum quidquam de pristina vigilantia remittemus. Quo studio, qua fide in eos animadvertemus, qui e damnatis quinque Propositionibus aliquam tueri, aut adversus Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones scripturire, vel mussitare auderent, eorum quoque audaciam cohibebimus, qui cæco, & imprudenti zelo abrepti, assumpta sibi de intimis animi sensibus judicandi licentia, quam ne ipsa quidem sibi tribuit Ecclesia, viros probos, ac pios, aliunde illis invisos temerariis suspicionibus infamant, vexant, exagitant, vagisque Jansenismi accusationibus insectantur. Sanctissimi Pontificis, quem Dei misericordia nobis dedit, cui, & multos annos ad Christianæ Reipublicæ utilitatem adprecamur, prudentibus Statutis utemur, ut debemus. Futurum, ut data non ita pridem ad Belgii Episcopos vicinos nostros, & ad Lovaniensem Academiam, singulari, & in violato in S. Augustini doctrinam studio venerabilem, Apostolica Brevia, illorum Præsulum Ecclesiis optatissimam pacem afferant.

Quocirca publice denunciamus, quemadmodum & nuper Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis publico Decreto pronunciavit, nos minime passuros, ut viri *nullius nominis*, *ac auctoritatis*, *charitatis nullius*, quin & sæpe nullius scientiæ, *de proximorum fide judicandi*, *eosque ex levibus suspicionibus infamandi*, *jus sibi arrogent*. Faxit Deus, ut tot Summi Pontificis, & Episcoporum Monitis, charitatem spirantibus, temerarii illi fratrum accusatores tandem obsequantur, prudentissimoque Regis Edicto obtemperent, quo exitiale Ecclesiæ contentionum incendium restinguendum existimaverat. Si in sua pertinacia nihilo secius perseverent, timendum, ne hæc in eos Hormisdæ Summi Pontificis de Scythiæ Monachis verba cadant: *Eo usque tumoris elati*, *ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium*, *nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ*, *si suæ viderint cedere nolle sententiæ*.

Epist. 70.

Volumus hoc præsens Decretum nostrum in proximis Theologicæ Facultatis Rhemensis Comitiis legi, cum primum ex juris forma vulgatum erit, in ejus Commentarios referri ex integro, doctrinamque in eo traditam, in publicis Scholis doceri, ac propugnari. Volumus insuper illud ad omnes Diœcesis nostræ Cœnobiarchas, & regularis cujusque Communitatis Superiores deferri, ad trium Seminariorum Præpositos, ad Rectorem, & Theologiæ Professores Collegii Jesuitarum hujus Urbis, ac denum Rectores Collegiorum ejusdem Societatis, Carolopolis, & Sedani, sine mora, agente Promotore nostro. Universis ejusdem Societatis Religiosis Viris, seu jam in nostra Diœcesi constitutis, seu ad eam deinceps accessuris injungimus, ut præsenti Decreto pareant, quo supra modo expositum est. Ac licet liberam eis permittamus Quæstionum, quæ in Scholis Theologicis disputantur, seu quas suo judicio Sedes Apostolica reservavit, tractationem; illis tamen uti, & omnibus, ac singulis Sacerdotibus Sæcularibus, & Regularibus, Concionatoribus, ac Magistris inhibemus, ne quid scribant, doceant, aut e sacro suggestu, vel Scholæ pulpito tradant, duobus illis repugnans capitibus, quibus veluti fundamentis Augustinianæ doctrinæ summam a Sede Apostolica probatam, ac velut Ecclesiæ fidem contra Pelagianos assertam ostendimus. Statuimus præterea, ut Theses Theologicæ diebus 5. & 17. Decembris anni proxime elapsi propugnatæ penitus supprimantur.

Ceterum significamus paratos nos esse ex animo ad singularia existimationis nostræ, ac benevolentiæ in Societatem argumenta, quavis data occasione, Jesuitis exhibenda: futurumque speramus, ut qua ratione nihil ab illis, qui in nostra Diœcesi constituti sunt, exigere volumus, nisi quod Dei gloria, Ecclesiæ dignitas, ac vera Societatis ipsius commoda postulant; ita judicio, & auctoritati Spiritus-Sancti pareant, qui nos, immeritos licet, posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

1. ad Cor. 1. 10. Ad Ephes. 4. 3. & seq.

Hoc superest unum, ut Deum optimum maximum precemur, ut *Idipsum dicamus omnes . . . simusque perfecti in eodem sensu*, *& in eadem sententia*: ut ejus opitulante gratia soliciti simus *servare unitatem spiritus in vinculo pacis*. Cum una nobis fides esse debeat, spes una, finis unus, Gloria scilicet Dei Patris per Dominum nostrum Jesum Christum, ad ædificationem Ecclesiæ.

Datum Remis in Palatio nostro Archiepiscopali, sub Cameræ nostræ sigillo, nostroque, ac Secretarii nostri chirographo, die 15. Julii, anno 1697.

CAROLUS MAURITIUS.
Archiepiscopus Dux Rhemensis.

De mandato Illustrissimi Archiepiscopi Domini mei,
DE MARTIGNY.

XI.

DECRETUM INNOCENTII XI.
PONTIFICIS MAXIMI.

De diſpoſitionibus ad frequentem Communionem & contra plures ea in re abuſus.

Die 12. Februarii 1679.

Cum ad aures Sanctiſſimi Domini noſtri fide dignorum teſtimonio pervenerit, in quibuſdam Diœceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis, etiam Feria ſexta Paraſceve, & ſimul affirmari eamdem quotidianam Communionem præceptam eſſe a Jure divino: quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleviſſe, videlicet, quod aliqui non in Eccleſia; ſed in privatis oratoriis, & domi, imo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecreto illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito; ac tandem quis eo confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit ſacræ Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, eadem ſacra Congregatio, prævia matura diſcuſſione, ſuper prædictis ita cenſuit.

Etſi frequens, quotidianuſque Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus a Sanctis Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus; nunquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit; ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens; quod cuperet tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent:* Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 6. idque non immerito; multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, varia ob negotia ſpiritus alienationes; multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa: quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certe de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Et propterea, quod ad negotiatores ipſos attinet, frequens ad ſacram Alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu, laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod perſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. In conjugatis tamen hoc amplius animadvertent, cum Beatus Apoſtolus nolit eos *fraudare, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi,* 1. Cor. 7. 5. eos ſerio admoneant, tanto magis ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœleſtium epularum Communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut a frequenti, vel quotidiana ſacræ Communionis ſumptione, unica præcepti formula aliqua deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur; ſed magis quid ſingulis permittendum, per ſe, aut per Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet. Illudque omnino provideat, ut nemo a ſacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie ac eſſerit, repellatur: & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne, pro devotionis, & præparationis modo, rarius, aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet. Itidem Moniales quotidie ſacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent. Si quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant; generatimque oſtendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſive laici negotiatores ſint, ſive conjugati, ſive quicumque alii ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini Judicii formidine diſcant cœleſtem Menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri: & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere.

Epiſcopi autem in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi devotio erga Sanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maxime perſuadebunt, nulli labori, & diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque ac dona in ſumentibus augeantur. Quod abunde continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, divina præſtante gratia tenentur, ſeque Sacratiſſimo Pane frequenter refici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint. Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe Fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in cœleſti regno ſe præmium eſt daturus precatur Sacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur.

Porro Episcopi, & Parochi redarguant asserentes Communionem quotidianam esse Jure divino. Doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis ex dispensatione, seu privilegio Pontificis, de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam: nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto, ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant: & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice, & cum pompa, juxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem Feria sexta Parasceve, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi aut Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo optimo maximo se rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum, per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum revelatione, Sanctitas Sua probavit, ac præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

F. CARDINALIS COLUMNA Præfectus.

X I I.

PASTORALIS EPISTOLA Eminentissimi DD. CARPEGNA CARDINALIS VICARII.

Institutionibus S. CAROLI BORROMÆI jussu Sanctissimi Pontificis INNOCENTII XII. Anno 1700. Romæ editis præfixa.

Ex Italico idiomate in Latino translata.

GASPAR CARPEGNA Sabiniensis Episcopus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Vicarius, Romæ, ac Romanæ Diœcesis: Venerabilibus Confessariis ejusdem Urbis, ac Diœcesis, Salutem in Domino.

Tametsi necessitatem instituendi Sanctos Ministros, & fideles dispensatores Mysteriorum Dei perspicuis verbis declaraverit Apostolus, dicens: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*: id tamen in administratione Sacramenti Pœnitentiæ longe gravioris est momenti: ut enim illius usus Fidelibus cum dispositionibus necessariis ad illud accendentibus saluberrimus est: ita ejus administratio Sacerdotibus ministerio suo indigne functis periculosissima. (1. Cor. 4. 1. & 2.)

Mali tam gravis timore perculsi, cum Apostolo dicimus: *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*. Tales scilicet eligendi, qui nec privatis utilitatibus, & cupiditati serviant, nec vanum honorem consectentur, sed uno Dei gloriæ, ac salutis animarum agantur desiderio: qui cœlestem illam potestatem non pro arbitrio, quasi summi dominii jure exerceant, sed ut Ministri obnoxii reddendis Christo Jesu supremo Judici rationibus dispensationis Sanguinis ejus pretiosi, cujus applicatio ad remissionem peccatorum in hoc Sacramento ipsis concredita est. (Matt. 15. 14.)

Præmonuerat ante Salvator noster: *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent*; idest in æternam damnationem. Quin & Pharisæis exprobaverat, quod magnam Sectatorum turbam ad se trahendi desiderio impulsi, circuirent *mare, & aridam*, ut facerent *Proselytos*, quos pravo moderamine in graviora crimina præcipites agerent, & *filios gehennæ* facerent. Illos denique increpat, quod perniciosis exemplis, pravaque doctrina *regnum cælorum ante homines clauderent*, quibus illud, ut per sanctam Passionem, ac Mortem suam aperiret, in mundum venerat: & quod Regni illius aditum malitia, & nequitia sua sibimetipsis intercludentes, aliis introitum prohiberent, quos a recta via avertebant, ad quam illos fideliter dirigere tenebantur. (Matth. 23. 15. Ibid. vers. 13.)

Malum tam deplorandum dubio procul imminet, si Pœnitentiæ Ministri integris, ac religiosis moribus non sint; imo vitia in seipsis alant, quæ ex pœnitentium animis extirpare ex officio tenentur: si scientia destituti sint, aut zelo imprudenti se abripi sinant: si animarum vulnera foveant, non sanare satagant instar pii Samaritani, vinum, & oleum, idest lenitatem, ac severitatem Christianam opportune adhibentes: si non modo negligant spiritualium vulnerum curationem, sed peccatorum licentiam, ac pravitatem detestanda foveant indulgentia, humanisque respectibus, quos ingenerant auctoritas, dignitas, vel temporalia commoda, quæ ignavii illi Ministri ab iis forte sperant, quorum Confessiones excipiunt. Qua quidem agendi ratione, secundum Prophetæ sententiam, *Consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*. Sic homines æternum perire, aut in peccatis suis inveterascere, aut falsa securitate delusos male quiescere sinunt: non attendentes sacrum Confessionis ministerium animas suas periculo exponere pro pœnitentium animabus, quorum se fidejussores apud Deum constituerunt. (Ezech. 13. 18.)

Tanti igitur oneris pondus sentientes, secundum Sapientis oraculum, nulli parcere debent labori, nulli solicitudini, adniti perpetuo, loqui, agere, monere, corripere, exhortari, nullam sibi requiem indulgere, donec sibi commissas animas ex tartarei Draconis faucibus eripuerint.

Hac

Hac de causa sancti Ecclesiæ Catholicæ Episcopi tam sollicite invigilarunt (uti ex Conciliorum Decretis compertum est) ut Sacerdotes ad Ministerium tam sublime destinati, summa illud animi attentione, ac diligentia implerent. Zelo itaque Pastorali succensi, in memoriam illis revocare non cessabant, ut animarum Judicibus, gravissima illa verba Regis Josaphat ad veteris Legis Sacerdotes populique duces: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.... Sic agetis fideliter, & corde perfecto. Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, & justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum.* Dicti sui rationem affert sane luculentam, & quæ una plurimarum loco esse possit, in sacro præsertim Pœnitentiæ Tribunali: *Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.* 2.Paral.19.6. & 19.

Idipsum est, venerandi Pœnitentiæ Ministri, quod vobis impense commendat vox supremi Ecclesiæ universæ Pastoris, vestrique speciatim sancta hac in Urbe, ubi pietas, doctrina, prudentia, zelusque Confessariorum effulgere magis, & omnibus Christianis orbis partibus exemplo esse debent. Movet Sanctissimum Patrem, quod vobis impendet periculum, nisi omnes Ministerii vestri partes plene, & integre impleatis; pondere Sanctuarii perpendit horrendam stragem gregi Christi, qui Pastorali solicitudini suæ commissus est, imminentem, nisi illum recta via ducatis. Terribile judicium considerat in Ministros infideles hora mortis pronunciandum, si perditionis tot animarum rei inveniantur; sive judiciaria potestate abusi illas absolverint, aut condemnaverint arbitrio magis suo, quam ex sacri Ministerii regulis; sive se spirituales esse Medicos prorsus immemores, illas misere perire passi fuerint, remediorum defectu, quæ vel ignorarunt, vel illis adhibere neglexerunt. Formidabilem demum sententiam recolit Sanctissimus Pontifex sub Lege Gratiæ longe severius, quam sub Veteri in Sacerdotes innovatam. Sub priori nempe dens pro dente, oculus pro oculo reperebatur: sub posteriori vero Confessarii anima pro anima pœnitentis pœnas dabit, si Sacerdotis ipsiusmet conscientiæ Moderatoris qualicumque culpa illam perire contigerit.

Quamobrem Beatissimus Pater provido zelo animatus, vos etiam, atque etiam hortatur, ut vobis ipsis attendentes, Propheticum audiatis Oraculum: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Hunc ad finem vobis præcipit, uti nos antehac mandato nostro declaravimus, ut quotannis per dies aliquot secedatis, spiritualibus exercitiis vacaturi, & rationem a vobismetipsis exacturi gravissimæ illius administrationis vobis commissæ, qua pretiosus Sanguis Jesu Christi a vobis dispensatur. Novas vobis leges proponit, quas in functionibus Ministerii vestri sectemini, Regulas a S. Carolo Borromæo, magno illo Ecclesiæ lumine, bonorumque Pastorum exemplari conditas, & præscriptas: de quo, ut de Magno quondam Basilio, dici potest; Sic illum Mediolanensem Ecclesiam docendo, ut illum Cæsariensem erudiendo, orbem universum illustrasse. Jerem.6.16. 23. Januarii 1699.

Verumtamen hæ Regulæ haud novæ censendæ sunt, cum eas Sanctus ille Archiepiscopus ex intimis antiquæ Disciplinæ visceribus, ex sanioris Doctrinæ fontibus, necnon ex ipsa natura Sacramenti Pœnitentiæ deprompserit, hauserit, arcessiverit: quod quidem cum in modum emendatorii judicii fuerit institutum, in hoc maxime incumbere debent ejus Ministri, ut noxæ præteritæ puniantur, & nova, quæ committi deinceps possent peccata, quoad fieri potest cum auxilio gratiæ, a pœnitentibus caveantur.

Tam sanctarum Regularum, documentorum tam salutarium frequentem lectionem vobis impense commendat Sanctissimus Pater: tam pretiosam collectionem, ut assiduæ præ manibus habeatis, vehementer adhortatur. Hanc velut AUREAM REGULAM tenete, secundum quam depravatos populi mores facile corrigetis. Hæc nos significare jussit, seu filiis ad obedientiam propensissimis, & Ministris, in magno divino Opere directionis animarum in viam salutis, suæ Sanctitati cooperantibus; ne unquam de Sacerdotibus Evangelicæ Legis dici possit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum*; sed unusquisque vestrum salubrium consiliorum prudentiam cum exemplari pietate conjungens, non novellas, & minime fundatas opiniones amplectatur; sed veram solidamque doctrinam, sententiis, ac praxi Sanctorum Patrum innixam, quos Deus ad Christianæ plebis institutionem cœlesti lumine perfudit: ut, cum rationem vos reddere oportebit administrationis vestræ supremo Judici, animarumque Patri, dicere cum fiducia possitis: *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis:* qui vias rectas, quas ipsi præmonstravimus, sequi noluit: & *Quos dedisti mihi, custodivi; & non perdidi ex eis quemquam.* Matt. 13.14. Joan. 12. Joan. 18. 9.

INDEX

CAPITUM, ARTICULORUM, ET RERUM,

Quæ in hoc Tomo Secundo tractantur.

TRACTATUS

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Regula

TRACTATUS DE CENSURIS.

sitio-

TRACTATUS
DE INDULGENTIIS.

TRACTATUS

DE EXTREMA UNCTIONE.

Regu-

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

APPENDIX AD TRACTATUM, DE ORDINE.

ex

Jure

INDEX
EPISTOLARUM.

INDEX
MONUMENTORUM.

Finis Indicis Epiſtolarum, & Monumentorum.

